200

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.


WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT OPUS HOC SANCTITATI SUAE DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT
AC PRIORA EIUS VOLUMINA VIGINTI TRIA SIBI OBLATA
HONORIFICENTISSIMO CHIROGRAPHO COMMENDARE DIGNATUS EST.

PARS PRIOR

LIBRI INTRODUCTORII

III

INTRODUCTIO SPECIALIS IN NOVI TEST. LIBROS SACROS

PARISIIS
SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
10, VIA « CASSETTE », 10

HISTORICA ET CRITICA

INTRODUCTIO

IN

U. T. LIBROS SACROS

PRAELECTIONES

QUAS

IN GERMANIA, IN COLLEGIO B. M. V. AD LACUM

ET

ROMAE, IN UNIVERSITATE PONTIFICIA GREGORIANA

HABEBAT

RUDOLPHUS CORNELY S. I.

VOLUMEN III

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

SINGULOS NOVI TESTAMENTI LIBROS

Editio altera emendata

Cum approbatione Superiorum.

WITHDRAWN
The Catholic Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.
BIBLIOTHECA
FF. MINOR. CAP.
CONV. INDIANAPOLIS.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA « CASSETTE », 10

1897

Omnia iura vindicabuntur.

LIBRARY

220.
C977c
v.3

7322

Quum opus, cui titulus est « *Historicae et criticae Introductionis in U. T. libros sacros Vol. III.* seu *Introductio specialis in libros sacros Novi Testamenti*, auctore P. Rudolpho Cornely S. I., in Pontificia Universitate Gregoriana S. Scripturae Professore », aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae die 25 Novembris 1885.

L. S. ANT. MAR. ANDERLEDY
Vicar. gener. S. I.

IMPRIMATUR

Fr. Augustinus BAUSA O. Pr.
S. P. A. Magister.

Quum opus, cui titulus est « *Historica et critica Introductio in Utriusque Test. libros sacros*, auctore P. Rudolpho Cornely S. I. Vol. III. *Introductio specialis in libros sacros Novi Testamenti. Editio altera emendata* », aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Valkenburg die 10. Augusti 1896.

L. S. HENRICUS HAAN S. I.
Praep. Prov. Germ.

IMPRIMATUR

Parisiis die 19. Augusti 1896.

† FRANCISCUS, Cardinalis RICHARD.
Archiepiscopus Parisiensis.

LEGENTIBUS S.

Ex quo tempore inter acatholicos S. Scripturae interpretes rationalismus praevaluit, vehementius quam unquam antea bellum contra Christi Ecclesiam concitatum est. Olim quidem Ps. reformatores unum iam christianae revelationis fontem respuentes divinis reiectis traditionibus haud pauca dogmata convellere erant conati. Hodie vero eorum filii ac heredes alterum quoque repudiantes divina Scripturarum inspiratione et auctoritate negatis ipsam Domini N. divinitatem aggressi divinam totius religionis christianae originem oppugnant, quin etiam illarum authentiam et integritatem invadentes historicum Ecclesiae fundamentum destruere nituntur. In Novo Testamento nullus amplius superest liber, quem aetate apostolica conscriptum esse « critici » concedant; paucissimorum vero, quorum authentiam nonnulli admittunt, fidem negant vel incolumitatem.

Neque inter solos viros doctos eiusmodi quaestiones hodie agitantur, sed rationalistica commenta velut totidem dogmata innumeris libris libellisque ubique terrarum in imperitum vulgus spargi, atque adeo in adolescentium scholis, immo in puerorum quoque ludis aperte doceri iam conspicimus. Sicuti S. Hieronymi aetate aliqui « adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris literis philosophabantur et edisserebant aliis, quod ipsi non intelligebant », ita hodie quam plurimi coram indocta multitudine « cava verba buccis trutinantur inflatis » de originibus Christianismi, id unice persequentes aut saltem consequentes, ut ex multorum animis fidem omnem radicitus evellant, in aliis eam labefactent ac percellant. Quare cunctos, quibus aeterna fratrum salus cordi est, vix quidquam sanctius antiquiusque hodie habere existimo, quam ut praecipuum revelationis fontem ab omni adversariorum impetu tueantur atque imprimis librorum Novi Testamenti origine apostolica et auctoritate divina vindicatis perniciosos « criticorum » errores de naturalibus nostrae religionis primordiis dissipent.

Nemo igitur mirabitur, quod in hac Introductione maius, quam plerumque assolet, spatium authentiae et integritati librorum sacrorum demonstrandis defendendisque attribuerim. Testimonia enim patristica trium priorum saeculorum diligenter erant colligenda, interdum penitius asserenda planiusque exponenda; libri quippe cuiuscumque origo, utpote factum historicum, historicis ante omnia documentis probetur et confirmetur necesse est. Deinde internae quoque rationes, quibus hodierna schola « critica » novas suas et inauditas opiniones coniecturasque fulcire conatur, exacto iudicio examinandae erant, neque ulla adversariorum obiectio praetermittenda videbatur, quae cuiquam negotium facessere potuit, reliquarum au-

tem specimina saltem nonnulla graviora afferenda, quibus quid ceterae valerent clarius appareret.

Neque vero defendendis Scripturis ita sum immoratus, ut praecipui introductorum muneris oblitus iuniores lectores ad illas intelligendas praeparare neglexerim. Antiqui igitur memor adagii : *Quis, scopus, impellens, series, tempus locusque, Et modus : haec septem Scripturae attendito, lector,* omnia quidem haec capita exposui, maiorem tamen diligentiam in sacri scriptoris fine consilioque explicando atque in expediendo idearum nexu collocandam duxi; ab his enim cognitis quum universi libri tum singularum eius partium intelligentiam potissimum pendere patet. Quare copiosas quoque librorum analyses adiicere non dubitavi, quibus id me assecuturum esse speravi, ut tota eorum structura et argumentatione perspectis sacerdotes ex quotidiana eorum lectione a SS. Patribus Summisque Pontificibus toties nobis commendata uberiores fructus et sibi et gregibus suis colligerent.

Haec, quae de huius operis consilio ac ratione priori eius editioni (a. 1886.) praefatus sum, quum iis plane consonent, quae S. P. Leo XIII. praeclaris suis literis encyclicis *Providentissimus Deus* de introductione in S. Scripturas tradenda nuper (a. 1893.) praecepit, a maioribus mutationibus additionibusque in altera hac praeparanda editione me continere mihi licuit. Singulas tamen sententias denuo perpendi, ut eas quae minus clare vel minus recte enuntiatae videbantur, explanarem vel emendarem. Praecipua quoque opera introductoria et exegetica ultimo hoc decennio a catholicis et a « criticis » interpretibus edita sollicite perlustravi, ut priorum auctoritate sententias a me propositas corroborarem, alterorum vero novis commentis obiectionibusque ubi opus erat occurrerem.

Faxit autem Deus O. M., ut haec altera quoque Introductionis in Novi Test. libros editio emendata ad eorum auctoritatem vindicandam aliquid adiuvet eorumque studium inter S. Theologiae studiosos sacerdotesque promoveat et adaugeat.

Scribebam in collegio *Blyenbeek* (Afferden, Hollandia),
die festo Nativitatis B. V. 1896.

R. Cornely S. I.

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITTERARVM · AUCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

LEO PP. XIII.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam Nobis cordi sit, ut Divinorum Librorum studia vigeant, abunde testantur Litterae, quas de Scripturis Sacris ad universos orbis catholici episcopos abhinc tribus annis dedimus. In quibus, Bibliorum Sacrorum dignitate ac multiplici utilitate illustrata, fuse de ordinandis eorum studiis perscripsimus; et ut gliscentibus errorum opinionibus plenior et accuratior in sacro clero institutio opponatur, aptam innuimus rationem et viam praeclarae huius disciplinae tradendae. Qua in re id peculiariter commendatum voluimus, ut quae a doctrinarum externarum peritis eisdemque in fide catholica firmis ex linguarum biblicarum notitia, ex re historica vel ex physicorum disciplinis similibusque studiis opportune suggeruntur, ea Librorum Divinorum seu sententiae plenius arripiendae seu veritati vindicandae minime praetereantur.

Haec Nostra cum sint optata, eos perutilem navare operam existimamus, quicumque Scripturis Sacris rite enarrandis tuendisque animos ac diligentiam intendunt. Vos autem, Dilecti Filii, hos inter cum laude connumeramus, qui iamdiu labore haud exiguo acrique ingenio Libros omnes Sacros perpetuis notationibus illustrandos suscepistis.

Egregii operis volumina, quae adhuc edidistis quaeque Nomini Nostro dicanda libenter concessimus, pergrato animo accepimus.

Vobis autem dum de emensa feliciter laboris parte gratulamur, virium vitaeque usuram divinorumque munerum ubertatem apprecamur, quo coeptum ad auspicatum demum exitum deducatis.

Interea ex Nostra benevolentia solatium et alacritatem sumite, cuius testis esto apostolica benedictio, quam vobis ceterisque sodalibus vestris, qui operi praeclaro vobiscum allaborant, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIV Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

Dilectis Filiis

Rodulfo Cornely, Iosepho Knabenbauer, Francisco de Hummelauer

Sodalibus e Soc. Iesu.

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

LIBROS SACROS NOVI TESTAMENTI

DISSERTATIO I.

DE LIBRIS HISTORICIS NOVI TESTAMENTI.

SECTIO I.

DE EVANGELIIS.

§ I. — *De Evangeliorum nomine, numero, ordine, titulis.*

1. Novi Testamenti quatuor primi libri, qui iuxta *S. Augustini* descriptionem « originem, facta, dicta, passiones D. N. Iesu Christi narrant » [1] EVANGELIA appellantur, idque merito.

Evangelium enim et etymologiae suae vi et usu profanorum scriptorum bonum laetumque nuntium dicit, qua significatione ab alexandrinis V. T. interpretibus et a Patribus accipitur[2]. Quid autem melius laetiusque annuntiari nobis potuit, quam insigne illud beneficium, quod Verbum aeternum miseris nobis hominibus contulit, quum natura nostra assumta inter nos conversans divinam suam doctrinam spargeret atque vicaria sua morte crudelissima Patri coelesti satisfaciens ab aeterna morte nos liberaret? Ideo rectissime alexandrini interpretes propheticam salutis illius futurae annuntiationem Evangelii nomine decorarunt[3], Novi autem T. scriptores eodem nomine aut ipsum mysterium reconciliationis nostrae cum Deo per Christum factae, aut promissiones a Christo D. nobis allatas, aut universam eius doctrinam, prout ab Apostolis praedicabatur, designant[4]. Qua latiore significatione acceptum nomen omnibus N. T. libris competere manifestum est; quare etiam *S. Clemens Rom.* priorem Pauli ad Corinthios epistolam Evangelium appellare non dubitat[5], atque *Origenes* recte id fieri demonstrat : « integrum N. T., inquit, Evangelium esse discimus ex illis, quae Paulus alicubi scribit : *secundum Evangelium meum*. Nam inter Pauli scripta nullum exstat, quod Evangelium vocari consuevit; sed quidquid vel praedicavit vel dixit, est Evangelium; quae vero praedicavit et dixit, haec etiam scripsit; quae igitur scripsit, ea sunt Evangelium. Quod si

Pauli scripta Evangelium sunt, profecto idem de Petri scriptis dicendum erit; et ut uno verbo dicam : quidquid Christi ipsius confirmat adventum, eiusque reditum (παρουσίαν) stabilit, et illum in animos inducit cupientes recipere divinum Verbum, quod ante fores stat et pulsat et ingredi desiderat, id est Evangelium ». Simili modo, sed brevius *S. Thomas Aq.* : « Evangelium, inquit, idem est, quod bona annuntiatio, quae incipit a Christo : unde quidquid pertinet ad Christum vel est de Christo, dicitur Evangelium »[6].

Inter N. T. autem libros eminent quatuor priores, qui ea nobis referunt, quae Dominus ipse hac in terra inter nos commoratus verbis suis rebusque gestis docuit. Singulari igitur et magis proprio sensu sunt « verba Dei »; quocirca Evangelii, i. e. boni laetique nuntii, nomine ab aliis Apostolorum scriptis merito discernuntur, id quod iam monuerunt Patres[7]. Eo rectius porro libri illi hoc titulo ornantur, quia Dominus, quum Isaiae vaticinium : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, *evangelizare pauperibus misit me* » in se impletum diceret[8], ipse primus praedicationi suae illum dederit. Quoniam vero ob argumentum suum libri illi hoc nomine sunt insigniti, etiam « de quatuor libris unius Evangelii », quam de quatuor Evangeliis rectius cum *S. Augustino* loquemur; « quod enim, inquit *Origenes*, per quatuor scriptum est, unum est Evangelium »[9].

Hoc autem iam loco id adnotasse iuverit, quod ex dicendis clarius patebit, Evangelia, etsi de vita Domini N. agant, libris mere historicis aut biographicis non esse adnumeranda. Neque enim id sibi proposuerunt Evangelistae, ut piae cuidam curiositati inservientes omnia et singula Domini facta dictaque nobis traderent; sed dogmaticum maxime finem prosecuti[10] ex eius rebus gestis sermonibusque nonnulla selegerunt, quibus veritatem illam, quam primis suis lectoribus inculcare voluerunt, efficacius demonstrarent. Historica ergo dici possunt Evangelia, si solum eorum argumentum consideratur; sin vero eorum finis ac tota indoles spectantur, dogmaticis libris rectius attribuuntur. Errant igitur, qui iuxta historicam solam rationem de Evangeliis iudicantes eorum auctores aut ignorantiae incusant, quia multa Domini facta dictaque omiserint, aut violati ordinis, quia dominicae vitae chronologiam neglexerint. Omnia enim referre Evangelistae neque voluerunt neque si voluissent potuerunt[11], atque suo iure argumenta sua historica eo disposuerunt ordine, quem suae thesi probandae habuerunt accommodatiorem.

1. *S. August.* c. Faust. Manich. II. 2 (M. 42, 210).

2. *Suidae* Lexic. s. v. Εὐαγγέλιον, τὰ κάλλιστα διάγγελον. Alexandrini vocabulo eiusque derivatis (εὐαγγελίζειν, εὐαγγελιστής etc.) exprimunt hebr. בְּשׂוֹרָה, בָּשַׂר etc. ad

designandum bonum nuntium vel etiam praemium pro bono nuntio collatum; cfr 1 *Reg.* 31, 9; 2 *Reg.* 4, 10: 18, 20. 22. etc. Eodem latissimo sensu nomen εὐαγγέλια a SS. Patribus usurpatur: *S. Chrys.* in Act. hom. 26. 3 (M. 60, 201) nuntium de Petro ex carcere liberato vocat εὐαγγέλια, quemadmodum *Cicero* (ad Attic. II. 3, 1. Valerii absolutionem appellat εὐαγγέλια.

3. Cfr *Is.* 40, 9; 52, 7; 60, 6; 61, 1 etc.

4. Testibus *Eusebio* (Hist. Eccl. III. 4, M. 20, 219) et *Hieronymo* (de vir. illustr. 7. M. 23, 621) antiquitus iam aliqui censuerunt S. Paulum, quoties in Epistolis de suo Evangelio loquitur, S. Lucae Evangelium designasse; attamen ne unus quidem locus affertur, in quo nomen illud non rectius de apostolica Pauli praedicatione, quam de libro quodam scripto intelligatur. Neque *Marcus* (1,1) locutione *Initium evangelii* suum *librum* designat. Cfr *Patrizi* de Evangeliis. 1853. I. p. 71; *Knabenbauer* Comm. in Matth. 1892. I. p. 21; in Marc. 1894. p. 25 sq. etc.

5. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 17: « Epistolam beati Pauli in manus sumite. Quid primum vobis in principio *evangelii* scripsit? Certe divinitus inspiratus de se ipso, de Cepha, et Apollo ad vos literas dedit » etc. Eandem epistolam evangelium vocat *Orig.* in Matth. tom. XVII. 13 (M. 13, 15-16).

6. *Orig.* in Ioan. tom. I. 6 (M. 14, 13); *S. Thom. Aq.* in 1 Cor. 1, 1.

7. Cfr Orig. in Ioan. tom. I. 7 sqq.; *S. Chrys.* in Matth. hom. 1, 2 (M. 57, 15): « Opus autem suum iure (Matthaeus) Evangelium inscripsit. Sublatam enim poenam, peccatorum veniam, iustitiam, sanctificationem, redemtionem, adoptionem, coelorum hereditatem, consanguinitatem cum Filio Dei omnibus annuntiare voluit, inimicis, improbis, sedentibus in tenebris. Quid tam bono nuntio (εὐαγγελίῳ) possit aequiparari? Deus in terra, homo in coelo; factaque omnium commixtione angeli cum hominibus choreas agentes, homines cum angelis aliisque coelestibus potestatibus conversantes; diuturnum bellum solutum, et foedus a Deo cum natura nostra initum; diabolus pudore affectus, daemones fugati, mors devicta, paradisus apertus, maledictio irritata, peccatum de medio sublatum, error depulsus, veritas reducta, verbum pietatis ubique disseminatum et crescens, superna vitae ratio in terris insita, virtutes illae familiariter nobiscum agentes, angeli frequenter in terra versantes, magna spes futurorum. Ideo historiam Evangelium vocavit, quasi scilicet alia omnia verba rebus sint vacua, veluti opes multae, vis potentiae, principatus, gloria, honores, ceteraque omnia, quae apud homines bona esse putantur, illa e contra, quae a piscatoribus promissa sunt, vere ac proprie evangelia dicantur; non solum quia firma immobiliaque bona sunt nostramque exsuperant dignitatem, sed etiam quia cum omni facilitate nobis dantur. Neque enim ex labore aut sudore nostro, neque ex nostris aerumnis sunt nata, sed ex Dei erga nos amore haec suscepimus ».

8. *Is.* 61; *Luc.* 4, 18 sqq.

9. *S. August.* in Ioan. tract. 36, 1 (M. 35, 1662): « In quatuor Evangeliis vel potius quatuor libris unius Evangelii ». Cfr *eiusdem* Serm. 231, 1; de util. cred. 7. (M. 38, 1104; 42, 69); *Orig.* in Ioan. tom. V. (M. 14, 193). Brevissime *Ps. Orig.* (Adamant.) de vera fide 1 (M. 11, 1724): « Evangelistae quidem quatuor, sed Evangelium unum », et *Ven. Beda* (in Luc. Prooem. M. 92, 307): « Evangelistae, quum sint quatuor, non tam quatuor Evangelia, quam *unum quatuor* (Quartetto) varietate pulcherrima consonum ediderunt ». Quare etiam iam S. *Iren.* (c. haer. III. 8. M. 7, 885) Christum nobis dedisse ait « Evangelium quadriforme « (ἔδωκεν ἡμῖν τετράμορφον τὸ Εὐαγγέλιον). Hinc quoque evenisse nonnulli putant, ut Evangelia ipsa non S. Matthaei, S. Marci etc., sed *secundum* Matthaeum, Marcum etc. sint inscripta; sed cfr *infra* 5. p. 12 sq.

10. De Evangeliorum fine cfr *infra* nn. 19. 29. 40. 63. sqq.

11. Cfr *Ioan.* 21, 25.

2. — De numero Evangeliorum. *Quatuor esse Evangelii libros genuinos, nec plures nec pauciores, tota retro agnovit antiquitas;* etsi enim multo plures sint conscripti, ob auctoritatis tamen divinae defectum plures ab Ecclesia recepti non sunt. Quod assertum innumeris fere Patrum testimoniis demonstratur; quum vero res in comperto sit, pauca ex antiquissimis attulisse sufficiet, quae ex variis Ecclesiae catholicae partibus seligemus.

Initium ab ecclesia alexandrina capiamus, cuius magnum lumen *Origenes* nobis asserit, « *ex traditione* (ἐν παραδόσει μαθών) se accepisse de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittantur ». Quam traditionem fusius alio in loco in hunc modum evolvit : « Sicut olim in populo Iudaeorum multi prophetiam pollicebantur, et quidam erant pseudoprophetae, alii veri prophetae..., ita et nunc in Novo Testamento multi conati sunt scribere Evangelia, sed non omnes recepti. Et ut sciatis, non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus haec quae habemus electa sunt et tradita ecclesiis, ex ipso prooemio Lucae, quod ita contexitur, cognoscamus : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem.* Hoc quod ait *conati sunt* latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus S. ad scribenda Evangelia prosilierunt. Matthaeus quippe et Marcus et Ioannes et Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu S. pleni scripserunt Evangelia. Multi igitur conati sunt ordinare narrationem de his rebus, quae manifestissime cognitae sunt in nobis. Ecclesia quatuor habet Evangelia, haeresis plurima... Quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris Nostri proferenda sunt dogmata. Scio quoddam Evangelium, quod appellatur secundum Thomam, et iuxta Matthiam et alia plurima legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos, qui se putant aliquid scire, si ista cognoverint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, i. e. quatuor tantum Evangelia recipienda »[1]. Origeni autem in eadem ecclesia iam praeierat *Clemens Alex.*, qui non tantum testimonium, « quod in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus », velut spurium reiicit, sed etiam teste Eusebio in Ὑποτυπώσεων libris deperditis « traditionem quandam, quam a vetustioribus presbyteris acceperat », de temporis ordine, quo quatuor illa conscripta essent, nobis conservavit[2].

Circa idem tempus africanae ecclesiae fidem prodit *Tertullianus*. Contra Marcionem enim, qui unum S. Lucae Evangelium (mutilum) recipiendum decreverat, disputans « constituimus imprimis, inquit, evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum : si et apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis et post Apostolos; quoniam

praedicatio discipulorum suspecta fieri possit de gloriae studio, si non assistat illi auctoritas magistrorum, immo Christi, qui magistros Apostolos fecit. Denique nobis fidem ex Apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantum ad unicum Deum attinet Creatorem et Christum ejus, natum ex Virgine, supplementum Legis et Prophetarum ». Atque iterum : « Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris patrocinabitur Evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cuius interpres Marcus; nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent »[3].

Romanae ecclesiae doctrinam de quaternario Evangeliorum numero nobis eadem aetate testatur auctor *fragmenti Muratoriani*, qui canonica nostra quatuor ita enumerat, ut eum alia non agnovisse appareat[4]. Gravissimus autem testis nobis est *S. Irenaeus*, quippe qui S. Polycarpi Smyrnensis discipulus, ac proin una tantum, ut ita dicam, generatione ab Apostolorum aetate distans, et lugdunensis episcopus, asiaticarum simul et gallicarum ecclesiarum, vel potius totius Orientis et Occidentis traditionem nobis exhibeat. « Tanta, inquit, est circa Evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionaei enim eo Evangelio, quod est secundum Matthaeum, solo utentes ex illo ipso convincuntur non recte praesumentes de Domino. Marcion autem id, quod est secundum Lucam, circumcidens ex his, quae adhuc servantur apud eum, blasphemus in solum exsistentem Deum ostenditur. Qui autem Iesum separant a Christo et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Iesum dicunt, id quod secundum Marcum est praeferentes Evangelium cum amore veritatis legentes illud corrigi possunt. Hi autem, qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Ioannem plenissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum ex ipso detegentur nihil recte dicentes. Quum ergo hi, qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio. *Neque autem plura numero haec sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia.* Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt, in quo sumus, et quatuor principales spiritus, et disseminata est Ecclesia supra omnem terram, columna autem et firmamentum Ecclesiae est Evangelium et Spiritus vitae, consequens est quatuor habere eam columnas undique flantes incorruptibilitatem et vivificantes hominem... His igitur sic se habentibus vani omnes et indocti et insuper audaces, qui frustrantur speciem Evangelii et *vel plures, quam dictae sunt, vel rursus pauciores inferunt personas Evangelii* » (εἴτε πλείονα εἴτε ἐλάττονα τῶν εἰρημένων παρεισφέροντες Εὐαγγελίων πρόσωπα)[5].

Quibus testimoniis dubitationi non relinquitur locus, exeunte saec. 2..

I. e. vix octoginta annis post ultimi Apostoli mortem, de quaternario Evangeliorum canonicorum numero in universa Ecclesia ita constitisse, ut omnes, qui plura pauciorave admitterent, haereticis adnumerarentur. Quare opus vix esse arbitramur, ut ad omnes, quotquot unquam in antiqua Ecclesia adornatae sunt, *versiones* appellemus, quas omnes sola quatuor Evangelia nostra continuisse inter omnes constat. Iam vero ex istis versionibus latina et syriaca, atque probabiliter etiam coptica, Patrum testimoniis allatis sunt antiquiores, quum duae priores sine ullo dubio saltem medio saec. 2. debeantur. Attamen in Patrum quoque operibus testimonia quaedam antiquiora non plane desunt. Namque *S. Theophilus,* « antiochenae ecclesiae septimus post Petrum Apostolum episcopus », medio saec. 2. teste S. Hieronymo « quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens ingenii sui nobis monumentum reliquit »[6]. Eodem fere tempore *Tatianus,* S. Iustini M. discipulus, « catenam et collectionem nescio quam Evangeliorum composuit, quam τὸ διὰ τεσσάρων (ex quatuor concinnatum) appellavit »[7]. Quam alte igitur impressa atque infixa illo ipso tempore fuit persuasio de quatuor illis solis Evangeliis admittendis, si in unum corpus iam sunt coadunata! *S. Iustinum M.* quoque, etsi quaternarii numeri disertam mentionem non faciat, testem merito citamus; quatuor enim nostra Evangelia ab eo esse agnita iure concludimus, quum commentarios commemoret, « quae Evangelia vocantur », « ab Apostol*is* eorumque discipul*is* conscriptos »[8]. Demum ad aequalem vel potius antiquiorem ethnicum scriptorem, *Celsum*, provocamus, qui acerrimus christiani nominis hostis saltem quatuor Evangelia, quae a Christianis in auctoritate habebantur, cognovit et ex *quatuor nostris* Evangeliis christianam revelationem impugnavit[9].

Illa igitur aetate, qua immediati Apostolorum discipuli in vivis fuerunt, quaternarius numerus Evangeliorum iam ubique est receptus.

1. *Orig.* in Matth. tom. I. (M. 13, 829; cfr Eus. H. E. VI. 25. M. 20, 581); in Luc. hom. 1.; in Ios. hom. 7, 1 (M. 13, 1801; 12, 857).

2. *Clem. Alex.* Strom. III. 13 (M. 8, 1149); *Eus.* H. E. VI. 14 (M. 20, 551).

3. *Tertull.* c. Marc. IV. 2. 5 (M. 2, 363. 367).

4. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 63. p. 182. 186.

5. *S. Iren.* c. haer. III. 11 (M. 7, 884 sqq.).

6. *S. Hier.* ad Algas. ep. 121, 6; de vir. ill. 25; in Matth. Prol. (M. 22, 1020; 23, 643; 26, 20). Nonnemo dubitaverit quidem, annon memoria lapsus sit S. Doctor, quum S. Theophilo harmoniam Evangeliorum adscriberet, quam nullus antiquus auctor commemorat (Cfr Vales. ad Eus. H. E. VI. 29. M. 20, 401); sed S. Hieronymi verba de Evangeliorum harmonia intelligantur, necesse non est; nihil obstat, quominus Theophilum in commentariis suis, quos S. Hieronymus legit et adhibuit, quatuor Evangelistarum verba compegisse dicamus.

7. *Euseb.* H. E. IV, 29 (M. 20, 401); *Theodoret.* Haeretic. fabul. I. 20 (M. 83, 369); « Tatianus Syrus... Evangelium quod Diatessaron vocatur composuit abscissis genea-

logiis omnibusque illis reiectis, quae Dominum secundum carnem ex semine Davidis ortum esse demonstrant. Quo non ipsius tantum sectae asseclae utebantur, sed etiam illi, qui apostolicam fidem profitentur, quum operis illius malitiam non perspicerent, sed illo tamquam compendio (Evangeliorum) uterentur. Equidem plus ducentos eiusmodi libros in nostris ecclesiis reperi in honore haberi, quos omnes collectos removi, eorumque in locum quatuor Evangelistarum Evangelia introduxi ». Theodoreti testimonium maximae est auctoritatis, quoniam ipse opus hoc accurate examinavit, neque quidquam ex apocryphis libris additum, sed nonnulla tantum ex nostris Evangeliis omissa esse detexit. Unde sua sponte omnia iam ruunt, quae aliqui « critici » de apocryphis Evangeliis a Tatiano adhibitis somniarunt (*Credner* Gesch. des neutestam. Kanon herausgeg. v. *G. Volkmar*. 1860. p. 18 sqq.; cfr etiam *Hilgenfeld* Einl. in das. N. T. 1875. p. 75 sqq.; *H. J. Holtzmann* Einl. in das N. T. Ed. 2. 1886. p. 129 etc.). Quam in sententiam immerito *S. Epiph.* (haer. 46, 1. *M.* 41, 840) trahitur, quippe cuius verba (« ferunt Diatessaron a Tatiano compositum esse, *quod aliqui* [τινές] *iuxta Hebraeos appellant* ») id unum probent, eo tempore *aliquos* neque Tatiani opus neque Evangelium iuxta Hebraeos bene cognita habuisse. Ceterum Tatianum quatuor *nostra* Evangelia eaque sola in unum opus compegisse, hodie satis constat, postquam S. Ephraemi explicatio huius harmoniae (cfr *Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephraemo*, exarmen. in lat. translata a J. B. Aucher. ed. a Moesinger. 1876.) et operis Tatiani versiones quum latina (cfr *Cod. Fuldens.* ed. Ranke. 1868.) tum arabica (cfr *Tatiani harmoniae Evangeliorum*, arabice e duplici codice ed. P. Aug. Ciasca O. S. Aug. 1888.) iterum innotuerunt. — Cfr *Mich. Maher* S. J. Recent evidence for the authenticity of the Gospels : Tatian's Diatessaron. 1893; et ex acatholicis *Westcott* History of the Canon of the N. T. Ed. 6. 1889. p. 322 sq.; *Th. Zahn* Gesch. des neutestam. Kanon. II. 1891. p. 530 sqq. etc.

8. *S. Justin.* M. Apol. I. 66; c. Tryph. 103 (M. 6, 429. 717); cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 62. p. 176 sqq.

9. *Orig.* c. Cels. V. 26 (M. II, 1269) : « (Celsus) addit, ad ipsius Iesu sepulcrum venisse duos, ut *quidam narrant*, angelos, ut *alii*, unum. Observaverat, opinor, a Matthaeo et Marco unum quidem, sed a Luca et Ioanne commemorari duos ».

3. — Cur ex multis, quae primis fidei temporibus conscripta sunt, evangeliis quatuor nostra sola ab Ecclesia in canonem sint recepta, alia ratio dari nequit, nisi quatuor haec sola Spiritu S. dictante esse exarata eorumque solorum inspirationem certis testimoniis Ecclesiae innotuisse. Tam persuasum autem Patribus erat de quaternario hoc numero, ut undique rationes conquirerent, quibus eum explicarent et quasi a priore stabilirent. *S. Irenaeus* iam docet, quoniam quatuor sint regiones mundi, in quo sumus, quatuor debere esse Evangelia, utpote quae sint columnae Ecclesiae, quae per quatuor mundi regiones dispersa sit[1]; *Origenes* quatuor esse Evangelia censet veluti quatuor elementa fidei Ecclesiae, ex quibus elementis totus hic mundus per Christum Deo reconciliatus constet[2]; *S. Cyprianus* quaternarium Evangeliorum numerum fluminibus quatuor Paradisi ex uno fonte progredientibus praefiguratum videt[3], et *S. Hieronymus* quatuor angulis annulisque Arcae foederis, quam Legis Domini custodem vocat[4]; *S. Augustinus* quatuor Evangelia, « per quae debitores non remanemus », stateri i. e. quatuor drachmis comparat, quas Petrus in ore piscis inventas tributum solvit[5]; sed quid plura, quum ingeniose quidem excogitatae haud raro sint eiusmodi rationes, at quaestionem propositam parum illustrent[6]?

Pervulgatam tamen illam sententiam omittere non licet, quae quatuor nostra Evangelia praefigurata docet quatuor illis animantibus, quae Ezechiel et S. Ioannes viderunt portantia thronum maiestatis divinae[7]. Inde enim ab Irenaei aetate Patres quam plurimi, maxime in occidentali ecclesia, visionem hanc de Evangeliis exposuerunt; quare auctoritate sua se commendat. Attamen in animantibus singulis ad Evangelia singula accommodandis non plane consentiunt. *S. Ambrosium* secutus *S. Hieronymus* accuratius illam symboli interpretationem evolvit, quae postea per *S. Gregorium M.*, *Alcuinum*, *Walafridum Strab.* in ecclesia latina praevaluit[8]. « Haec igitur quatuor Evangelia, inquit, multo ante praedicta Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur : *et in medio sicut similitudo quatuor animalium, et vultus eorum facies hominis et facies leonis et facies vituli et facies aquilae.* Prima hominis facies Matthaeum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere : *Liber generationis Iesu Christi.* Secunda Marcum, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini.* Tertia vituli, quae Evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote sumsisse initium praefigurat. Quarta Ioannem Evangelistam, qui assumtis pennis aquilae et ad altiora festinans de Verbo Dei disputat. Cetera quae sequuntur in eundem ordinem proficiunt » etc. Ab hoc autem ordine primus, qui inter Patres symbolum istud de Evangelistis exposuit, *S. Irenaeus* in eo dissentit, quod homini quidem Matthaeum et vitulo Lucam, sed aquilae Marcum et Ioannem leoni assimilaverit[9]; quam opinionem in *Iuvenco*[10], ni fallor, impugnans *S. Augustinus* tertiam proponit explicationem : « Unde mihi videntur, inquit, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attigisse illi, qui leonem in Matthaeo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Ioanne intellexerunt, quam illi, qui hominem Matthaeo, aquilam Marco, leonem Ioanni attribuerunt. De principiis enim librorum quandam coniecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quae magis fuerat perscrutanda »[11]. Quaenam autem sit haec Evangelistarum intentio, S. Doctor non explicat.

1. *S. Iren.* c. haer. III. 11 (M. 7, 885). Simili modo *S. August.* de cons. Evang. I. 2 (M. 34, 1043) : « Isti quatuor Evangelistae universo terrarum orbi notissimi, et ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terrae, per cuius universitatem Christi Ecclesiam dilatari ipso sui numeri sacramento declararunt ». Cfr in Ps. 103. Serm. 3, 2 (M. 37, 1359), quo in loco etiam quatuor angulis lintei, quod Petrus de coelo descendere vidit (*Act.* 10, 11), quaternarium Evangeliorum numerum indicari monet, consentiente *S. Hier.* ad Rustic. ep. 125, 2 (M. 22, 1073).

2. *Orig.* in Ioan. tom. I. 6 (M. 14, 29).

3. *S. Cyprian.* epist. ad Iubaian. 10 (M. 3, 1161). Haec explicatio, quae sua se simplicitate commendat, non infrequens est apud iuniores Patres : *S. Hier.* in Matth. Prol. (M. 26, 18); *S. Maxim. Taur.* Serm. 14 (M. 57, 561); *S. Isid. Hisp.* Quaest. in Gen. 3, 3 (M. 83, 216), *Alcuin.* Disput. puer. 8 (M. 101, 1131) etc.

4. *S. Hier.* in Matth. Prol. (M. 26, 18); *Rhab. Maur.* in Exod. III. 10; IV. 9 (M. 108, 210) etc.

5. *S. August.* in Ps. 137, 16 (M. 37, 1783).

6. Multas explicationes eiusdem generis collectas habes a *Ps. Hier.* Expos. quatuor

Evang. Prol. (M. 30, 532 sqq.) ac similiter a corbeiensi monacho, uti videtur medii saec. 8., *Christiano Druthmaro* Expos. in Matth. 1. (M. 106, 1264 sq.).

7. *Ezech.* 1, 5 sqq.; *Apoc.* 4, 6 sqq.

8. *S. Ambros.* Expos. Ev. S. Luc. Prooem. (M. 15, 1532); *S. Hier.* in Ezech. 1, 7; in Matth. Prol. (M. 25, 21; 26, 19); *S. Gregor. M.* in Ezech. hom. I. 4, 1 (M. 76, 815); *Alcuin.* Disput. puer. 9 (M. 101, 1133); *Walafr. Strabo* Glossa ordin. in Matth. Prol. (M. 114, 64).

9. *S. Iren.* c. haer. III. 11 (M. 7, 887).

10. *Iuvenc.* Evang. hist. Praef. (M. 19,54) ;

« *Matthaeus* instituit virtutum tramite mores,
Et bene vivendi iusto dedit ordine leges;
Marcus amat terras inter coelumque volare,
Et vehemens *aquilae* stricto secat omnia lapsu;
Lucas uberius describit proelia Christi,
Iure sacer *vitulus*, qui moenia fatur avita.
Ioannes fremit ore *leo;* similis rugienti
Intonat aeternae pandens mysteria vitae ».

11. *S. August.* de cons. Evang. I. 6; in Ioan. tract. 36, 5 (M. 34, 1046; 35, 1666). Augustino adstipulantur *Primasius* (in Apoc. 4. M. 68, 815) et *Ven. Beda* (in Luc. Praef. ad Acc. M. 92, 306). Inter Graecos rarius quam inter Latinos symbolum hoc de Evangeliis explicatur. S. Irenaeum sequuntur *Theophyl.* (in Marc. Praef. M. 123, 493) et codices aliqui graeci Evangeliorum (cfr *Scrivener* A plain Introd. to the criticism of the N. T. Ed. 3. Cambridge 1883. p. 64). Prorsus diversum ordinem exhibet *Ps. Athan.* Synopsis 76 (M. 28, 432), in qua homini Matthaeus, vitulo Marcus, Lucas leoni, Ioannes aquilae assimilantur.

4. Evangeliorum ordo, quem hodie in editionibus nostris habemus (Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes), uti testatissimus, ita antiquissimus est. Graeci enim codices manuscripti versionesque antiquae tantum non omnes eum exhibent; eundem exeunte saec. 2. tenent *Irenaeus*, auctor *fragm. Muratoriani*, *Origenes*[1] et post eos plerique iuniores. Cuius ordinis origo non est dubium, quin ex temporis ratione sit explicanda, qua singula Evangelia composita esse credebantur. Unanimi enim consensu S. Matthaeum primum, S. Ioannem vero ultimum libros suos composuisse tradunt Patres; S. Marcum autem ante S. Lucam scripsisse etiam testantur longe plurimi, solo dissentiente *Clemente Alex.*[2], qui Evangelia illa, quae genealogias continent, ante reliqua exarata asserit.

Praeter quem consuetum ordinem alter satis frequens olim fuit, qui Evangelia ab Apostolis conscripta aliis anteponit, ita ut Matthaeum sequatur (rarius praecedat) Ioannes, quem dein Marcus et Lucas, vel Lucas et Marcus excipiunt. In antiquioribus quibusdam Italae codicibus, uno graeco-latino, gothicoque argenteo invenitur; Patres quoque Ephesini Concilii eodem ordine testimonia sua allegant[3]. Ordinis vero huius rationem recte quidem, sed mira imagine usus explicat *Christ. Druth-*

marus : « Interrogavi Euphemium Graecum, cur hoc ita esset; dixit mihi : in similitudine boni agricolae, qui quos fortiores habet boves primo iungit »[4].

1. *S. Iren.* c. haer. III. 1, 1 (M. 7, 844 sq.); testimonia autem allegat ex Matthaeo, Luca, Marco, Ioanne (l. c. III. 9. 10. 11.), eodemque ordine Evangelia enumerat (l. c. III. 11,7). — *Fragm. Murat.* cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 182. — *Orig.* in Matth. tom. I. (M. 13, 829) cfr *Euseb.* H. E. VI. 25 (M. 20, 581).

2. *Clem. Alex.* apud *Euseb.* H. E. VI. 14 (M. 20, 551).

3. Scilicet in cod. Vercell., Veronens., Palatin., Corbei., Brixian.; et in graeco-lat. Cantabr. (D. Evang.) Cfr *Scrivener* Introd. to the critic. p. 70 et 342 sqq.; *Tischendorfii* Nov. Test. gr. Ed. 8. mai. Proleg. edid. C. R. Gregory Lips. 1884, p. 137. — Eadem testimonia, quae *Conc. Ephes.* (Act. IV. Mansi Coll. Conc. IV. p. 733-752, 781-788 etc.) allegat, eodem ordine affert *S. Cyrill. Alex.* De recta fide ad regin. (M. 76, 126. sqq.). Eundem quoque ordinem invenis in *Constit. Apost.* II. 57. (M. 1, 729 : « Evangelia, quae ego *Matthaeus* et *Ioannes* vobis tradidimus, et quae adiutores Pauli *Lucas* et *Marcus* accepta reliquerunt vobis »), apud *Tertull.* c. Marc. IV. 2. (M. 2. 363 « nobis fidem ex Apostolis *Ioannes* et *Matthaeus* insinuant, ex apostolicis *Lucas* et *Marcus* instaurant ») et apud non paucos Graecos saec. 4. et 5.

4. *Christ. Druthm.* Expos. in Matth. 1 (M. 106, 1266), cfr *Tert.* l. c. qui apostolicos « non solos, sed *cum* Apostolis et post Apostolos » scripsisse dicit.

5. — Titulos, quos hodie Evangeliis praefixos habemus, non ab ipsis Evangelistis additos esse, monet iam *S. Chrysostomus :* « Moyses libris quinque a se scriptis nusquam nomen suum apposuit, neque illi, qui res gestas post ipsum scripserunt, sed neque Matthaeus, neque Ioannes, neque Lucas, neque Marcus » ; Evangelii tantum titulum operi suo Matthaeum indidisse censet[1]. Id quidem recte; antiquorum enim, maxime Orientalium, mos non tulit, ut historicis libris auctor nomen suum praefigeret. Nihilominus tituli illi antiquissimi sunt. *Tertullianus* enim ex illis suo iam tempore contra Marcionem argumentatur[2]; ante illum *Irenaeus, Clemens Alex.*, auctor *fragm. Muratoriani* nostris titulis (τὸ κατὰ Μαθθαῖον, etc., secundum Lucam) utuntur[3]; unde quum exeunte saec. 2. in ecclesiis lugdunensi, alexandrina, romana in usum communem iam abierint, merito inferimus eos multo esse antiquiores atque ad ipsam apostolicam aetatem ascendere. Quam maxima igitur eorum est auctoritas, atque demonstrandae Evangeliorum authentiae solidum praebent argumentum.

Negare quidem nolumus inscriptionem Εὐαγγέλιον κατὰ Μαθθαῖον, Evangelium *secundum* Matthaeum, non necessario Matthaeum operis auctorem designare; apte enim hoc titulo liber inscriberetur, etsi secundum Matthaei praedicationem ab altero esset conscriptus; quin etiam latiore sensu praepositionem κατὰ esse explicandam concedimus, quotiescumque Εὐαγγέλιον κατ' Αἰγυπτίους, καθ' Ἑβραίους, κατ' ἀποστόλους allegatur, i. e. evangelium secundum recensionem illam, quae ab Aegyptiis, ab Hebraeis erat recepta. Nihilominus

in Evangeliorum nostrorum inscriptionibus praepositionem illam hellenistico more ad auctorem designandum adhibitam esse pro certo habemus. Antiquitus Faustus Manich. id videtur negasse, et hodie rationalistae non pauci negant, ut Evangeliorum nostrorum authentiam auctoritatemque facilius negare possint [4]. At immerito. Namque praeprimis Hellenistas praepositionem κατά ad libri alicuius auctorem designandum frequenter adhibuisse omnino constat. Plerumque quidem hoc loquendi genere sunt usi, ut idem argumentum a diversis auctoribus simili ratione tractatum esse connotarent; haud infrequenter tamen constructionem illam etiam ita usurparunt, ut praepositio quasi locum genetivi occupet [5]. Atqui si quis ad propriam nominis *Evangelii* significationem attenderit, in Evangeliorum titulo praepositionem κατά procul dubio genetivo praeferet; unum enim Evangelium quatuor formis nobis est transmissum idque praepositione clarius quam genetivo declaratur. Evangelia quoque Domini biographiae non sunt, sed « bona annuntiatio nobis a Christo allata eiusque sive verbis sive rebus gestis expressa », ita ut quodam modo, etiam si inspirationem seponamus, Christum eorum auctorem primarium recte dicamus; secundariam autem Evangelistarum operam praepositio iterum aptius quam genetivus demonstrat. Quibus accedit, quod omnes antiqui scriptores, praepositione non obstante, titulis nostris auctores Evangeliorum significari tenuerint. Nam si Fausti Manich. testimonium magis minusve incertum exceperis, nullum in Patrum operibus reperies vestigium, quo illos de titulorum nostrorum sensu haesitasse probes. Hellenistarum ergo loquendi usu et unanimi Patrum explicatione omne prudens dubium prorsus excluditur [6].

1. *S. Chrys.* in Rom. hom. 1, 1; in Matth. hom. 1, 2 (M. 60, 395; 57, 15); similiter *Maldon.* in Matth. 1, 1; *Hug* Einl. ins N. T. I. p. 224 etc.

2. *Tertull.* c. Marc. IV. 2 (M. 2, 363) : « Marcion evangelio, scilicet suo, nullum adscribit auctorem; quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere. Et possem hic iam gradum figere non agnoscendum contendens opus, quod nullam constantiam praeferat, quod non erigat frontem, nullam fidem repromittat *de plenitudine tituli et professione debita auctoris* ».

3. *S. Iren.* c. haer. III. 11 « τὸ μὲν κατὰ Ἰωάννην... τὸ δὲ κατὰ Λουκᾶν; *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8. 881. 889) : ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τῷ κατὰ Λουκᾶν; ἐν τῷ κατὰ Μαθθαῖον Εὐαγγελίῳ; *Fragm. Murat.* l. 3 (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 63. p. 182) : « tertium Evangelii librum *secundum Lucam* ».

4. *S. August.* c. Faust. Manich. XXXII. 2 (M. 42, 498) : « Faustus dixit... praesertim quod nec ab ipso (Christo Evangelium) scriptum constat, nec ab eius Apostolis, sed longo post tempore a quibusdam incerti nominis viris, qui, ne sibi non haberetur fides scribentibus quae nescirent, partim Apostolorum nomina, partim eorum, qui Apostolos secuti viderentur, scriptorum suorum frontibus indiderunt, *asseverantes secundum eos se scripsisse, quae scripserint* ». Inter modernos rationalistas cfr *Credner* Einleitung p. 204; *Volkmar* Ursprung der Evangelien. Zürich 1866. p. 7; *Renan* Vie de Jésus. Paris 1863. Introd. p. XVI. : « Les formules *selon Matthieu, selon Marc, selon Luc, selon Jean* n'impliquent pas que, dans la plus vieille opinion, ces récits eussent été écrits, d'un bout à l'autre, par Matthieu, par Marc, par Luc, par Jean; elles signifient seulement que c'étaient là les traditions provenant de chacun de ces apôtres et se couvrant de leur autorité ». Assertio non est demonstratio; undenam hausit vir erudi-

tus « vetustissimam illam opinionem », quam affert. Vetustissima opinio Evangelium a Marco scriptum esse tradit secundum praedicationem Petri; inscribendum ergo erat « Evangelium secundum Petrum »; atqui hoc titulo nusquam insignitur, etsi S. Iustinus illud afferat titulo « commentariorum Petri ». Quare iure merito Renan in recentioribus editionibus phrasin hanc omisit (cfr Ed. 18 Paris 1884. p. XLVIII).

5. Cfr 2. Mach. 2, 13 ἐν τοῖς ὑπομνηματισμοῖς τοῖς κατὰ Νεεμίαν; pro quo optime Vulg. « in commentariis Nehemiae ». Apud Patres frequentissimae sunt expressiones : ἡ πάλαια διαθήκη ἡ κατὰ τοὺς ὁ, ἡ κατὰ Ἀκύλαν etc.; *S. Epiph.* haer. 8, 4 (M. 41, 92) : ἡ πρώτη βίβλος τῆς κατὰ Μωυσέα πεντατεύχου. Idem usus loquendi profanorum scriptorum : *Diod. Sic.* ἡ καθ' Ἡρόδοτον ἱστορία. — De sensu praepositionis bene *Maldonat.* in Matthaeum 1, 1 : « Adiuncti tituli sunt... etiam ad discernenda ipsa inter se Evangelia. Hoc enim est κατὰ Ματθαῖον i. e. prout scriptum est a Matthaeo. Quare significatur et alios scripsisse et non eodem modo : itaque illud κατὰ non diversam doctrinam atque sententiam..., sed diversos tantum auctores et *modum* scribendi diversum declarat »; cfr etiam *Schanz* Comment. über d. Evang. des h. Matth. Freiburg 1879. p. 64 sq.; *Kaulen* Einl. in die h. Schrift. Ed. 3. Freiburg 1893. p. 443 sq.; *Knabenbauer* Comm. in Matth. I. 1892. p. 21 etc.

6. Ideo etiam recentiores non pauci rationalistae argumentum, quod alii ex illa praepositione contra Evangeliorum auctoritatem desumere sunt conati, repudiarunt. Cfr *Wette* Einl. ins N. T. Ed. 6. curantibus Messner et Lünemann Berlin 1860. p. 143; *Bleek Mangold* Einl. ins N. T. Ed. 3. Berlin 1875. p. 108 sq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 149 : « Freilich die Ueberschriften κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον drücken keineswegs, wie man wohl gemeint hat, einen Zweifel an den überlieferten Verfassern aus, sondern *nur die harmonistische Grundansicht der Kirche von dem Einen Evangelium in* vierfacher Gestalt »; *Holtzmann* Einl. Ed. 2. Freiburg 1886. p. 346 sq. etc.

6. — Quatuor nostra Evangelia inter se non tantum in eo conveniunt, quod nullum ex eis argumenta sua ex universa Domini vita desumat, sed quod omnia quoque, si a paucis illis abstrahimus, quae primum et tertium de annuntiatione, nativitate, pueritia Iesu attingunt, ultimos duntaxat eius annos, quibus post baptismum docens et benefaciens peragravit Palaestinam, respexerint. In illis autem factis, quae ex his annis referre voluerunt, seligendis tres priores Evangelistae magna inter se affinitate coniuncti longius a quarto discedunt. Dominus enim in integra Palaestina ministerio suo divino functus est, at tres priores eum tantum non in sola Galilaea sequuntur, Ioannes autem res ab eo in Iudaea et maxime Ierosolymis gestas et traditas nobis conservavit. Praeterea in ministerio galilaico referendo ita consentiunt tres priores, ut plerumque eadem miracula a Christo patrata eosdemque sermones ab illo habitos exhibeant. Quare aptissime *Synopticorum* nomine inter se coniunguntur et a quarto distinguuntur, quia eorum relationes uno in conspectu (σύνοψις) facillime proponuntur. Hac ergo distinctione retenta nos primum de Evangeliis synopticis singulis, deinde de eorum inter se affinitate dicemus, atque tertio demum loco de S. Ioannis libro agemus deque relatione, quae quartum inter et synoptica Evangelia intercedit.

CAPUT I.

DE EVANGELIIS SYNOPTICIS SINGULIS.

§ 2. — *De Evangelio secundum Matthaeum.*

Quæstio I. — De S. Matthaei Apostoli et Evangelistae vita.

7. — Uti de omnibus fere Apostolis primisque Domini discipulis, ita de S. Matthaeo, cuius nomen primum Evangelium prae se fert, pauca certa nobis sunt tradita. Nemini est dubium, quin idem ille sit, qui in Apostolorum catalogis septimum vel octavum locum occupat, et in primo Evangelio ὁ τελώνης « publicanus » appellatur[1]. Eius autem ad Apostolatum vocatio hac ratione narratur : « Et quum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine. Et ait illi : Sequere me; et surgens secutus est eum »[2]. Quae si cum illis comparaverimus, quae *Marc.* 2, 14 et *Luc.* 5, 27 leguntur, unum idemque factum a tribus Evangelistis referri evidens erit; namque non tantum eadem fere adhibentur verba, sed eundem quoque locum narratio in tribus Evangeliis occupat : praecedit sanatio paralytici, sequuntur convivium a publicano converso paratum et Pharisaeorum murmurantium increpatio[3]. In primo quidem solo Evangelio publicanus ille *Matthaeus* appellatur, in aliis duobus nomen habet *Levi;* id autem seriam difficultatem non creat; fieri enim potuit, ut iam ante vocationem binominis fuerit publicanus, aut in vocationis memoriam alterum nomen assumserit; Matthaeus enim *donum Dei* (vel Adeodatum) significat[4].

De eodem sermonem esse primus *Grotius* negavit duplici permotus ratione[5], *a.*) quia Matthaeus nunquam sese Levi, alii Evangelistae Levi nunquam Matthaeum appellent, et *b.*) quia *Heracleon,* Valentini discipulus saec. 2., inter Matthaeum et Levi distinguat atque *Clemens Alex.* et *Origenes* hanc distinctionem approbare videantur[6]. Non paucos sequaces habuit Grotius, inter quos recentissimi tertiam addiderunt rationem, Levi scilicet et Matthaeum esse nomina hebraica, Iudaeos autem interdum quidem nomen graecum vel latinum praeter hebraicum gessisse, nunquam vero duo nomina hebraica, nisi cognomen fuerit patronymicum aut gentilicium aut ad qualitatem aliquam designandam impositum vel assumtum[7]. Ne fidem Evangeliis detrectare videatur, Grotius duos viros eodem tempore a Domino vocatos esse coniicit, *Levi,* qui forsitan ἀρχιτελώνης (praefectus publicanorum) fuerit, et *Mat-*

thaeum, unum ex prioris ministris; in domo Levi, qui postea inter *discipulos* receptus sit, factum esse convivium, Matthaeum vero vocatum esse ad *Apostoli* munus. Qua ingeniosiore quam veri similiore coniectura contemta moderni rationalistae Evangelistas hac in relatione inter se pugnare contendunt [8].

At rationes allatae non sufficiunt, ut identitatem, quae tam clare ex Evangeliis elucet, ut tota antiquitas eam agnoverit, in dubium vocemus. Nam a.) nec Paulus unquam se Saulum appellat nec a Petro hoc nomine appellatur; num ideo Saulum a Paulo diversum dicemus? Recte autem post *Eusebium* monet *S. Hieronymus*, « ceteros Evangelistas propter verecundiam et honorem Matthaei noluisse eum nomine appellare vulgato, sed dixisse Levi... ipsum autem Matthaeum secundum illud, quod a Salomone praecipiatur : *iustus accusator est sui*, in principio sermonis Matthaeum se et publicanum nominasse, ut ostenderet legentibus, nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit » [9]. Demum illud quoque animadvertatur oportet, Marcum et Lucam, quamvis evidenter Levi ad apostolicum munus vocatum esse indicent, in suis Apostolorum catalogis Levi non recensere; quare sub nomine Matthaei latere dicendus est.

b.) Ad secundam rationem quod attinet, Heracleonis auctoritas tanta non est, ut omnium Patrum, qui Levi et Matthaeum eundem esse asseruere, testimonia evertat; neque certum est, annon Heracleon Lebbaeum, i. e. Thaddaeum, designare voluerit [10]. Quodsi Grotius Origenem quoque in suam sententiam trahere conatur, dubio Origenis loco opponimus clarum et apertum, in quo duobus nominibus Matthaei et Levi eandem personam designari affirmat [11].

c.) Tertium demum argumentum nullius est roboris; Iudaeos enim iam antiquitus binomines fuisse, non paucis exemplis Veteris Testamenti demonstratur, nec ulli negare licet, etiam Christi tempore aliquos duo nomina hebraica gessisse, quae nec patronymica nec gentilicia nec ab alia qualitate desumta erant [12].

1. *Matth.* 10, 2-4; *Marc.* 3, 16-19; *Luc.* 6, 14-16; *Act.* 1, 13.

2. *Matth.* 9, 9. De prompta obedientia, qua vocantem Matthaeus sequitur, cfr *Chrys.* in Matth. hom. 30, 1 (M. 57, 363) « Statim obedivit; neque petiit ut domum ire liceret, ut rem cum suis communicaret; quemadmodum piscatores fecerunt, qui retia, naviculam et patrem reliquerunt, ita etiam hic telonariam mensam et lucrum reliquit, ut sequeretur ad omnia paratum animum exhibens; et a rebus se statim saecularibus abscindens, per obedientiam perfectam testificatus est, quam tempestive esset vocatus. »

3. *Matth.* 9, 1-8. 10 sqq.; *Marc.* 2, 1-12. 15 sqq.; *Luc.* 5, 17-26. 29 sqq. Cfr *Patrizi* De Evang. I. p. 2 sq.

4. De nominis etymologia variae habentur sententiae, inter quas probabilior : Μαθθαῖος vel Ματθαῖος = מַתַּי = מַתַּנַי (*Esd.* 10, 33; *Nehem.* 12, 19) = מַתַּנְיָה (1 *Paral.* 9, 15; 25, etc.) Θεοδῶρος, donum Dei vel Adeodatus. Vicina est altera, quam praeferunt

Gesenius (Thesaur. ling. hebr. p. 929 b.) et *Fürst* (Hebr. Handwörterb. Ed. 3. I. 806) : מַתַּי = מַתַּתְיָה = מַתַּתְיָהוּ = Ματταθίας, ex quo etiam Ματθίας. *S. Hieron.* (De nomin. hebr. s. v. M. 23, 842) quoque nomen a radice נתן derivat ; explicat enim « *donatus quondam* ». Parum nobis probatur derivatio ab אֶמֶת (מַתַּי = אֲמִתַּי *fidelis*), quia א radicale non facile omittitur ; multo minus autem altera a מות, singulari inusitato pluralis מְתִים (viri, homines), quum nec duplicatum ת satis explicetur, nec significatio sit apta. מְתִים enim, sive a מָתַה (extendit), sive a מוּת (mori) derivatur, proxime designat homines adultos vel mortales, sed non viros ; unde מַתַּי esset *humanus* vel *mortalis ;* parum apta sane cognominis significatio.

5. *Grotii* Comment. in Matth. 9, 9 (Basileae 1732. II. p. 100).

6. *Clem. Alex.* Strom. IV. 9 (M. 8, 1281) refert Heracleonem distinxisse inter fidei confessionem, quae fiat totius vitae institutione, et inter alteram confessionem, quae voce fiat coram iudicibus ; alteram hanc non omnibus esse necessariam : « non enim omnes, qui salvi fiunt, illa confessione, quae voce fit, usi mortem subierunt ; ex quibus est Matthaeus, Philippus, Thomas, Levis (Λευΐς) et alii multi ». De hac sententia tantum disserit Clemens, exempla ab Heracleone allata ne una quidem vocula attingit. — *Orig.* c. Cels. I. 62 (M. 11, 773) de Apostolorum vivendi ratione, quam ante vocationem tenuerant, disserens publicanum quidem Matthaeum fuisse concedit, et dein pergit : « sit et Levis (ὁ Λεβής) publicanus, qui Iesum secutus sit ; at non fuit ille ex Apostolorum numero, nisi iuxta quaedam Evangelii secundum Marcum exemplaria » ; scilicet in quibus Marc. 3, 18 pro Θαδδαῖον legebatur Λεββαῖον vel Λεβήν, uti etiam Matth. 10, 3 in codd. quibusdam : Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.

7. *Grimm* Ueber den Namen Matthaeus. Studien und Kritiken 1870. p. 726 sqq.

8. *Grimm* l. c., *Reuss* Gesch. des N. T. Ed. 5. Braunschweig 1874. I. p. 166. 196 etc.

9. *Euseb.* Demonstr. Evang. III. 5 (M. 22, 214 sq.), *S. Hier.* in Matth. 9, 9 (M. 26, 55) ; *S. Chrys.* in Matth. hom. 30, 1 « non abs re fuerit Apostoli philosophiam (virtutem et humilitatem) admirari, qui anteactam vitam non occultavit, sed et nomen suum posuit, quod alii in aliud nomen mutando occultavere ».

10. Cfr. *Coteler.* ad Constit. Apost. VIII. 22 (M. 1, 1117).

11. *Orig.* Praef. in ep. ad Rom. (M. 14, 836), ut demonstret etiam in Evangeliis aliquos duo nomina habere, Matthaei exemplum affert. Quod testimonium Origenis esse, et non Rufini interpretis, qui multa istis commentariis inseruit, patet attendenti, statim alterum exemplum Lebbaei et Thaddaei afferri ; iam vero in codicibus Italae nomen Lebbaei fere ignoratur. Cfr. *Tischend.* Test. Nov. gr. Ed. 8 mai. ad Matth. 10, 3.

12. Gedeon, qui et Ierobaal (Iudic. 7, 1299.) ; Ozias, qui et Azarias (4 Reg. 14, 21 etc. ; 2 Paral. 26, 1 etc.) ; quinque Matthathiae filii omnes duplex nomen hebraicum habuerunt (1 Mach. 2, 2-4). Inter Apostolos Thaddaeus duorum vel trium fuit nominum ; recte enim *Origenes* (l. c.) « eundem, quem Matthaeus Lebbaeum et Marcus Thaddaeum dixit, Lucas Iudam Iacobi scripsit ». Pleraque quidem cognomina hebraica aut patronymica sunt (Ioseph Barsabas Act. 1, 23), aut patriam designant (Iudas Iscariotes), aut ex qualitate quadam desumta sunt (Ioseph Barnabas Act. 4, 36), aut certis factis historicis originem debent (Gedeon Ierobaal) ; at sunt etiam, quae blanditiarum, ut ita dicam, causa a parentibus videntur pueris indita, inter quae Lebbaei et Thaddaei (לֵבִּי et תַּדַּי corculum meum, deliciae meae), Iudae cognomina, numeramus. Simili ratione publicanus, cuius nomen fuit Levi, a parentibus iam מַתַּי « Adeodatus » cognominari potuit, quod cognomen deinde post conversionem et vocationem suam retinuit, qua sibi ipse quasi a Deo redditus erat.

8. — Quia Matthaeus (Levi) a Marco (2,14) Alphaei filius vocatur, quaestio exorta est, num Evangelista noster et S. Iacobus Min., cuius pater etiam Alphaei nomen habuit, fratres fuerint. *Chrysostomus et Theodoretus,* quos sequuntur Graeci moderni plerique atque aliqui latini hagiographi id videntur haud obscure docere[1]. Verum ex eodem nomine ad eandem personam concludere eo minus licet, quo magis constat, Alphaei nomen admodum rarum non fuisse; eiusdem enim nominis Iudaeos in Thalmude commemoratos habemus[2]. Aliud autem Matthaei et Iacobi Min. consanguinitatis argumentum in Scriptura non invenitur; imo contrarium ex illa facile demonstratur. Nam nisi tres Iacobos distinguere velimus (Maiorem, Ioannis fratrem et Zebedaei filium; Minorem, Alphaei filium; et Iacobum fratrem Domini), Iacobum Alphaei fratrem Domini fuisse dicamus oportet[3]; inter discipulos autem, qui praeclaro *fratrum Domini* titulo insigniuntur, nunquam Matthaeus enumeratur.

Ante vocationem suam Matthaeum Capharnaum habitasse, magna cum veri similitudine ex vocationis narratione coniicimus; paralyticum enim, de cuius sanatione immediate antea sermo est, in oppido Capharnaum esse sanatum, disertis verbis tradit Marcus et non obscure insinuat Matthaeus[4]. Erat autem Capharnaum emporium non ignobile, quod, quum ad mare Genesareth in finibus Nephthali et Zabulon in via, quae Damasco ad Mediterraneum duxit, situm esset, inter suos incolas publicanos non paucos videtur habuisse. Ex quo hominum genere, Iudaeis ob exactiones suas tam odioso, ut eos inter peccatores et ethnicos numerarent, Matthaeus erat; sed a Domino vocatus a telonio statim surrexit et, si recte vidit *S. Basilius,* « non telonii tantum emolumenta reliquit, sed pericula etiam contemsit, quae a magistratibus tum sibi tum consanguineis impendebant, quod vectigalium rationes reliquisset infectas »[5]. Si in Apostolorum catalogis, id quod sine fundamento non admittitur, temporis ratio, quo singuli vocati sunt, observata est, septimus vocatus est Matthaeus; quod enim Thomae, cui associatur, ipse se postponit, id rectissime *Eusebius* eius modestiae attribuit[6].

Post vocationem suam in Evangeliis vel Actibus vel Epistolis, si catalogos Apostolorum excipis, nomen eius non amplius occurrit; quapropter illa tantum, quae de omnibus Apostolis narrantur, de eo pro certis asserere possumus. Cum reliquis igitur missus est a Domino, ut per Iudaeam praedicaret; cum iisdem Dominum ultimis eius annis sequebatur, ultimae coenae interfuit, ex horto fugit, et nihilominus Dominum a mortuis resuscitatum videre ab eoque missionem in universum mundum accipere meruit; cum iisdem ascensionis Domini testis factus in oratione permanens post S. Matthiae electionem Spiritu S. impletus est; cum iisdem in carcerem iniectus, ab Angelo eductus, sed iterum captus et caesus

gaudens abiit, quod dignus habitus sit pro nomine Iesu contumeliam pati, nec cessavit in templo et circa domos docens et evangelizans Iesum Christum; cum reliquis demum diaconos primos statuit, atque nova post S. Stephani mortem exorta persecutione, quum fideles per Iudaeam et Samariam dispergerentur, Ierosolymis remansit atque Samaritanis per Philippum conversis Petrum et Ioannem misit, qui eis manus imponerent[7].

Haec fere sunt, quae de omnibus Apostolis in Scriptura narrantur, quae proin tamquam certa etiam de Matthaeo asserere licet; reliqua omnia sunt incerta, illo uno excepto, quod primum Evangelium scripsit, de quo statim dicemus. Severam vitam eum egisse tradit *Clemens Alex.*, « seminibus, baccis et oleribus absque carnibus usum », idemque auctor est, Evangelistam nostrum per quindecim annos in Palaestina Iudaeis praedicasse ac dein ad alias gentes convertendas profectum esse[8]. Si ex S. Pauli et Actuum Apostolorum silentio concludere licet, iam anno 37., quando post suam conversionem prima vice Ierosolyma venit Paulus, Matthaeus saltem non amplius in civitate commorabatur, nec etiam concilio, quod dicitur Apostolorum, videtur interfuisse[9]. Ubi autem terrarum, postquam Palaestinam reliquit, apostolico munere sit functus, plane incertum est. Plures et, nisi fallimur, fide digniores testes antiqui Aethiopiam (regnum Meroe?) ab eo Evangelium recepisse scribunt; haec enim sententia est *Rufini*, *Gregorii M.*, *Eucherii Lugd.*, *Socratis*, aliorum[10]. *S. Ambrosius* eum in Persiam profectum esse dicit, a qua opinione forte etiam non abludit *S. Paulinus Nol.*, qui Parthos ab eo conversos refert; *S. Isidorus Hisp.* eum ad Macedones, *Sim. Metaphrastes* ad Syros, Parthos et Aethiopes, *Nicephorus Call.* ad ἀνθροποφάγους verbum divinum attulisse asserunt[11]. Nec certiora sunt, quae de eius morte traduntur. *Heracleon* eum illis accenset, qui morte naturali defuncti sunt; communior autem orientalium et occidentalium ecclesiarum traditio fert, eum vitam apostolicam martyrio coronasse, licet de loco, tempore, genere mortis magnus sit testium dissensus; at haec hagiographis relinquimus examinanda[12].

1. *S. Chrysost.* in Matth. hom. 32, 3 (M. 57, 381) duos publicanos inter Apostolos fuisse asserit, Matthaeum et Iacobum, asserti autem alteram rationem habere non potuit, nisi patris Alphaei nomen, si Iacobum publicanum dixit. Eodem modo *Theodoretus* Matthaeum et Iacobum Capharnaitas appellat non alia ratione ductus, quam quod eos fratres fuisse putavit; Iacobi Min. enim patria nullibi indicatur. Cfr. *Acta Sanct.* Sept. VI. p. 200 sqq.

2. Cfr. *Lightfoot* Horae hebr. et talm. in Matth. 10, 3 (Lips. 1684. p. 325).

3. De quaestione hac satis impedita et difficili disseremus *infra* Diss. II. § 19. I.

4. *Marc.* 2, 1. Matthaeus (9, 1) Dominum « in suam civitatem » venisse ait; recte autem *Chrys.* (in Matth. hom. 29, 1. M. 57 357) : « *civitatem suam* hoc loco Caphar-

naum appellat; nam quae tulit ipsum, Bethlehem fuit, quae educavit, Nazareth, quae diu inhabitantem habuit, Capharnaum ». cfr. Matth. 4, 13.

5. *S. Basil.* Regul. fus. tractata 8 (M. 31, 936).

6. *Euseb.* Demonstr. Evang. III. 5 (M. 22, 216) : « Secundo loco post aequalem se nominat. Quum enim associetur Thomae, sicut Petrus Andreae et Iacobus Ioanni et Philippus Bartholomaeo, Thomam sibi ipse praeponit, priorem illi locum, quamvis coapostolo, tamquam honoratiori tribuens, tametsi reliqui Evangelistae contrarium faciant ».

7. *Matth.* 10, 1 sqq.; 26, 20 sqq.; 28, 16 sqq.; *Act.* 1, 1 sqq.; 2, 1 sqq.; 5, 17 sqq.; 6, 1 sqq.; 8, 1 sqq.; 8, 14 sqq.

8. *Clem. Alex.* Paedag. II. 1 (M. 8, 406); cfr. *Euseb.* H. E. III. 24 (M. 20, 265).

9. *Act.* 9, 26. 27 cfr. *Gal.* 1, 18. 19; *Act.* 15, 1 sqq.

10. *Rufin.* Hist. Eccl. I. 9 (M. 21, 478); *S. Eucher.* ad Salon. Instruct. I. 2 (M. 50, 809); *S. Gregor. M.* in 1 Reg. IV. 4, 13 (M. 79, 243); *Socrat.* H. E. I. 19 (M. 67, 126), etc.

11. *S. Isidor. Hisp.* De ortu et obitu Patr. 76 (M. 83, 153); *Metaphr.* Vitae Sanct. Vita S. Matth. 4. 5 (M. 115, 817); *Niceph. Call.* Hist. Eccl. II. 41 (M. 145, 865).

12. Cfr. *Acta Sanct.* Sept. VI. p. 206 sqq.

Quæstio II. — De primi Evangelii authentia et integritate.

9. — *S. Matthaeum Apostolum primi nostri Evangelii auctorem esse* contra non paucos modernos interpretes acatholicos tamquam sententiam certissimam asserimus.

Primus, qui AUTHENTIAM Evangelii nostri negare est ausus, fuit *Faustus Manich.* futilissima illa ratione nixus, quod Evangelista, si Matthaeus fuisset, de se ipso loquens tertia persona non esset usus; eiusmodi autem argumentum aut « ex errore imperitiae aut ex more fallaciae » procedere monuit iam *Augustinus;* « solere enim scriptores rerum gestarum, quum in suam personam venerint, ita se contexere, tamquam de alio narrent, quod de se narrant »[1]. Quievit dein haec quaestio, donec « *Anabaptistae* ex lingua auctoris huius Evangelii contenderent illud non esse Matthaei. Matthaeus enim Hebraeus fuit et Hebraeis hebraica lingua et literis Evangelium scripsisse perhibetur; at Evangelium, quod nunc sub nomine Matthaei habetur, non hebraica sed graeca magis lingua videtur ab auctore suo esse conscriptum »[2]. Quae obiectio olim non parum vexavit Protestantes, qui primigeniis solis textibus auctoritatem concedere voluerunt, usque dum contra unanime totius antiquitatis testimonium Matthaeum graece scripsisse asserentes audacius quam verius anabaptistici argumenti maiorem negarent. Quaestionem autem, quae de Evangelii auctore agitatur, a quaestione linguae primigeniae non pendere, evidens est; quare obiectione illa neglecta priorem hoc loco, alteram infra (14) solvemus.

Hoc demum nostro saeculo quam plurimi *interpretes protestantici* Evangelii nostri authentiam omnibus viribus impugnarunt; ob Papiae

testimonium male intellectum sermones quosdam dominicos solos a Matthaeo collectos esse contenderunt atque ex hac sermonum collectione additis narrationibus ab uno vel a pluribus iunioribus scriptoribus Evangelium nostrum esse conflatum[3]; quam sententiam internis nonnullis quas vocant, rationibus confirmare studuerunt. Omnia eorum systemata, quibus originem primi Evangelii explicare conati sunt et conantur, referre nec vacat nec iuvat; illa enim, quae ante aliquot annos proposita sunt, hodie iam oblivione sunt obruta, et illa, quae hodie praedicantur, cras novis destruentur. Quare quum errorum rationalisticorum historiam tradere nolimus, argumenta illa proferre satius erit, quibus Matthaeum integri nostri Evangelii auctorem esse invicte demonstratur, ac deinde praecipuas obiectiones, quae, quoniam frequentius repetuntur, speciem aliqualem veri videntur habere, paucis refutare.

1. *S. August.* c. Faust. Manich. XVII. 1-4 (M. 42, 339 sqq.).

2. *Sixt. Sen.* Bibliotheca sacra VII. haer. 2. (Edid. Milante; Neapoli 1742. p. 980). Eodem Sixto teste (l. c.) Anabaptistae genealogiam Domini a S. Matthaeo traditam et vaticiniorum quorundam explicationem impugnarunt. Quibus hoc loco non immorabimur, quia de genealogiis infra dicemus (n. 54) et difficultates contra vaticinia allatae typico sensu admisso (*Introd. gener.* Ed. 2. p. 552 sqq.) evanescunt.

3. Primus Papiae testimonium, quod statim afferemus, pervertere conatus est *Schleiermacher* (Ueber die Zeugnisse des Papias. Studien u. Krit. 1832. p. 735 sqq.); secuti sunt C. *Lachmann* (De ordine narrationum in Evang. synopt. Stud. u. Krit. 1835. p. 577 sqq.), *Credner* (Einleitung p. 201 sqq.), et innumeri alii. Inter Gallos Réville (Études crit. sur l'Évangile selon saint Matthieu. Leide 1862), *Renan* (Vie de Jésus. Introd. p. XIX Éd. 18. p. LII) etc.

10. — Quisnam libri alicuius sit auctor, factum est historicum; omnes igitur, quae de librorum authentia agitantur, quaestiones ante omnia historicis testimoniis sunt definiendae; illa autem argumenta, quae, quia ex libri indole desumuntur, interna vocantur, secundo tantum loco in considerationem veniunt. Quapropter in omnibus eiusmodi quaestionibus illum ordinem tenebimus, ut prius quidem quibusnam historicis testimoniis authentia libri innitatur accurate inquiramus, dein vero interna illa examini subiiciamus.

Iam vero 1.) Matthaeum Apostolum primi nostri Evangelii auctorem esse, tanta cum unanimitate testatur *antiquitas christiana*, ut si eius testimonium hac in quaestione repudiaretur, actum esset de certitudine omni historica. Ab exeunte 2. saeculo omnes Patres et scriptores ecclesiasticos una cum titulo, cuius antiquitatem supra (6) vindicavimus, S. Matthaeum dicere auctorem, apud omnes constat; iunioribus autem illis testibus, quarum auctoritas nec spernenda nec parvi pendenda est, neglectis antiquiores solos citabimus.

a.) Inter quos gravissimus est *S. Papias*, Hierapoleos episcopus,

cuius verba nobis conservavit *Eusebius*[1] : Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια (sc. κυριακὰ) συνεγράψατο· ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος; « Matthaeus igitur hebraica lingua sermones (dominicos) scripsit; eos autem interpretatus est unusquisque prout potuit ». Cuius testimonii vis, de quo tanto cum ardore hac nostra aetate disputatum est et disputatur, ut accurate intelligatur, haec sunt adnotanda.

α.) *S. Irenaeo* teste, qui ipse S. Polycarpi discipulus fuerat, Papias « Ioannis (Apostoli) auditor et Polycarpi amicus, vir antiquus » fuit (Ἰωάννου μὲν ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος, ἀρχαῖος ἀνήρ), ac proin ad secundam, imo ad primam Christianorum generationem pertinuit; *Eusebius* autem eum « virum apprime disertum et eruditum ac Scripturarum peritum » appellat[2]. Opus non est, ut hoc loco inquiramus, num *Apostoli* Ioannis Papias discipulus fuerit, id quod Irenaeus et iuniores Patres disertis verbis tradunt, an alterius cuiusdam *presbyteri* Ioannis, qui inter immediatos Domini discipulos sit numerandus, id quod Eusebius ex male, ut videtur, explicatis verbis quibusdam ipsius Papiae deducit; neque magis opus est, ut de authentia testimonii eusebiani mox allati disputemus, quippe quod aliis eiusdem historiographi verbis contradicere videatur, quibus eum « mediocri admodum ingenio praeditum » esse asseruit[3]. Quidquid enim de his quaestionibus statuitur, illud extra controversiam positum est, Papiae, utpote « viri antiqui », qui « primis illis apostolicae successionis temporibus floruit »[4] et immediatis Domini discipulis familiariter usus est, de primi nostri Evangelii origine testantis auctoritatem summi esse momenti. Effusa enim contentio, qua illam nostrae aetatis increduli ad unum omnes aut labefactare aut infringere sunt conati, id satis superque demonstrat.

β.) S. Papias, si Matthaeum τὰ λόγια (κυριακὰ, sermones vel oracula Domini) scripsisse asserit, primum nostrum Evangelium canonicum designare voluit. Eusebium hoc sensu verba Papiae intellexisse perspicuum est omnibus; postquam enim eius testimonium « de Marco, qui Evangelium scripsit » (περὶ Μάρκου τοῦ τὸ Εὐαγγέλιον γεγραφότος) retulit, in hunc modum pergit : « De Matthaeo autem haec dicta sunt : Matthaeus igitur hebraica lingua τὰ λόγια conscripsit »; quo in contextu τὰ λόγια ex Eusebii mente nihil aliud praeter Evangelium significare posse, ipsi adversarii fateri coguntur. At Eusebium Papiae verba non intellexisse censent; nam nomen τὰ λόγια angustiore sensu esse sumendum, nec quidquam Papiam cognovisse, nisi « dominicorum dictorum » collectionem quandam a Matthaeo adornatam, ignorasse autem nostrum Evangelium, quod praeter dicta dominica etiam historicas narrationes contineat. Acutissime quidem haec sunt disputata; universa autem

quaestio eo tandem deducitur, utrum Eusebio potius, qui Papiae libros integros novit neque tamen verba eius de Evangelio nostro intelligenda esse dubitavit, an modernis fragmenti Papiani interpretibus illis fidem adhibeamus, qui evidentissima quaeque in dubium vocant, quamprimum eorum praeiudiciis contradicant. Sedulo adnotavit Eusebius, Papiam epistolas priorem Petri et primam Ioannis adhibuisse; num quis sibi persuadebit, eum non adnotavisse, Papiam Evangelium primum ignorasse, si quid in eius libris invenisset, quod umbram praebuisset hypothesibus modernorum?

γ. At Eusebio relicto videamus, annon Papias ipse, quidnam termino suo voluerit, satis clare prodat. Immediate antea S. Marcum diligenter quidem conscripsisse dicit illa, quae a Christo *aut dicta aut gesta sunt* (τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα), at non ordine omnia retulisse, quia ea tantum scripsit, quae Petrum tradentem audierat, Petrus autem pro audientium utilitate doctrinas tradiderat, non autem ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν λογίων ποιούμενος (« tamquam ordinatam dominicorum sermonum vel oraculorum relationem faciens »). Quin in hoc contextu τὰ κυριακὰ λόγια atque τὰ ὑπὸ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα unum idemque sint, extra dubitationem est positum. Praeterea suo ipsius operi Papias titulum indiderat λογίων κυριακῶν ἐξήγησις « explanatio sermonum Domini »[5]; illum vero in quinque huius operis libris non sola dicta Domini, sed etiam res gestas attulisse et explanasse, omnes concedunt et pauca quae supersunt fragmenta demonstrant[6]. Negari ergo nequit, Papiae usum loquendi a latiore illa vocabuli significatione non abhorrere, et illud saltem omnes concedere debent, expressionem illam a Papia adhiberi *potuisse*, si Evangelium nostrum, quod dicta et facta Domini complectitur, designare voluit. Neque id mirum; nam eadem vocabuli significatio quum in Scripturis tum in Fl. Iosephi et Patrum operibus satis est frequens[7].

At ulterius progredientes expressionem in Papiae testimonio sensu illo *debere* intelligi asserimus. Etenim articulo addito τὰ λόγια a Matthaeo conscripta velut opus omnibus notissimum designantur; atqui quodnam est illud Matthaei Apostoli opus omnibus saec. 2. ineunte vel medio cognitum praeter Evangelium nostrum? Ubinam est vestigium aliquod operis apostolici, quod solos sermones Domini continuerit? Eusebius enim diligentissimus antiquitatis investigator, qui summa cum cura omnia collegit, quae de Apostolorum discipulorumque Domini scriptis antiqui scriptores tradiderant, nobisque tot librorum hodie deperditorum memoriam conservavit, nullam horum λογίων invenit commemorationem. Quomodo explicatur, opus ineunte saec. 2. pro apostolico agnitum tantae oblivioni esse traditum, ut post medium saec. 2. nemo illius meminerit[8]? Demum coronidis gratia addamus, inter qua-

tuor Evangelia nostra primum multitudine sermonum et dictorum et parabolarum Domini ita eminere, ut λογίων κυριακῶν titulum prae aliis mereatur; quare illi quoque, qui strictiorem vocabuli sensum retinere maluerint, Papiae testimonium apte de illo explicabunt.

1. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20, 300), cfr *infra* 15.

2. *S. Iren.* c. haer. V. 33 (M. 7, 1214); *Euseb.* H. E. III. 36 (M. 20, 287).

3. *Eus.* H. E. III. 39. De Ioanne *Apostolo* Papiae magistro cfr *infra* n. 56. *n.* 18.

4. Plerique ex *Chron. pasch.* (cfr M. 92, 628) desumunt, Papiam eodem anno 155. Pergami, quo Smyrnae Polycarpum, martyrium subiisse. Licet autem id non recte fiat, certum est, Papiam exeunte saec. 1. et ineunte 2. floruisse; cfr *Funk* Patr. apost. II. p. L. sq.; *O. Bardenhewer* Patrologie. Freiburg. 1894. p. 76.

5. Ita titulum vertit *S. Hier.* (de vir. ill. 18. M. 23,637). Ipse *Renan* (Les Évang. et la seconde génération chrét. 1877. p. 79) fatetur, Papiae verba optime (très-bien) de libro intelligi posse, qui res gestas et sermones comprehendat.

6. Cfr *Papiae* fragmenta in M. 5,1255 sqq.; *Funk* Patr. apost. II. p. 276 sqq.

7. *Rom.* 3,2 τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ sunt totum V. T., et *Hebr.* 5,12 tota doctrina christiana. *Fl. Iosepho* (Bell. iud. VI. 5,4) τὰ λόγια idem valent ac τὰ ἱερὰ γράμματα, et *S. Irenaeo* (c. haer. Prol. M. 7,437) τὰ λόγια τοῦ Κυρίου id quod Evangelium. Cfr *Funk* l. c. p. 280 ac praesertim *Schanz* Comm. ü. de Evang. des h. Matth. 1878. p. 27 sqq.

8. Hodie aliqui « critici » iam fatentur, de solorum sermonum Domini collectione, utpote quam tota antiquitas ignorasset, Papiam ne cogitare quidem potuisse; cfr *Hilgenf.* Einl. 1875. p. 456 sq.; *Bleek* Einl. Ed. 3. 1875. p. 115 sqq., etc. Similiterrecentissimus quidam (*A. Jülicher* Einl. i. d. N. T. 1894. p. 190 sq.) concedit, Papiam de *graeco nostro* Evangelio loqui; eius tamen testimonium reiicit, quia magistri sui sententiam non intellexerit; hunc enim de *hebraica* quadam sermonum collectione esse locutum, quae *suo* tempore aut nondum esset graecis literis reddita, ita ut in graecis ecclesiis graece explicari debuerit, aut diversis versionibus scriptis propagata. At ex verbis ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος id non magis sequitur, quam ex nomine λόγια de solis sermonibus agi; nostrum vero Evangelium vere esse versionem cfr *infra* p. 28 sqq.

b.) Alter nobis testis est *S. Pantaenus,* primus ex celebrioribus alexandrinae scholae catecheticae rectoribus. Qui « divina quadam aemulatione, Apostolorum accensus exemplo, studium suum ad incrementum divinae fidei conferre volens » « ad Indos usque (i. e. in Arabiam felicem) penetrasse dicitur ibique Evangelium Matthaei, quod adventum ipsius iam praevenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse; quibus scilicet Bartholomaeus, unus ex duodecim, olim praedicasse fertur et Evangelium Matthaei hebraicis literis conscriptum reliquisse; quod quidem ad praedicta usque tempora servatum esse memoratur ». Cui *Eusebii* testimonio addit *Hieronymus* Pantaenum Evangelium a se repertum Alexandriam attulisse [9]. Quominus traditio haec pro genuina recipiatur, nihil prorsus obstat; Evangelium autem illud, quod iam saec. 1. ad Indos allatum est, si a Pantaeno Matthaeo auctori tribuitur, a nostro primo non dissensisse patet [10].

c.) Porro magnae auctoritatis sunt *Apologetarum saec.* 2. *et Patrum*

apostolicorum testimonia. Etiamsi enim Matthaeum primi Evangelii auctorem disertis verbis non proclament, ita tamen Domini N. verba saepe allegant, ut ex nostro Evangelio ea desumta dicere debeamus; quumque praeterea in illis afferendis eas adhibeant formulas, quibus soli sacri libri allegari solent, Patrum istorum aetate Evangelium nostrum iam exstitisse et in Scripturarum numero habitum esse fatendum est. Omnis igitur ratio, ob quam Matthaeum eius auctorem agnoscere nolunt, adversariis nostris eripitur, atque iuniorum Patrum, qui primum Evangelium Matthaeo attribuunt, traditio indirecte confirmatur. Neque effugere possunt rationalistae dictitantes a Patribus illis sola *verba* dominica allegari, ac proin ex eorum allegationibus nihil demonstrari, nisi collectionem quandam *sermonum* Domini eo tempore adfuisse; etenim aliqui ex illis etiam facta ex Evangelio desumserunt; si vero collectionem quandam sermonum solorum ab apostolicis Patribus et saec. 2. apologetis adhibitam daremus, magnum illud miraculum explicare deberent, quod collectio ista, quam medio saec. 2. apologetae pro divinitus inspirato libro adhibuerunt, viginti vel triginta annis post ita evanuerit, ut nec Irenaeus, nec Clemens Alex. nec ullus eiusdem aetatis scriptor ullam eius memoriam habuerint. Quibus praemissis testimonia nostra afferamus.

α.) Inter apologetas Athenagoras, Theophilus Antioch., Iustinus M. eminent.

S. Athenagoras in sua « Legatione pro Christianis », quam c. a. 177. Marco Aurelio tradidit, ad Domini doctrinam provocavit, ut Christianis caritatis defectum immerito obiici ostenderet. « Ex ipsis, inquit, doctrinis, quibus utpote non humanis, sed a Deo pronuntiatis et traditis adhaeremus, persuadere vobis possumus, nos non esse atheos. Quaenam igitur sunt praecepta, in quibus enutrimur? *Dico vobis : Diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus, orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* ». Quod testimonium ex nostro Evangelio desumtum esse, evidenter demonstrant prima verba : *dico vobis*, quae in Evangelio aptissime posita ab Athenagora allegari non potuere, nisi integrum testimonium ex libro transcribere voluit. In eadem autem apologia ex eodem sermone montano alia verba dominica affert, sive ad Christianorum caritatem, sive ad eorum castitatem commendandam [11].

Si quis Athenagoram testem, quum verba dominica tantum alleget, recusare velit, quid de *Theophilo Antiocheno* († 182) dicet? *S. Hieronymus* commentarios a S. Theophilo in primum Evangelium exaratos legit et adhibuit; num forte S. Hieronymum quoque collectionem quandam sermonum explicatam ab Evangelii commentario non distinxisse

dicemus? Et quid antiochenus ille doctor in suis libris ad Autol. scribit? « Evangelica vox (ἡ εὐαγγέλιος φωνή) maiore cum auctoritate castitatem docet, dicens : *Quicunque aspexerit uxorem alterius ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo. Et qui repudiatam a viro duxerit, moechatur, et qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa* (παρεκτὸς λόγου πορνείας, attendas velim ad hanc loquendi formulam), *facit eam moechari* ». Et iterum de caritate : « *Evangelium* autem : *Diligite*, inquit, inimicos vestros et orate pro maledicentibus » etc.[12].

Praeclarissimus vero inter apologetas testis nobis est *S. Iustinus M.*, qui omnibus nostris Evangeliis usus frequentissime Matthaeum adhibuit; non raro accurate eius verba allegat, interdum tamen, maxime in narrationibus, liberiore modo procedit. Finem non faceremus, si omnes eius textus, in quibus primo nostro Evangelio usus est, indicare vellemus; in sola enim sua prima Apologia, quam c. a. 150 Antonino Pio inscripsit, fere quinquaginta versus ex illo aut verbo tenus aut liberiore modo desumsit[13]. Quominus vero S. Martyr illa omnia aut ex alio quodam scripto aut ex traditione orali hausisse dicatur, impediunt textus Veteris Testamenti ab eo adhibiti; etenim in vaticiniis messianicis haud raro contra versionem alexandrinam et contra textum hebraicum ita cum S. Matthaeo consentit, ut illum testimonia haec ex nostro Evangelio transcripsisse evidens sit[14]. Neque Matthaei librum, qui solis sermonibus dominicis constaret, illum cognovisse, sed integrum eius Evangelium prae manibus habuisse, docent illa, quae de nativitate Domini, de Magorum adventu, de puerorum bethlehemiticorum caede etc narrat[15]. Minime quidem negamus quaedam Domini verba circumstantiasque quasdam vitae eius a S. Iustino referri, quae nec in primo nec in aliis canonicis Evangeliis leguntur; sed admodum pauca illa sunt, si cum innumeris fere canonicis testimoniis conferuntur, et pleraque saltem, sin minus omnia, ex orali traditione hausta esse non est ambigendum[16].

9. *Euseb.* H. E. V. 10 (M. 20, 454); *S. Hier.* de vir. ill. 6 (M. 23, 651).

10. Res tam clara est, ut merito mireris, quod *Credner* (Einl. p. 90) asserere audeat: « Dass dieses Evangelium der Grundtext zu unserem Evangelium gewesen sei, ist nirgends gesagt ». Quid igitur fuit? num forte graeci textus versio hebraica? Ergone saec. 1. hebraice iam redditus fuit liber! Alii effugere conantur negantes Pantaenum ob hebraicae linguae ignorantiam iudicare potuisse, num liber ille, qui ei exhibitus sit, Evangelium Matthaei fuerit, necne. At Pantaenum linguam hebraicam ignorasse nec probant nec possunt probare; et si probarent, quid obstaret, quominus diceremus ex testimonio Christianorum illorum Indorum atque ex iis, quae ei de hoc libro retulerunt, eum optime cognoscere potuisse Matthaei Evangelium?

11. *S. Athenag.* Legatio pro Christ. 12. 11. 32 (M. 6, 913. 912. 964) cfr. Matth. 5, 44-46. 28.

12. *S. Hier.* in Matth. Prol.; cfr. ad Algas. ep. 121, 6 (M. 26, 20; 22, 1020); *S. Theophil.* ad Autol. III. 13. 14. (M. 6, 1140); cfr. Matth. 5, 28. 32. 44; 6, 3.

13. *S. Iustin. M.* Apol. I. 15-17 (M. 6, 349 sqq.) plus viginti versus ex sermone montano allegat.

14. Speciminis gratia cfr. haec testimonia :

S. Matthaeus :	S. Iustinus :	Alexandrini :
Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσιν τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ, ὅ ἐστιν μεθερμηνευόμενον Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. (Matth. 1, 23.)	Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ ἐροῦσιν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. (Apol. I. 33. M. 6, 381.)	Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. (Is. 7, 14.)
Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. (Matth. 2, 6.)	Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος ὅστις ποιμαίνει τὸν λαόν μου. (Apol. I. 34. M. 6, 384.)	Καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθά, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ. (Mich. 5, 2.)
Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη, κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς· Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς καὶ οὐκ ἤθελεν παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσίν. (Matth. 2, 18.)	Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη, κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς· Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς καὶ οὐκ ἤθελεν παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσίν (c. Tryph. 78. M. 6, 660.)	Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη θρήνου καὶ κλαυθμοῦ καὶ ὀδυρμοῦ· Ῥαχὴλ ἀποκλαιομένη οὐκ ἤθελε παύσασθαι ἐπὶ τοῖς υἱοῖς αὐτῆς, ὅτι οὐκ εἰσίν. (Ier. 31, 15.)

Item cfr. Zach. 9, 9; Matth. 21, 5; Apol. I. 35 (M. 6. 385); Is. 56, 7 et Ier. 7, 11; Matth. 21, 13; c. Tryph. 17 (M. 6, 513) etc.

15. *S. Iustin.* c. Tryph. 78 (M. 6, 657 sqq.) ; de passione Domini cfr. c. Tryph. 99 (M. 6, 708 sqq.) etc.

16. Ea, quae S. Iustinus, si adversariis nostris fidem habemus, ex apocryphis, quibus usus esse dicitur, evangeliis traxit, triplicis sunt generis : nonnulla enim explicationis causa, ut ita dicam, addita, traditioni orali debentur; multo plura non sunt, nisi rhetoricae quaedam explicationes; pauca demum aut lapsui memoriae sunt adscribenda, aut si apud alios quoque antiquos scriptores inveniuntur, forte etiam ex orali traditione sunt derivata. Ad primam classem procul dubio pertinet, quod *S. Iustinus* Dominum *in specu* prope Bethlehem natum esse, magos *ex Arabia* venisse refert (c. Tryph. 78). Rhetoricam quandam amplificationem habemus, si Dominum « fabrilia opera, aratra et iuga » fecisse dicit (c. Tryph. 88; cfr. Marc. 6, 3); aut si Christum praedixisse narrat, se post resurrectionem iterum Ierosolyma venturum *et cum discipulis cibum et potum esse sumturum* (συμπιεῖν καὶ συμφαγεῖν c. Tryph. 51; cfr. Act. 10, 41), aut si de poenitentia loquitur, quam egerint discipuli ob Dominum in passione derelictum (c. Tryph. 106). Apud iuniores Patres innumeras eiusmodi amplificationes invenimus; cur igitur illas a Iustino factas negabimus illasque ex apocryphis desumtas dicemus? Verba « *erunt dissidia et schismata* » (c. Tryph. 35) memoria lapsus Domino attribuit, quum sine ullo dubio 1 Cor. 11, 19 in mente haberet. Verbum quod Domino attribuit : « *In quibus vos deprehendero, in eis et iudicabo* » (c. Tryph. 47). *Clemens Alex.* Spiritui S. attribuit (Quis dives salvus. 40. M. 9, 645); num ex apocrypho, an ex traditione orali profluxerit, nemo facile dixerit. Neque illa ipsa, quae de baptismo Christi addit (scilicet ignem accensum esse in Iordano, quum Dominus in aquam descendisset, et vocem coelestem dixisse : « filius meus es tu, ego hodie genui

te » c. Tryph. 88) ex apocrypho Evang. iuxta Hebr. derivare licet, quamquam in eo etiam legebantur (cfr *infra* p. 52); cur enim S. Iust. ex eodem fonte orali, atque auctor ille, id haurire non potuit? Iam vero haec sola ex apocryphis sumsisse incusatur; nam quod interdum Matthaeum ad verbum non sequatur aut Matthaei et Lucae verba coniungat, id nemo mirabitur, nisi iuniores Patres, quos sola nostra Evangelia adhibuisse constat, eodem modo egisse ignorat. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 176 sqq.

β.) Quum in Introductione generali iam satis de *Patrum apostolicorum* canone N. T. disseruerimus, in eorum testimoniis, quibus primi Evangelii authentia et auctoritas demonstratur, afferendis opus non est ut longi simus. Quamobrem innumeras, quae inveniuntur, allusiones prorsus omittimus illis textibus contenti, qui pro veris allegationibus haberi debent. Maximi ponderis praeprimis est, *quod S. Barnabas* verbum dominicum a Matthaeo relatum sollemni formula ὡς γέγραπται allegans iam ante saeculi 1. finem Evangelium nostrum libris sacris adnumeratum esse doceat. Quos irritos conatus fecerint adversarii nostri, ut huius testimonii vim effugerent, alibi narravimus[17].

S. Clemens Rom. in priore sua ad Cor. epistola semel dumtaxat verba dominica ita profert, ut nulla omnino remaneat dubitatio, quin ex primo Evangelio ea desumserit[18]. Multo frequentior eius est usus in altera, quae dicitur, ad Cor. epistola et in epistolis de Virginitate; quamvis vero de earum authentia omnimoda cum certitudine non constet, earum auctoritas in nostra quaestione tamen integra manet, quia earum origo, quicunque auctor esse dicitur, saltem ante medium saec. 2. est quaerenda ac proinde ad prima fidei tempora ascendit. Iam in altera illa epistola eximium illum textum habemus, quo Evangelium nostrum reliquis Scripturis aequiparatur : « Alia quoque Scriptura dicit (καὶ ἑτέρα δὲ γραφὴ λέγει) : Non veni vocare iustos, sed peccatores »; immediate postea alterum dictum Domini iisdem prorsus verbis, quibus a Matthaeo, affertur : « Ait vero etiam ipse : Qui me confessus fuerit, confitebor eum coram Patre », atque tertium, quod sequitur, etsi liberiore modo, etiam ex nostro Evangelio desumtum est : « Dicit enim : Non omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine, salvabitur, sed qui facit iustitiam ». In duabus demum de Virg. epistolis sedecim textus, plerique ad literam, ex primo Evangelio afferuntur[19].

Uti SS. Barnabae et Clementi Rom., ita SS. Ignatio M. et Polycarpo cognitum fuit. Etenim si *S. Ignatius* Polycarpum monet : φρόνιμος γίνου ὡς ὄφις ἐν ἅπασιν καὶ ἀκέραιος ὡς ἡ περιστερά, quis dubitabit, quin ad Matth. 10, 16 respexerit : γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί? S. Martyrem antiochenum enim scripta Evangelia cognovisse eaque Scripturis V. T. aequiparasse ostendimus in Introd. gener. *S. Polycarpus* autem in parva sua epistola ad Philippenses bis verba Domini ex nostro Evangelio desumsit, nisi priora ex S. Luca, quocum magis

consentiunt, altera ex Marco, qui illo in loco accurate cum Matthaeo consentit, desumta dicere malueris[20].

Quibus testimoniis, quae a plerisque authentiae Evangeliorum assertoribus afferri solent, nova ex *Doctrina Apostolorum* addere licet, quae nuperrime reperta a non paucis viris criticis saec. 1. adscribitur, idque rectissime. Non parva pars huius libelli dictis dominicis est contexta, quorum pleraque eodem modo, quo in primo Evangelio, referuntur. Illa autem non ex orali traditione esse hausta, sed ex Evangelio scripto, evidenter ex duobus textibus alterius partis elucet. Quod si enim catechumeni monentur : « Nolite orare sicut hypocritae, sed orate *sicut Dominus in Evangelio suo praecepit* : Pater noster, qui es in coelis » etc. ὡς ἐκέλευσεν ὁ κύριος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ αὐτοῦ, nemo opinor, ambiget, Doctrinae auctorem de Evangelio scripto loqui; attendas autem, velim, orationem dominicam iisdem verbis, quibus in primo Evangelio, esse conceptam. Et iterum, si monet : Nolite arguere invicem in ira, sed in pace, *sicut habetis in Evangelio* » (ὡς ἔχετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ); aut « preces vestras et eleemosynas vestras et omnes actiones vestras ita facite, *sicuti habetis in Evangelio Domini vestri* » (ὡς ἔχετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ κυρίου ὑμῶν), liber scriptus supponitur adesse, ex quo illa discere queant[21].

Ceterum illud hoc loco repetere iuvat, quod supra iam innuimus : nullo scilicet modo explicari, quomodo ex. gr. S. Irenaeus, qui S. Polycarpi discipulum se fuisse gloriatur, tanta cum firmitate quatuor nostra Evangelia sola admittenda esse docuerit, nisi eum hanc doctrinam a maioribus suis accepisse concedamus, aut quomodo S. Theophilus librum aliquem velut divinum adhibuerit et commentario illustraverit, quem eius praedecessores prorsus ignorasse dicuntur.

17. *S. Barn.* Ep. 4. (*Matth.* 20,16); cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 60 p. 167 sq.; praeterea eadem in epistola (*Barn.* 5), allegatur *Matth.* 9, 13.

18. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 46 : « Dixit enim (Dominus) : Vae homini illi! Bonum erat ei, si natus non fuisset, quam ut unum ex electis meis scandalizaret; melius erat, ut ei mola circumponeretur et demergeretur in mare, quam ut unum de electis meis perverteret ». Coniunxit S. Clemens Matth. 26, 24 (Marc. 16, 21), et Luc. 17, 2 (Matth. 18,6).

19. *S. Clem. Rom.* 2 Cor. 2 (Matth. 8, 13); 2 Cor. 3 (Matth. 10, 32); 2 Cor. 4 (Matth. 7, 21). — De duabus epistolis ad Virg. cfr. *Funk* Patres apostol. II. p. 359. Index locor. S. Script.

20. *S. Ign. M.* ad Polyc. 2 (Matth. 10, 16); ad Eph. 14 (Matth. 12, 33 vel Luc. 6, 34); ad Smyrn. 1 « (Christus) baptizatus a Ioanne, ut impleretur ab eo omnis iustitia » cfr. Matth. 3, 15 « sic enim decet nos implere omnem iustitiam ». — *S. Polyc.* ad Philipp. 2 « Dimittite et dimittetur vobis » etc. potius ex Luc. 6, 36-38 quam ex Matth. 7, 2 desumta sunt; sed ad Philipp. 6 « dixit Dominus : Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma » est ex Matth. 26, 41 (Marc. 14, 38).

21. *Doctrina Apostolorum* 1. 3. 7. etc. maxime 8. et 15 (*Hilgenfeld* Novum Test. extra canonem receptum IV. Lipsiae 1884. p. 94 sqq.). Quum allusiones ad alia Evangelia in Doctrina Apost. multo minus sint certa et clara, quam illa ad Evang. S. Matthaei,

vix dubium esse arbitror, quin hoc solum ab eius auctore nomine *Evangelii Domini* designetur; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 78 p. 228 sqq.

d.) Cum orthodoxis Patribus in primo nostro Evangelio agnoscendo consentiunt *haeretici*, qui immediate post Apostolorum aetatem Ecclesiam impugnarunt. *Cerinthum*, qui ultimis iam S. Ioannis annis errores suos spargere coepit, *Carpocratem*, qui ineunte saec. 2. sectam suam fundavit, *Ebionitas*que Matthaei Evangelio (truncato) usos esse auctor est *S. Epiphanius*[22]. *Valentinus* cum suis omnia Evangelia recepisse dicitur; primum Evangelium ab eo adhibitum demonstrant varii textus, quibus suam haeresin stabilire conatus est testibus *Irenaeo* et *Epiphanio*[23]; *Basilidianos* eodem Evangelio usos esse tradunt *Epiphanius* et *auctor Philosophumenon*, qui etiam *Naassenos* et *Sethitas* illud adhibuisse docet[24].

Celsum quoque Evangelium primum integrum cognovisse constat ex libris, quos *Origenes* contra eum scripsit. Disertis enim verbis Iudaeus, quem loquentem Celsus induxit, ex libris Christianorum se illa, quae profert, hausisse asserit[25], inter quae non pauca in nostro solo Evangelio leguntur, uti adventus magorum, caedes bethlehemitica, fuga in Aegyptum etc[26]. Monet quidem Origenes Iudaeum istum Celsi « multa contra Iesum et contra Christianos effutiisse, quae ex Evangeliis nostris non hausit »; at additamenta haec facile cognoscuntur, quum nihil sint nisi foedae illae Iudaeorum calumniae, quas Thalmudici aliis quoque libris spargere non erubuerunt; quare non impediunt, quominus simul genuino nostro Evangelio Iudaeum Celsi usum esse dicamus[27].

Quibus testimoniis demum addenda sunt *evangelia apocrypha illa*, quae exeunte 2. saeculo iam latissime propagata nostrum primum Evangelium cognitum supponunt. Quo maxime spectant *Evangelium secundum Hebraeos*, de quo infra (17) dicemus, et *Protevangelium Iacobi*, de quo in Introductione generali diximus[28].

22. *S. Epiph.* c. haer. 28, 5; 30, 14. 26 (M. 41, 384. 429. 449).

23. *S. Iren.* c. haer. I. 1. 3 (M. 7, 452. 469. 476); *S. Epiph.* c. haer. 31, 14 sq. (M. 41, 500 sq.).

24. *S. Epiph.* c. haer. 24, 5 (M. 41, 313); *Philosoph.* VII. 27; V. 7. 8. 21 (M. 16, 3318. 3134. 3147 sq. 3190).

25. *Orig.* c. Cels. II. 47 (M. 11, 909).

26. *Orig.* c. Cels. I. 58. 66 etc. (M. 11, 768. 784). Magi quidem ab isto Iudaeo Chaldaei vocantur; ob quem errorem fontem alterum non esse admittendum patet.

27. *Orig.* c. Cels. II. 74. Cfr. ex. gr. c. Cels. I. 28 (M. 11, 710) : « Iudaeus igitur cum Iesu colloquitur, ipsumque multis, ut putat, nominibus reprehendit : ac primum quod se finxerit natum ex virgine; deinde vitio dat, quod ex vico iudaico sit ortus atque ex matre indigena et paupercula nendoque victum quaeritante; tum quod eius mater a coniuge, qui faber erat, expulsa fuerit, adulterii convicta. Praeterea, quod haec a coniuge extrusa et vagata turpiter clanculo partu Iesum ediderit; quodque is propter

paupertatem in Aegypto mercede operam suam locans ibi arcanas quasdam artes, quas Aegyptii magni faciunt, didicerit » etc. (Cfr. c. Cels. I. 32). Quodsi cum hisce ignominiosum libellum iudaicum, cui *Tholedoth Ieschu* titulus est, comparaveris, in quo easdem foedissimas blasphemias invenies, evidens tibi erit, Evangelium nostrum primum calumniatoribus illis cognitum fuisse. Excerpta libelli habes apud *Eisenmenger* Entdecktes Iudenthum. Königsberg 1711. I. p. 105 sqq.

28 *Iacobi* Protevangel. 11. 14. 21. 22 etc. ad verbum fere ex nostro Evangelio desumta sunt; apocryphum autem hoc cognitum iam fuit Clementi Alex. et suo titulo ab Origine allegatur; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 80. p. 237 sq.

11. — Omissis aliis argumentis historicis, quibus antiquitas et authentia primi nostri Evangelii comprobatur, maxime *antiquis versionibus latina et syriaca*, quas saec. 2. iam adornatas esse demonstravimus [1], *internas* nonnullas rationes addere iuvabit, quae partim a Patribus indicatae, partim a modernis excogitatae, etsi solae parum roboris habeant, ad confirmandam tamen sententiam nostram invictis iam testimoniis demonstratam non nihil conferunt.

a.) Inter quas primum locum obtinet *modestia auctoris*, quam Patres quum in eo deprehenderunt, quod Matthaeus in vocationis suae narratione se illo nomine appellare voluerit, quo apud Christianos cognitus fuit, tum in eo, quod in catalogo Apostolorum se non tantum publicanum nominaverit sed etiam Thomae postposuerit [2]. Quam observationem vi sua non carere facile fatebitur, qui attenderit Lucam et Marcum diligenter cavisse, ne Matthaeo publicani nomen darent, quamvis primi Christiani plerique vix possent ignorare, Levi publicanum eundem esse atque Matthaeum Apostolum.

b.) Inter Apostolos quinque soli sunt, quorum prima vocatio fusius narratur, SS. Petrus et Andreas, Ioannes et Iacobus Mai., ac demum Matthaeus. Quod si vero quaeritur, cur quatuor illis celebrioribus Matthaeum, cuius nomen in solis catalogis Apostolorum sacri scriptores commemorant, ita assimilaverint, ut eius quoque vocationem narrent, aliud responsum vix dari posse censent nonnulli, nisi ob primum Evangelium scriptum Matthaeum in primitiva Ecclesia magna celebritate gavisum esse [3]. Nescio vero, num haec ratio multum valeat, quum haud difficile responderi possit, ideo istam vocationem narrari, ut clarius appareat, Dominum, qui publicanum inter suos Apostolos recepit, ad omnes peccatores salvandos venisse.

c.) Demum muneris, quo ante vocationem Matthaeus functus est, nonnulli in primo Evangelio vestigia deprehendisse sibi videntur. « Iesus interrogatus, an censum dare liceret, primum nihil respondit nisi haec : *Ostendite mihi numisma census*. Vocabulum hoc sane notabile, *numisma census*, neque apud Marcum legitur neque apud Lucam (« afferte mihi denarium »). At Matthaeus publicani muniis functus erat atque adeo prioris sui muneris recordationi debetur fortasse proprietas

haec locutionis, sicut etiam mentio *didrachmatis*, atque adeo ipsa narratio, in qua mentio haec habetur »[4].

Minuta quidem haec nonnemini videbuntur; sed quum multo minutioribus utantur moderni critici, ut novas suas et inauditas assertiones specie quadam argumenti muniant, ad traditam sententiam confirmandam illis uti sane licebit, etsi multum ponderis illis non attribuamus.

1. De origine versionum latinae et syriacae egimus in *Introd. gen.* Dissert. II. 137. 157 p. 258 sqq. 408 sqq.

2. *Euseb.* Demonstr. evang. III. 5. *S. Hier.* in Matth. 9; 9. cfr. *supra* 8. 9.

3. *Reithmayr* Einl. in die kanon. Bücher des N. B. Regensburg 1852. p. 353.

4. *Patrizi* De Evangeliis I. p. 5, allegans *I. Greppo* Esquisse de l'histoire de la monnaie chez les Hébreux, p. 51.

12. — Quum tot tantaque sint primitivae Ecclesiae testimonia, quibus primi nostri Evangelii authentia vindicatur atque S. Matthaeo Apostolo auctori liber attribuitur, merito miraberis inter modernos interpretes protestanticos non nisi paucos inveniri, qui nobiscum traditam sententiam defendere audeant; multo minus autem mirandum est, quod omnes authentiae adversarii, simulatque de Evangelii origine explicanda agitur, in diversissimas abeant sententias; veritas enim una, error multiplex. Omnia figmenta recensere, quae pro argumentis nobis obtrudere conantur, operae pretium non est; pleraque nimis ridicula sunt, quam quae refutatione sint digna. Quid quod aliqui, ut Evangelii nostri originem explicent, tribus vel quatuor antiquioribus libris indigeant, ex quibus conflatum sit? Primo loco sibi brevissimum aliquod scriptum fingunt, cuius auctorem faciunt Ioannem Marcum; ex quo brevissimo scripto exortum esse docent Proto-Marcum, qui fundamentum sit secundi nostri Evangelii. Interea Matthaeum scripsisse aiunt sua λόγια (Proto-Matthaeus), ex Proto-Marco et Proto-Matthaeo compositum esse Deutero-Matthaeum, qui tandem fundamentum factum sit Trito-Matthaei i. e. primi nostri Evangelii[1]!

Quibus omissis ex duobus tantum operibus, quae, quum multis editionibus sint propagata, maiore inter suos auctoritate gaudent, obiectiones desumemus, quibus Evangelii authentia impugnatur. 1.) *H. A. W. Meyer*[2]. Evangelium Matthaeo auctori non esse attribuendum tribus argumentis persuadere conatur. a.) Matthaeus, utpote Apostolus et rerum a Christo gestarum testis ocularis, dilucidiore et significantiore narratione res gestas, quibus ipse interfuit, et maxime suam ipsius vocationem retulisset, accuratius locum, tempus, circumstantias rerum gestarum indicasset, sermonum dominicorum occasionem historicam exposuisset; b.) e contra illa, quae falsa esse Apostolus ignorare non potuit, omisisset, quemadmodum narrationem de resurrectione multorum corporum sanctorum et de custodibus sepulcri, neque illa recepisset, quae ad

Evangelium non pertineant et mythum redoleant, uti historiam infantiae Domini et longam narrationem de Domini tentationibus; c.) tot tantasque demum differentias adesse asserit, imo contradictiones primum inter et quartum Evangelium, ut utrumque testi oculari adscribi non possit; atqui Ioannem quarti Evangelii auctorem esse nobiscum pro certo admittit, ergo primum ab Apostolo non esse conscriptum, concludit, sed Matthaeum solos sermones dominicos literis consignasse censet, eiusque genuinum opus additis historiis postea in nostrum Evangelium canonicum esse transmutatum.

Iam primam obiectionem duplici falso supposito inniti perspicuum est. Descriptiones enim et narrationes languidae atque parum dilucidae, etsi eas in primo Evangelio adesse daremus [3], auctorem quidem artis scribendi imperitum fuisse demonstrarent, minime vero sufficerent, ut opus a teste oculari conscriptum esse negaremus. Non enim omnibus data est eadem narrandi et describendi facilitas, neque omnes illas res gestas, quibus ipsi interfuerunt, ita narrant, ut quasi sub oculos audientium eas subiiciant; neque naturalis huius facultatis defectum tollit inspiratio; auctores enim inspirati aliter scribant necesse non est, ac pro individua sua facultate naturali possunt. Dein falso supponitur, Evangelii auctorem partes historici scriptoris agere voluisse, qui utique omnia dilucide et significanter narrare omnesque rerum gestarum circumstantias accurate referre solet; dogmaticum enim et apologeticum finem Matthaeum prae oculis habuisse infra ostendemus; suo igitur iure circumstantias, quae ad rem suam non faciunt, omisit, ordinem chronologicum plerumque neglexit, narrationes suas ita proposuit, ut fini suo inservirent.

Rationalistis germanis, quibus ipse, quum miraculorum possibilitatem non neget, adnumerari non vult, secundam obiectionem relinquere debuit adversarius noster. Quomodo is, qui Domini N. resurrectionem admittit, resurrectionem sanctorum istorum, quam etiam iam testatur *S. Ignatius M.* [4], inter fabulas apocryphas reiicere audet? Quae porro in commentario affert, ut narrationem de sepulcri custodibus impugnet, ipsa quoque rationalisticam interpretationis methodum olent atque a prudente interprete despiciuntur [5]. Risum vero movet, si modernus interpres antiquo errore Fausti Manichaei recocto [6] ius sibi arrogat definiendi, quid ad apostolicam praedicationem pertinuerit, quid in libros suos Evangelistae recipere, quid omittere debuerint. Numquid, quia Marcus et Ioannes historiam infantiae omiserunt, Matthaeo et Lucae eam tradere non licuit? Numquid, quia Marcus Evangelium suum a praedicatione Ioannis B. incepit, Faustus et Meyer omnia, quae praedicationem illam praecesserunt, bonam annuntiationem non esse definient [7]?

Tertiam obiectionem infra (71 sqq.) solvemus, ubi de relatione, quae Ioannem inter et synopticos intercedit, erit dicendum. Id unum hoc loco adnotemus, per octodecim saecula viros eruditissimos et perspicacissimos veras contradictiones inter primum et inter quartum Evangelium non vidisse; quare difficultatum, quae hoc nostro saeculo inveniuntur, originem nec in ipsis Evangeliis nec in maiore rationalistarum sagacitate et eruditione, sed in eorum incredulitate et praeiudiciis quaerendam esse iure suspicamur. Quod vero

addant Meyer et Weiss primum nostrum Evangelium a secundo dependere, id prorsus gratuito asseritur, uti ex infra dicendis apparebit.

1. *I. H. Scholten* Das älteste Evangelium. Aus dem Holländischen. Elberfeld 1869. Cfr. *Hilgenfeld* Einleitung p. 455, qui similia figmenta eodem in loco recenset.

2. Cfr *H. A. W. Meyer* Kritisch-exeget. Handbuch über das N. T. I. Matthaeus Evangelium Ed. 5. Göttingen 1864. p. 3. et eiusdem operis editionem 8., quam curavit *B. Weiss* (1890) p. 3. Easdem fere obiectiones repetierunt *Sam. Davidson* (An Introd. to the study of the N. T. London 1868. I. p. 484. sq.) aliique.

3. Optime autem *D. B. Haneberg* (Gesch. d. Offenbarung. Ed. 4. Regensburg 1876. p. 720) : « Wir gestehen mit vielen Bibellesern und namentlich mit allen Kirchenvätern, dass wir nicht zu jenen Sonntagskindern gehören, welche diesen für andere so gespensterhaft drohenden Mangel (an Anschaulichkeit) wahrnehmen könnten ». Rationalistis ! (et, proh dolor, catholicis quoque nonnullis interpretibus, qui catholicae fidei hostibus nimiam videntur fidem habere) verbositas idem est, quod perspicuitas; si quis in narratione circumstantias, quae ad finem suum non conferant, omittendas censet, perspicuitate nondum caret.

4. *S. Ignat.* ad Magnes. 9. « Et propter hoc is, quem iuste praestolabantur, adveniens suscitavit ipsos ex mortuis ».

5. Narratio de sepulcri custodibus fabula esse dicitur (« eine ungeschichtliche Sage » *Meyer* l. c. ad Matth. 27, 65) a.) quia Christus resurrectionem suam nunquam clare praedixerit nec proin ullam rationem habuerint pontifices sepulcri custodiendi; b.) quia mulieres de corpore Christi ungendo (Marc. 16, 1. 2) cogitare non potuissent, si custodes sepulcro appositos esse scivissent; c.) quia agendi ratio pontificum, qui corpus D. N. a discipulis asportari et sepeliri permiserunt et postea custodes non puniverunt, omni verisimilitudine careat. — Quod si primae obiectioni opponis, Matth. 16, 21; 17, 22 sq.; 20, 19 clarissime resurrectionem praedici, textus illi ab adversariis declarantur suppositi et falsi; quia si Christus tam clare resurrectionem suam praedixisset, discipuli eam futuram esse credidissent; atqui eos illam non credidisse patet ex Evangelio (*Meyer* l. c. ad 16, 21.). At quaenam fuerit discipulorum fides, narratio de duobus discipulis in vicum Emmaus euntibus satis demonstrat (Luc. 24, 17 sqq.; « *Sperabamus* » etc.); ignominiosa scilicet et cruenta Domini morte eorum fides vacillare coeperat; neque semel Evangelistae nobis dicunt, Apostolos verba Domini non intellexisse (Matth. 16, 22; Marc. 9, 31; Luc. 9, 45 etc.). Ad alteram rationem quod attinet, probandum erat, mulieres scivisse summos sacerdotes die sabbathi (τῇ δὲ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευήν Matth. 28, 62) de custodia mittenda cum Pilato convenisse; mulieres enim « Sabbatho quieverunt iuxta mandatum » (Luc. 23, 56). Demum non pontifices, quibus ius nullum de hac re fuit, sed Pilatus corpus Domini Iosepho Arimathaeensi donavit. Sacerdotes vero non nisi postea praedictae resurrectionis recordati errorem commissum corrigere studuerunt, quantum potuerunt. Nihil autem miri in eo est, quod custodes pecunia corruperint, ne verum eorum testimonium de Domini resurrectione spargeretur; atque illud quoque satis facile intelligitur, quod in hac re (« es handelte sich nicht um eine strenge Dienstsache » *Schanz* i. h. l.) Pilatus militum excusationem, qua contentos se esse pontifices ostenderunt, non recusaverit ideoque ab iis puniendis abstinuerit. Ceterum milites non esse punitos Scriptura non asserit, et facile fieri potuit, ut tantam pecuniae summam darent pontifices, qua milites etiam poenam impositam suscipere permoverentur.

6. Cfr. S. *Aug.* c. Faust. II. 1 sqq. (M. 42, 209 sqq.)

7. *S. Aug.* l. c. 6. : « Cur ergo non sit Evangelium, quod de ista generatione narratur, quum tam bona nobis annuntietur, ut per ipsam nostra sanetur infirmitas? An

quia Matthaeus non est ita exorsus, ut diceret : *Initium Evangelii Iesu Christi*, sicut ait Marcus, sed *Liber generationis Iesu Christi?* Hoc modo nec Ioannes Evangelium scripsisse dicatur, quia nec ipse dixit : *Initium Evangelii Iesu Christi*, aut *Liber Evangelii*, sed : *In principio erat verbum* » etc.

2.) Alter adversarius, qui inter rationalistarum antesignanos recensetur, *M. L. de Wette*, haec profert argumenta, quae, quamvis nonnulla iam in praecedentibus relata sint, omnia transcribemus, ne quid roboris et efficientiae argumentationi eius detraxisse videamur [8].

a.) Evangelium nihil continet, quo Matthaeus eius auctor esse prodatur; imo b.) testis ocularis et Apostolus ea, quae Dominus in Iudaea egit et docuit, quaeque fuse tradit Ioannes, silentio non praeterisset, nec c.) ordinem chronologicum arbitrarium, imo absurdum (14, 13) secutus esset; evidens quoque error est, si Christus primo paschatis die cruci affixus esse asseritur. Accedit d.) quod de historica narrationum quarumdam veritate merito dubitetur. Narratio de sepulcri custodibus fabula est, quae omni veri similitudine caret; narratio de corporum sanctorum resurrectione ex apocryphis est desumta; narrationem de baptismo Christi, si cum Ioannis relatione comparatur, mythicam esse apparet; tentatio Christi, quae antiquitus non fuit nisi symbolica quaedam narratio, velut factum historicum proponitur; miraculum stateris in piscis ore inventi creditu nimis est difficile; idem factum interdum bis narratur, et aliquae narrationes (de Iuda 27, 3-10, de ingressu Domini sollemni 21, 7) vaticiniis allatis conformatae sunt. Demum e.) ubique, maxime vero in vocationis Matthaei et crucifixionis narratione deest perspicuus et dilucidus narrandi modus, qui merito a teste oculari exspectatur, et f.) sermones Domini partim non fideliter, partim non secundum debitum ordinem chronologicum sunt relati. Quae enim 10, 19 sqq. Dominus dixisse refertur, discipuli eo tempore intelligere nondum potuerunt; item in sermone montano Dominus se iam Messiam esse prodit, quod eo tempore facere nondum debuit etc.

Quod viri, quibus magnam eruditionis laudem non negamus, eiusmodi ratiunculis permoti libri authentiam tot antiquissimis et certissimis testimoniis munitam in dubium vocarint et negarint, nemo prudens non mirabitur. Namque a.) si omnium eorum librorum authentiam negabimus, quorum auctores ex operibus ipsis cum certitudine non cognoscimus, vix ullus, puto, ex antiquis authenticus erit dicendus; originem autem libri, utpote factum historicum, historicis testimoniis praecipue esse demonstrandum supra iam diximus. b.) Neque nostrum est a priori stabilire, quid auctor aliquis in librum suum recipere quidve omittere debuerit; unicuique enim auctori ius competit argumenti eligendi atque pro fine, quem sibi proposuit, arctioribus vel latioribus limitibus circumscribendi. Eodem cum iure, quocum de Wette Matthaeum primi Evangelii auctorem esse negat, quia Domini in Iudaea praedicatio omissa est, alter quartum, in quo galilaica praedicatio desideratur, Ioanni abiudicabit; uterque autem errabit, quia Evangelistas integram Domini vitam narrare voluisse falso supponunt. c.) Illum quoque ordinem unusquisque auctor sibi eligit, quem ipse aptiorem esse iudicat. Libenti igitur animo concedimus in maiore Evangelii primi parte ordinem chronologicum desiderari,

sed quidquam ex chronologici ordinis defectu contra libri authentiam effici pernegamus; cur enim a S. Matthaeo sit neglectus, ex illis elucebit, quae infra de eius fine disseremus. d.) Iam quid de narrationibus illis dicemus, quas falsas esse de Wette cum reliquis rationalistis asserit? Obiectionem integram negatae possibilitati miraculorum inniti perspicuum est, ideoque superfluum, ut illi immoremur; cur autem viri, qui miracula et vaticinia possibilia esse negant, integram suam vitam in libris nostris sacris elucidandis (vel potius obscurandis et violandis) impendere velint, equidem non intelligo. Unum tantum de narrationibus, quae repetitae esse dicuntur, addamus[9]. Mirum sane esset, si consarcinator ille, quem primi Evangelii auctorem fingit de Wette, non vidisset se paucis lineis interiectis idem factum repetere, rationalistae autem nostri post duodeviginti saecula hanc repetitionem detexissent. Si quis vero narrationes, quae repetitae esse dicuntur, perlegere voluerit, ex circumstantiis additis similia quidem sed diversa facta narrari sine ullo negotio deprehendet. In sermonibus autem non negamus repetitiones inveniri; diversis enim in occasionibus eadem doctrina iisdem fere verbis a Domino proponi, aut doctrina semel tantum ab illo proposita a Matthaeo, quem dogmaticum potius quam historicum finem prosecutum esse demonstrabimus, saepius repeti potuit. Unde etiam ultimae difficultatis solutio innotescit, quod sc. sermones Domini non secundum ordinem chronologicum sint relati. Ceterum quibusnam argumentis demonstrabunt rationalistae, narrationes quasdam vaticiniis esse conformatas? Num forte eorum assertionibus maiorem debemus fidem, quam Evangelistarum narrationibus? Num ipsi forte Domini praedicationibus interfuerunt, ut docere nos queant, quidnam et quibusnam in circumstantiis Dominus docuerit?

Sed quid plura? Obiectiones omnes modernorum nostrorum « criticorum » aut ex eorum praeiudiciis de impossibilitate miraculorum procedunt, aut ex stupenda quadam arrogantia, qua a priori statuunt, quid et quomodo Dominus agere et docere debuerit, quid et quomodo Evangelistis scribere licuerit, et omnia pro spuriis declarant, quae cum praefinitis suis ipsorum decretis non consentiant, aut demum ex erroneis falsisque interpretationibus, quas corrigendas interpreti relinquimus.

8. ***M. L. de Wette*** Lehrbuch der histor. krit. Einleitung in die kanon. Bücher des N. T. Ed. 6. cur. H. Messner et G. Lünemann. Berlin 1860. p. 202. Prima editio prodiit a. 1826; hodie rarius quidem liber hic adhibetur, sed eius obiectiones ab aliis repeti solent; cfr ex. gr. *Riehm* Handwörterb. des bibl. Alterth. II. 1884. p. 960 sq.; ***H. I. Holtzmann*** Einl. in d. N. T. Ed. 2. 1886. p. 386 sq.

9. Repetitae dicuntur narrationes de Pharisaeis signum petentibus (*Matth.* 9, 32 sqq. et 12, 22 sqq.), et de multiplicatione panum (*Matth.* 14, 13 sqq. et 15, 32 sqq.); cfr *de Wette* l. c. p. 183. Eosdem sermones bis relatos dicunt *Matth.* 5, 29 sq. et 18, 8 sq.; 5, 32 et 19, 9; 7, 16 et 12, 33; 10, 38 sq. et 16, 24 sq.; 12, 34 et 15, 19; 16, 28 et 24, 34 etc.; cfr etiam *Reuss* Gesch. des N. T. Ed. 6. 1887. p 190 sq.

13. — De integritate Evangelii pauca addamus oportet, quia non defuerunt, qui etsi Evangelium in genere Matthaeo auctori attribue-

runt, nonnullas tamen pericopas ei abiudicarent. Primus exeunte saeculo praecedente *Ioannes Williams* historiam infantiae a Matthaeo conscriptam esse negavit [1]; Anglum mox secuti sunt Germaniae rationalistae nonnulli, qui, ut aliquid de suo addidisse viderentur, praeter duo priora capita etiam narrationes de Pilati uxore (27, 19), de corporum sanctorum resurrectione et de sepulcri custodibus in dubium vocarunt [2]. Praecipua eorum argumenta sunt, a.) quod partes illae miraculosa et creditu difficilia contineant; b.) quod cum iis, quae Lucas de Salvatoris infantia tradit, non consentiant et a S. Marco, « Matthaei epitomatore » sint omissae; c.) quod duo priora saltem capita ab Evangelio Ebionitarum, a Diatessaro Tatiani, ac probabiliter ab Evangelio Nazaraeorum, quo usus est B. Hieronymus, abfuerint, Celso fuerint incognita et in nonnullis codicibus superstitibus desiderentur [3].

Quam levia et futilia haec dubitandi argumenta sint, modernorum « criticorum » agendi ratio demonstrat, quum narrationes istas inter fabulas quidem apocryphas reiiciant, eas tamen a reliquo Evangelio separare nequaquam audeant. Ac profecto idem in istis partibus, qui in reliquis, est stylus loquendique modus, idem in istis, qui in reliquis, scriptoris finis [4], quare ad eundem utrarumque auctorem concludamus necesse est. Etenim si internas illas, quae proferuntur, dubitandi rationes omittimus, quippe quae nihil nisi rationalistica praeiudicia sint, externa argumenta multo minus, si fieri potest, quam interna illa, valere facile ostenditur [5]. Ebionitas enim, qui Iesum naturalem Iosephi et Mariae filium esse blasphemaverunt, duo priora capita, quae catholicum dogma de virgineo partu evidentissime docent, e libris suis resecuisse non magis est mirum, quam alios textus sacros ab aliis haereticis reiici [6]; Tatianum autem solas genealogias omisisse constat eiusque magister S. Iustinus M. frequenter illis usus est [7]; haeretici quoque Cerinthus, Carpocrates, Basilides illa genuina agnoverunt et Celsum illa cognovisse et adhibuisse demonstrant ea, quae supra iam attulimus [8]. Unicum igitur argumentum sunt codices illi, in quibus priora duo capita desunt; at numero sunt paucissimi et auctoritate infimi, adeo ut ne ipsi quidem adversarii ex eorum testimonio argumentum desumi posse concedant [9].

1. *John Williams* A free inquiry into the authenticity of the 1. and 2. chapters of St Matthew's Gospel. London 1771.

2. *Fr. Aug. Stroth* Von Interpolationen im Evangelium Matthaei (*Eichhorn* Repertorium für bibl. und morgenl. Literatur. Leipz. 1781. IX. p. 123 sqq.), *J. J. Hess* Bibliothek der hl. Gesehichte. Zürich 1785. I. p. 208 sqq., *Ammon* Dissertatio de Luca emendatore Matthaei. 1805. — *Davidson* Introduction to the N. T. Lond. 1868. I. p. 492 sq. capita illa in aramaico textu Matthaei defuisse, a graeco autem interprete ex alio fonte scripto et ex incerta traditione censet esse addita; iisdem autem argumentis sententiam suam stabilire conatur, quibus Williams, Stroth, Hess etc. Alios eiusdem sententiae asseclas enumerat *I. Danko* Historia revelationis N. T. Viennae 1867. p. 272.

3. Cfr. *Stroth* l. c. p. 126-154.

4. Fuse de primi Evangelistae loquendi modo agit *Credner* Einl. p. 63 sqq. Ex multis pauca adnotabimus, quae duobus primis capitibus et reliquo Evangelio sunt communia. Imprimis notanda formula illa, qua Matthaeus vaticinia V. T. allegat : Ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ τοῦ προφήτου; haec enim vel similis nostro Evangelistae propria et sollemnis est (1, 22; 2, 5. 15. 17). Formae quoque ῥηθείς, ῥηθὲν, ἐρρέθη, quae (exceptis Apoc. 6, 11 et 9, 4) in solo primo Evangelio leguntur, duobus primis in capitibus inveniuntur (1, 22; 2, 15. 17. 23). Particula τότε frequentissime (plus nonagies) adhibetur a Matthaeo, rarius a Luca et Marco, jam cfr. Matth. 2, 7. 16. 17. Amat primus Evangelista constructiones, quae a participio inchoantur; eadem 1, 24; 2, 3. 7. 9. 10. 11. 12. 16. 22. 23; cfr. deinde 2, 13. 14 ἐγερθεὶς παρέλαβε, ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβεν et 8, 26 τότε ἐγερθεὶς ἐπετίμησεν, item 2, 11 et 4, 9; 18, 26. 29 etc. Participium λέγων apud Matthaeum dativo personae semper caret idque etiam 1, 20; 2, 2. 13. 20. Iesus a Matthaeo frequentius quam a reliquis Evangelistis (a Marco et Luca ter tantum) *filius David* vocatur; iam cfr. 1, 1. 20; praeterea attende 3, 1 et 4, 13 supponere 2, 23, qui versus ipse cum praecedentibus intime connexus est. — De fine scriptoris infra dicemus.

5. Quomodo Matthaei et Lucae narrationes concilientur, cfr. *infra* 55.

6. *S. Epiph.* c. haer. 30, 14 (M. 41, 429) : « Vide quam sit eorum (Ebionitarum) undequaque depravata doctrina... Cerinthus enim et Carpocrates eodem, quod apud illos est, Evangelio usi ex principio Evangelii secundum Matthaeum per genealogiam probare nituntur, Christum e Iosephi et Mariae semine esse procreatum; illi autem aliud statuunt. Genealogia enim apud Matthaeum abscissa incipiunt, uti modo dixi, Evangelium ab illis verbis : Factum est in diebus Herodis regis Iudaeae sub Caipha summo sacerdote, ut aliquis Ioannes nomine veniret baptizans baptismo poenitentiae in fluvio Iordane » etc. Ex qua temporis indicatione iam elucet, illos olim 2, 1 habuisse; ineptissime autem Herodem regem Iudaeae et Caipham summum sacerdotem coniunxerunt Herodemque Ioanni B. praedicanti coaevum fecerunt.

7. Cfr *supra* n. 10. p. 26 sqq. — Non tantum *S. Ephraem* (Expos. concord. Evang. p. 20 sqq. 250. 266 sq.) tres illas pericopas controversas explicat, sed *arabica* quoque ac *latina* versiones Diatessari eas exhibent.

8. Cfr *supra* n. 10. p. 30 sq.

9. Cfr *Fr. Aug. Stroth* apud Eichhorn l. c. p. 151 *n.* 1.

Quæstio III. — Qua lingua scriptum sit primum Evangelium.

14. — *S. Matthaeum Evangelium suum hebraice scripsisse*, i. e. illa aramaica dialecto, quae Christi aetate inter Iudaeos palaestinenses fuit vulgaris et syrochaldaica a non paucis nuncupatur[1], integra testatur antiquitas christiana nec sine temeritatis nota videtur negari.

Communem hanc sententiam incunte sacc. 16. primus impugnavit *Erasmus* eumque mox secutus est Card. *Caietanus*, uterque sat levibus rationibus nixi, quas ex graeci Evangelii textu desumserunt[2]. Non parum nova haec opinio, quae graecum nostrum textum esse primigenium statuit, veteribus arrisit Protestantibus; quoniam enim, ut deuterocanonicos V. T. libros impugnarent, primigenium textum libri inspirati perire posse negarunt, gravem eis difficultatem creavit Evangelium nostrum, quod, quamvis hebraice scriptum esset, solis versionibus ad

nos pervenit; audacter igitur hebraica libri origine negata pro principio statuerunt : « si Matthaeus hebraice Evangelium scripsisset, pro eo conservando et Dei providentia et Ecclesiae industria perenniter vigilasset indubie »[3]. Caietani, Erasmi, Calvini aliorumque argumenta, quibus Matthaeum graece scripsisse demonstrare conati sunt, diligenter collegit suisque auxit *Flacius Illyr.*, refutaverunt vero *Ad. Contzen* S. J. et *Rich. Simon*[4]. Nihilominus controversiae finis nondum est impositus. Protestantes moderni satis multi, etsi dogmatico maiorum suorum scrupulo non amplius vexentur, graecam Evangelii primi originem asserunt; inter Catholicos autem eruditissimum invenerunt suae sententiae patronum, *Leonh. Hug*, qui omnium accuratissimus cunctas, quae pro illa afferri possunt, rationes evolvit[5]. At ne ipse quidem antiquam traditionem labefactavit, et hodie cum catholicis interpretibus tantum non omnibus etiam non pauci protestantici hebraicam Evangelii originem defendunt, frustra reluctantibus aliis[6]. Adversariorum argumenta paucis exponemus et refutabimus, postquam antiquorum scriptorum testimonia, quibus Matthaeum hebraice, i. e. syrochaldaice, scripsisse stabilitur, attulimus.

1. *Petrus Schegg* (Evangelium nach Matthaeus übersetzt und erklärt. München 1863. I. p. 13 sqq.) solus fere est, qui Patrum de hebraica primi Evangelii lingua testimonia de antiqua lingua sancta, qua scripti sunt V. T. libri, intelligenda esse censeat. Libri enim argumento, scriptionis tempore et circumstantiis hebraicam antiquam, et non vulgarem aramaicam, linguam postulari censet, siquidem liber de religione tractans, in quo frequentissime Vetus T. allegetur, a Iudaeis et pro Iudaeis non nisi antiqua lingua sancta conscribi potuerit. Licet autem non negemus, rabbinos ea aetate (aut saltem paullo post) in suis operibus theologicis, uti in priore Thalmudis parte (Mischna), antiquam linguam adhibuisse, moneamus tamen oportet, illam linguam plerisque illius aetatis Iudaeis tam ignotam fuisse, ut sacros suos libros non nisi aramaice explicatos intelligerent, S. Matthaeum vero nec ipsum doctum rabbinum fuisse, nec doctis rabbinis librum suum destinasse; illam igitur censendus est linguam adhibuisse, quae tum temporis in Palaestina vulgaris fuit. Cfr. *R. Simon* Hist. crit. du texte du N. T. Roterdam 1689. p. 47 sq. qui eadem iam argumentatione Erasmum refutavit.

2. *Erasm.* in Matth. 8, 17. (Opp. Lugduni Batav. 1705. IV. p. 47); *Caietan.* in Matth. Prol. (Opp. Lugduni 1639. IV. p. 1.)

3. *Heidegger* Enchir. biblic. Tiguri 1681. p. 705. Cfr. *Herzog* P. R. E. Ed. 2. IX. p. 401, ubi ex antiquioribus huius sententiae patronis enumerantur Oecolampadius, Calvinus, Beza, Flacius Illyr., Gerhard, Heidegger, Charmier, Calovius, Hottinger, Clericus, Lightfoot. Eandem postea defenderunt Wetstein, Bengel, Masch, Schubert, Paulus, Fritzsche, de Wette, Credner, Keil etc. Cfr. *Credner* Einl. p. 85, *Keil* Comment. über das Evang. des Matth. Leipzig. 1877. p. 25 sqq.

4. *Flac. Illyr.* Novum Testamentum... cum glossa compendiaria. Praef. in Matth. Basil. 1570. p. 1 sqq. — *Ad. Contzen* S. I. Comment. in quatuor Evang. Coloniae 1626. I. qu. 5.; *R. Simon* Hist. crit. du texte du N. T. p. 49 sqq.

5. *L. Hug* Einl. ins N. T. II. p. 16-63.

6. Longum catalogum eorum, qui nostram sententiam tenent, exhibet *I. Danko* Hist. revel. N. T. p. 272, quibus addi possunt omnes catholici interpretes, qui post eum

scripserunt. Inter recentiores Protestantes, qui eam defendunt, conferri meretur *Meyer* Exeget. Handb. I. p. 4 sqq.

15. — Antiquissimi testes, qui S. Matthaeo auctori primum Evangelium attribuunt, eundem hebraice scripsisse asserunt. Inter quos maximae auctoritatis sunt *Papias* et *Pantaenus*, quorum testimonia supra iam recitavimus[1]; at iuniores ad unum omnes consentiunt, quorum aliquos afferre non alienum erit. *S. Irenaeus :* « Matthaeus, inquit, *in Hebraeis ipsorum lingua* edidit scripturam Evangelii »; *Origenes :* « sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Ecclesia citra controversiam admittuntur, scilicet primum scriptum esse a Matthaeo..., qui illud *hebraico sermone* conscriptum Iudaeis ad fidem conversis publicavit » etc[2]. *Eusebius*, qui in sua Historia illum quoque finem prosecutus est, ut omnia, quae antiquissimi scriptores de libris sacris tradiderant, diligenter colligeret, his verbis ea, quae de primo Evangelio tradita invenit, complectitur : « Matthaeus, quum primum Hebraeis fidem praedicasset, inde ad alias gentes profecturus Evangelium suum *patrio sermone* conscribens defectum praesentiae suae scripto compensavit »[3]. *S. Cyrillus Hier. :* « Matthaeus Evangelium scribens *hebraica lingua* illud composuit »; *S. Epiphanius :* « Vere illud affirmare possumus, unum ex omnibus N. T. scriptoribus Matthaeum *hebraice* ac *hebraicis literis* evangelicam historiam texuisse »; *S. Chrysostomus :* « Traditur Matthaeus accedentibus rogantibusque Iudaeis, qui crediderant, ea, quae voce protulerat, literis descripta reliquisse et *hebraice* Evangelium composuisse »[4]. Cum graecis consentiunt latini Patres; frequentissime *S. Hieronymus* hebraicam primi Evangelii originem asserit et non semel se hebraico textu usum esse testatur, atque *S. Augustinus* « horum quatuor (Evangelistarum), inquit, solus Matthaeus *hebraeo* scripsisse perhibetur eloquio, ceteri graeco »[5]. Reliquos Latinos, qui Hieronymum et Augustinum sequuntur, omittimus, illud autem adnotamus, eandem traditionem etiam in syriaca Ecclesia inveniri[6], ita ut ante Erasmum ne unus quidem christianus scriptor reperiatur, qui de hebraica nostri Evangelii lingua primigenia dubitaverit.

Adversarii nostri, quum quantae auctoritatis esset hic unanimis totius antiquitatis consensus, optime perspicerent, argumentum nostrum labefactare conati sunt praetendentes, omnes nostros testes ab uno Papiae testimonio dependere, Papiae vero auctoritatem nullam esse, quum admodum parvi ingenii eum fuisse asserat Eusebius, et procul dubio in errorem ipse inductus sit a Nazaraeis, qui, ut Evangelio suo hebraice conscripto maiorem auctoritatem conciliarent, illud genuinum Evangelistae opus esse affirmabant[7].

Respondemus autem a.) apertum esse errorem, si quis totius antiqui-

tatis in hac re persuasionem a solo Papiae testimonio derivat. Etenim quomodo ea, quae de Pantaeno narrat Eusebius, a Papia dependeant nemo explicabit; Origenes ex traditione quidem se hausisse suam sententiam prodit, at traditio haec, id quod ex eius verbis elucet, eadem fuit, ex qua certitudinem suam de quaternario Evangeliorum numero hausit; ergo certe non ad Papiam recurrit, cuius opus in ecclesia alexandrina cognitum fuisse nullo argumento demonstratur. S. Hieronymum, qui ipse se hebraico Matthaei textu usum esse dicit, a Papia non dependere, luce clarius est, et quibus argumentis reliquos aut mediate aut immediate solum Papiam suae sententiae auctorem habuisse evincere volunt adversarii nostri? Assertum enim non est argumentum.

b.) Immerito dein S. Papiae auctoritas vilipenditur. Esto eum admodum parvi ingenii virum fuisse; num forte magnum ingenium requiritur, ut quis hebraicum a graeco libro discernat? Praeterea Eusebii iudicium de parvo Papiae ingenio ad dogmaticas nonnullas opiniones et deductiones restringendum est. « Idem scriptor, inquit *Eusebius*, alia nonnulla orali traditione ad se pervenisse ait, novas quasdam Servatoris parabolas et praedicationes aliaque fabulis propiora; inter quae et mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter stabit in orbe terrarum. Quae quidem ita videtur opinatus esse ex male intellectis Apostolorum narrationibus, quum ea, quae arcano quodam sensu et exempli causa ab illis dicebantur, non satis pervidisset; fuit enim mediocri admodum ingenio praeditus, ut ex scriptis eius coniicere licet »[8]. Mediocre ergo ingenium Papiae deducit ex male intellectis et explicatis Apostolorum narrationibus; qua in re notatu dignum est, Eusebium cum aliis iunioribus Patribus quam maxime etiam moderatum illum chiliasmum aversari, quem cum S. Papia profitentur aliqui antiquiores; iudicium eius ergo de Papiae ingenio integrum omni ex parte non est nec a praeiudicata quadam opinione plane alienum. Urgere quidem alia Eusebii verba nolumus, quibus Papiam virum disertum et eruditum et Scripturarum peritum appellat, quum de critica eorum auctoritate non satis constet[9]; Eusebio autem Irenaeum opponere liceat, qui Papiam, amicum magistri sui Polycarpi, viderat, atque magna cum veneratione de eo loquitur[10].

c.) Demum S. Papiam aliqua ex traditione incerta accepisse, quae fabulis propiora sunt, concedamus; quid igitur? Omniane, quae episcopus hierapolitanus tradidit, inter fabulas amandabimus? At Eusebius ipse testatur, eum « multa, quae ab ipsis (Ioanne et Aristione, immediatis Domini discipulis) acceperat, ipsorum nominatim mentione facta in suis commentariis retulisse », atque his omnimodam fidem adhibet.

Iam vero integrum locum eusebianum legenti manifestum est, Papiam illa, quae de Matthaei Evangelio refert, ex eodem fonte hausisse, ex quo sua de Marco hausit; atqui haec se ex « presbyteri » ore habere diserte asserit[11]. Sive ergo « presbyter » ille Ioannes Apostolus est, qui hoc nomine se ipse in ultimis suis duabus epistolis appellat, sive alter quidam Ioannes ex discipulis Domini, ut suspicatur Eusebius, dubitari nullo modo potest, quin traditio haec de Evangelii nostri hebraica origine non ex dubia quadam et incerta traditione, sed ex fonte fide dignissimo profluat; ab immediatis enim Domini discipulis, S. Matthaei amicis et sociis, eam habemus.

Certa igitur fideque digna est traditio, S. Matthaeum Evangelium suum hebraice scripsisse; quis vero illud graece verterit, minus est certum. *Synopsis Ps. Athanasiana*, cui subscriptiones codicum quorundam consentiunt, Iacobum fratrem Domini interpretem fuisse asserit, *Theophylactus* autem cum aliis codicibus Ioannem Apostolum nominat[12], alii ipsum Matthaeum Evangelium suum hebraicum non tam graece vertisse, quum retractasse censent[13]. Quibus coniecturis omissis cum *S. Hieronymo* fatentes, « non satis certum esse, quis illud in graecum transtulerit »[14], duo, ni fallor, maxima cum veri similitudine asserimus. Atque primum quidem interpretem inter Iudaeos conversos esse quaerendum; id enim suadent nomina quaedam hebraica ita in textu graeco retenta, ut eorum significatio cognita supponatur[15]; ethnicis conversis autem lingua hebraica ignota plerumque fuit. Deinde vero translationem apostolica aetate factam esse certum est; luculentissime enim id patet ex eo, quod omnes Patres apostolici, *Clemens Rom.*, *Ignatius M.*, *Polycarpus* illa sint usi; at idem quoque non obscure insinuat *Papias*, qui testimonio suo de hebraica Evangelii origine addit : ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος (« *transtulit* autem illa unusquisque prout potuit »); aoristus autem adhibitus evidenter demonstrat, eo tempore, quo haec Papiae a presbytero narrata sunt (εἴρηται), non amplius unumquemque textum hebraicum transtulisse; unde consequens est, eo tempore iam adfuisse versionem, quae ab omnibus recepta pro authentica adhibebatur. Cuius authenticitatis ratio in eo videtur quaerenda esse, quod versio illa a persona publica sit adornata; quare minime erraverunt, qui Apostolum aliquem vel apostolicum saltem virum interpretem esse coniecerunt. Si vero Apostolum aliquem Evangelium Matthaei hebraicum graece reddidisse statuimus, facile explicatur, cur Christiani minorem primigenii textus curam habentes illum interire siverint.

1. Cfr supra 10 a.) et b.) p. 21 sq. 24.

2. *S. Iren.* c. haer. III. 1. (M. 7, 844); *Orig.* in Matth. tom. I. (M. 13, 829. ex *Eus.* H. E. VI, 25. M. 20, 581).

3. *Euseb.* Hist. Eccl. III. 23. Cfr. Quaest. evang. ad Marin. 2, 1. (M. 20, 265; 22, 941).

4. *S. Cyrill. Hier.* Catech. 14, 15 (M. 33, 844); *S. Epiph.* c. haer. 30, 3; 51, 5 (M 41, 409. 896); *S. Chrys.* in Matth. hom. 1, 3. (M. 57, 17).

5. *S. Hier.* in Matth. Prol. (M. 26, 18); Cfr. Praef. in Evang. ad Dam.; in Is. 6, 8 et in Os. 11, 2 (M. 24, 98; 25, 915); ad Dam. ep. 20, 5 (M. 22, 379) : « Matthaeus, qui Evangelium hebraeo sermone conscripsit, ita posuit : Osanna barrama (הושׁיענא ברמיה) i. e. Osanna in excelsis »; ad Hedib. ep. 120, 4 (M. 22, 988) : « Mihi videtur Evangelista Matthaeus, qui Evangelium hebraico sermone conscripsit, non tam *vespere* dixisse, quam *sero*, et eum, qui interpretatus est, verbi ambiguitate deceptum, non *sero* interpretatum esse, sed *respere* ». Alia testimonia S. Hieronymi infra afferemus. — *S. Aug.* de cons. Evang. I. 2; II. 66 (M. 34, 1044. 1139.).

6. Cfr. *S. Ephr.* Evangelii. concord. expos. p. 286; *Asseman.* Biblioth. orient. III. 1. p. 8. — Antiquam versionem syriacam a *Cureton* repertam (London 1858. cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 159. p. 434) aliqui ex primigenio hebr. textu Matthaei versam esse suspicantur; Curetonium secutus *Le Hir* (Études bibl. Paris 1869. I. p. 278 sqq.) argumentis (parum idoneis) id probare conatur.

7. *Wetstein* Nov. Test. graec. I. p. 224 « Videntur ergo vetustissimi Patres et inter eos primus Papias, homo simplex et credulus, re non explorata, inani Nazaraeorum iactantiae temere fidem habuisse, iunioribus ut solent sequentibus ». *Hug* Einl. II. p. 16 sqq.; *Bleek-Mangold* Einl. p. 133. etc.

8. *Euseb.* Hist. Eccl. III. 38 (M. 20, 300).

9. *Euseb.* Hist. Eccl. III. 36 (M. 20, 288). Ex *Valesii* testimonio verba haec omittuntur a tribus codicibus et a Rufino in eius versione. Ceterum Eusebii iudicium exaggerat idem, quum Papiam dicat fuisse « virum mediocri ingenio praeditum *planeque rudem ac simplicem* ».

10. *S. Iren*, c. haer. V. 33 (M. 7, 1214). Quo iure *S. Hieronymus* (ad Theodor. ep. 75, 3. M. 22, 687) Irenaeum discipulum Papiae fuisse asserat, ignoro; si verum est testimonium nec Hieronymus memoria lapsus Polycarpum et Papiam confudit, a discipulo ad magistrum concludere licet.

11. *Euseb.* l. c. καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγεν. Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν... Ταῦτα μὲν οὖν ἱστόρηται τῷ Παπίᾳ περὶ τοῦ Μάρκου· περὶ δὲ τοῦ Ματθαίου ταῦτ' εἴρηται· Ματθαῖος μὲν οὖν κτλ. Iam ex contextu patet, ab eodem presbytero, a quo Papiae tradita sunt (ἱστόρηται) illa de Marco, eidem dicta esse (εἴρηται) illa de Matthaeo; absonum autem est in priori membro supplere ὑπὸ τοῦ πρεσβυτέρου, et in altero ὑπὸ τῶν Ναζαραίων, de quibus sermo non est factus. De presbytero Ioanne (i. e. *Apostolo* Ioanne) cfr *infra* n. 57. *n.* 19.

12. *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 76. (M. 28, 432); *Theophyl.* in Matth. Prooem. (M. 123, 145); cfr. *Tischend.* Nov. Test. graece. Ed. 8. I. p. 212 sq.

13. Ita inter Catholicos : *Glaire* Introduction. Paris 1843. IV. p. 104; *Bisping* Exeget. Handb. I. Ed. 2 Münster 1867. p. 33; *Bacuez* Manuel biblique. Paris 1878. III. p. 79 etc. Inter Protestantes : *Bengel* Gnomon N. T. Ed. 2. Tubingae 1749. p. 2; *Guericke* Beiträge zur histor. krit. Einl. Iena 1828. p. 36 sqq., *Thiersch* Herstellung eines gesch. Standpunktes für die Kritik des N. T. Erlangen 1845. p. 192 sq. etc.

14. *S. Hieron.* de vir. illustr. 3. (M. 23, 613).

15. *Matth.* 1, 21. « Et vocabis nomen eius *Iesum;* ipse *enim salvum faciet* populum suum a peccatis eorum »; 23, 8 « Vos autem nolite vocari *Rabbi;* unus est *enim magister* vester »; cfr etiam 5,22 *Raca;* 27, 6 *Corbona* etc.

16. — Testimoniis allatis constat non tantum integram antiquitatem christianam hebraicam primi Evangelii originem affirmasse, sed etiam

traditionem hanc ab ipsis immediatis Domini discipulis derivari; quare qui illi fidem adhibere detrectat, gravissimas habeat necesse est rationes, quibus illam impugnet. Quae vero in medium afferuntur sunt haec :

1.) S. Matthaeus, inquiunt, profecto non ignoravit se pluribus esse consulturum, si graecum potius, quam hebraicum Evangelium foras daret, quum Ierosolymis deletis Iudaei palaestinenses in omnes terras essent dispergendi, aliae gentes autem hebraicam linguam ignorarent. Atqui eum pluribus consulere voluisse merito supponitur; ergo quin graece scripserit, non est dubitandum. Argumentum hoc a *Flacio Illyr.* iam indicatum eruditissime evolvit *L. Hug* ostendere conatus graecam linguam non tantum in terris Palaestinam circumiacentibus, sed in maiore etiam terrae sanctae parte, maxime in civitatibus, Christi aetate fuisse vulgarem [1].

At argumentandi haec ratio in rebus historicis fallacissima est; testimoniis enim historicis, minime vero argumentis, quae a priori dicuntur, facta historica stabiliuntur, nec quaeritur, quid fieri debuisse aliquis putet, sed quid revera factum sit. Iam Patres Matthaeum hebraice scripsisse testantur, tota autem Ecclesia testis est, hebraicam Evangelii originem eius propagationi non obfuisse; historia ergo docet, S. Matthaeum hebraico suo Evangelio integrae Ecclesiae consuluisse. Porro graecam linguam tum temporis in Palaestina a multis esse intellectam libenter quidem concedimus; vulgarem autem Iudaeorum linguam fuisse hebraicam (i. e. syrochaldaicam) ex Novi Testamenti et Fl. Iosephi testimoniis constat [2]. Quare S. Matthaeus, qui proxime popularibus suis Evangelium tradere voluit, aliam linguam, quam syrochaldaicam, adhibere apte vix potuit.

2.) Graecum nostri Evangelii textum versionis charactere et indole carere multis argumentis demonstrare volunt adversarii nostri : aliquas expressiones hebraicas in textu graeco esse retentas additis interpretationibus, id quod optime explicari censent, si Matthaeum graece scripsisse dicunt, vix vero intelligi, si textus graecus sit interpretatio [3]; stylum primi Evangelii similem esse stylo secundi, quare si Marcus graece scripsit, Matthaeum quoque eadem lingua usum esse putant [4]; adesse paronomasias graecas, quae in versionibus fieri non solent [5]; Spiritum S. masculini generis cogitari (Matth. 1, 18), quamvis hebraicum Spiritus S. nomen (רוּחַ) sit femininum [6]; verba ex V. T. allegata partim desumta esse ex textu hebraico, partim ex alexandrina versione; Matthaeum autem, si hebraice scripsisset, graecum textum adhibere non potuisse censent [7].

Satis difficile haud raro est ex operis alicuius stylo diiudicare, num ex altera lingua sit translatum necne, atque idem in primo nostro Evangelio obtinere manifestum est, quum adversarii nostri graecum eius stylum versionem redolere negent, alii e contra non tantum hebraicae originis manifesta vestigia, sed etiam interpretationis menda in eo inveniri asserant [8]. Fatendum profecto est, illa quae hucusque allata sunt, ut primigenius textus graecus fuisse demonstretur, rem minime evincere. Quod enim termini quidam hebraici ab interprete sint retenti et graece explicati, id neminem movebit; « sollemne

enim est, inquit *Grotius*, omnibus scriptoribus, etiam interpretibus, vocabula peregrina notabiliora servare integra addito interpretamento, quod etiam aliquoties factum videmus a septuaginta senibus » et a S. Hieronymo; addamus autem id in Evangelio nostro aptissime esse factum, quum hebraica nomina omnino retinenda essent [9]. Ex similitudine autem styli duorum priorum Evangeliorum nescio quid deducatur, nisi quis absurdissime contenderit eundem esse utriusque Evangelii auctorem; eodem enim modo, quo Matthaeus Marci aut Marcus Matthaei stylum imitatus esse statuitur, etiam interpres imitari potuit; ceterum undenam haec styli similitudo in synopticis exorta sit, infra dicemus [10]. Paronomasiae tam paucae sunt et leves, ut fortuito casu exortae sint dicendae. Quod autem ex Matth. 1, 18 urgetur, id non minus ridiculum, quam blasphemum est; namque τὸ πνεῦμα etiam non est masculini generis, ergo aeque ineptum ac hebraicum רוּחַ ad blasphemum illum sensum exprimendum, quem aliqui in hunc locum iam antiquitus ingerere voluerunt. « Non quod Spiritus S., inquit *Maldonatus* (i. h. l.), pater fuerit Christi, quemadmodum ait Hieronymus olim nonnullos putasse, sed quod Spiritus S. virtute factum sit, ut sine viro virgo conciperet. Nec enim Spiritus S. ad modum viri cum Maria concubuit, ut quendam nostro tempore dicere non puduit, sed quod virile semen facturum erat, ipse sine semine multo perfectius fecit ».

Restant igitur sola V. T. verba in primo Evangelio allegata; at ipsa quoque aptum argumentum non praebent. Neque enim, si omnia ex hebraico textu desumta essent, hebraicam Evangelii originem demonstrarent, nec graecam, si omnia cum alexandrina versione ad amussim consonarent; eodem enim modo, quo auctor, etiam interpres alterutro textu uti potuit, quum uterque eo tempore inter Iudaeos etiam palaestinenses cognitus esset eademque uterque auctoritate gauderent [11]; frustra igitur in hac quaestione proferuntur. Multo minore autem cum iure afferuntur, quia non idem allegandi modus adhibetur. Alia enim cum textu hebraico ita consonant, ut a graeco dissonent, ubi nimirum graecus in testimonium adhiberi non potuit (2,15; 8,17); alia cum graeco concordant, ubi hebraicus fini Evangelistae minus convenire videtur (12, 21); alia nec cum graeco nec cum hebraico plane consonant (2,5; 11,10; 27, 9 etc.); alia cum utroque ita consentiunt, ut dictu sit difficile, ad quemnam Evangelista respexerit (2,6; 4,15; 5,21. 43 etc.). Magna cum diligentia ultimis his annis singula verba allegata cum textibus hebraico et graeco collata sunt, ut quam regulam in suis allegationibus Evangelista secutus esset definiretur; at certa regula nondum est inventa. In genere quidem verba illa, quae in sermonibus relatis occurrunt, propius ad versionem alexandrinam accedunt, illa autem, quae ab Evangelista ipso afferuntur, magis cum primigenio textu consentiunt; unde aliqui, qui nobiscum hebraicam Evangelii originem tuentur, coniecerunt, graecum hebraici Evangelii interpretem sermones relatos velut documenta publica habuisse ideoque verba in illis allegata secundum versionem alexandrinam, quae in Ecclesia publica auctoritate gaudebat, expressisse, reliqua vero ab Evangelista ipso allata ex exemplari, quod prae oculis habuit, fidelius reddidisse [12]. Quidquid autem de hac opinione statuitur, illud certum est, a graecae Evangelii originis patronis immerito verba ex V. T. allegata pro argumento adhiberi. Quemadmodum antiquiores Patres, ita etiam

Novi Testamenti scriptores satis libero modo Scripturae verba proferre solent, ad sensum potius, quam ad vocabula attendentes; teste enim *S. Hieronymo* « Evangelistarum et Apostolorum mos est vulgatus, verborum ordine praetermisso sensus tantum de Vetere Testamento proferre in exemplum » [13]. Iam nulla est ratio, cur interpretem aliter egisse dicamus; quum vero inter Hellenistas alexandrina versio esset vulgata, non est mirum, quod ad illam, quam memoria magis minusve tenuit, illis quoque in locis propius accesserit, in quibus primigenius Evangelii textus forte magis ad hebraicam lectionem inclinavit [14].

Ceterum si verum est, quod supra veri simile esse demonstravimus, unum ex Apostolis Evangelium hebraicum Matthaei graece reddidisse, eum libertate quadam in toto libro reddendo usum esse facile intelligimus, evanescitque integra difficultas, quae ex Evangelii nostri stylo desumitur.

1. *Flac. Illyr.* Nov. Test. cum glossa compend. p. 1. 2. 3; *L. Hug.* Einl. p. 30-56.

2. *Act.* 1, 19; 2, 22; *Matth.* 27, 28 (cur aramaicum nomen, si vulgaris lingua fuit graeca?) *Fl. Iosephi* De bell. jud. V. 9, 2; VI. 2, 1, quibus in locis se hebraice Iudaeis explicasse narrat, quae Titus eis mandavit.

3. *Caietan.* in Evang. Matth. Prol. primus hoc argumentum proposuit; illud primo loco ante sua propria attulit *Flac. Illyr.* l. c.; *Wetstein* quoque aliique illud repetierunt.

4. *Erasmi* in Matth. 8, 17 est argumentum, repetitum a *Flacio Ill.*, *Wetstein*, aliis.

5. *Matth.* 6, 7. μὴ βατταλογήσητε... πολυλογία (*Vulg.* « nolite *multum loqui*... in *multiloquio* »); 6, 16 ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα ἑαυτῶν, ὅπως φάνωσιν; 21, 41 κακοὺς κακῶς ἀπολέσει (*Vulg.* « *malos male* perdet »).

6. *Credner* Beiträge z. Einl. I. p. 402; Einl. p. 93; cfr etiam *Renan*, Les Évang. et la seconde génér. chrét. 1877. p. 103. Blasphemam hanc obiectionem a plerisque « criticis » hodie spretam repetit *Jülicher* Einl. 1894. p. 190.

7. Ultimum hoc est *Flac. Ill.* argumentum, receptum a *Wetstein*, *Hug* (l. c. p. 52), aliis, accuratius excultum ab *Anger* (Ratio, qua V. T. loci in Evang. Matthaei laudantur I.-III. Lips. 1861-62) et *Keil* (l. c. p. 26 sqq.).

8. Ex gr. *Eichhorn* Einl. I. p. 167 sq., 281 sq.; *Bertholdt* Einl. p. 1260.

9. Retineri utique debuerunt vocabula hebraica duobus illis in locis, quos solos urget *Caietanus*; nam 1, 18 « vocabunt nomen eius *Emmanuel*, quod est interpretatum *Nobiscum Deus* », nomen Emmanuel est nomen proprium, et 27, 46, nisi verba « *Eli, Eli, lamma sabacthani* » retenta essent, irrisio Iudaeorum : « *Eliam vocat iste* » intellecta non esset. Ceterum cfr. 1 Reg. 7, 12 καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἀβενέζερ, ὃ σημαίνει λίθος τοῦ βοηθοῦ; Gen. 35, 18 « et vocavit nomen eius *Benoni* i. e. *filius doloris mei*; pater vero vocavit eum *Beniamin*, i. e. *filius dexterae* ». Cfr. *Maldonat.* in Evang. Proleg. c. 5.

10. *Infra* cap. II. § 5. III. 51.

11. Quanta gavisa sit auctoritate inter Palaestinenses versio alexandrina, ex eo elucet, quod Iosephus eam in suis Antiquitat. Iud. semper sit secutus. Cfr. Introd. gener. 126 p. 332.

12. Primus *Bleek* (Beiträge zur Evangelienkritik. Berlin 1846. p. 57. Cf. *eiusdem* Einl. p. 321) inter testimonia in sermonibus relata et inter testimonia ab auctore ipso allata distinxit. Si Matth. 11, 10 excipitur, quo in loco propius ad hebraicum, quam ad alexandrinum textum, testimonium in sermone relatum accedit, eius distinctio recte defenditur, dummodo non pauca testimonia in sermonibus laudata non longius ab hebraico, quam a graeco textu, recedere simul concedatur (5, 21. 43; 19, 4. 18. 19; 22, 32).

13. *S. Hieron.* in Matth. 27, 9. 10 (M. 26, 205). Similia, sed non plane approbanda, ex aliorum opinione affert in Mich. 5, 2 (M. 25, 1197) : « Sunt autem, qui asserant in omnibus paene testimoniis, quae de V. T. sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, et *interdum quoque sensus ipse diversus sit* (?!), vel Apostolis vel Evangelistis non ex libris carpentibus testimonia, sed memoriae credentibus, quae nonnunquam fallitur ».

14. De verbis V. T. in primo Evangelio allegatis cfr. *Arnoldi* Comment. zum Evang. des h. Matth. Trier 1856. p. 28 sqq.; *Schanz* Comm. p. 20 sq., *Fillion* Evangile selon St. Matthieu. Paris 1878. p. 23 etc.

17. — *Quamdiu autem et ubinam primigenius S. Matthaei textus hebraicus est conservatus?* Neminem illum unquam vidisse asserunt adversarii nostri; nullam ecclesiam illo unquam esse usam; omnes Origenis et Pamphili conatus, ut illum invenirent, fuisse irritos[1]. Ultima haec est contra hebraicam Evangelii nostri originem obiectio, cui solvendae inserviunt illa, quae de EVANGELIO SECUNDUM HEBRAEOS tradunt Patres: a reliquis enim apocryphis illud ita distinguunt, ut non sit dubium, quin illud pro depravato primigenio Matthaei Evangelio habuerint.

S. Matthaeus scilicet, uti infra fusius demonstrabimus, Evangelium suum in gratiam Iudaeo-Christianorum palaestinensium scripserat; eius igitur textu primigenio ecclesia hierosolymitana utebatur, quae « universa ex Hebraeis fidelibus conflata » quindecim primos suos episcopos ex circumcisione habebat[2]. In ecclesia vero hierosolymitana ritus antiqui iudaici retinebantur; paucis annis ante primam urbis destructionem *S. Iacobus* testatur omnes fideles esse « aemulatores Legis » (Act. 21, 20), nec ulla videtur adesse dubitandi ratio, quin integra illa ecclesia eandem viam sit prosecuta, quamdiu solis Iudaeo-Christianis constabat. Unde factum est, ut Romani eos Iudaeis infidelibus aequiparārent; quare Hadrianus, quum Iudaeos iterum iterumque devicisset, Christianos quoque hierosolymitanos una cum eorum contribulibus ex Iudaea expulit novamque, quam in urbis sanctae ruinis exstruxerat, urbem Aeliam Capitolinam incolere vetuit. Ab illo igitur tempore ecclesia hierosolymitana facta est graeca; Iudaeo-Christiani autem alii quidem se Ethnico-Christianis adiungentes cum iis paullatim in unum coetum coaluerunt, alii vero, quo magis persecutione premebantur, eo magis, uti fieri fere solet, ritibus suis iudaicis sese addixerunt eosque pro necessariis habentes a vera fide defecerunt[3]. Qua ratione nova exorta est secta haeretica, quae antiquum *Nazaraeorum* nomen (Act. 24,5), quo Christiani ab Iudaeis nominabantur, retinuit. At iam satis diu antea altera secta ex ecclesia hierosolymitana prodierat, quae praeter rituum iudaicorum necessitatem alios quoque errores profitebatur. *Ebionitae*, i. e. pauperes, appellati sunt, sive a fundatoris sui nomine, uti primus tradit (*Ps.*) *Tertullianus*, sive « ob paupertatem suae Legis »

vel ob « pauperes suos humilesque de Domino N. sensus », uti volunt *Origenes* et *Eusebius*, sive demum, uti moderni quidam censent, illo retento nomine, quo omnes primi Christiani ab Ethnicis primitus sint cognominati[4]. Nazaraei, teste *S. Hieronymo*, qui illos Beroeae cognovit, « credunt in Christum, filium Dei, natum de Virgine Maria, et eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est et resurrexit, in quem et nos credimus »[5]. Ebionitae autem Christum esse merum hominem docebant, Iosephi et Mariae filium; omnibus Christianis Legis iudaicae iugum imponere volebant, ideoque Paulum Apostolum pro apostata habebant[6]. Utraque secta uno solo utebatur Evangelio, sed suam quaeque habebat eius recensionem; utramque autem ex primitivo Matthaei Evangelio esse exortam illiusque fuisse depravationes ex Patrum testimoniis colligimus.

1. Cfr. *Hug* Einleitung II. p. 56 sqq. Obiectionem hanc iam refutavit *R. Simon* Hist. crit. du texte du N. T. p. 52 sq.

2. *Euseb.* H. E. IV. 5 (M. 20, 309) : « Illud ex veterum scriptorum monumentis didici, ad illam usque Iudaeorum obsessionem, quae imperante Hadriano contigit, quindecim episcopos continua successione illi ecclesiae praefuisse, quos omnes *origine Hebraeos* fuisse memorant et fidem Christi sincere atque ex animo suscepisse... Quippe tunc temporis universa Hierosolymorum ecclesia conflata erat ex Hebraeis fidelibus, qui iam inde ab Apostolorum aetate ad illam usque obsidionem perseveraverant ».

3. *S. Iustin. M.* c. Tryph. 47 (M. 7, 572) : » Si (Iudaeo-Christiani) ob animi infirmitatem ea, quae a Moyse propter duritiam cordis populi instituta novimus, cum spe in hunc Christum et aeternorum ac naturalium iustitiae ac pietatis praeceptorum observatione coniungere volucrint, modo cum Christianis et fidelibus vivere non recusent, nec iis suadeant, ut similiter ac ipsi circumcidantur aut sabbatha et alia eiusmodi observent, eos suscipiendos et cum iis communionem tenendam esse censeo. Sin autem, Trypho, qui ex vestro genere in hunc Christum sese dicunt credere, eos, qui ex gentibus in hunc Christum credunt, omnino secundum Legem mosaicam cogant vivere aut eiusmodi consuetudine cum eis coniungi nolint, non hos etiam similiter probaverim » etc.

4. De Ebionitarum nomine cfr. (*Ps.*) *Tertull.* De praescr. 48 (M. 2, 67); *Orig.* c. Cels. II. 1. (M. 11, 793); *Euseb.* H. E. III. 27 (M. 20, 273); *S. Hier.* in Is. 1, 3 (M. 24, 24): « Ebion dignus pro humilitate sensus paupertate nominis sui » etc. — De sectae huius origine nihil certi traditum est; veri similior eorum videtur esse sententia, qui Thebuthin quendam (qui forsitan Ebion cognominatus sit), quum indigne ferret, quod post S. Iacobi Min. mortem ad episcopatum hierosolymitanum non esset assumtus, haeresin illam invexisse censent : *Hegesippus* (apud *Ens.* H. E. IV. 22. M. 20, 380) iam testatur, eum primum inter Christianos hierosolymitanos haeresiarcham fuisse. Cfr *Card. Hergenroether* Kirchengesch. Ed. 3. Freiburg 1884. I. p. 168 sqq.

5. *S. Hieron.* ad Augustin. ep. 112, 13 (M. 22, 924); *Theodoret.* Fabul. haeret. II. 2 (M. 83, 389).

6. De Ebionitarum doctrina cfr. *S. Iren.* c. haer. I. 26 (M. 7, 686) : « Qui autem dicuntur Ebionaei, consentiunt quidem mundum a Deo factum; ea autem, quae sunt erga Dominum, consimiliter (a) ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. Solo autem eo, quod

a) Legendum esse « *consimiliter* », id quod iam Grabius coniecit, pro « *non* similiter », quod

7322

est secundum Matthaeum, Evangelio utuntur et Apostolum Paulum recusant, apostatam eum Legis dicentes » etc. Fusius de Ebionitarum doctrinis agit *S. Epiph.* haer. 30. (M. 41, 405 sqq.). — *Orig.* c. Cels. V. 61 (M. 11, 1277) duas Ebionitarum classes distinguit, eorum, « qui Iesum e virgine natum esse nobiscum confitentur », aliorumque, « qui istud reiiciunt contenduntque eum natum esse ut ceteros homines » (Cfr. *Euseb.* H. E. III. 27. M. 20, 273); dubitatur vero, annon prior Ebionitarum classis ab Origene indicata sit potius secta Nazaraeorum; sed has aliasque de Ebionitis quaestiones, quae ad rem nostram non faciunt, historicis relinquimus enucleandas.

Etenim Ebionitae teste *S. Irenaeo* « solo eo, *quod est secundum Matthaeum*, Evangelio utuntur », et iisdem fere verbis *Eusebius* « Ebionaei, inquit, solum Evangelium illud, *quod secundum Matthaeum* dicitur, amplexi reliqua parvi faciebant »[7]. *S. Epiphanius* autem Ebionitas docet « *Evangelium secundum Matthaeum* admittere », quo solo Cerinthianorum ad instar utantur, idque *secundum Hebraeos* appellare », attamen ne illud quidem integrum, sed adulteratum et mutilum (οὐχ ὅλῳ δὲ πληρεστάτῳ, ἀλλὰ νενοθευμένῳ καὶ ἠκρωτηριασμένῳ) hebraica lingua apud eos esse; e contra Nazaraeos, « Evangelium secundum Matthaeum hebraice scriptum et quidem plenissimum (πληρέστατον) possidere; ab illis enim certissime (σαφῶς) illud, prout hebraicis literis ab initio scriptum sit, conservari ». Attamen S. Epiphanius, qui Ebionaeorum librum tam accurate describit, ut illum manibus volvisse sit dicendus, Nazaraeorum Evangelium non vidit, quum se nescire fateatur, num genealogias continuerit necne[8]. Optime vero illud cognovit *S. Hieronymus*, qui non semel de eo loquitur. « Matthaeus, inquit, primus in Iudaea propter eos, qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi hebraicis literis verbisque composuit, quod quis postea in graecum transtulerit non satis certum est. Porro ipsum hebraicum habetur usque hodie in caesariensi bibliotheca, quam Pamphilus M. studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaraeis, qui in Beroea urbe Syriae hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit »; immediate antea asseruerat, « Evangelium, quod secundum Hebraeos appelletur, quoque Origenes saepe utatur, a se in graecum latinumque sermonem esse translatum »; item in S. Matthaei Evangelio commentando loquitur de « Evangelio, *quo utantur Nazaraei et Ebionitae*, quod nuper in graecum de hebraeo sermone transtulerit et quod vocetur a plerisque Matthaei authenticum », atque contra Pelagianos disputans affert « Evangelium iuxta Hebraeos, quod chaldaico quidem syroque sermone sed hebraicis literis scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazaraei, secundum Apostolos, sive ut plerique autumant secundum Matthaeum, quod et in caesariensi habetur bibliotheca »[9].

Codices exhibent, hodie constat ex Philosophum.; VII. 34 (M. 16, 3342) : « τὰ δὲ περὶ τὸν Χριστὸν ὁμοίως τῷ Κερίνθῳ καὶ Καρποκράτει μυθεύουσιν. »

Quibus Patrum testimoniis certissime constat 1.) Nazaraeos et Ebionitas Evangelio usos esse hebraice conscripto, quod antiquiores quidem Patres « secundum Matthaeum », iuniores vero aut « secundum Matthaeum » aut ipsorum haereticorum loquendi modum secuti « secundum Hebraeos » vel « secundum Apostolos » appellant; 2.) Evangelia duarum istarum sectarum ita inter se fuisse diversa, ut duae eiusdem primitivi libri recensiones habendae sint; 3.) Nazaraeorum Evangelium una ex parte ita cum nostro primo consensisse, ut S. Hieronymus, qui illud plane cognitum habuit, Matthaei authenticum illud vocare potuerit, altera vero ex parte ita a nostro primo dissensisse, ut idem S. Doctor novam illius versionem utilem iudicaverit. Tantum igitur abest, ut nullum hebraici Evangelii vestigium in tota antiquitate inveniatur, ut usque ad saec. 5. in eorum Christianorum, qui hebraico libro uti potuerunt, continuo usu fuerit; sine ulla autem ratione nec nisi Patrum testimoniis omnibus spretis aliqui Ebionitarum librum dictitarunt ex nostro graeco textu esse derivatum [10]. Quod vero archetypon hebraicum nobis non sit conservatum, id non plus admirationis habet, quam quod aliorum librorum sacrorum, Ecclesiastici, Tobiae, Iudith etc archetypa deperdita sint; imo integrae Scripturae hebraicae vix ad nos pervenissent, nisi Iudaei illas nobis conservassent [11].

7. *S. Iren.* c. haer I. 26; III. 11 (M. 7, 686. 884); *Euseb.* H. E. III. 27 (M. 20, 273). Evangelium secundum Hebraeos *Eus.* (H. E. III. 25. M. 20,296 cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 196 sq.) spuriis libris (τοῖς νόθοις) accenset.

8. *S. Epiphan.* haer. 30, 3. 13; haer. 29, 9 (M. 41, 409. 428. 405).

9. *S. Hieron.* De vir. illustr. 2. 3.; in Matth. 12, 13; c. Pelag. III. 2 (M. 23, 613; 26, 78; 23, 570). Aliqui S. Hieronymum textum hebraicum Matthaei ab Evangelio Ebionitarum et Nazaraeorum distinguere putant, priorem textum ab eo aliquoties adhiberi, alterum ab eo latine et graece esse translatum (*Meyer* Krit. exeg. Handb. Ed. 5. I. p. 8. 10; *Schanz* Comm. z. Matth. p. 12 sqq.). Vehementer vero dubito, an iure id admittatur; illum enim textum, quem genuinum Matthaei opus habet quemque in caesariensi bibliotheca invenit et a Nazaraeis Berocensibus describendum accepit (de vir. ill. 3.), vocat « Evangelium iuxta Hebraeos, quo utuntur usque hodie Nazareni, quod et in caesariensi habetur bibliotheca ». Opus igitur, quod descripsit, non est diversum ab illo, quod graece et latine transtulit. Nec recte dicitur versione opus non fuisse, si Nazaraeorum liber cum Matthaeo consensit; quemadmodum enim iam adnotavimus, Nazaraeorum et Ebionitarum Evangelia diversae eiusdem primitivi textus fuerunt recensiones, quarum versiones igitur sua utilitate non caruerunt. Sine ullo fundamento asserit *B. Weiss* (Meyer Exeget. Handb. I. Ed. 7. p. 8) Hieronymum sententiam suam mutasse, quum deprehendisset Nazaraeorum librum non esse genuinum Matthaei Evangelium. Nullum mutatae sententiae reperitur vestigium, nec ulla contradictio inter varias eius de hoc Evangelio relationes.

10. Qui hanc sententiam tenent, longa serie enumerantur ab *Hilgenfeld* Nov. Testam. extra Canonem receptum Ed. 2. Lipsiae 1884. IV. p. 10 sqq. Rectissime monet *Schanz* l. c. p. 16 : « Die neuerdings wieder vertheidigte Meinung, dass das Hebraeerevangelium eine Uebersetzung und Bearbeitung des griech. Matthaeus sei, hat nur

in der Voraussetzung der griech. Abfassung der ersten Evangeliums einen Halt, *und ist daher ohne alle geschichtliche Begründung* ». Pauca exempla, quibus graecam Evangelii ebionitici originem demonstrare voluerunt nonnulli, explicata habes a *Schegg* Evang. nach Matth. I. p. 17 sqq., *Schanz* l. c. p. 16 sqq.; ex protestanticis scriptoribus confer, si libet, *Mangold* in Bleek Einl. Ed. 3. p. 130. n.

11. *Patrizi* De Evangel. I. p. 14.

Indoles Evangelii iuxta Hebraeos ex non infrequentibus Patrum allegationibus satis accurate cognoscitur, dummodo animadvertatur Patres pro rei natura illa sola allegasse, in quibus a nostro canonico libro haereticae eius recensiones dissenserunt; in plerisque enim Hebraeorum Evangelium cum nostro primo consensisse non est dubitandum [12]. Iam *Epiphanius* testis est, Ebionitas in sua recensione genealogiam Domini et historiam infantiae omisisse; num vero Nazaraeorum exemplar eadem omiserit, ignorare se fatetur [13], at S. Hieronymus certe illud « Matthaei authenticum » non appellasset, si statim ab initio tam praeclara pars esset omissa [14]. In narrationibus non pauca videmus recepta, quibus vividiores magisque perspicuae reddebantur; alia illis omnino similia sunt, quae in paraphrasibus chaldaicis ad textum illustrandum et explicandum addita sunt; nonnulla quoque Domini verba a iunioribus Patribus ex Evangelio secundum Hebraeos allegantur, quae antiquiores fonte non indicato afferunt atque probabiliter ex orali traditione hauserant [15].

Differentiae autem omnes eiusmodi sunt, ut facile explicetur, cur illae primitivi hebraici Evangelii recensiones oblivioni mox sint datae; longe enim a divina canonicorum Evangeliorum simplicitate absunt. Multo magis est mirandum, quod Clemens Alex., Origenes, S. Hieronymus aliique Patres recensiones illas non sine honore allegare voluerint; auctoritas autem illa qualiscunque, quam illis attribuerunt, novum nobis est argumentum firmissimae eorum persuasionis, S. Matthaeum suum opus hebraice conscripsisse, in Ecclesiae autem usu non esse nisi primitivi Evangelii translationem.

12. Fragmenta Evangeliorum Nazaraeorum et Ebionitarum ex Patrum operibus collectas habes ab *Hilgenfeld* (Nov. Testam. extra Canon. recept. IV. p. 15-38).

13. *S. Epiphan.* haer. 30, 14 (M. 41, 429) : « (Ebionaei) omni illa genealogia amputata inde, unde diximus, initium deducunt : Factum est in diebus Herodis regis Iudaeae, sub principe Sacerdotum Caipha, ut veniret quidam Ioannes nomine baptizans baptismate poenitentiae » etc. Matth. 3, 1. — De Nazaraeorum Evangelio haer. 29, 9 : « Verum illud nescio, num genealogias illas amputarint, quae ab Abrahamo ad Christum usque perductae sunt ».

14. *Hilgenfeld* l. c. p. 18 sq. genealogiam quidem in Nazaraeorum Evangelio adfuisse, reliquam vero infantiae historiam defuisse censet; at quae *S. Hieron.* in Matth. 2, 5 habet (« putamus ab Evangelista primum editum, *sicut in ipso hebraico legimus*, Iudae non Iudaeae ») satis aperte historiam infantiae adfuisse docent; prorsus enim arbitrarium est, « hebraicum » hoc loco intelligere Vetus Testamentum, in quo (Mich. 5, 2) nec Iuda nec Iudaea legitur.

15. Indolem Evangelii pauca illustrabunt exempla. *S. Hier.* c. Pelag. III. 2 (M. 23, 570) : « Ecce mater Domini et fratres eius dicebant ei : Ioannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum; eamus et baptizemur ab eo. Dixit autem eis : Quid peccavi, ut vadam et baptizer ab eo? Nisi forte hoc ipsum, quod dixi, ignorantia est ». *S. Hier.* in Is. 11, 1 (M. 24, 145) : « Factum est autem, quum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Spiritus S. et requievit super eum et dixit illi : Fili mi, in omnibus Prophetis exspectabam te, ut venires et requiescerem in te. Tu es enim requies mea. Tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum ». Alio modo in Evangelio Ebionitarum teste *S. Epiph.* haer. 30, 13 (M. 41, 429.) : « Quumque ascendisset ex aqua, aperti sunt coeli et vidit Spiritum Dei Sanctum columbae specie descendentis et intrantis in ipsum. Et vox reddita de coelo dicens : Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum : Ego hodie genui te. Statimque eo in loco lux ingens affulsit » etc. Verba « ego hodie genui te » etiam a *S. Iustino M.* c. Tryph. 103 (M. 6, 717) aliisque cum canonici Evangelii verbis coniunguntur. — S. *Hier.* ad Matth. 12, 13 (M. 26, 78) : Homo iste, qui aridam manum habet, caementarius scribitur istiusmodi vocibus auxilium precans : « Caementarius eram, manibus victum quaeritans; precor te, Iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos ». *Orig.* Interpr. in Matth. tom. XV. 14 ad Matth. 19, 19 (M. 13, 1293) : « Dixit ad eum alter divitum : Magister, quid boni faciens vivam? Dixit ei : Homo, leges et Prophetas fac. Respondit ad eum : Feci. Dixit ei : Vade, vende omnia, quae possides, et divide pauperibus et veni, sequere me. Coepit autem dives scalpere caput suum et non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus : Quomodo dicis, Legem feci et Prophetas? Quoniam scriptum est in Lege : Diliges proximum tuum sicut te ipsum, et ecce multi fratres tui, filii Abrahae, amicti sunt stercore, morientes prae fame, et domus tua plena est multis bonis, et non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Et conversus dixit Simoni, discipulo suo, sedenti apud se : Simon, fili Ioannis, facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum coelorum ». *S. Hier.* de vir. ill. 2 (M. 23, 611) cfr. 1 Cor. 15, 7 : « Dominus autem, quum dedisset sindonem suam servo sacerdotis, ivit ad Iacobum et apparuit ei; iuraverat enim Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis ». Et post paululum : « Tulit panem et benedixit ac fregit et post dedit Iacobo Iusto et dixit ei : Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus ». — Verbum Domini, quod *S. Ignatius M.* (ad Smyrn. 3) affert : « Apprehendite, palpate me et videte, quod non sum daemonium incorporeum », *S. Hier.* (de vir. ill. 16. M. 23, 633) in codice Nazaraeorum legi testatur etc.

Quæstio IV. — Quibusnam et quem in finem Evangelium primum sit scriptum.

18. — « Evangelium secundum Matthaeum *ad Iudaeos* scriptum est. Hi enim valde desiderabant Christum ex semine David (ἐπεθύμουν πάνυ σφόδρα ἐκ σπέρματος Δαυὶδ Χριστόν). Matthaeus vero, qui eodem, imo maiore desiderio flagrabat, omni ratione contendit plenam ipsis fidem facere, quod Christus (sc. ille, qui iam venit) sit ex genere David (ὡς εἴη ἐκ σπέρματος Δαυὶδ ὁ Χριστός), quare etiam ab eius genere incipit »[1]. Quibus verbis *S. Irenaeus* haud obscure innuere videtur, S. Matthaeum proxime Iudaeorum ad fidem nondum conversorum gratia opus suum exarasse, ut illos ad fidem adduceret. Qui si genuinus est verbo-

rum illorum sensus, fateamur oportet, eum a reliquis omnibus Patribus dissentire, qui primum Evangelium conversis Iudaeis destinatum esse asserunt. *Origenes* iam Matthaeum Evangelium « hebraico sermone conscriptum Iudaeis ad fidem conversis publicasse » scripsit; *Eusebium*, qui veterem traditionem refert, secutus *S. Chrysostomus* tradit « Matthaeum, accedentibus rogantibusque Iudaeis qui crediderant, ea quae viva voce protulerat literis descripta illis reliquisse et hebraice Evangelium scripsisse ». Ut unum tantum ex Latinis afferamus, *S. Hieronymus* diserte affirmat, Matthaeum « Evangelium in Iudaea hebraeo sermone edidisse ob eorum vel maxime causam, qui in Iesum crediderant ex Iudaeis et nequaquam Legis umbram succedente Evangelii veritate servabant »[2].

Specie tamen magis quam re S. Irenaeus ab aliis Patribus recedere dicendus est; etenim ut taceamus, nominibus *Iudaeorum* vel *Hebraeorum* a Patribus haud raro Iudaeochristianos designari neque quidquam obstare, quominus in Irenaei testimonio eodem sensu sumantur, nullum ex Patribus contradicturum putamus, si S. Matthaeo in scribendo Evangelio verba illa, quibus S. Petrus primam suam ad Iudaeos orationem terminavit, quasi ob oculos versata esse statuamus : « Certissime sciat ergo *omnis domus Israel*, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis » (Act. 2, 36). « Omni domui Israel » igitur primum Evangelium destinatum esse iure merito affirmamus : Iudaeis, qui iam crediderant, ut in fide confirmarentur, Iudaeis, qui nondum quidem crediderant, sed etiam fidem nondum respuerant ideoque veris Israelitis adnumerari merebantur, ut ad fidem in Iesum Christum adducerentur[3].

Quae vero Patres nobis de primis Evangelii lectoribus testantur, illa ipso Evangelio accuratius considerato non parum confirmantur. Quod enim « domum Israel » in scribendo Evangelio S. Matthaeus praeprimis ante oculos habuerit, id luce clarius ex eo apparet, quod frequentius, quam reliqui omnes Evangelistae, Veteris T. libris utatur, imo solus inter Evangelistas non raro hebraicum textum sequatur ex illoque argumenta sua depromat; unde etiam iure concludimus, vera nobis a Patribus esse tradita, quum *palaestinenses* Iudaeos, qui in Christum crediderant, proxime ab auctore spectatos fuisse dicant; extra Palaestinae fines enim lingua syro-chaldaica, qua Evangelium primitus compositum esse demonstravimus, vix cognita erat, et V. T. libri sola alexandrina versione inter Iudaeos in toto orbe dispersos legebantur. Plus septuagies autem S. Matthaeus Scripturas veteres adhibet et quadraginta quatuor textus sive secundum hebraicam, sive secundum alexandrinam recensionem accurate affert, dum a S. Marco soli duodeviginti, a S. Luca undeviginti, a S. Ioanne duodecim textus allegantur,

atque in secundo et tertio Evangeliis allegationes tantum non in solis sermonibus, quos referunt, inveniuntur[4].

Recte praeterea plerique interpretes monuerunt, in primo Evangelio Palaestinensium mores consuetudinesque Palaestinaeque topographiam lectoribus cognita supponi, id quod multo magis apparet, si cum aliis duobus synopticis comparatur. S. Marcus, ut pauca exempla afferamus, consuetudinem multarum lotionum satis fuse describit, S. Matthaeus explicationem plane omittit; quid sit Corban vel Corbona, quid Parasceve etc, Marcus quidem, sed non Matthaeus, explicat. Simili modo Lucas notas quasdam geographicas de Nazareth, Bethlehem, Arimathaea, Emmaus inserit, quum Matthaeus eiusmodi notas lectoribus suis superfluas esse duceret; Ierusalem autem solus « sanctam civitatem » appellat[5]. Porro in sermone montano, in parabolis, in narrationibus nonnulla occurrunt, quae nisi Palaestinensium et maxime Pharisaeorum consuetudines cognitae fuissent, intelligi nequivissent; atque aliqua ita sunt comparata, ut ab iis cavendis illi soli monendi essent, qui inter Iudaeos palaestinenses degebant[6]. Interdum quidem etiam a primo Evangelista explicationem quandam videmus additam, uti de Sadducaeis, « qui dicunt resurrectionem non esse », at ipsis Palaestinensibus Sadducaeorum doctrinas parum fuisse cognitas testatur *Fl. Iosephus*[7], et nota ista narrationem sequentem praeparat, aut de Capharnaum civitate, quam « maritimam, in finibus Zabulon et Nephthali » sitam esse monet, ut vaticinii, quod afferre voluit, impletio accuratius perspiceretur[8].

Quae quum ita sint, non est dubitandum, quin S. Matthaeus Evangelium suum illis, qui ex Iudaeis palaestinensibus crediderant, proxime destinaverit, ita tamen ut reliquos populares suos, qui Spiritui S. aperte non refragarant, simul respiceret.

1. *S. Iren.* Fragm. 29. (M. 7, 1244).

2. *Orig.* in Matth. tom. I. (M. 13, 829; cfr. *Eus.* H. E. VI. 25); *Euseb.* H. E. III. 24 (M. 20, 265); *S. Chrysost.* in Matth. hom. 1, 3 (M. 57, 17), *S. Gregor. Naz.* Carm. I. 12. de ver. Script. (M. 37, 474) : « Matthaeus quidem scripsit *Hebraeis* Christi miracula, Marcus Italiae, Lucas Achaiae, omnibus Ioannes, magnus Apostolus »; Hebraeos hoc loco designare Iudaeo-Christianos in Palaestina degentes docet contextus; *S. Hieron.* in Matth. Prol.; de vir. ill. 3. (M. 26, 18; 23, 613). Alia testimonia exhibet *Schanz* l. c. p. 35 sq.

3. Cfr. *Grimm* Die Einheit der Evangelien. Regensburg 1868. p. 130. : « Das erste Evangelium ist *nicht bloss* für die Israeliten, welche bereits gläubig sind, es ist für alle bestimmt, die noch nicht das Evangelium positiv von sich gestossen, noch nicht mit ihrer Pflicht zugleich ihr Anrecht zu glauben, von sich geworfen haben ». (Quo sensu verba eruditi interpretis « Iudaeos *ius* credendi abiecisse » sint intelligenda, facile apparet). *Wieser* S. I. Ueber Plan u. Zweck des Matthaeus Evangelium (Zeitschr. für kath. Theologie. Innsbruck 1877. p. 567) : « Wir können nicht zweifeln, dass das Evangelium *haupstsaechlich* für die Gläubigen bestimmt war, was aber keineswegs den Nebenzweck ausschliesst, dass es wenigstens mittelbar auch zur weitern Verbreitung

des Christenthums dienen sollte ». Obiicitur quidem Apostolos scriptis libris Evangelium propagare iussos non esse; at quamvis id sit verissimum, tamen hoc subsidio uti etiam non erant vetiti; quare nihil videtur obstare, quominus *secundariam* hanc libri directionem statuamus. Imo si ad Spiritus S., primarii auctoris, intentionem animum advertimus, omnino dicendum est, « omni domui Israel » illos quoque esse accensendos, qui ex Ethnicis crediderunt. « Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae, neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii », sed « qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae » (Rom. 9, 6; Gal. 3, 7). At haec destinatio, quae omnibus libris sacris est communis, non est in quaestione; de illis enim solis lectoribus agitur, quibus S. Matthaeus ipse proxime et directe librum suum destinaverit.

4. Cfr. supra 16. p. 45. Rectissime *Messner* Introd. in Nov. Test. Oeniponte 1858. p. 22 : « Totius Evangelii oeconomia talis est, ut Veteri T. quasi superstruatur ». — *S. Hieronymus* (ad Algas. ep. 121, 2. M. 22, 1010) S. Matthaeum asserit « quasi Hebraeum ex Hebraeis et in Lege Domini peritissimum ea gentibus protulisse, quae in *hebraeo* legerat », et disertius alio loco (de vir. ill. 3. M. 23, 613) in hebraico Evangelio « Evangelistam ubicunque sive ex persona sua, sive ex persona Domini Veteris T. testimoniis utatur, non sequi Septuaginta translatorum auctoritatem, sed *hebraicam* ». At verba haec non nimis urgenda esse existimamus, quum similia alibi non sine exaggeratione quadam de reliquis N. T. scriptoribus asserat (c. Ruf. II. 34; in Is. l. XV. Praef. etc. M. 23, 456; 24, 513. Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 31. p. 68 sqq.).

5. *Marc.* 7. 2-6 et *Matth.* 15, 1 sqq.; *Marc.* 7, 11 et *Matth.* 27, 6; *Marc.* 15, 42 et *Matth.* 27, 62; *Luc.* 1, 26; 2, 4; 24, 13; 25, 15 etc. — *Matth.* 4, 5; 24, 15; 27, 53.

6. *Matth.* 5, 22 sqq.; 5, 34 sq.; 6, 2. 5. 16 etc.; 22, 11 sqq.; 25, 1 sqq. etc.

7. *Matth.* 22, 23 sqq.; cfr. *Fl. Ioseph.* Antiquit. XVIII. I, 14 « Sadducaeorum doctrina ad paucos homines pervenit ».

8. *Matth.* 4, 13 et *Is.* 9, 1.

19. — Altera quaestio est, quemnam FINEM Evangelista in opere suo exarando sibi proposuerit et quodnam consilium in eo prosecutus sit. Apostoli, quum Ierosolymis sedere et libris scriptis Evangelium propagare a Domino non essent iussi, sed euntes docere omnes gentes et hac ratione Ecclesiam in universo orbe fundare, non nisi necessitate quadam, ut recte iam monuit *Eusebius*, coacti ad scribendum sese contulerunt. Necessitas vero, qua S. Matthaeus ad Evangelium suum scribendum impulsus est, eodem *Eusebio* teste illa fuit, ut in alias terras profecturus fidelibus hierosolymitanis defectum praesentiae suae libro scripto compensaret[1] ministeriumque suum, quod eo usque inter populares suos viva voce impleverat, Evangelio suo literis mandato continuaret. At de *externa* hac scribendi occasione agere nolumus, sed de *interno* ipsius operis fine. Ex infra dicendis elucebit quidem tres priores Evangelistas in suis libris catecheses illas nobis reliquisse, quibus primi fideles instituebantur[2]; quare operis finis, in quem inquirimus, ille ipse erit, quem Apostoli in palaestinensibus catechumenis instituendis et docendis sibi proposuerunt; at hanc quoque quaestionem in transitu et strictim tantum attingemus, ut, quantum eius fieri poterit, ex Patrum testimoniis et ex primi Evangelii indole accuratius eius solius finem intrinsecum definiamus.

Pauca admodum sunt, quae Patres de illo diserte nobis tradunt; *S. Irenaeus* solus verbis supra allegatis Matthaeum omni ratione contendisse docet, ut Iudaeis persuaderet, Christum illum, qui apparuit, esse ex semine David[3]; reliqui vero, quum Evangelistam Iudaeo-Christianis librum suum destinasse dicant, id sane ita intelligunt, ut illos in fide recepta confirmare voluerit; quem in finem videlicet demonstrandum erat, Iesum Nazarenum esse Messiam in Lege promissum. Unde non mirum, quod iuniorum quoque interpretum communis sit persuasio, Matthaeum dogmaticum finem prosecutum Evangelio suo demonstrare voluisse, Iesum esse Messiam illum ex Davidica stirpe oriundum, quem Iudaei utpote per Prophetas promissum exspectabant, ut populum suum ad summam felicitatem perduceret[4]. Quin haec sententia vera sit, nemini est dubium, qui vel obiter Matthaei librum percurrerit; continuo enim ad vetera vaticinia typosque provocare eum videbit, ut eorum adimpletionem in vita Domini N. demonstret. Plus viginti vaticinia disertis verbis docet adimpleta esse, alia vero non pauca lectoris animo obversari supponit. Dominum N. statim in initio Evangelii ab Abraham, Isaac, Iacob, David descendere genealogia sua ostendit; vaticinia autem, quae hac genealogia impleta sunt, tacet, quum Messiam Abrahami semen et Davidis filium fore omnibus Iudaeis persuasissimum esset. Magos, ut novum Iudaeorum regem quaererent, stellae apparitione esse permotos narrat, sed vaticinio illos stellae huius significationem cognovisse supponit etc[5]. Ne quis vero in aliis quoque Evangeliis vaticinia messianica allegari opponat, adnotamus Marcum quinque et Lucam octo dumtaxat afferre eaque fere in solis Domini sermonibus; Ioannem vero, qui duodecim vaticinia in Domino N. impleta ostendit, finem similem ac Matthaeum prae oculis habuisse infra videbimus.

Iure merito igitur moderni interpretes cum antiquioribus in eo consentiunt, quod finis S. Matthaei fuerit dogmaticus, quum Iesum esse Christum demonstrare vellet[6]; ulterius autem progressi Evangelistae finem accuratioribus limitibus definire studuerunt moderni.

1. *Euseb.* H. E. III. 24 (M. 20, 265).

2. *Infra* 51. Cfr. interim *Maldonat.* Comment. Praef. 6. « Cur Evangelistae scripserint »? « Tertia causa videtur fuisse, ut auditores, quibus Evangelium praedicaverant, scripto haberent, quae viva voce loquentes Apostolos audierant, ne aut obliviscerentur, aut secus interpretarentur, quam dicta fuerunt... Quarta, ut quod praesentibus praedicarant, absentibus quoque per scripturam praedicarent ».

3. *S. Iren.* fragm. 29 (M. 7, 1244); supra 18. p. 52.

4. Cfr. ex. gr. *Salmeron.* Comment. in Evang. histor. III. tract. 25 (Ed. Colon. 1612. III. p. 177); *Lud. de Tena* Isagoge III. 3, 8 p. 227 : « Scopus Matthaei est demonstrare Messiam illum promissum toties in V. T. esse Dominum Iesum, qui dicitur Christus, frustraque nunc a Iudaeis exspectari futurum. Argumentum vero, quo id probat, in summa est huiusmodi : Ille est verus Messias, in quo impletae sunt omnes prophetiae

et promissiones pertinentes ad verum Messiam ; sed talis homo est Iesus Mariae filius: ergo hic est verus Messias, nec alius est exspectandus » ; *Frassen* Disquisit. bibl. I. 6, 2 p. 565 ; *Goldhagen* Introd. III. 1, 2. p. 25 etc.

5. Optime *H. I. Coleridge S. I.* The life of our life. London 1876. I. Pref. p. XVIII sqq. « It (S. Matthaei Evangelium) is penetrated from beginning to end by the thought that in our Lord were fulfilled all the types, all the anticipations, all the prophecies of the older dispensation... In all these St. Matthew dwells especially on the fulfilment of prophecy. This it is that guides his selection of incidents, to this it is that he pointedly and repeatedly directs the attention of his readers, while it is in his mind even when he does not quote the ancient prophets, as in the case of the preaching of St. John Baptist and the temptation of our Lord ».

6. *Patrizi* De Evangel. I. p. 7. « Matthaei itaque opus non ἱστορικὸν est, sed ἐλεγχτικόν, eoque tendit, ut Iudaeis probet, Iesum esse Messiam » ; *Glaire* Introd. V. p. 108 sq. ; *Reithmayr* Einl. p. 356 ; *Valroger* Introd. II. p. 25 ; *Ad. Maier* Einl. p. 43 ; *Aberle* Einl. p. 21 : « Ein Resultat kann man als feststehend betrachten, nämlich die Erkenntniss, dass das Matthaeus Evangelium nicht einen rein historischen, sondern den Zweck verfolge, die Messianität Iesu zu erweisen » ; *Bacuez* Manuel biblique III. p. 81 ; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 462 sqq. etc. Similiter acatholici fere omnes.

In quo tamen describendo non parum dissentiunt. Omittere omnino possumus sententiam illam, quae ita Domini N. messianitatem demonstrari statuit, ut integrum Evangelium libelli cuiusdam maligni sit refutatio, quo synedrium hierosolymitanum calumniis sparsis Iudaeos ab apostolica praedicatione avertere studuerit; eiusmodi enim finis vestigium ullum nec apud Patres nec in Evangelio ipso invenitur[7]. Neque tamen Evangelistae finem simul apologeticum et polemicum fuisse negamus; Iesum enim verum esse Messiam a Prophetis praedictum Ecclesiamque ab eo fundatam regnum esse messianicum a Prophetis descriptum demonstrare non potuit, nisi erroneis, quas Iudaei de Messia promisso eiusque regno sibi efformaverant, ideis correctis et refutatis.

Namque quoniam Scripturas non satis intelligebant maximeque illa omnia, quae de Messia paupere et humili deque eius regno spirituali non obscure praedicta erant, prorsus negligebant, Messiam sibi finxerant Iudaei, qui e davidica stirpe oriundus davidico throno restabilito omnes gentes subiiceret populoque suo una cum dominio mundi maximam prosperitatem felicitatemque temporalem afferret. Pharisaeorum autem secta, quae tunc temporis inter Palaestinenses praepotens erat, Legis officiis modo mere externo impletis contenta novis suis placitis genuinam Legem vix non everterat omnesque, qui suis ritibus caeremoniisque non utebantur, a salute messianica excludebat. Praeterea paucis iam post Domini in coelum ascensionem annis neminem latebat, magnam, imo maiorem Iudaeorum partem Evangelium respuere, gentiles autem magno cum gaudio bonum nuntium recipere; atque gentiles in Ecclesiam admittebantur, quin ad Legis mosaicae ritus observandos obligarentur. Iam non est dubium, quin haec omnia Iudaeos infideles

ab Evangelio recipiendo averterent; imo mirum nemini videbitur, quod illis ipsis, qui iam crediderant, tentationi fuerint. Namque si Iesus erat Messias eiusque Ecclesia regnum messianicum, quomodo fieri potuit, ut duces populi iudaici eum non agnoscerent, filii domus eiicerentur in eorumque locum succederent extranei? Apostolis igitur, si inter Iudaeos Evangelium propagare conversosque in fide confirmare voluerunt, ad haec eorum praeiudicia erat attendendum; erroneae de Messia eiusque regno ideae erant corrigendae; « scandalum crucis », quod ferre nequiverunt Iudaei, quantum fieri potuit removendum erat vel potius leniendum molliendumque; explicandum erat, quomodo esset factum, ut gentilibus magis quam Iudaeis Messias venisse videretur. Ad eadem autem Matthaeum quoque, si Evangelium ab Apostolis inter Palaestinenses praedicatum literis consignare ecclesiaeque palaestinensi librum Evangelii tradere voluit, attendere debuisse manifestum est. Quare eius finem et dogmaticum et apologeticum fuisse non est ambigendum. Toto autem Evangelio considerato ita illum, opinor, apte describemus : *vera et genuina Messiae regnique messianici imagine delineata voluit demonstrare Iesum quidem verum esse Messiam Ecclesiamque ab eo fundatam regnum messianicum per Prophetas promissum; neque tamen esse mirandum, quod hic Messias a principibus populi sui magnaque eius parte non sit agnitus, quum suis ipsi praeiudiciis et peccatis a salute messianica sese excluserint*[8].

7. Cfr. *M. Aberle* Ueber den Zweck des Matthaeus Evangelium (Tüb. Quartalschr. 1859. p. 567 sqq.); Einl. p. 20-32. *S. Matthaeus* (28, 11-15) calumniam, quam sparserat synedrium hierosolymitanum, ut Christi resurrectionem impugnaret, commemorat refutatque; *S. Iustinus M.* quoque de calumniis a synedrio contra Christum eiusque Apostolos sparsis non semel loquitur, imo asserit, synedrium selectos viros in universum orbem misisse, ut calumniis illis Iudaeos ab Apostolorum praedicatione averterent (c. Tryph. 17; 108; 117. M. 6, 512. 725. 728). Hinc Aberle primum Evangelium eum maxime in finem scriptum censet, ut calumniae illae refutarentur. Mira cum sagacitate et subtilitate ex Iustini verbis calumnias istas colligere et in Evangelio refutatas ostendere conatus est. At a.) omni externo testimonio destituta est haec sententia; ne levissimum quidem invenitur vestigium, ex quo concludi possit, aliquem ex Patribus in primo nostro Evangelio primam christianae religionis apologiam agnovisse; imo ea, quae de Evangelio tradunt, huic opinioni repugnant. Nec magis b.) Evangelium ipsum ei favet. Si enim verba citata (28, 11 sqq.) excipis, nullibi Matthaeus calumnias synedrii directe respicit, sed positive suum dogma adstruit, « quod Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Iesum ». Mirum sine dubio esset, si tam subtiliter finem suum occultasset Evangelista, ut per duodeviginti saecula nemo eum deprehendisset, quum eiusmodi occultationis nullam prorsus haberet rationem.

8. Cfr *Grimm* Einheit der Evangelien p. 93. 128 sqq. 230 sqq.; *Knabenbauer* Comm. in Matth. I. p. 11 sqq. Simili modo *Schanz* (Comm. über das Evang. Matth. p. 46) : « Matthaeus schrieb sein Evangelium, um die bedrängten und der Gefahr des Abfalls ausgesetzten Judenchristen Palaestinas zu trösten und zu bestärken, indem er zeigt, dass die Messianität Jesu und die Verwerfung des jüdischen Volkes nicht im Widerspruch ste-

hen, sondern sich als Erfüllungen der prophetischen Weissagungen erweisen; die ganze Schuld trifft aber die Juden, welche ihren Messias gekreuzigt und jetzt die Strafe des Himmels dafür zu erwarten haben ». Etiam P. Wieser, quamvis Matthaeum praecipue « *catholicae* Ecclesiae fundationem » (« die Constituirung des Katholicismus, denn es ist eben die Katholicität, die er vorzugsweise berücksichtigt ») describere voluisse censeat (Innsbr. Zeitschr. 1877. p. 572), a nobis non dissentit (l. c. 1878. p. 130), quum Evangelistam id continuo spectasse dicat, ut divinum consilium reiectionis Iudaeorum et vocationis gentium explicaret (similiter *Messmer* Introd. 1848. p. 24). — Iuxta *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 462 sqq.) Matthaeus potissimum docere voluit, in Iesu impletas esse veteres promissiones neque Iudaismo quidquam reliquum esse praeter vitae speciem. — Minus recte *Kleutgen* (Das Evang. d. h. Matth. 1882. p. 3) Evangelistae thesin esse putat, « regnum Iesu non esse huius mundi neque homines ab huius vitae calamitatibus liberare, sed ad spiritualia aeterni regni bona eos adducere; nihilo tamen secius Iesum esse Messiam patribus promissum et per prophetas praedictum ». — Nimis late ac vage alii pro thesi statuunt, Iesum esse Messiam (cfr *Glaire* Abrégé d'Introd. 1846. p. 349; *Bisping* Erkl. de Evang. Matth. Ed. 2. 1867. p. 34, etc.), aut filium David et Messiam (cfr *Patrizi* De Evang. 1853. I. p. 7), aut Messiam et fundatorem legislatoremque novi coelorum regni (*Loch-Reischl* Die Schrift. d. N. T. Ed. 3. 1885. p. X.; cfr *Reithmayr* Einl. 1852. p. 356; *Arnoldi* Comment. 1856. p. 42; *Valroger* Introd. II. 1861. p. 25), etc.

Hunc autem esse primi Evangelii finem facile apparet.

1.) Opus non est, ut Matthaeum Iesum esse Messiam demonstrare voluisse ostendamus, quum ad unum omnes interpretes, quemadmodum diximus, id ultro fateantur. Adnotemus autem, quomodo per totum suum librum paupertatem et passionem Messiae insinuet : Iesus Davidis quidem est filius, at ex paupere et ignota virgine nascitur, et vix natus a persecutore Herode in Aegyptum fugere cogitur; adultus baptismo poenitentiae a Ioanne baptizari voluit, et in deserto a diabolo tentari se permisit; per totam suam vitam publicam non habuit, ubi caput reclinaret, et tandem vitam suam morte cruenta et ignominiosa terminavit. Omnino utique contraria erat haec Domini vita ideis tunc temporis de Messia propagatis; at attendamus, quomodo scandalum hoc crucis quodammodo emollire studeat Evangelista. Si Messiam Davidis filium pauperem annuntiat, magos quoque ostendit ex Oriente accurrentes et natum regem Iudaeorum adorantes; Iesus baptismo poenitentiae baptizatus a Deo Patre filius dilectus declaratur; tentato Angeli Dei ministrant; ei, qui non habet ubi caput reclinet, venti et mare obediunt; passus et mortuus ad gloriosam vitam resurgit, atque omni potestate in coelo et in terra ditatus per Apostolos suos integrum orbem sibi subiicere incipit. Non offensis igitur Iudaeorum eorum, qui bonae voluntatis erant, animis S. Matthaeus in *paupere et despecto* Iesu vaticinia messianica impleta esse demonstrat.

2.) At non de sola Messiae persona agit Evangelista, sed arctissime cum ea connectit regnum messianicum. Nullus est inter Evangelistas, qui tot et tanta de Ecclesia a Christo fundata tradat[9], neque id mirum,

quoniam in regni messianici characteribus describendis maxime erraverant Iudaei carnales. Pro temporali igitur regno, quod sibi finxerant, spirituale regnum messianicum ita describit, ut semper pro viribus « scandalum crucis » leniat. Memoria prae ceteris sub hoc respectu dignum est nomen, quo S. Matthaeus solus inter omnes N. T. scriptores regnum a Christo fundatum designare solet; regnum terrenum potens et magnum exspectabant Iudaei carnales, « *regnum coelorum* » a Iesu in terris esse fundatum docet Matthaeus [10]; qua sola expressione iam animos lectorum ad sublimiora attollens multo plura esse data, quam speraverant, insinuat. Statim a principio carnalem Iudaeorum spem reiicit Angeli ipsius verbo relato, Iesum natum esse, ut « salvum faceret populum suum *a peccatis eorum* »; in sermone deinde montano extrema novi regni lineamenta ita describit, ut simul appareat, quae eius ad genuinam Legem mosaicam sit relatio, ad depravatam vero Pharisaeorum doctrinam oppositio; nec terrena prosperitate illud insigniri, nec illud asseclas suos ab huius vitae calamitatibus liberare, sed ad aeternam felicitatem adducere, prima iam pulcherrimi sermonis verba docent, dum ultima a falsis magistris et prophetis, qui populum seducunt, cavendum monent. Ad ipsam dein Ecclesiae fundationem transiens novos duces, quos seductoribus illis reiectis novo regno praefecit Dominus, enumerat eorumque institutionem enarrat; parabolas colligit, quibus Dominus ipse regnum coelorum fundandum adumbraverat; hierarchicam Ecclesiae ipsius dispositionem obedientiamque ei debitam indicat; brevi totus est in novi regni imagine delineanda, ut lectorum suorum animos ad illud attrahat.

3.) A non paucis interpretibus recentioribus animadversum est, duo quasi elementa in primo Evangelio inveniri; aliquas enim partes Iudaeis magis favere eisque praecipuum quoddam ius ad regnum messianicum concedere, alio autem in Evangelio universalitatem illius regni efferri. Quam animadversionem exaggerantes rationalistae (Neo-Tubingiani), qui omnes N. T. libros sacros liti, quam fingunt, inter Petrinos (iudaizantes) et Paulinos (universalistas) deberi statuunt, partes illas ab invicem separare conati Evangelium nostrum ita exortum censuerunt, ut primitivum quoddam scriptum, quod solis Iudaeis salutem messianicam praedicaverit, ab universalista sit retractatum [11]. Irriti autem omnes eorum fuerunt labores, quibus partes illas distinguerent; neque id mirum, quum totum eorum systema sit falsum, nec unquam *illa*, quam somniant, Petrinorum et Paulinorum oppositio in primitiva Ecclesia adfuerit [12]. Qui vero ad finem, quem indicavimus, attentionem suam converterit, facile videbit, cur S. Matthaeus partes illas, quas iudaizare dicunt, receperit.

Etenim Dominus Noster utique non venerat, ut solos Iudaeos salvaret,

sed ut integro generi humano salutem afferret; quare S. Matthaeus, si de Domini persona Ecclesiaque ab eo fundata agere voluit, aeque parum ac reliqui Evangelistae, particularismum iudaicum defendere potuit. Ac profecto ne uno quidem verbo, nec directe nec indirecte, illas doctrinas in primo Evangelio videmus indicatas, quas S. Paulus in iudaizantibus pseudo-apostolis impugnavit; nusquam enim solis Iudaeis ingressum in regnum messianicum patere docet, nec usquam salutem messianicam ab observandis ritibus mosaicis dependentem facit. E contra a primo versu usque ad ultimum universale esse regnum messianicum omnibusque populis destinatum docet, et quamvis mosaicam Legem non amplius obligare disertis verbis non tradat (id quod reliqui quoque Evangelistae non faciunt), multa tamen affert, ex quibus abolitam esse a Christo Legem ritualem luce clarius apparet [13]. Ipsa statim genealogia Dominum in salutem integri generis humani venisse indirecto saltem modo docet; si enim Iesum filium Davidis fuisse ostendit, non minus diserte eum filium Abrahami esse asserit, in cuius semine benedicendas esse omnes gentes sciebant Iudaei; et mulieres, quae in genealogia nominantur, nonne etiam insinuant salutem per Messiam afferendam communem fore omnibus gentibus? Nulla enim illarum erat ex semine Abraham et tamen inter Christi maiores numerari meruerunt [14]. Cui principio praeclare, quemadmodum integrum Evangelium, ita maxime ultima eius verba respondent, quibus Apostoli omnes gentes docere omnesque per baptismum regno messianico aggregare iubentur.

At haec, quae ubique apparet, salutis universalitas non impedit, quominus Matthaeus Christum proxime Iudaeis venisse asserat; ipsum Iesu nomen ei inditum esse refert, quia venit « ut salvum faceret *populum suum* a peccatis eorum »; ipse se missum asserit « ad solas oves, quae perierant domus Israel », atque Apostolos quoque suos, quum eos mitteret, ut regnum coelorum appropinquasse annuntiarent, monuit, ne in viam gentium abirent, neve in civitates Samaritanorum intrarent, sed potius irent ad oves, quae perierunt domus Israel [15]. Praecipuum igitur quoddam ius Iudaeorum agnovit S. Matthaeus: at qui ideo eum iudaizare censent, nunquam legisse videntur ea, quae S. Paulus de Iudaeorum praerogativis privilegiisque non uno in loco habet. Annon ipse quoque « Iudaeis oportere se primum loqui verbum Dei » asserit? Annon dicit « Christum Iesum *ministrum* fuisse *circumcisionis* propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordiam honorare Deum », quia nimirum propter misericordiam solam, quamvis illis promissio eadem, quae Iudaeis, non esset facta, Evangelium receperunt, quum Iudaeorum esset « adoptio filiorum... et promissio » [16]? Ut igitur veram Christi regnique eius imaginem delinearet, universalitatem quidem salutis messianicae efferre debuit, primum

autem ad illam ius Iudaeis competere, tacere non potuit. Quod asserens simul eorum, quibus proxime suum librum destinavit, animos sibi conciliavit, ac proin ex fine supra indicato duplex illud, quod in primo Evangelio inveniri mirantur rationalistae, elementum satis superque explicatur.

4.) Attamen positiva illa demonstratione, Iesum esse verum Messiam Ecclesiamque eius verum esse regnum messianicum, integer finis Evangelistae non continetur; si enim Iudaeos, qui iam crediderant, in fide recepta confirmare aliosque Iudaeos, qui bonae erant voluntatis, ad Evangelium adducere voluit, necessario ad illam obiectionem attendere debuit, quae ex primis Ecclesiae initiis sua sponte exoriebatur : Si Iesus est verus Messias, quomodo factum est, ut legitima Iudaeorum auctoritas maiorque eorum pars eum non agnoverint, sed respuerint? si eius Ecclesia est regnum messianicum, cur non omnes Iudaei, plurimi autem gentiles in eam admittuntur? Revera illam continuo Evangelistae prae oculis versatam esse videmus, ad illamque solvendam ostendit, praeiudiciis et peccatis suis Iudaeos eorumque maxime duces viam ad salutem messianicam sibi praeclusisse, gentiles autem maiore cum promptitudine ad eam sese praeparasse.

Neminem enim, qui librum nostrum attente perlegerit, fugisse puto, quam diligenter ducum Iudaeorum (sacerdotum et scribarum) culpam, Pharisaeorumque et Sadducaeorum oppositionem contra evangelicam doctrinam describat. Piis illis pastoribus, quos primos ad Domini praesepe accurrisse Lucas refert, silentio praetermissis Matthaeus nobis magos ethnicos ex Oriente remoto advenisse ostendit, ut regem natum adorarent, « principes sacerdotum et scribas » vero, qui viam eis monstraverant, socordes et incuriosos in vicinis Ierosolymis remansisse. Vixdum Petrum caput Ecclesiae suae instituerat, praedixit Dominus discipulis suis multa se oportere pati « a senioribus et scribis et principibus sacerdotum », quam praedictionem repetiit ante ultimum suum iter hierosolymitanum [17]. Praedictioni autem respondisse eventum demonstrat Evangelista, quum in tota historia passionis « seniores et principes sacerdotum » primas egisse partes referat; imo Domini morte non contenti, ut efficacius populum a praedicatione apostolica averterent, resurrectionis, quam negare ausi non sunt, famam custodibus corruptis et calumniis sparsis supprimere studuerunt. Si vero ducum culpam multis refert, non prorsus tacet populi ipsius peccatum; solus enim nobis horrendum illud populi verbum conservavit : *Sanguis eius super nos et super filios nostros.* Profecto Iudaei conversi, qui hanc patrum ducumque suorum agendi rationem perpendebant, non poterant non admirari iusta Dei iudicia : « Quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius »; atque ad hanc conclusionem magis

adigebantur, si attenderunt ad fidem, quam Dominus in magis, in centurione, in muliere chananaea invenerat[18].

Cui ducum iudaicorum culpae addenda est perversa Pharisaeorum doctrina, quae maxime Evangelio repugnat; illam quoque Evangelista prae oculis continuo habet, quia in illa maximum vidit impedimentum, quo populus a Christo suo agnoscendo avertebatur. Iam Ioannem B. refert pharisaicum illum spiritum impugnasse, qui externis Legis operibus et abrahamitico genere confisus dignos poenitentiae fructus facere recusavit; non mirum ergo, quod iustitiam Pharisaeorum et Scribarum non sufficere doceat Dominus, ut quis in regnum coelorum intret, quodque suam doctrinam directe opponat placitis pharisaicis; sed neque mirum, quod Pharisaei obcaecati et obdurati ne splendidissimis quidem Domini miraculis sint conversi, sed eius opera magnifica « principi daemoniorum » attribuere non erubuerint. Eadem ratione Pharisaeos Domino infestos per totum librum suum depingit Matthaeus, usque dum solus inter omnes Evangelistas vehementem illam orationem afferat, qua paucis ante passionem suam diebus Dominus Pharisaeos et Scribas increpat, « qui claudunt regnum coelorum ante homines, neque ipsi intrant nec alios sinunt intrare » [19]. Qui ad haec omnia attenderit, nobiscum facile concedet, Matthaeum etiam rationem explicare voluisse, qua factum sit, ut filii domus sint eiecti, in eorum autem locum extranei successerint.

Sed haec de fine Evangelistae hactenus; ex analysi Evangelii, quam infra trademus, apparebit quomodo eum prae oculis habuerit.

9. Cfr. *Wieser* l. c. 1877. p. 572 « Sein Hauptaugenmerk ist auf die Belehrung über die Einführung und die Beschaffenheit des neuen messianischen Reiches gerichtet ».

10. Plus tricies expressio ἡ βασίλεια τῶν οὐράνων occurrit in primo Evangelio, nunquam in reliquis.

11. Cfr. *Hilgenfeld* Einl. p. 461 sq., *Baur* Vorlesungen über neutestam. Theologie. Leipzig 1864. p. 24 etc.

12. Cfr. *Introd. gener.* **Ed. 2. n. 267. p. 754 sqq.**

13. Egregie haec evolvit *Wieser* l. c. p. 577. Christus quum supra Petrum tamquam fundamentum novam Ecclesiam fundaret (Matth. 16, 18) eiusque praepositos, Apostolos suos, ligandi solvendique potestate insigniret (16, 19; 18, 18), quum Iudaeorum populum reiectum (cc. 19 sqq.) Ierosolyma et templum destructum iri praediceret (c. 24), quum legem perfectiorem, quam mosaica fuerat, promulgaret (c. 5 sqq.), mosaicam legem de libello repudii aboleret (5, 31 sq.; 19, 8 sq.) seque dominum sabbathi proclamaret (12, 8), quum Legis mosaicae ratione non habita sibi potestatem remittendorum peccatorum attribueret (9, 6) novumque sacrificium instituerat (26, 26 sqq.), quum demum Apostolos in universum mundum mitteret illosque omnes gentes baptizare iuberet, circumcisionis autem mentionem non faceret (28, 16 sqq.), satis ostendit novo ordine rerum inchoato veterem synagogam cum institutionibus et praeceptis suis esse abolitam.

14. Cfr. *Grimm* Die Frauen im Stammbaum des Herru. Tüb. Quartalschr. 1859. p. 408

sqq. *Eiusdem* Einh. der Evang. p. 233 sqq. Rahab et Ruth non fuisse ex semine Abrahae Scriptura diserte testatur; Thamarem quoque ex Chanaanitis fuisse tota narratio satis prodit (Gen. 38), atque num Bethsabee, uxor Uriae *Hethitae*, ex genere israelitico fuerit, merito dubitatur.

15. *Matth.* 1, 21; 15, 24; 10, 5. 6.

16. *Act.* 13,46; cfr *Rom.* 3,1. 2; 9,1 sqq.; 10, 1 sqq.; 15,7 sqq.

17. *Matth.* 2,1 sqq.; 16,21; 20,18 sq.

18. *Matth.* 21,43; parabolam quoque de duobus filiis, obediente et inobediente, solus habet *Matth.* 21,28 sqq.; cfr deinde 8,5 (*non inveni tantam fidem in Israel*); 15, 31 (*o mulier, magna est fides tua*); 11, 21 sqq.; 12, 38 sqq. etc.

19. *Matth.* 3,7 sqq.; 5,20 sqq.; 9,34; 12,24; 23,1-39.

Quæstio V. — Quis Evangelii sit ordo.

20. — Quin Evangelistae, etsi ea, quae viderant et audierant, nec artificiose in libris suis disponere nec in Evangeliis suis nobis artis scribendi exemplaria proponere voluerint, certum tamen in enarrandis rebus ordinem tenuerint, nemo est qui dubitet[1]. Quicumque vero Evangelia inter se comparaverit eorumque narrationes componere studuerit, eadem, quae referunt, facta non eodem ordine esse disposita reperit; quare luce clarius est non omnes ordinem chronologicum secutos esse. Quae differentia primum inter duoque reliqua Evangelia synoptica clarius apparet, quoniam Domini N. praedicationem galilaicam fere solam respiciunt ideoque easdem res gestas eosdemque sermones plerumque exhibent.

Quia SS. Matthaeus et Ioannes eorum, quae narrant, testes oculares fuerunt, inter antiquiores interpretes non defuerunt, qui S. Augustinum secuti inter synopticos solum Matthaeum seriem rerum gestarum chronologicam texuisse putarent, atque in Evangeliorum narrationibus secundum temporis rationem componendis vitaque Domini publica narranda primum Evangelium ita sequerentur, ut eius narrationi facta ab aliis narrata insererent[2]. Hodie vero non pauci S. Lucam, quocum plerumque consentit S. Marcus, chronologicum ordinem tenuisse statuunt, idque ut videtur rectissime.

Fatendum quidem est, in primo Evangelio particulas formulasque illas, quibus temporis rationem indicare solemus, abundare; quare chronologicus ordo ab auctore observatus esse obiter illud legenti videri potest. At ex solis illis formulis certum argumentum non deducitur. Ut enim taceamus similes loquendi modos particulasque, quae temporales dicuntur, in tertio quoque Evangelio satis esse frequentes atque in illis quoque locis adhiberi, in quibus a primi Evangelii ordine dissentit, illud probe notandum est, plerasque vagas esse et incertas, adeo ut ex hebraico quodam loquendi modo ab uno argumento ad alterum potius orationem traducant, quam temporis seriem indicent[3].

Alio igitur ex fonte definiamus oportet, uter, Matthaeusne an Lucas, ordinem chronologicum tenuerit.

Iam vero primus Evangelista, quem ordinem sequi velit, nusquam indicat, tertius autem se chronologicum ordinem sequi disertis verbis in prooemio asserit[4]; et quoniam in infantiae historia et in Actibus Apostolorum, quos ipse velut secundam Evangelii partem esse monet, temporis seriem accurate tenuit, merito concludimus, eum illud, quod de ordine sequendo in prooemio promisit, etiam in reliquo Evangelio praestitisse. Adde S. Matthaeum saepe neque ad temporis conditionem satis attendere neque indicare, quando res narrrata acciderit. « In diebus Herodis regis » quidem Magos venisse, Iosephum cum puero et matre eius in Aegyptum fugisse et post Herodis mortem in Palaestinam reversos Nazarethi sedem fixisse narrat; statim vero pergit : « in diebus *illis* venit Ioannes B. praedicans in deserto Iudaeae », ac si reditus ex Aegypto et praedicatio Ioannis eodem tempore accidissent. Simili modo in verbis Domini referendis designationem temporis, quo verba prolata sunt, plerumque omittit[5], quin etiam temporis rationem eo usque negligit, ut ex eius libro non possit cognosci, num omnia, quae de publica Domini vita refert, unius anni decursu gesta sint, an secus. Plane diverso modo procedit Ioannes, qui festis, quibus interfuit Dominus, accurate enumeratis per tres annos et aliquot menses eum praedicasse docet; cui quarti Evangelii ordini optime consentire dispositionem rerum in tertio infra ostendemus (74).

1. Egregie *Kleutgen* (Das Evang. des h. Matth. p. 4-6) ostendit simplici Evangelistarum scribendi modo dispositionem rerum fini eorum adaptatam nequaquam repugnare, quum eiusmodi ordo haud raro quasi sua sponte exoriatur. « Es ist ein nicht so seltener als tadelnswerther Missgriff, in gewisse Werke eine kunstgerechte Ordnung gewaltsam hineinzureden. Indessen ist doch auch wahr, dass es leichter ist Unordnung als Ordnung zu sehen, dort insbesondere, wo die Planmässigkeit nicht Frucht vieler Ueberlegung, sondern nur *die unwillkührliche Wirkung der Gesetzmaessigkeit des Geistes ist*. Man bedenke, dass die Regeln der Kunst überhaupt, vornehmlich aber jene eines geordneten Vortrages, in dem Leben des Geistes selbst gegründet sind, und dass darum denjenigen, welche Empfänglichkeit haben, ein grosses Bild in sich aufzunehmen, sehr oft auch durch die Natur die Fähigkeit gegeben ist, dasselbe angemessen darzustellen. Sie arbeiten desshalb allerdings nach einem Plane; aber sie werden denselben nicht andeuten, keine auf ihn sich beziehende Bemerkungen einschalten, um glatte Uebergänge nicht besorgt sein, noch sich entschuldigen, wenn sie hie und da den Gang der Darstellung unterbrechen. Und so ist ihre ungelehrte und schlichte Schreibart wohl ein Grund, dass ihr Plan nicht bemerkt wird, aber kein Beweis, dass sie keinen Plan befolgten ». Cfr etiam *Grimm*, Einh. der Evang. p. 88 sq.

2. Cfr. ex. gr. *B. Lamy* (Comment. in harmoniam quatuor Evangel. Parisiis 1699. Praef. p. VI) : « Matthaeum et Ioannem oculatos testes sequar, certo tenens eos ab ordine, quo omnia fecit et dixit Dominus, non discedere ».

3. Sine ullo dubio vagae sunt et incertae formulae « *in illis diebus* » (בַּיָּמִים הָהֵם

3, 1, cfr. S. August. de cons. Evang. II. 19; M. 34, 1085.) « *in illo tempore* » (בָּעֵת הַהִוא 11, 25; 12, 1 cfr. *S. August.* l. c. II. 81), *tunc* (אָז 11, 20 *S. Aug.* l. c. II. 79); at eiusdem etiam generis sunt constructiones sequentes : « *et factum est, quum consummasset Jesus...* » (11, 1; 13, 53 וַיְהִי כַּאֲשֶׁר *S. August.* l. c. II. 89 : « A superiore sermone parabolarum sic transit, ut non ostendat consequentis ordinis necessitatem, praesertim quia Marcus ab istis parabolis non in quod iste, sed in aliud tendens, in quod etiam Lucas, ita contexuit narrationem, ut credibilius ostendatur, hoc esse potius consequenter gestum, quod ipsi duo continuanter adiungunt ».), « *quum descendisset de monte* (8, 1 καταβάντος αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ὄρους; *S. Aug.* II. 46 : « Neque apparet post descensionem de monte quantum temporis fuerit interpositum, sed hoc solum voluit significare Matthaeus, post descensionem illam multas turbas fuisse cum Domino, quando leprosum mundavit ») ; « *quum introisset Capharnaum* » (8, 5 εἰσελθόντος αὐτοῦ εἰς Καφαρναούμ; *S. Aug.* l. c. II. 48) et si quae sunt similes. Num vero illis aliae quoque formulae assimilari possint, in quibus participium praes. adhibetur (ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος, ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος 9, 18; 12, 46 « *Haec illo loquente* », « *adhuc eo loquente* ad turbas »), non consentiunt interpretes. Quum ita sint comparatae, ut eodem prorsus tempore utrumque gestum esse indicare videantur, illis in casibus *S. Augustinus* (l. c. II. 64. 87) Matthaeum quam Lucam et Marcum, qui alium ordinem gestorum indicant, sequi maluit. Nihilominus nonnulli moderni ex ipsa differentia, quae his in locis Matthaeum inter et Lucam Marcumque relate ad rerum gestarum ordinem adest, nihil obstare concludunt, quominus illis quoque loquendi modis omnis temporalis potestas abiudicetur. Cfr. quae de hoc argumento tradit *Grimm* Einh. der Evangel. p. 121-127 et quae contra eum disputat *Knabenbauer* Stimmen aus M. L. 1883. XXIV, p. 207.

4. Cfr. infra § 4. Quaest. IV. 41 p. 149 sq.

5. Cfr. ex. gr. *Matth.* 11, 25 sqq. et *Luc.* 10, 21; *Matth.* 11, 20 sqq. et *Luc.* 10, 13 sqq. etc.

21. — Temporum igitur ratione magis minusve seposita Matthaeus soli fini suo dogmatico et apologetico intentus res gestas orationesque Domini ex variis publicae vitae periodis colligere et coniungere non dubitavit, quo efficacius persuaderet lectoribus suis Iesum esse Messiam per Prophetas praedictum. Ideo ex. gr. capp. 8. et 9. multa dominica miracula congessit, quae argumento essent, Iesum secundum prophetias venisse, ut hominum infirmitates auferret aegrotationesque eorum removeret; ideo cp. 13. parabolas multas collegit, ut altero messianico charactere Iesum insignitum ostenderet. Realem igitur, ut ita dicam, ordinem tenuit; quisnam autem ordo hic sit, ANALYSIS PRIMI EVANGELII, quam subiicimus, satis docebit. In libri nostri partibus distinguendis, interpretes non consentiunt; alii enim nimia cum subtilitate eum in minutissimas partes discerpunt, plerique tres partes maiores distinguunt, in illis autem definiendis inter se discedunt[1]; nos quatuor partes facere malumus. Namque inde a 14, 13 Evangelista, postquam thesin suam Iesum esse Messiam argumentis ex tota vita publica collectis optime demonstravit, novum regnum messianicum simili modo illustravit, originem causasque oppositionis Pharisaeorum explicavit, ordinem chro-

nologicum fere sequitur, ita tamen, ut in seligendis rebus narrandis finem suum semper prae oculis habeat. Quare historia ministerii galilaici, quod a baptismo usque ad ultimum iter hierosolymitanum sese extendit, necessario in duas partes est distribuenda. Historiae passionis completam analysim non trademus, quia ex « Synopsi vitae Christi secundum quatuor Evangelia », quam infra (76) dabimus, satis apparebit, quaenam facta primus Evangelista referenda duxerit.

1. *S. Thom.* in Matth. 1, 1 iam distinguit tres Evangelii partes : « Inter Evangelistas Matthaeus praecipue versatur circa humanitatem Christi; per humanitatem autem Christus in mundum introivit, progressus est et exivit, et ideo... agit Evangelista de Christi humanitatis in mundum ingressu (1, 1-2, 23), secundo de eius progressu (3, 1-20, 24), tertio de eius egressu (21, 1-28, 20) ». Tres partes etiam distinguunt *Wieser* (l. c. 1878 p. 130 : 1, 1-4, 11 Vorgeschichte, 4, 12-25, 46 öffentliche Wirksamkeit 26, 1-18, 20 Vollendung), *Schanz* (Comm. p. 54 : 1, 1-4, 11 Vorgeschiche; 4, 12-18, 35 Galiläische Thätigkeit, 19, 1-28, 20 Reise nach Jerusalem und Leiden), *Bacuez* (Manuel III. p. 82 : 1, 1-3, 17 Jésus-Christ *roi;* 4, 1-25, 4, 6 J.-Ch. *législateur, thaumaturge, prophète;* 26, 1-28, 20 J.-Chr. *souverain prêtre*), *Fillion* (Evang. de S. Matth. p. 28) aliique. — *Knabenbauer* (Comm. in Math. 1892. I. p. 14 sq. fere uti nos quatuor partes facit : 1, 1-4, 11 Christi ortus et praeparatio ad vitam publicam; 4, 12-13, 58 Christus doctor miraculorum patrator, novi regni conditor; 14, 1-20,28 Christus Apostolorum eruditor; 20, 29-28, 30 Christi vitae in terris ultimi eventus. — *Kleutgen* (Ev. d. h. Matth. p. 4.) quinque partes statuit (1-4; 5-10; 11-13; 14-20, 29; 20, 30-28, 20); alii alio modo.

Pars prima (1, 1-4, 11) velut introductio totius libri *narratione eorum, quae publicam Domini vitam praecesserunt et praeparaverunt, lectorum animos disponit, ut Iesum esse Messiam agnoscentes doctrinam eius libenter amplectantur.* Quem in finem

1. *ex historia infantiae* ea colligit, quae utpote a Prophetis praedicta Iesum esse Messiam promissum demonstrant; refert igitur
   a.) eius genealogiam (1, 1-17), ex qua apparet eum esse filium Abrahae et Davidis (*Cfr. Gen.* 12, 13 *Is.* 11, 1; *Ier.* 23, 5 etc).
   b.) eius nativitatem ex virgine in Bethlehem Iuda (1, 18-2, 1); *Cfr. Is.* 7, 14; *Mich.* 5, 2.
   c.) magos stella ad novum regem adductos (2, 2-12); (*Cfr. Num.* 24, 17)
   d.) fugam eius in Aegyptum (2, 13-15), caedem infantium (2, 16-18), reditum ex Aegypto et habitationem in Nazareth (2, 19-23). *Cfr. Os.* 11, 1; *Ier.* 31, 15; *Is.* 11, 1.
2. Deinde transit ad ea, quae Christi ministerium *proxime praeparaverunt;* videlicet ad
   a.) praedicationem Ioannis B. in deserto (3, 1-12); *Cfr. Is.* 40, 3;
   b.) Iesu ipsius baptismum, in quo non solum a Ioanne B., sed etiam voce delapsa e coelo Messias agnoscitur (3, 13-17);
   c.) eius demum ieiunium in deserto atque triplicem victoriam de diabolo tentante reportatam (*Cfr Gen.* 3, 15); post quam victoriam « angeli accesserunt et ministrabant ei » (4, 1-11).

Pars secunda (4, 12-14, 12) *argumentis ex vita publica collectis Iesum esse Messiam probat odiique Pharisaeorum causas patefacit.*

1. Quoniam ea, quae Evangelista narraturus est, pleraque in Galilaea gesta sunt, praeiudicium Iudaeorum Galilaeam despicientium et Messiam vel Prophetam ex Galilaea venire negantium (Ioan. 7, 42. 52) ante omnia destruendum erat ideoque
   a.) ostendit Dominum sedem suam fixisse ministeriumque exercuisse illa in regione, quae praedicta erat (4, 12-16); *Cfr. Is.* 9, 1;
   b.) quaenam autem sit lux magna, quae sedentibus in umbra mortis apparuit, brevissime indicat vocatione primorum Apostolorum narrata et adumbrato ministerio Christi quum praedicantis tum miracula patrantis (4, 17-25). Quibus primae partis triplex argumentum insinuat; Iesum enim ostendit secundum vaticinia fuisse *doctorem* (5, 1-7, 29), *miraculorum patratorem* (8, 1-9, 34), *regni novi fundatorem* (9, 35-13, 52).
2. Atque ante omnia *Iesum doctorem vel potius legislatorem fuisse* ostendit (5, 1-7, 29). Vaticinium hoc in loco nullum affert, quoniam Iudaeis omnibus persuasissimum erat Messiam tamquam alterum Moysen (Deut. 18, 15 sqq.) populi fore magistrum et legislatorem. In sermone autem montano Iesus monstratur legislator, qui ad antiquam Legem perficiendam advenit. Etenim
   a.) ab octo beatitudinibus incipit, quae quasi decalogi locum occupant virtutesque illas continent, quae velut conditiones ad ingressum in regnum coelorum requiruntur. Ultimam autem magis evolvit, siquidem oppositionem innuit, quae inter discipulos suos, qui erunt sal terrae et lux mundi, interque Legis corruptores, qui iam Prophetas occiderunt, exoriatur necesse est (5, 1-16).
   b.) Quibus pro introductione praemissis thema prioris partis orationis proponit, quae integra versatur in sua ipsius suorumque (i. e. in novi sui regni) relatione ad antiquam Legem evolvenda: se enim ad Legem perficiendam venisse docet a suisque perfectiorem Legis impletionem requirit, quam ea est, quae in Scribis et Pharisaeis invenitur (5, 17-20).
      α.) Atque primum quidem exemplis docet, qua in re perfectio Legis a se allata consistat, antiquis praeceptis adductis, quibus sua adiungit vel opponit: exempla autem desumit ex praeceptis amoris proximi (5, 21-26), castitatis (5, 27-32), veracitatis (5, 33-37), amoris inimicorum (5, 38-47).
      β.) Deinde perfectam hanc legem perfecto modo observandam esse docet (5, 48) i. e. abstinendum esse a mala intentione (6, 1), qua ducuntur Pharisaei in dandis eleemosynis (6, 2-4), in precationibus suis (6, 5-15), in ieiuniis suis (6, 16-18).
   c.) In secunda parte docet, quomodo suis ad regnum coelorum anhelandum sit, atque
      α.) thesauros regni coelorum non tantum omnibus thesauris corruptibilibus terrae esse praeferendos, quum nemo simul Deo et mammo-

nae servire possit (6, 19-24), sed neque ob quotidianas vitae necessitates negligendum esse regnum coelorum, quia Dei providentia, quae de minimis curat, nunquam derelictura sit eos, qui iustitiam quaerunt (6, 25-34);

β.) dein cavendum monet, ne in regno coelorum quaerendo magis ad alios, quam ad se ipsos attendant (7, 1-6);

γ. atque demum ad precationem exhortatur, qua auxilia necessaria sint obtenturi (7, 7-12).

d.) Totam orationem exhortatione concludit, ut per angustam portam intrare satagant (7, 13. 14), caveant autem a perversis viae ductoribus (falsis prophetis = Scribis et Pharisaeis) (7, 15-20) et a falsa securitate, quae ex externis operibus exoritur (7, 21-23), atque aedificent domum perfectionis super solidum fundamentum verborum ipsius (7, 24-27) (a).

3. A divina Iesu doctrina ad eius *opera divina* transiens *eum miraculorum patratorem fuisse* demonstrat (8, 1-9, 34). Multis autem miraculis narratis una ex parte vaticinia in Iesu impleta esse docet, altera ex parte et animos ad benignissimum Iesum attrahit et Pharisaeorum perversitatem crescentesque in Dominum inimicitias pandit.

a.) A tribus sanationibus leprosi, filii centurionis, socrus Petri incipit (8, 1-15), quarum prima Iudaei leprosi in signum est ducibus populi (« Ostende te sacerdoti... in testimonium illis »), altera ethnici maiorem ethnicorum dispositionem demonstrat, tertia Petri praeeminentiam indicat et causa fuit, cur alii multi sanationem apud Dominum quaererent, ita ut in Iesu vaticinium *Is.* 53, 4 impletum esse appareret (8, 16. 17).

b.) Quia autem Iesus omnium infirmitates in se suscepit, pauperrimus est; ne quis vero hac paupertate, quam aperte profitetur, ab eius sequela absterreatur (8, 18-22), aliis miraculis suam potentiam manifestat, qua mare et ventos sedat daemonesque eiicit (8, 23-34 suamque misericordiam, qua etiam peccatorem peccatis eius remissis sanat (9, 1-8).

c.) Quae Domini miracula apud eos, qui bene dispositi sunt, et apud Pharisaeos diversa omnino producunt; priores enim eum vocantem statim sequuntur (9, 9. 10), alteri autem misericordia Iesu erga peccatores scandalizati et irati, quod ipsorum vitae ratio a discipulis eius non observetur (9, 11-17), quum magna signa, quae fecit, resuscitationem filiae Iairi, sanationes haemorrhoissae, duorum caecorum et daemoniaci (9, 18-32) negare non possent, eo usque progrediuntur, ut daemoni opera eius adscribant (9, 33. 34).

a) Ex brevi hac sermonis montani analysi iam satis apparet, quam parum veritati sit consonum, quod post plerosque rationalistas asserit *Renan* (Les Évangiles etc. p. 177,: « Le principal de ces discours, le discours sur la montagne, est évidemment composé de parties *qui n'offrent entre elles aucun lien* et qui ont été artificiellement rapprochées ». Rectius, opinor, asseritur vix alterum sermonem in Evangeliis referri, cuius partes arctiore nexu inter se coniungantur.

4. Iam tertium argumentum, quod in huius partis introductione per quatuor discipulorum vocationem innuerat, evolvens Evangelista Iesum ostendit *novi regni fundatorem* (9, 35-13, 52).

a.) Incipit autem ab apostolici muneris institutione Apostolorumque ad primam missionem praeparatione (9, 35-10, 42). Quoniam autem in prima hac missione Apostoli vocationis suae futurae periculum quoddam sint facturi, Dominus orationi suae praeparatoriae nonnulla inserit, quae non nisi post suam resurrectionem illis eventura sint.

α.) Quia Scribae et Pharisaei populum perdebant, Iesus « videns turbas misertus est eis, quoniam erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem » eisque alios duces pastoresque constituens, duodecim sc. Apostolos, novi regni iecit fundamenta (9, 35-10, 4).

β.) Quos docet, quomodo se gerere debeant (10, 5-42). Namque postquam explicavit, ad quos et quem in finem eos mitteret (10, 5-7), eis, ut missionem explere possint, divinam suam confert potentiam, sed simul vitam suam pauperem eos imitari iubet (10, 8-10) docetque, quid erga illos, qui ipsos sint recepturi, quidve erga illos, qui ipsos sint repulsuri, agere debeant (10, 11-15).

Ad futuros deinde eorum labores prospiciens magna pericula, quae subituri sint, non celat ideoque ad prudentiam eos exhortatur, quam superne illis datum iri promittit (10, 16-20). Quibus periculis fusius descriptis, quippe quae eadem sint, quae ipsum exspectent (10, 21-25) homines non esse timendos docet, quoniam Pater eos sit protecturus et ipse suos non derelicturus (10, 26-33). Quia eandem, quam ipse, missionem subeant, eadem sors quoque eis obtinget; infelices illi, qui Apostolos non sint audituri, felices illi, qui eos sint secuturi (10, 34-42).

b.) Iudaeorum inconstantia cordisque duritie atque crescente Pharisaeorum oppositione descriptis difficultates adumbrat, quas novi regni fundatio et propagatio invenit (11, 1-12, 50).

α.) Transit ad hanc particulam Evangelista allato testimonio Baptistae, quum discipulos misisset, ut testes essent operum messianicorum ab *Isaia* 35, 5 praedictorum (11, 1-6); illa enim occasione Dominus Ioannis laudes celebraverat (11, 7-15) eiusque fidei et constantiae puerilem inconstantiam et infidelitatem Iudaeorum opposuerat, qui nec severa Ioannis vita nec communi vivendi ratione Domini fuerant contenti (11, 16-19).

β.) Cui vituperio apte adnectitur gravissima increpatio illarum civitatum, quae tot Domini miraculis ad fidem non erant adductae (11, 20-24); at ne populus desperet, statim subiungitur nova Domini invitatio, ut ad ipsum accedentes reficiantur et ipsius virtutes imitantes felicitatem consequantur (11, 25-30).

γ.) A populo ad eius duces transiens Evangelista Pharisaeorum mores delineat. Discipulos sabbatho spicas vellentes iniustissime carpunt (12, 1-8), imo Dominum impedire conantur, ne sabbatho

aegrotos sanet (12, 9-13), et quia eorum placitis non obedit, consilium adversus eum capiunt, ut eum perdant (12, 14).

δ.) Dominus vero ob Pharisaeorum odium populo beneficia non subtrahit, quare merito Evangelista, qui in hac parte sapientissime umbras a lumine dividit, ad imaginen Messiae ab *Isaia* 42, 1-4 delineatam provocat, ut illam in Iesu verificatam esse lectores oculis suis videant (12, 15-21).

ε.) Ideo etiam Pharisaeos, qui nova Domini miracula (sanationem daemoniaci) daemoni adscribunt (12, 22-24), nec ad blasphemae calumniae refutationem animos advertunt (12, 25-30), in peccato contra Spiritum S. constitutos ostendit (12, 31-37). Quare lectores mirari non possunt, quod Pharisaeis novum signum petentibus maximum quidem, resurrectio Domini, promittatur sed simul innuatur illos ne huic quidem fidem esse adhibituros ideoque ab ipsis ethnicis in iudicio condemnatum iri (12, 38-45).

ζ.) Ne vero una cum Pharisaeis infidelibus etiam Iudaei illi, qui bonae sunt voluntatis, reiecti esse videantur, affert Evangelista eius effatum, quo genuina membra familiae suae, i. e. regni sui, declaravit illos, qui facturi sint voluntatem Patris (12, 46-50).

c.) Tertio demum loco Evangelista indolem regni messianici describit allatis septem parabolis dominicis (13, 1-58); qua per parabolas docendi ratione novum characterem messianicum *ab Isaia* 6, 9 *et Psalmista* 77,2 praedictum in Iesu adfuisse demonstrat.

α.) Incipit a parabola seminantis, qua praeparatio quaedam cordis requiri ostenditur, ut quis in regnum messianicum intrare possit, taciteque insinuans impedimenta illa, quae discipulis explicat Dominus, in Iudaeis inveniri non mirum esse demonstrat, quod non omnes in illud ingrediantur (13, 1-23).

β.) Altera parabola de zizania in medio tritico seminata non sufficere docet, ut externe quis ad regnum messianicum pertineat (id quod Pharisaei genere suo abrahamitico confisi facile putare poterant), sed bonos et malos in regno messianico esse posse, usque dum in ultimo iudicio separatio fiat (13, 24-30).

γ.) Duae sequentes de grano sinapis et de fermento docent, non obstante parvo initio regnum messianicum mundum universum esse occupaturum atque etiam vim suam internam monstraturum in asseclas suos (13, 31-35).

δ.) Explicationi secundae parabolae de zizania (13, 36-43) adiunguntur quinta et sexta de thesauro abscondito et de margarita pretiosa, quae omnibus praeferendum esse regnum messianicum docent (13, 44-46); demum septima de sagena bonos et malos pisces congregante monet, curandum esse ne quis regni messianici civis in consummatione saeculi malus inveniatur et in caminum ignis iniiciatur (13, 44-52).

5. Pro huius partis conclusione duo facta affert Evangelista, quae quodammodo primam parabolam illustrantes ostendunt nec ipsam sapientiam

Domini cognitam nec eius miracula agnita sufficere, ut quis in regnum intret. In patria eius admirantur quidem Iudaei eius sapientiam, sed ob humile eius genus eum despiciunt (13, 53-58); Herodes autem, qui de miraculis eius audierat, superstitioso timore correptus putat eum esse Ioannem B., quem ipse occiderat, a mortuis resuscitatum (14, 1-12).

Pars tertia (14, 13-20 28) *de messianici regni fundatione et de Apostolorum, qui novi regni seu Ecclesiae futuri sint doctores ac rectores, ad difficile suum munus institutione potissimum tractat.*

1. Ut novo muneri apti fierent, praeprimis *Apostoli adducendi erant, ut divinam Iesu naturam clare cognoscerent et aperte profiterentur;* quem in finem inservierunt duo magna miracula (14, 13-34).
   a.) Audita scilicet Ioannis B. morte secessit Dominus in desertum locum: turbas autem, quae ipsum secutae erant, satiat pane per manus discipulorum multiplicato (14, 14-21);
   b.) praecedentes autem discipulos sequitur super mare ambulans Petrumque, quum ipse quoque super aquas ad eum accedere vellet, in aquam immergentem salvat (14, 22-32).
   c.) Quibus duobus miraculis sese elementorum dominum esse ostenderat Iesus, et « verus filius Dei » a discipulis agnoscitur (14, 33), dum turbae istis miraculis ad id dumtaxat moventur, ut nova beneficia temporalia ab eo petant (14, 34-36).
2. Quam maxime deinde *Apostoli arcendi erant ab omni societate cum Pharisaeis et ab eorum perversis doctrinis* (15, 1-16, 12).
   a.) Primam occasionem nactus est Dominus, quum Scribae et Pharisaei hierosolymitani discipulos accusassent, quod ante manducationem manus non lavarent. Etenim postquam accusatores coarguit, quod ipsi propter traditiones suas humanas divina mandata transgrederentur, populum docuit eiusmodi traditionem non obligare, et speciatim Apostolis ostendit, Pharisaeos, utpote a Patre non edoctos, caecos esse et ductores caecorum (15, 1-20);
   b. Pharisaeis autem reiectis non negat Dominus proximum ius ad regnum messianicum competere Iudaeis; ut hunc enim errorem praecaveat, inserit Evangelista narrationem de muliere chananaea, cui explicitis verbis asserit Iesus, se ipsum « ad oves, quae perierunt domus Israel » missum esse, et de multis miraculis, quae inter Iudaeos patravit ex partibus Tyri et Sidonis reversus; maxime autem secunda panum multiplicatione narrata ostendit, quam paratus esset Dominus ad illos Iudaeos, qui bonae erant voluntatis (escis spiritualibus) satiandos (15, 21-39).
   c.) Alteram occasionem erudiendi Apostolos praebent Pharisaei « signum de coelo » petentes; at malae et adulterae generationi aliud non promittens nisi signum Ionae Prophetae Dominus Apostolos monet, ut caveant a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum (16, 1-12).
3. Qua ratione praeparatos Apostolos ad iteratam divinae suae naturae professionem provocat, et postquam Petro in Ecclesia fundanda prima-

tum promisit (16, 13-20) apertius iam eis *suam passionem praedicere incipit*, ut eos contra futuram tentationem praemuniat (16, 21-17, 27).

a.) Quoniam de prima passionis praedictione scandalizati erant Apostoli et maxime Petrus, necessariam esse hac in terra abnegationem, in futura autem vita omnes debitam mercedem esse recepturos, a Domino edocentur (16, 21-28).

b.) Gloriosa autem transfiguratione in fide confirmantur Petrus cum sociis suis (17, 1-13) : reliquorum autem fides novo miraculo (daemone, quem ipsi eiicere non potuerant, eiecto) confirmatur, ut secundam passionis praedictionem iam sine murmuratione audiant (17, 14-23).

c.) Stater demum in ore piscis inventus, quum Christi omniscientiam et potentiam manifestet, praecedentes passionis praedictiones confirmat atque simul superioritatem capitis regni messianici supra reges terrae declarat (17, 24-27).

4. Demum Apostolos docet, *quomodo tamquam Ecclesiae praesides gerere se debeant* (18, 1-20, 18).

a.) Ante omnia disputantibus, quis eorum futurus sit maior in regno coelorum, humilitatem commendat (18, 1-4),

b.) indeque occasionem arripit eos edocendi, quanti aestimandi sint pusilli et debiles, quantopere ab iis scandalizandis cavendum, quanta cum cura peccatores ad resipiscentiam adducendi (Parabola de ove deperdita) (18, 5-14);

c.) Quomodo agendum sit cum iis, qui in ipsos offenderint; fraterne monendi sunt, Ecclesiae autem denunciandi, si non corrigantur, ab Ecclesia excludendi, si eam audire noluerint, nam ipsa est, quae per pastores suos ligat et solvit in terra (18, 15-20); non semel autem vel septies, sed semper, fratri peccanti offensionem esse condonandam, si quis ipse peccatorum remissionem a Patre obtinere velit, manifestat parabola de duobus debitoribus (18, 21-35).

d.) Ad ultimum pascha demum profectus in itinere Apostolos docere non cessat Dominus atque maxime quidem cum eis agit de perfectiore vita, ad quam utpote Ecclesiae praesides sunt vocati.

α.) Pharisaei de indissolubilitate matrimonii interrogantes occasionem ei praebent, ut illam quidem asserat, sed simul illi praeferendam esse voluntariam virginitatem doceat (19, 1-12);

β.) Parvuli ei oblati occasio sunt, ut eorum simplicitatem commendet (19, 13-15);

γ.) Iuveni ad altiorem perfectionem anhelanti commendat voluntariam paupertatem, Apostolisque, qui omnia ob ipsius sequelam dimiserant, omnibusque, qui eos hac in re imitaturi sint, promittit ingentem mercedem (19, 15-29).

e.) Ne vero se ipsi extollant, quum tam altum praemium eis promittatur, parabola de patre familias operarios conducente proposita monet primos posse fieri novissimos et novissimos primos, quia merces vitae aeternae non tempori, quo quis laboraverit, sed labori et operi, quod fecerit, respondebit (19, 30-20, 16).

f.) Tertia deinde vice passione sua praedicta Dominus a petitione matris filiorum Zebedaei occasionem sumit inculcandae iterum iterumque humilitatis, cuius ipse exemplum dederat (20, 17-28).

Pars quarta (20, 29-28, 20) *antiquae synagogae, quae Messiam suum non tantum non agnoverat sed ignominiosae morti tradiderat, completam reiectionem annuntiat Ecclesiaeque fundationem enarrat.*

1. Partem hanc, quae maxime de Domini passione agit, incipit Evangelista *duabus narrationibus, quae « scandalum crucis » quodammodo removent, sed simul Iudaeorum culpam apertius manifestant* (20, 29-21, 22).

a.) Ille enim, qui passurus est, « filius Davidis » salutatur a caecis, quos prope Iericho sanat (20, 29-34), et sicut *Zacharias* 9, 9 praedixerat, gloriosus rex triumphans Ierosolyma ingreditur, conclamante populo Hosanna filio David (21, 1-11); templum autem ingressus dominum templi se revelat eiiciens ementes et vendentes, et dominum naturae sanans caecos et claudos (21, 12-14); Sacerdotibus vero et Pharisaeis de hac re stupentibus in memoriam revocat Psalmistae (*Ps.* 8, 3) vaticinium (21, 15-17).

b.) Actione dein symbolica, ficulnea quae fructus non habebat maledicta, declarat Dominus, synagogam quoque, quia fructus non habeat, reiectum iri (21, 18-22).

2. Quod praeambulum sequuntur *Domini disputationes cum Pharisaeis et Sacerdotibus, quae eorum condemnatione terminantur* (21, 23-23, 39).

a.) Iesum in templo docentem interrogant principes Sacerdotum, quo iure id faciat; responsurum se negat, nisi ipsi prius responderint, num Ioannis B. (qui Iesum tamquam Messiam agnoverat) baptisma e coelo an ex hominibus sit. Quum illi se nescire responderent responsoque suo suam incredulitatem manifestarent, Dominus eis tres parabolas proponit, quibus quam iuste e regno messianico excludantur aperte declaratur (21, 23-27).

α.) Primam parabolam de duobus filiis, obediente altero, altero inobediente, directe ad eos applicat, qui Ioanni poenitentiam praedicanti obedire noluerant, publicanis et meretricibus ei fidem adhibentibus et obsequentibus (21, 28-32);

β.) Altera de agricolis, qui non solum vineae fructus hero suo reddere noluerant, sed etiam heri servos atque ipsum filium occiderant iustamque heri iram provocaverant, etiam a Domino ita explicatur, ut clare videant Pharisaei a se regnum Dei ob propriam culpam, uti iam praedictum (*Ps.* 117, 22) erat, esse auferendum et dandum genti facienti fructum eius (21, 33-44).

γ.) Optime haec de se dici intelligentibus nec tamen ob timorem populi quidquam contra Iesum aperte agere audentibus (21, 45. 46) tertia proponitur de nuptiis filio regis praeparatis, ad quas primi invitati (Iudaei) aliis negotiis distenti accedere nolunt; quare alii (ethnici) vocantur et admittuntur. Ne vero quis putet, ethnicos sine praeparatione admitti, monet parabola etiam in iis, qui ultimo loco erant vocati, vestem nuptialem requiri (22, 1-14).

b.) Quibus parabolis exasperati Pharisaei Dominum in sermone capere conantur, ut praetextum habeant eum morti tradendi. Primum mittunt Herodianos, qui interrogantes, num Caesari tributum dare liceat, causam quaerunt eum rebellionis accusandi, sed confunduntur (22, 15-22); dein veniunt Sadducaei, qui difficultatem contra resurrectionem moventes convincuntur a Christo, quod et Scripturas et virtutem Dei ignorent (22, 23-33); confusis Sadducaeis accedunt Pharisaei sperantes Dominum in nova sua Lege aliquid contra prima et praecipua antiquae Legis praecepta dicturum, sed ipsi quoque confunduntur (21, 34-40). Completus autem est Christi triumphus, quum quaestioni ab ipso propositae de duplice Messiae natura in V. T. iam revelata nemo respondere posset (22, 41-46); qua quaestione id quoque demonstrat, erroneam eorum de Messia venturo opinionem omnium errorum eorum esse fundamentum.

c.) Aptissime nunc sequitur fortissima Domini de Scribis et Pharisaeis oratio, qua populum et discipulos exhortatur, ne opera Pharisaeorum imitentur (23, 1-12), Scribis autem et Pharisaeis, qui claudunt regnum coelorum ante homines, septemplex vae dicit ob eorum peccata (23, 13-36), quamque terminat lamentatione de Ierusalem, quae, quia audire noluerat Dominum toties illam ad se invitantem, futura sit domus deserta (23, 37-39).

3. Populus cum ducibus Dominum respuerant, ideo ad illos sermonem non amplius vertit, sed *Apostolos de iudicio, quo Ierusalem punietur, et de ultimo iudicio docet, ut sciant, quomodo in priore se gerere et ad alterum se praeparare debeant* (24, 1-25, 46). Probe autem notandum, quod apud Matthaeum duo haec iudicia duplexque Christi iudicis adventus accurate non distinguantur.

a.) Dominum destructionem templi praedicentem interrogant Apostoli, quandonam haec futura sint et quodnam signum sit adventus eius et consummationis saeculi (24, 1-3).

b.) Ad multiplicem hanc quaestionem ita respondet Dominus, ut proxime secundam de signis adventus sui respiciat enumeratis iis, quae illum praecedere debeant (24, 4-33)

c.) Quamvis autem non longe abesse adventum suum asserat, accuratum tempus non indicat, sed eum subitum fore monet (24, 34-41), ut eos ad vigilantiam exhortetur quam vigilantiam tribus parabolis de servis bono et malo, (24, 42-51) de virginibus prudentibus et fatuis, (25, 1-13) de domino rationem talentorum, quae servis suis dederat, poscente illustrat (25, 14-30).

d.) Demum ultimum iudicium ipsum describit (25, 31-46).

4. Sequitur narratio de passione Christi eiusque resurrectione, quae ita proponitur, ut culpa principum Sacerdotum et Scribarum clare cognoscatur nec ulla amplius maneat dubitatio, quin eorum caecitas fuerit voluntaria, siquidem maximis signis, quae in morte Domini acciderunt, atque ipsa eius resurrectione, quam negare nequiverunt, ad resipiscentiam non sint adducti (26, 1-28, 15).

5. Ideo factum est, ut synagoga, quae regno coelorum indignam se esse monstraverat, neglecta Dominus Apostolos suos ad omnes gentes mitteret easque Ecclesiae suae aggregari vellet (28, 16-20).

Quæstio VI. — Quo loco et tempore primum Evangelium sit scriptum.

22. — Unanimi consensu Patres tradunt Matthaeum Iudaeochristianis palaestinensibus librum suum destinasse traditionemque hanc Evangelii indoles confirmat (18). Quapropter etiam de loco, quo exaratum est, prudens non potest esse dubitatio; atque cum antiquis omnibus interpretibus longe plerique moderni consentiunt in Palaestina et probabiliter Ierosolymis illud esse compositum. Quae autem pauci moderni attulerunt, ut Matthaeum in Peraea scripsisse demonstrarent, infirma sunt nec ullius roboris [1].

Quo autem tempore sit exaratum, nec Patrum testimonia nec internae rationes extra omnem dubitationem ponunt. Communis tamen dicenda est antiquorum opinio, quae etiam consueto Evangeliorum ordine confirmatur, S. Matthaeum ante reliquos Evangelistas narrationem suam literis consignasse. Evangelia enim, quae genealogias continent, ante reliqua esse scripta, *Clemens Alex.* disertis verbis refert; *Irenaeus* vero, *Origenes, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus* aliique aeque diserte asserunt Matthaeum scribendi initium fecisse [2]. Neque minus communis dicenda est sententia illum Evangelium suum edidisse, antequam, ut aliis gentibus praedicaret, e Palaestina proficisceretur [3].

Ab altera hac sententia recedere tamen dicitur *S. Irenaeus,* qui haec de Evangeliorum origine tradit: « Posteaquam surrexit Dominus N. a mortuis et induti sunt (Apostoli) supervenientis Spiritus S. virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt et habuerunt perfectam agnitionem, *exierunt* in fines terrae ea, quae a Deo nobis bona sunt, evangelizantes et coelestem pacem hominibus annuntiantes, qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes Evangelium Dei.

Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, quum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum *excessum* Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur, Evangelium in libro condidit. Postea et Ioannes, discipulus Do-

Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν Ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος, ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Καὶ Λουκᾶς δὲ, ὁ ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον Εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. Ἔπειτα Ἰωάννης, ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου,

mini, qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit Evangelium Ephesi Asiae commorans »[4].

ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων.

Quae Irenaei verba, quamvis clara esse videantur, sua obscuritate non carere, multae et diversae eorum explicationes demonstrant; plerique enim illa ita interpretanda esse censent, ut Matthaeum opus suum non edidisse doceant, antequam Paulus Romam venisset, i. e. non ante a. 61., Marcum autem et Lucam post principum Apostolorum mortem, i. e. post a. 67., libris suis scribendis operam dedisse; qua explicatione prorsus reiecta alii lugdunensem doctorem a communi Patrum traditione non recedere tenent, eiusque verba interpretationem admittere et postulare putant, quae reliquis non contradicat. Cui alteri sententiae calculum adiicere non dubitamus[5].

Praeprimis autem adnotemus oportet Irenaei verba incorrupta ad nos non pervenisse. Illa enim, quae phrasin a solo latino interprete conservatam terminant (« qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes Evangelium ») nec completa sunt, nec sola commodum sensum videntur exhibere. Maioris autem momenti est, quod in prima phrasi graeca particula καί (καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν) vix apte explicetur, nisi membrum aliquod excidisse statuatur; quare ab omnibus latinis interpretibus particula prorsus negligitur. Sed immerito; supplendum enim esse coniicimus : τὰ ὑπ' αὐτοῦ κηρυσσόμενα ἔγραψε καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου. Quod supplementum iis, quae sequuntur, omnino postulatur, ut oppositio completa adsit inter primi et quarti Evangeliorum auctores, qui suam ipsorum praedicationem literis tradiderunt, et inter reliquos duos Evangelistas, qui ea, quae a magistris eorum Petro et Paulo praedicabantur, scripsisse referuntur.

Quibus praemonitis praecipuam aggredimur difficultatem, quae in expressione μετὰ δὲ τούτων ἔξοδον explicanda sita est; quaeritur enim, quidnam hoc loco significet ἔξοδος, et ad quosnam pronomen τούτων sit referendum. Plerosque mortem Petri et Pauli illo termino designatam videre iam diximus, atque ipsum veterem interpretem latinum eiusdem persuasionis fuisse non diffitemur; eam nihilominus erroneam esse arbitramur. Nemini quidem est dubium, quin satis frequenter vocabulum ἔξοδος exitum vel « excessum » e vita, i. e. mortem, significet; et si quis ad proximum nexum solum attenderit, pronomen τούτων ad duos Apostolos immediate antea nominatos referat necesse est. Ut autem aliam huius loci interpretationem quaeramus, duae suadent rationes. Atque primum quidem consueta loci interpretatio inter Irenaeum interque reliquos Patres contradictionem statuit, quam hac in quaestione inter eos esse, nobis non persuademus. Quomodo enim fieri potuit, ut reliqui Patres Evangelia Marci et Lucae non tantum ante Petri et Pauli mortem scripta, sed etiam ab illis approbata dicerent, Irenaeus autem Evangelia illa non nisi post eorum mortem scripta assereret? Accedit autem, quod parum concinno, ni fallor, dicendi modo usus esset S. Irenaeus, si post Apostolorum mortem τὰ ὑπ' αὐτῶν κηρυσσόμενα scripta esse dixisset; aptius enim participium aor. vel similem expressionem elegisset (τὰ ὑπ' αὐτῶν κηρυχθέντα, τὸ αὐτῶν κήρυγμα etc); quare etiam vetus interpres priore quidem in loco minus recte vertit

« quae a Petro *annuntiata erant* », altero autem in loco quasi se ipse corrigens Lucam « Evangelium, quod a Paulo *praedicabatur* » scripsisse dixit. Ipse igitur loquendi modus ostendit secundum Irenaei opinionem Petri et Pauli doctrinam evangelicam eo tempore literis esse consignatam, quo ab ipsis praedicabatur; atque consequens est, ut ἔξοδος hoc nostro in loco non designet mortem.

Quid vero significet, praecedente phrasi latina edocemur, qua omnes Apostolos « in fines terrae *exiisse* » dixerat; aptissime videlicet ἔξοδον Apostolorum vocavit eorum ex Palaestina profectionem atque in omnes terras dispersionem; nec pronomen τούτων obstat, quippe quod, quum duae phrases graecae (ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος... Μετὰ δὲ τούτων ἔξοδον...) sint coordinatae, ad eos apte refertur, qui in phrasi latina sunt nominati, scilicet ad omnes Apostolos. Sensus igitur phraseos nostrae est, *post* Apostolorum dispersionem Marcum et Lucam ea scripsisse, quae a Petro et Paulo praedicabantur; unde ex oppositione ad praecedentem phrasin elucet, *ante* illam dispersionem Matthaeum suam ipsius praedicationem scripsisse. Cui explicationi verba ipsa favent: cum emphasi enim quadam ἐν τοῖς Ἑβραίοις « inter Hebraeos » constitutus Matthaeus scripsisse dicitur, secumque *extulisse* Scripturam Evangelii; ita enim vocabulum ἐξήνεγκεν rectius verti censemus, quam « edidit ». Illo igitur tempore, quo primum Petrus et postea una cum eo Paulus Romae praedicabant ecclesiamque fundabant, Matthaeus ex Palaestina profectus Evangelium suum, quod iam antea scripserat inter Hebraeos laborans, in aliis terris *propagavit;* Marcus autem et Lucas eodem tempore, i. e. post Apostolorum dispersionem, magistrorum suorum catecheses scribere coeperunt. Hac ratione etiam appareret, quomodo « omnes pariter et eorum singuli habuerint Evangelium Dei »; atque plenus est S. Irenaei cum reliquis Patribus consensus [6].

1. In Peraea scriptum esse Evangelium aliqui moderni interpretes protestantici (*Delitzsch* in Guericke Zeitschr. für luther. Theol. 1850. p. 430 sq., *Koestlin* Ursprung u. Compos. der syn. Evang. Leipz. 1853 etc.) ex Matth. 19, 1 deducere volunt, quum Iudaeam trans Iordanem sitam esse dicere videatur; at vocabula illa πέραν τοῦ Ἰορδάνου cum verbo ἦλθεν coniungenda sunt; ex Galilaea per Peracam profectus est Dominus in Iudaeam.

2. *S. Iren.* c. haer. III. 1 (M. 7, 844); *Clem. Alex.* apud Euseb. H. E. VI. 14 (M. 20, 552); *Orig.* in Matth. tom. I. (M. 13, 829) : « Sicut *ex traditione accepi* de quatuor Evangeliis... primum scilicet scriptum esse a Matthaeo »; *Euseb.* H. E. III. 24 (M. 20, 265); *S. Epiph.* haer. 51, 5 (M. 41, 393) : « Matthaeus primus scribendi Evangelii provinciam suscepit »; *S. Chrys.* in Matth. hom. 4, 1 (M. 57, 39); *S. Hier.* de vir. ill. 3 (M. 23, 613); *S. August.* de cons. Evang. I. 2 (M. 34, 1043) etc.

3. *Euseb.* l. c.; *S. Chrys.* l. c. hom. 1, 3; *S. Hier.* in Matth. Prol. (M. 26, 18) etc.

4. *S. Iren.* c. haer. III. 1. (M. 7, 844); ultimam testimonii partem graece nobis conservavit *Euseb.* H. E. V. 8 (M. 20, 449).

5. Cfr. *Patrizi* de Evang. I. p. 38, qui locum ita sanandum putat, ut post Εὐαγγελίου puncto posito reliqua (Τοῦ Πέτρου κτλ) ad sequentem phrasin trahat; at durissima est constructio. *Aberle* (Tüb. Quartalschr. 1858. p. 495 sqq.; 1864. p. 38 sq.) ἔξοδον non posse mortem designare demonstrare conatur, sed μηδὲν ἄγαν; *Lutheroth* (Essai d'interprétation des dernières parties de l'Évangile selon Matthieu. Paris 1878. p. 366 sqq.; cfr. *Schanz* Comm. p. 48) ἐξήνεγκε recte de Evangelii propagatione interpretatur.

6. *Glaire* (Introd. V. Paris, 1843. p. 105), *Bisping* (Exeget. Handb. I. Ed. 2. p. 33),

Bacuez (Manuel bibl. III. p. 79) etc Irenaei textum vulgari modo explicatum cum aliorum Patrum testimoniis ita conciliare volunt, ut Patres reliquos de hebraica Evangelii origine, Irenaeum autem de eius versione graeca locutos esse asserant; at disertis verbis Irenaeus de hebraico Evangelio loquitur.

Iam vero ex antiqua quadam, etsi non certa, traditione dispersio Apostolorum anno duodecimo post Domini N. ascensionem accidit, ita ut Evangelium primum ante a. 41. scriptum esset dicendum[7]. Eundem annum (Ol. 204, 2), qui ei tamen octavus post ascensionem est, exhibet *Eusebius* in Chronico, quocum *Theophylactus* et *Euthymius Zigab.* consentiunt; *Nicephorus Call.* vero quintum decimum annum post ascensionem indicat[8]. Inter modernos illi, qui Irenaei testimonium de morte Petri et Pauli intelligunt illudque reliquorum Patrum communi traditioni praeferunt, originem Evangelii intra a. 60. et 67. reponunt[9], alii qui Irenaeum a reliquis non dissentire arbitrantur, librum nostrum aut cum *Patrizi* nec ante a. 36. nec post a. 39., aut cum *Aberle* a. 37. scriptum esse dicunt, alii demum hebraicum textum circa a. 40, graecum circa a. 60 editum esse volunt, ut communem traditionem Patrum et vulgarem Irenaici textus explicationem tueantur[10].

Omnibus vero accurate consideratis et perpensis magna cum probabilitate asseri censemus, Matthaeum Evangelium suum intra a. 40. et 50. scripsisse. Antiquorum enim historicorum et interpretum testimoniis, quae unum ex quintae decadis annis indicant, omissis aliquot annos post Christi passionem effluxisse, antequam scripserit, Evangelista ipse nos docet. Quod si enim « *usque ad hodiernum diem* » agrum, qui triginta traditoris argenteis emtus est, Haceldama vocari et calumniam Pharisaeorum de corpore Domini a discipulis ablato inter Iudaeos propagari dicit[11], certe non admodum paucos annos inter passionem et inter libri sui originem interpositos esse insinuat. At finis quoque, quem Evangelista prae oculis habuisse demonstravimus, omnino suadet, ut quinta decade aerae christ. librum editum esse dicamus. Id enim in toto Evangelio eum spectasse vidimus, ut explicaret, undenam factum esset, ut Iudaei, quibus proxime promissus fuerat Messias, a regno messianico viderentur exclusi, dum gentiles plurimi in illud intrarent. Iam vero quamdiu inter solos Iudaeos praedicabatur Evangelium, hac de re explicatio necessaria non fuit; necessaria autem facta est, quum primum Antiochiae, dein etiam in Asia Minore Barnabas et Paulus quam plurimos ethnicos convertissent; atqui conversiones illas intra annos 40. et 48. accidisse infra demonstrabimus[12].

7. Cum sententia hodie a plerisque recepta Dominum N. a. 29. aerae christ. passum esse supponimus.

8. *S. Hier.* interpret. Chron. Eus. (M. 27, 578); *Theophyl.* in Matth. Prooem. (M. 123, 145) Matthaeum anno octavo, Marcum decimo, Lucam quinto decimo, Ioannem

trigesimo secundo post ascensionem Evangelia sua scripsisse tradit; idem repetiit *Euthym. Zigab.* in Matth. Prol. (M. 139, 116). — *Nicephor. Call.* Hist. Eccl. II. 45 (M. 145, 881) testimonium Eusebii (H. E. III. 24) ad verbum transcribit sola temporis indicatione inserta, « quindecim annis post ascensionem Domini elapsis ».

9. *Reischl* (H. Schriften des N. T. Regensb. 1870. p. XVI,) 60-62; eosdem fere annos indicat *Schanz*, qui praeter Irenaei testimonium etiam Evangelii characterem respicit illudque scriptum censet, quum Iudaeo-Christianis periculum defectionis ob incredulorum Iudaeorum persecutionem immineret (Comm. p. 43 et 49); *Haneberg* (Gesch. der Offenb. Ed. 4. p. 713) 65-66; *Hug* (Einl. II. p. 9 sqq.) et *A. Maier* (Einl. p. 67) 66-67. Hug ex ipso Evangelio demonstrare vult, illud paullo ante templi destructionem scriptum esse. Zachariam enim filium Barachiae, quem Dominus a Iudaeis inter templum et altare occisum esse dicit (Matth. 23, 35), illum esse censet, quem *Fl. Josephus* (de bello iud. IV. 5, 4 Ζαχαρίας υἱὸς Βαρούχου) brevi antequam Ierosolyma a Romanis obsiderentur, Zelotas in templo occidisse tradit; « abominationem desolationis » autem, de qua Dominus loquitur (Matth. 24, 15) de templo per Zelotas occupato intelligit; quum vero in relatione illa inseratur « qui legit, intelligat », putat Matthaeum, quum scriberet, illam abominationem prae oculis habuisse. Prior autem explicatio certe erronea est; futuram enim occisionem Dominus velut praeteritam (ἐφονεύσατε) Iudaeis obiicere non potuit. Etsi autem abominationem desolationis de templo per Zelotas occupato apte explicari non diffiteamur, ad *scripti* Evangelii tempus determinandum tamen non iuvat; verba enim : « qui legit, intelligat », non a Matthaeo sermoni Domini sunt inserta, sed ab ipso Domino prolata, qui de abominatione desolationis loquitur, « quae dicta est a Daniele propheta », ac proin in vaticiniis Danielicis legebatur. Internis igitur rationibus vulgaris Irenaicorum verborum explicatio non confirmatur.

10. *Patrizi* De Evang. I. p. 5. sq.; *Aberle* Einl. p. 39. — *Hebraicum* textum *Bacuez* (l. c.) « probablement vers l'an 40 », *Glaire* (l. c.) « environ huit ans après l'ascension ou l'an 41. », *Bisping* (l. c.) circa a. 42. scriptum dicunt.

11. Cfr *Matth.* 27, 8; 28, 15.

12. Cfr infra nn. 92. 93. — Ex recentissimis idem fere, quod nos, tempus definiunt *Felten* (Kirchenlexicon Ed. 2. VIII. 1893. p. 1037), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 473). — Inter acatholicos, qui Matthaeum auctorem admittunt, etiam aliqui Irenaeum, aliqui rectius communem Patrum traditionem sequuntur.

§ 3. — *De Evangelio secundum Marcum.*

Quæstio I. — De S. Marci Evangelistae vita.

23. — De S. Marci, cui auctori alterum Evangelium adscribitur, vita ex sacris libris haec haurimus. Ioannes, « qui cognominatus est Marcus » filius fuit Mariae, mulieris hierosolymitanae, in cuius domum S. Petrus statim postquam ab Angelo e carcere liberatus est, se contulit; consobrinus autem fuit Barnabae ideoque probabiliter ex levitico genere[1]. Paulus et Barnabas, quum Ierosolyma eleemosynas detulissent, expleto ministerio Antiochiam revertentes Ioannem Marcum secum duxerunt, et in primo suo itinere apostolico eum « in ministerio » habuerunt. At Pergae in Pamphylia secedens ab eis reversus est Ierosolyma; quare S. Paulus eum in altero suo itinere socium adhibere noluit; dissidio igitur

exorto Paulum inter et Barnabam discesserunt ab invicem, et prior cum Sila profectus est in Ciliciam, alter assumto Marco navigavit Cyprum[2]. Dissidio autem illo mox composito etiam Ioanni Marco reconciliatus est S. Paulus; in primis enim vinculis suis Romae adiutorem secum habuit « Marcum consobrinum Barnabae », in secundis vero vinculis paullo ante mortem suam rogavit Timotheum, qui Ephesi tunc temporis commorabatur, ut ad se una cum Marco veniret; « est enim mihi, inquit, utilis ad ministerium »[3].

At non Pauli solius, sed etiam Petri socium S. Marcum fuisse, Scriptura insinuat : Petrus enim, quum Babylone (i. e. Romae) priorem suam epistolam Christianis asiaticis scriberet, Marcum secum habuit; quia vero illum « filium suum » nominat eiusque salutationes Christianis illis transmittit, iure concludimus, illum arcto vinculo spirituali cum Petro esse coniunctum principisque Apostolorum socium fuisse in itineribus apostolicis, quae per longinquas regiones instituerat[4].

Pauca haec sola de S. Marco commemorant Scripturae; sufficiunt autem, ut magnum fuisse virum demonstrent, quippe qui duorum principum Apostolorum socius ab utroque laudari meruerit.

1. *Act.* 12, 12; *Col.* 4, 10. Cfr. *Ps. Hier.* in Marc. Praef. (Cod. Amiat. ed. Tischendorf p. 59) : « Marcus Evangelista Dei, et Petri in baptismate filius atque in divino sermone discipulus, *sacerdotium* in Israel agens *secundum carnem Levita*, conversus ad fidem Christi » etc; *Ps. Hier.* Comm. in Evang. S. Marci. Praef. (M. 30, 589) : « Marcus Evangelista, Petri discipulus, Leviticus genere et sacerdos »; *Ven. Beda* ad Acc. Praef. in Marc. (M. 92, 133; 94, 688) : « Tradunt hunc natione israelitica et sacerdotali exortum prosapia » etc.

2. *Act.* 12, 25; 13, 5. 13; 15, 37-40.

3. *Col.* 4, 10; *Philem.* 24; 2 Tim. 4, 11.

4. 1 *Petr.* 5, 13. Immerito protestantici quidam interpretes (*Bengel*, Gnomon i. h. l., *Credner*, Einl. p. 99. etc) « filium » proprio sensu intelligere voluerunt; quae sententia iam ab Oecumenio et Theophylacto impugnata atque omni fundamento sive scripturistico sive historico destituta hodie vix habet patronum. « Filium suum » spiritualem vero Marcum appellat Petrus, quia eum, in cuius matris domo familiariter conversabatur, probabiliter per baptismum Christo genuerat eumque, utpote socium fidelissimum, paterno amore diligebat.

A modernis historiographis et interpretibus quaestio mota est, utrum haec omnia, quae in sacris libris inveniuntur, ad unam eandemque personam referantur, an duo potius Marci sint distinguendi, quorum alter Ioannes Marcus, Mariae hierosolymitanae filius et Barnabae consobrinus, Pauli socius fuerit, alter vero Marcus Petri discipulus et Evangelii auctor[5].

Cum sententia autem communiore, quam longe probabiliorem quoque censemus, unum eundemque Marcum Pauli et Petri socium fuisse tenemus; etenim in Scriptura nihil prorsus invenitur, quod ut duos Marcos statuamus postulat, e contra omnia, quae de Marco referuntur, optime de eadem persona explicantur; inter Patres autem aliqui (*S. Hieronymus*, *Victor Antioch.*, *Alexan-*

der Mon., quos graeci interpretes *Oecum.*, *Theoph.*, *Euthym.* sequuntur) unum fuisse Marcum diserte tradunt, sed teste *P. Stilting* « nullus scriptor antiquus probae notae pro contraria sententia recte est allegatus »[6].

Revera oppositae sententiae patroni aut e silentio plurimorum Patrum argumentantur, qui auctorem secundi Evangelii tantum Petri vel (id quod rarissime obtinet) tantum Pauli, non vero utriusque discipulum nominarunt, aut ostendere conantur, aliquos Patres « ea de alterutro Marco enarrare, quae de altero dicere vix aut omnino non potuissent », certum vero testimonium non afferunt[7]. Ex illo autem silentio vel ob eam solam causam certi nihil deducitur, quia plerique Patres non nisi obiter de Marco loquuntur optimasque habuerunt rationes, cur solum Petrum eius magistrum dicerent; docere enim voluerunt, S. Marcum ea, quae in Evangelio narrat, a principe Apostolorum hausisse. Porro aliqua, quae a Patribus nonnullis de Marco proferuntur, difficillime cum nostra sententia componi concedimus, at nulla est ratio, cur illa pro veris admittamus. Quo maxime chronologica quaedam spectant ab *Eusebio* et *Hieronymo* tradita; nemo vero ignorat, quam incerta sit apostolici temporis chronologia et quam parum apta illa, quae Eusebius in Chronico de illa aetate refert, ad certum vel probabile argumentum efformandum[8]. Reliqua autem, quae ex *S. Dionysio M.* afferuntur, cui non liquet, num Ioannes Marcus scripserit Apocalypsin, aut ex *Chrysostomo*, qui Marcum « propter cognationem Barnabae » nominari ait, aut ex *Ioanne Damasceno*, qui Barnabam Marco censet Colossensibus magis fuisse notum etc[9], seriam non creant difficultatem.

5. Duos Marcos distinguendos censent *Baronius* (Annal. ad a. 45. n. 46), *Tillemont* (Mémoires. Venise 1732. II. p. 515), *Cotelerius* (ad Constit. Apost. II. 57. M. 1, 729), quibus ex antiquioribus Protestantibus accessit *Grotius* (Praef. in Marc.). Quos ex modernis catholicis sequuntur *Patrizi* (De Evang. I. p. 35 sqq.; Comm. in Marc. p. 533 sqq.), *Danko* (Hist. revel. N. T. p. 274) *Lamy* (Introd. II. p. 35) paucique alii; ex protestanticis *Schleiermacher* (Studien u. Krit. 1832. p. 760), *Kienlen* (Stud. u. Krit 1843. p. 423) etc. Bollandistae inter se non conveniunt. « Maiores nostri, inquit *P. Stilting* (Acta Sanctor. Sept. VII. p. 356 Nova edit. Paris.), in diversas abierunt sententias. Nam *Henschenius* (ad 25. April. in S. Marco Evangelista) credidit, Ioannem Marcum ab eo distinctum eandemque opinionem aliis quoque locis insinuavit. Contra *Papebrochius* (ad 11. Iunii in S. Barnaba et alibi) nullam distinguendi inter eos invenit necessitatem. Verum *Sollerius* (in Historia chronologica patriarcharum alexandrinorum, praefixa tom. VII Iunii) controversiam brevi examinavit et ex chronotaxi intulit, sententiam de duobus Marcis, altero Evangelista, altero Pauli et Barnabae socio, probabiliorem sibi videri. Mihi controversia admodum ambigua apparet ». — Hodie tamen plerique in uno Marco admittendo consentiunt; cfr *Schanz* (Comm. z. Evang. Marc. 1881. p. 2, sqq.), *Knabenbauer* (Comm. in Marc. 1894. p. 3), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 476, sq.), *Felten* (Kirchenlexicon Ed. 2. VIII. 1893. p. 671 sq.) etc.

6. *S. Hieron.* ad Philem. 24 (M. 26, 618) : « Ceterum (Paulus) cooperatores Evangelii et vinculorum suorum, quum ad Philemonem epistolam scriberet, Marcum ponit, *quem puto Evangelii conditorem*, et Aristarchum » etc; *Victor Antioch.* Praef. in Marc. (Biblioth. Patrum max. IV. 370 cfr. Cramer Cat. in Marc. I. p. XXVI sq.) *Alexander Mon.* Laudatio S. Barnabae 22. (M. 87, 4099), *Oecumen.* in Act. 12, 12 (M. 118, 197), *Theophyl.* (in Act. 12, 12. M. 125, 684), *Euthym. Zigab.* (Prol. in Marc. M. 129, 768

sq.). Quibus adde Ps. Orig. (*Admant.*) de recta fide 1. (M. 11, 1724), *Constit. apost.* II. 57 (M. 1, 729).

7. Cfr. *Patrizi* Comment. in Marc. p. 236.

8. *Eusebius* (Chron. M. 19, 539; Cfr. S. Hier. Chron. M. 27, 578 sq.) refert primis Claudii annis (i. e. a. 42 vel 43) «Marcum Evangelistam, interpretem Petri, Aegypto et Alexandriae Christum annuntiasse »; illis autem annis Ioannes Marcus cum Paulo et Barnaba versabatur. *S. Hier.* (de vir. ill. 8. M. 23, 623) Marcum a. 8. Neronis (i. e. 61.) mortuum esse asserit; 2 Tim. autem, qua Paulus Marcum ad se accersit, scripta non est ante a. 66. — « Verum ex Eusebii Chronico nequit certum fieri tam cito Marcum in Aegyptum venisse, ut agnoscit ipse Tillemontius, qui iter Marci figit anno 49. At ea rursus opinio Tillemontii nullo modo fieri potest certa, quum auctorem habeat exiguae auctoritatis, Eutychium videlicet patriarcham alexandrinum. Sane Tillemontius ipse enumerat varias opiniones de epocha missionis S. Marci in Aegyptum, quae in Chronico Paschali figitur a. 40., ab Hieronymo a. 42., in Chronico Orientali vero ad annum usque 60. differtur... Quapropter ex tam incertis chronologiae principiis nequeunt deduci consecutiones chronotaxeos certae et indubitatae. Nihil de tempore missionis S. Marci in Aegyptum legitur in sacris literis, nihil apud ullos scriptores ante Eusebium. De tempore obitus aut martyrii nihilo certiora habemus testimonia; S. Hieronymus de S. Marco ait : mortuus est octavo Neronis anno et sepultus Alexandriae, succedente sibi Aniano. Hieronymo praeluxit Eusebius (H. E. II. 24. M. 20, 205) : Interea Nerone octavum imperii annum agente primus post Marcum Evangelistam Alexandrinae ecclesiae administrationem suscepit Anianus (a). Sequuntur hanc opinionem Baronius et Sollerius noster, Henschenius vero et Tillemontius malunt credere a. 68 S. Marcum martyrio coronatum... Qua igitur ratione ex tempore missionis Marci in Aegyptum, aut ex mortis epocha certo statuetur, Ioannem Marcum non fuisse Evangelistam »? (*Stilting* Act. Sanct. Sept. VII. p. 357).

9. *S. Dionys. Alex.* apud Euseb. H. E. VII. 25. (M. 20, 701); *S. Chrysost.* in Col. hom. 11, 2 (M. 62, 375), *S. Ioan. Damasc.* in Col. 4, 10 (M. 95, 904). Quomodo verba Chrysostomi « Marcum laudavit ex cognatione, erat enim vir magnus Barnabas », atque similia Damasceni, qui Chrysostomi homilias excerpsit, difficultatem creare possint, non video, quum apostolicis ecclesiis Barnabas Marco procul dubio esset magis notus, nisi forte quis putet iam a. 60. secundum Evangelium ubique terrarum esse propagatum.

24. — Praeter ea, quae ex Scripturis hausimus, vix quidquam certi de S. Marco nobis traditum est. Illum inter septuaginta duos discipulos Domini fuisse, asserit quidem *S. Epiphanius;* antiquiores vero Patres sequuntur *Papiam,* qui Marcum nunquam Dominum audivisse aut sectatum esse refert[1]. Revera iuvenis videtur fuisse Marcus, quando quindecim fere post Domini ascensionem annis Barnabae et Paulo in primo itinere apostolico socium se adiunxit. Verba autem Papiae non impediunt, quominus sua probabilitate gaudeat eorum modernorum interpretum sententia, qui adolescentulum (νεανίσκον) illum, quem discipulis

a) Notatu dignum est, Eusebium nequaquam mortuum esse Marcum a. 8. Neronis asserere, sed tantum eum in ecclesia alexandrina regenda successorem habuisse Anianum. Nihil igitur obstat, quominus eum post ecclesiam illam fundatam ad alias apostolicas expeditiones profectum esse ideoque Aniano administrationem ecclesiae tradidisse dicamus.

fugientibus Dominum a Iudaeis captum secutum esse refert secundus Evangelista, ipsum Marcum fuisse dicunt[2].

Marcum per longum tempus S. Petri discipulum fuisse, excepto *Clemente Alex.*[3], Patres disertis quidem verbis non tradunt, illis autem, quae de eius munere referunt, satis innuunt; interpretem enim Petri eum fuisse narrant, qua expressione procul dubio dicere voluerunt, illum ea, quae Petrum praedicantem audierat, literis mandasse[4]. Num iam Petri socius fuerit, quum ille, ut traditio fert, a. 42. Romam veniret, incertum est; magna autem cum veri similitudine Petro se adiunxisse asseritur, postquam e secundo suo itinere cum Barnaba Cyprum suscepto Antiochiam reversus est, eiusque socius per decem illos annos fuisse, qui a secundo Pauli itinere apostolico usque ad eiusdem primum in Urbem adventum effluxerunt. Ministerio eius ad novas ecclesias fundandas Petrus usus esse refertur; Aquileiam eum a magistro suo missum esse tradunt aliqui iunioris aetatis scriptores, forte ut patriarchatus aquileiensis originem explicarent[5]; maiorem fidem *Eusebius, Hieronymus* aliique merentur, qui alexandrinam ecclesiam ab eo fundatam esse testantur, quamvis de anno, quo iter illud alexandrinum S. Marci accidit, magnus est antiquorum testium dissensus[6]. Neque magis antiqui testes de anno mortis vel martyrii eius consentiunt; si enim *S. Hieronymus* eum 8. Neronis anno et alii eum 14. Neronis anno mortuum esse asserunt, non desunt, qui eum usque ad Traiani aetatem vixisse tradant. Certi igitur nihil statui potest, quare quaestiones has, quae ad historiam ecclesiasticam magis spectant, in medio relinquimus[7].

1. *S. Epiph.* haer. 51, 6. (M. 41, 900); *S. Papias* (Eus. H. E. III. 39. M. 20, 300) : « οὔτε ἤκουσε τοῦ Κυρίου οὔτε παρηκολούθησεν αὐτόν ». Cfr. *Euseb.* Demonstr. evang. III. 5 (M. 22, 216) : « non interfuit iis, quae a Christo dicta sunt »; *S. Hier.* Comm. in Matth. Prol. (M. 26, 18) : « Dominum quidem Salvatorem ipse non vidit » etc.

2. *Marc.* 14, 51. « Quis iste fuerit adolescens, non solum definire temerarium, sed etiam quaerere nimium curiosum dicerem, nisi bonos viderem auctores utrumque fecisse » *Mald.* i. h. l. — *S. Epiph.* (haer. 78, 13. M. 42, 720) *Ps. Hier.* (in Ps. 37, 12. M. 26, 939), Iacobum fratrem Domini; *Ps. Chrys.* (in Ps. 13. M. 55, 555), *Gregor. M.* (Moral. XIV. 24), *V. Beda* (in Marc. 14) Ioannem Ap. eum fuisse suspicantur. *Theophylactus* (in Marc. 14) aliquem ex ea domo, in qua ultimam coenam celebravit Dominus, cum fuisse credit; atqui secundum *Corn. a Lap., Iansen. Gand.* aliosque « traditio est hanc domum fuisse Ioannis, qui cognominatus est Marcus fuitque socius Pauli et Barnabae; unde in hac eadem domo latuerunt Apostoli post necem Christi ibique Christus post resurrectionem eis apparuit, ibique orantes receperunt Spiritum S.; unde Petrus e carcere liberatus ad fideles in hac domo congregatos sese recepit ». Facile concipitur, filium iuvenem coena paschali peracta Dominum Apostolosque in hortum Olivarum sequi potuisse. Quod Marcus solus factum hoc narrationi passionis inserit, argumento, opinor, esse potest, illud ab eo esse relatum, quia ipse hac in occasione aliquid cum Domino suo passus sit. Cfr. Grimm Einh. der Evang. p. 513 sq. —

Papias aliique, si negant Marcum audivisse et secutum esse Dominum, negare volunt eum discipulum proprio sensu fuisse.

3. *Clem. Alex.* apud Eus. H. E. VI. 14 (M. 20, 532) « τὸν Μάρκον, ὡς ἂν ἀκολουθήσαντα αὐτῷ (τῷ Πέτρῳ) ἀπὸ πόρρωθεν ».

4. *A S. Papia* (Eus. H. E. III. 39) Marcus iam ἑρμηνευτὴς Πέτρου appellatur; parum autem probabile est, reliquos Patres, qui eodem termino utuntur, indicare voluisse, ob linguarum graecae vel latinae ignorantiam Petrum interprete indiguisse, qui graece vel latine ea redderet, quae ipse aramaice praedicabat. Termini genuinam explicationem ab Hieronymo (ad Hedib. ep. 120, 11. M. 22, 1002) edocemur : (Paulus) « habebat Titum interpretem, sicut et b. Petrus Marcum, cuius Evangelium *Petro narrante et illo scribente* compositum est. Denique et *duae epistolae, quae feruntur Petri*, stylo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro diversitate rerum *diversis eum usum interpretibus* ».

5. Cfr. *Henschen.* in Act. Sanct. Apr. III. p. 348.

6. *Euseb.* H. E. II. 16 (M. 20, 173); *S. Hieron.* de vir. ill. 8 (M. 23, 621) etc. Cfr. *supra* 23. n. 8 p. 83.

7. Hoc loco de S. Petri sede romana disputare opus non est; quaestionem enim hanc historiographi tractant; ceterum cfr *infra* Dissert. II. § 8. n. 145.; § 20. n. 213; meum *Comm.* in ep. ad Rom. 1896. p. 1 sqq. etc.

QUAESTIO II. — De secundi Evangelii authentia et integritate

25. — *Secundum Evangelium nostrum scriptum esse a S. Marco, S. Petri discipulo et socio, communis est et constans Patrum traditio, quae libri ipsius charactere confirmatur.*

Primum locum inter TESTIMONIA PATRISTICA et tempore et auctoritate merentur *S. Papiae* verba, quae nobis conservavit Eusebius [1]. Sunt autem haec :

« Aiebat etiam presbyter ille (sc. Ioannes) Marcum, Petri interpretem, Christi dicta et facta, quorumcunque meminit, accurate quidem perscripsisse, non tamen ordine. Neque enim ipse Dominum audiverat neque secutus erat illum, sed postea, ut dixi, Petrum, qui pro (audientium) necessitate doctrinam tradidit, minime vero, ut sermonum Domini seriem completam contexeret. Quare nullo modo peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout eorum recordatus est. Ad id unum enim attente invigilavit, ne quid eorum, quae audierat, praetermitteret neve in iis falleret ».

Καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγεν· Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν, οὐ μέντοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα· οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ, ὕστερον δὲ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας, ἀλλ' οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λογίων. ὥστε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος, οὕτως ἔνια γράψας, ὡς ἀπεμνημόνευσεν. Ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν ἢ ψεύσασθαί τι ἐν αὐτοῖς.

Celeberrimum hoc testimonium, quod solum, si de Wette fidem mereretur, inter omnia patristica alicuius momenti et valoris esset [1], omni

studio et conatu nobis eripere volunt asseclae « scholae criticae ». Nullo quidem modo, nisi in sole caligant, negare possunt Eusebium Papiae verba attulisse, ut nostri Evangelii canonici originem explicaret eique proin certissimum fuisse Papiam nostrum canonicum librum cognovisse et agnovisse; at haec nostris criticis non sufficiunt. Melius enim, quam Eusebium, qui verba allata in genuino eorum contextu legit, se fragmentum, cuius contextum ignorant, explicare posse arbitrantur. Quapropter de secundo nostro Evangelio fragmentum agere negantes de primitivo quodam Marci scripto, quod canonici nostri libri forsitan fuerit fundamentum, verba interpretantur. Scriptum enim illud, quod hierapolitanus episcopus prae oculis habuerit, ordine caruisse monent, in secundo autem nostro Evangelio satis aptum ordinem inveniri chronologicum; porro in Evangelio nostro haud pauca desiderari, quae Petrus in suis praedicationibus sine ullo dubio narraverit, siquidem ipsius personam et auctoritatem proxime attingant; demum secundum nostrum Evangelium a primo et tertio dependere, nequaquam igitur ex Petri catechesibus esse haustum. Clarum igitur esse concludunt, alium fuisse librum, cuius Papias auctoritatem demonstrare voluerit, et errasse Eusebium, qui eius verba de nostro Evangelio intellexit [3].

Quam futilia haec sint argumenta, facile apparet. Etenim Papias, vel potius Ioannes, quem assertionis auctorem habuit Papias, ullum in Marci libro inveniri ordinem non negat, sed *nonnulla* (ἔνια) ita ab eo scripta esse tradit, prout eorum sit recordatus, ac proin in hisce « *nonnullis* » ordinem debitum non esse servatum. Cui descriptioni optime respondet Evangelium nostrum, quod in genere quidem ordinem chronologicum sequitur, in *nonnullis* vero miraculis sermonibusque dominicis referendis ab eo deflectit. Quaenam vero ordinis chronologici violati sit causa, alia est quaestio, de qua infra recurret sermo. Ad alteram obiectionem quod attinet, illa ipsa, quae ab adversariis in secundo Evangelio desiderantur, argumento nobis sunt, de nostro canonico libro Papiae testimonium esse intelligendum. Revera primatus Petri a reliquis tribus Evangelistis diserte asseritur, a Marco omnino tacetur, quia vix est dubium, quin Petrus quoque in tradenda doctrina eum tacuerit eumque exercere quam verbis asserere satius duxerit. Secundum demum Evangelium a primo et tertio dependere adversarii nostri aeque gratis asserunt, atque alii censent primum et tertium a secundo dependere; quaenam relatio autem inter synoptica intercedat, infra accuratius explicabimus.

Sed Papiae testimonium, etsi non tantum antiquitate reliquis praestet sed etiam ob primum suum auctorem, qui Ioannes est, summae et irrefragabilis sit auctoritatis, non unicum est, quod ex traditione certa haurimus. Satis enim multa eaque egregia habemus, quibus primum

illud confirmatur; ridiculum enim est, si qui omnia illa e Papiae verbis derivari volunt (15). Atque primo quidem loco *Irenaei* verba, quae supra iam recitavimus, in memoriam revocemus : « Post vero horum excessum Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit »[4]. Fusius autem *Clemens Alex.* traditionem antiquorum presbyterorum (παράδοσιν τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων) nobis conservavit : « Quum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset et Spiritu S. afflatus Evangelium promulgasset, multi, qui aderant, Marcum, utpote qui Petrum iam dudum sectatus esset et dicta eius memoria teneret, exhortati sunt, ut quae ab Apostolo praedicata erant, conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit illisque, qui illud ab ipso petierant, impertiit. Quod quum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit »[5]. Alter alexandrinae ecclesiae testis est *Origenes :* « Secundum fuisse *accepimus* Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat in literas retulit »[6]. Cum hac orientalium ecclesiarum traditione consentit occidentalis. In antiquissimo canone ecclesiae romanae mutilum quidem est testimonium, quod de secundo Evangelio agit, sed verba, quae nobis conservata sunt (« quibus tamen interfuit et ita posuit ») ab omnibus *Fragmenti Muratoriani* interpretibus ita explicantur, ut Marcum, qui ipse Dominum in carne secutus non erat, praedicationibus Petri interfuisse et ex illis suum librum composuisse significent[7]. Atque *Tertullianus* « Evangelium, inquit, quod Marcus edidit, Petri affirmatur, cuius interpres Marcus »[8].

Iuniorum Patrum testimonia afferre opus non est, quoniam inde a tertio saeculo ineunte secundum Evangelium Marco, Petri socio, auctori ab omnibus attributum esse nemo unquam negavit aut in dubium vocavit; at testimonia allata nos adiuvant, ut medii saeculi 2. testem magnae auctoritatis citare possimus. Omnia enim in eo conveniunt, quod Evangelii scriptorem quidem Marcum, auctorem autem primarium Petrum dicant. Iam vero *S. Iustinus M.* rem aliquam allegat, *quae a solo Marco narratur,* videlicet filios Zebedaei a Domino cognominatos esse Boanerges i. e. filios tonitrui, illudque scriptum esse testatur « *in commentariis Petri* ». Commentariorum Apostolorum nomine S. Iustinum Evangelia designare inter omnes constat[9]; Evangelium Petri autem esse nostrum secundum facile etiam omnes concedent, qui ad communem Patrum persuasionem de eius origine animum adverterint. Si quis vero dubitare vellet, num integrum nostrum Marci Evangelium cognovisset S. Iustinus, remittendus esset ad *Tatiani,* eius discipuli, Diatessaron[10].

Miretur forsitan nonnemo, quod ex Patribus apostolicis solum Papiam, ex saeculi 2. apologetis et scriptoribus ecclesiasticis solos Iustinum et

Tatianum testes authentiae citemus. Profecto fateamur oportet ante saeculi 2. finem certa testimonia non abundare; plerique Patres apostolici et antiquiores apologetae vix quidquam in suis libris reliquerunt, ex quo cum certitudine concludatur, eos secundum nostrum Evangelium cognovisse, et haereticos quoque antiquiores illo usos esse aegre demonstratur. Quae difficultas probabili sua solutione non caret. Etenim S. Marcus paucissima habet propria; in canonibus eusebianis undeviginti tantum, eaeque brevissimae, pericopae illi soli attribuuntur; in reliquis autem cum Matthaeo aut Luca aut utroque ita consentit, ut saepe etiam eadem verba in utroque fonte legantur; altera ex parte Patres antiquiores, quum non e codicibus suis sed ex memoria Scripturas allegare solerent, rarissime Evangeliorum verba ad literam referunt, quare ea quoque, quae forte ex secundo Evangelio desumserunt, si similia apud Matthaeum vel Lucam leguntur, cum certitudine Marco attribui nequeunt. Attamen non omnino desunt eiusmodi Patrum textus, qui argumentum satis certum nobis praebent. Quod si *S. Clemens Rom.* « binos » Apostolos esse missos dicit, illud ex Marco hausit; *S. Hermas* quoque in parabola seminantis alleganda Marcum potius quam Matthaeum ducem sequitur, atque alibi quoque eundem prae oculis habuit; *Docetae, Naasseni, Valentiniani* aliaeque saeculi 2. sectae eodem Evangelio videntur usi esse [11]. Maioris vero momenti est, quod *versiones illae,* quae sine ullo dubio primis fidei temporibus originem suam debent, Itala maxime et Syriaca, nostrum Evangelium cum reliquis exhibuerunt Marci auctoris nomine addito.

1. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20, 300); de S. Papiae auctoritate *supra* disputavimus (11. 15). Ad testimonii nostri vim parum refert, utrum omnia verba cum plerisque interpretibus Ioanni presbytero attribuamus, quem Papias nominat, an ultimam eorum partem (οὔτε γὰρ ἤκουσε κτλ.) Papiae ipsius esse credamus. Ceterum quisnam sit Ioannes a Papia nominatus cfr. 57. n. 18.

2. *De Wette* Einl. § 100 a. p. 204.

3. Cfr. *Strauss* Leben Iesu Ed. 4. Tübingen 1840 I. p. 66 sq.; *Credner* Einl. p. 123; *Davidson* Introd. to the N. T. II. p. 81; *Renan* Vie de Jésus. Introd. p. XIX (Ed. 18. p. LII). *Reuss* Gesch. des N. T. Ed. 5. I. p. 185 etc.

4. *S. Iren.* c. haer. III. 1. (M. 7, 845). Cfr. *supra* 22, p. 76.

5. *Clem. Alex.* apud Eus. H. E. VI. 14 (M. 20, 552). Idem testimonium suis verbis refert *Eusebius* (H. E. II. 15. M. 20, 172) in hunc modum: « Tantus veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse nec contenti essent coelestis verbi doctrinam viva tantum voce, nullis autem scriptis, traditam accepisse, sed Marcum, Petri sectatorem, cuius hodiedum exstat Evangelium, enixe orarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam illum expugnassent auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, Evangelii exstitissent. Quod quum Petrus per revelationem Spiritus S. comperisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua approbasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in Hypotyposeon libro VI; cui testis etiam accedit Papias, hiera-

politanus episcopus ». Cum secunda hac versione consentiunt illa, quae *S. Hieronymus* (de vir. ill. 8. M. 23, 621) habet. At haec cum Clementis ipsius verbis ab Eusebio relatis pugnare volunt *de Wette* (l. c. § 99 b. p. 204) aliique. Pugna vero nulla adest, si aut cum Valesio, Eusebii editore, dicamus Petrum, quum Evangelium a Marco scriptum editumque esse comperisset, illud *palam* nec vetuisse nec laudasse, rem autem *tacito* consensu approbasse, aut melius dicta illa ad varia tempora referamus. Quum nimirum Marci Evangelium innotescere coepisset, Petrus illud nec vetuit nec laudavit; quum vero propagatum esset fructusque multos afferret, auctoritate sua publicam illius in ecclesiis lectionem approbavit.

6. *Orig.* in Matth. tom. I. apud Eus. H. E. VI. 25 (M. 20, 581).

7. Cfr *Fragm. Murat.* (*Introd. gener.* Ed. 2. p. 182. 186.)

8. *Tertull.* c. Marc. IV. 5 (M. 2, 367).

9. *S. Justin. M.* c. Tryph. 106. (M. 6, 724); cfr *infra* n. 27. *n.* 5. p. 96.

10. Totum secundum Evangelium a Tatiano esse adhibitum evidenter apparet quum ex arabica tum ex latina Diatessari versionibus (de quibus cfr *supra* p. 9).

11. *S. Clem. R.* 2 Virg. 15. « Ipse Dominus cum duodecim Apostolis suis fuit assiduus... et quum emitteret eos, *binos* simul misit illos » (*Marc.* 6, 7). *S. Herm.* Past. Vis. 3, 7. » οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον ἀκούσαντες cum *Marc.* 4, 18, dum Matth. 13, 22 οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων. Etiam Sim. 9, 25 expressiones quaedam ultimam Marci pericopen (*Marc.* 16, 15. 20) in memoriam revocant (*infra* 27. n. 5.). — Quod si *Docetae* (Philosoph. VIII. 8. M. 16, 3350) Dominum arbori fici, quia fructus non haberet, *maledixisse* aiunt, haec ex Marco (11, 21), qui solus hac dictione utitur, desumsisse dicendi sunt. Item verba, quae *Naasseni* allegarunt : κἂν πίητε τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ πίνω (Philos. V. 8. M. 16, 3162), leguntur apud *Marc.* 10, 38, dum *Matth.* 20, 22 habeat : ὃ ἐγὼ μέλλω πιεῖν; atque interrogatio Domini : Τίς μου ἥψατο, qua *Valentiniani* abutebantur, his verbis concepta a solo Marco (5, 31) affertur.

26. — Quod si internis rationibus IPSOQUE LIBRI CHARACTERE secundi Evangelii authentiam confirmari asserimus, non tam de S. Marco eius scriptore, quam de S. Petro primario eius auctore sermonem esse patet. Contra hodiernos enim incredulos praesertim *apostolica* Evangeliorum origo demonstranda est, et S. Marcum scriptorem esse nobis facile concedent, simulac apostolica aetate librum scriptum esse fateri sunt coacti. Iam vero unanimi consensu proclamant Patres secundum Evangelium Petro esse attribuendum; cum antiquioribus enim, quos laudavimus, concordant iuniores, imo *Ps. Athanasius* eo usque progreditur, ut illud « dictatum quidem ab Apostolo Petro, editum a B. Marco » dicat[1]; quae quidem nimia sunt, sed iure merito cum S. Hieronymo censemus Evangelium iuxta Marcum Petri dici, cuius auditor et interpres ille fuit[2]. Apostolicum igitur et maxime Petrinum libri characterem demonstremus oportet.

Inter Evangelia aliud non est, quod minutas quasdam loci, temporis, personarum circumstantias maiore cum accuratione et diligentia afferat; et quamvis omnium brevissimum sit, descriptionibus suis ad vivum quasi expressis, quae testem ocularem manifestant, reliqua superat[3]. Qui vel solas narrationes primae multiplicationis panum, quam om-

nes Evangelistae narrant[4], attentus legerit, non dubitabit, quin in secundo et quarto Evangelio testes oculares rem narrent; Matthaeus enim, quamvis miraculo interfuerit, pro more plurimas circumstantias omittit. Legantur quoque narrationes vocationis filiorum Zebedaei (« et relicto patre suo Zebedaeo in navi *cum mercenariis* »), sanationis socrus Petri (« venerat in domum Simonis et Andreae *cum Iacobo et Ioanne... statim dicunt ei de illa.* Et accedens *elevavit eam apprehensa manu eius...* et erat *omnis civitas congregata ad ianuam* »), sanationis paralytici (« et convenerunt multi, *ut non caperet neque ad ianuam* [ὥστε μηκέτι χωρεῖν μήδε τὰ πρὸς τὴν θύραν]. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, *qui a quatuor portabatur.* Et quum non possent offerre eum illi prae turba, *nudaverunt tectum, ubi erat;* et patefacientes submiserunt grabatum »), transfigurationis (« vestimenta candida, *qualia fullo non potest super terram candida facere* »; « *non enim sciebat Petrus, quid diceret* », « et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset : quum a morte resurrexerit »), trinae negationis (« et calefaciebat se », « quum esset Petrus in atrio *deorsum...* venit *una ex ancillis summi sacerdotis...* et *aspiciens illum* ait... et exiit foras ante atrium et gallus cantavit ») innumerasque alias[5], et in omnibus parva quaedam incisa deprehendes, quae testem oculatem produnt. Quae descriptionis accuratio maior est omnibus illis in factis, quae proxime Petrum attingunt, id quod ex exemplis allatis iam satis apparet.

Quamvis vero tot et tanta de B. Petro tradat secundum Evangelium, ut ipsi rationalistae plerique, etsi eius authentiam negent, illud ad Apostolorum principem quodam modo referre cogantur[6], pleraque tamen silentio premit, quae Petro maiori laudi sunt, alia vero fusius prosequitur, quae vituperio illi esse videntur. Post primam panum multiplicationem Dominum supra mare ambulantem ad discipulos venisse narrat quidem Marcus; Petrum autem a Domino invitatum etiam supra aquas ambulasse tacet. Petri professionem fidei narrat, nec gravissimam increpationem omittit, quam incurrit, quum Dominum a subeunda passione avertere conaretur; sed primatus promissionem, quam inter duo illa facta inserit Matthaeus, silentio praetermittit. Trinae negationis praedictionem affert, sed mandatum confirmandi fratres, quod immediate antea accepit Petrus, relinquit[7]. Petrum inter Apostolos primum locum tenuisse, ex toto quidem Evangelio apparet; at dum reliqui tres Evangelistae omnes aut promissionem aut collationem primatus disertis verbis tradunt, nulla explicita eius mentio fit in secundo Evangelio, quod vicissim trinam negationem fusius et accuratius, quam reliqua, narrat[8]. Summo autem cum iure *Eusebius, S. Chrysostomus* aliique antiqui et moderni interpretes in omissione eorum, quae maiori laudi Petro erant, aeque atque in narratione diserta eorum, quae ei erant vi-

tuperio, Apostoli ipsius manum agnoscunt eiusque humilitatem admirantur[9].

Neque illud est omittendum, quod secundum Evangelium omnino formae rationique apostolicae praedicationis correspondet, qualis a Petro describitur[10]. Omissa enim infantiae historia, quam duo alii Synoptici tradunt, suum librum immediate a praedicatione Ioannis B. incipit narrationemque usque ad ascensionem Domini perducit; totus autem (id quod infra fusius ostendemus) in Iesu divinitate demonstranda supremaque eius, maxime etiam in daemones, dominio asserendo versatur. Atqui hi limites atque hoc argumentum apostolicae praedicationis, quatenus ad gentes dirigebatur, a Petro indicantur. Quum enim in traditoris locum sufficiendus esset novus Apostolus, ex illis viris eum eligendum esse dixit, « qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, *incipiens a baptismate Ioannis usque in diem, qua assumtus est a nobis* ». Argumentum vero apostolicae praedicationis, quae ad ethnicos fiebat, idem in primo sermone, quem coram ethnicis habuit, nobis adumbrat : « Verbum misit Deus filiis Israel annuntians per Iesum Christum (*hic est omnium Dominus*); incipiens enim a Galilaea post baptismum, quod praedicavit Ioannes,... pertransiit benefaciendo et *sanando omnes oppressos a diabolo*, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quae fecit in regione Iudaeorum et Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed *testibus praeordinatis a Deo*, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum » [11]. Quam accurate his verbis argumentum nostri Evangelii sit delineatum, ex infra dicendis elucebit (29).

1. *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 76 (M. 28, 433) : Τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Πέτρου τοῦ ἀποστόλου ἐν Ῥώμῃ, ἐξεδόθη δὲ ὑπὸ Μάρκου.

2. *S. Hier.* de vir. ill. 1 et 8; ad Hedib. ep. 121, 11 (M. 23, 609. 621; 22, 1002) : « Marcus discipulus et interpres Petri, *iuxta quod Petrum referentem audierat*, rogatus Romae a fratribus breve scripsit Evangelium ». « Marci Evangelium Petro narrante et illo scribente compositum est ».

3. *Godet* Études bibl. Sér. II. Paris 1874. p. 33 (Cfr. *Schanz* Comm. über das Evang. des h. Marc. Freiburg 1881. p. 50) : « S'il est une narration qui porte le cachet de l'autopsie, de la vue immédiate d'un témoin oculaire, c'est celle de notre second Évangile. Elle possède la vivacité de la couleur locale et la fraîcheur des souvenirs les plus personnels ». Vix intelligitur, quomodo *Davidson* (Introd. II. p. 97), ut argumenti huius vim effugeret, scribere sit ausus : « The pictorial power by which the evangelist (rectius : the gospel) is characterised is often adduced as a mark of originality, as if the writer had either been an eye witness of the scenes he describes, or had drawn his details from the oral communications of any eye-witness like Peter. But *this hypothesis is incorrect*, since many passages show that the graphic colouring and vivid de-

tails are due to the writer himself ». Quomodo hoc demonstrari possit, nemo facile dixerit; nonne potius S. Papiae fides adhibenda est asserenti, « ad id invigilasse Marcum, ne quid eorum, quae audierat, praetermitteret, neve in iis falleret »? Relate ad circumstantias loci cfr. ex. gr: 4, 1 « congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat »; 4, 38 « et erat in puppi super cervical dormiens »; 6, 38 « et praecepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super *viride* foenum. Et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos ». Relate ad circumstantias temporis ex. gr. 1, 32 « vespere autem facto, quum occidisset sol », 1, 35 « et diluculo valde surgens », 4, 35 « in illa die, quum sero esset factum », 11, 11 « quum iam vespera esset hora ». Relate ad circumstantias personarum ex. gr. 1, 20 « relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis » 1, 28 « venerunt in domum Simonis et Andreae cum Iacobo et Ioanne »; 10, 46 « filius Timaei, Bartimaeus caecus, sedebat iuxta viam mendicans »; 15, 21 « angariaverunt... Simonem Cyrenaeum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi ». Numeros quoque accuratius indicare solet : 2, 3 « qui a quatuor portabatur », 6, 7 « vocavit duodecim et coepit eos mittere binos », 5, 13 « grex praecipitatus est in mare ad duo millia », 6, 37 « euntes emamus ducentis denariis panes » etc.

4. *Marc.* 6, 32-44; *Ioan.* 6, 2-13; *Matth.* 14, 14-21; *Luc.* 9, 2-17.

5. *Marc.* 1, 16 sqq.; 1, 29 sqq.; 2, 1 sqq.; 9, 1 sqq.; 14, 66 sqq.

6. Cfr. *Hilgenfeld* Einl. p. 516 « Vorliebe für Petrus verraeth Marcus allerdings... Es bleibt also moeglich, ja es wird wahrscheinlich, dass Marcus unter dem Einfluss petrinischer Ueberlieferung geschrieben hat »; *Davidson* l. c. p. 102 : « A Petrine Gospel proceeded of Marc himself; that it was used by the writer of the canonical gospel, is probable »; *Renan* Vie de Jésus. Introd. p. XXI (Ed. 18. p. LIV) : « Le système de la vie de Jésus chez les synoptiques repose sur deux documents originaux : 1° les discours de Jésus recueillis par l'apôtre Matthieu, 2° le recueil d'anecdotes et de renseignements personnels que Marc écrivit d'après les souvenirs de Pierre. On peut dire que nous avons encore ces deux documents, mêlés à des renseignements d'autre provenance, dans les deux premiers évangiles ».

7. *Marc.* 6, 49 sqq. cfr. *Matth.* 14, 26 sqq.; *Marc.* 8, 29-33. cfr. *Matth.* 16, 16-22; *Marc.* 14, 26-32. cfr. *Luc.* 22, 31-34.

8. Si ad Evangelii secundi brevitatem attenditur, fatendum est in illo longe frequentius, quam in reliquis Petrum nominari et de Petro esse sermonem; vix ullum est caput, in quo nomen eius non occurrat, et si quando nomen eius deest, ex adiunctis apparet eum rei narratae interfuisse. Primas quoque partes ubique agit; eius vocatio refertur prima (1, 16), semper primo loco nominatur ante reliquos, et in catalogo Apostolorum (3, 16 sqq.), dum reliqui bini nominantur, ipse solus eis praecedit; ipse pro ceteris quodam modo verba facit (9, 4; 10, 28; 11, 21; 14, 29-31); discipulis et Petro annuntianda erat resurrectio (16, 7).

9. *S. Chrys.* in Matth. hom. 58, 2 (M. 58, 568. De statere in ore piscis invento) : « Vide Petri philosophiam; nam Marcus, qui eius discipulus erat, hoc factum non scripsit, quia hinc illi honor ingens accedebat; sed negationem eius scripsit; ea vero, quae conspicuum illum reddebant, tacuit et *fortasse vetante magistro, ne magna de illo diceret* ». Hom. 85, 1 (M. 58, 758) « Marcus ait, postquam semel negasset (Petrus), gallum cantavisse, postquam tertio negasset, tum secundo cantavisse gallum, accuratius recensens infirmitatem discipuli; et hoc Marcus a magistro suo didicit; erat enim Petri discipulus. Quo magis admirandus est, quod non modo magistri lapsum non celaverit, sed quod etiam clarius quam alii narraverit ». *Euseb.* Demonstr. evang. III. 5 (M. 22, 316 sq.), postquam retulit promissionem primatus, ita pergit : « Quum haec tam multa dicta sint Petro ab Iesu, Marcus nihil horum commemorat, propterea quod ne Petrus

quidem, ut verisimile est, talia in suis narrationibus enuntiavit... Haec sane Petrus merito tacenda iudicavit, quare etiam Marcus ea praeteriit. Quae autem ad negationem suam pertinebant, in omnes homines protulit ac publicavit; quoniam post illam flevit amare ». *Victor Antioch.* in Marc. 8, 30 (Bibl. max. Patrum IV. p. 389) omissionem promissionis primatus ipsi Marco attribuere mavult, qui cavere voluerit, « ne quid *in gratiam magistri sui* dicere videretur ». Quae Victoris sententia parum videtur veri similis, nec multos laudatores invenit. Quare potius omissiones omnes Petri humilitati cum Eusebio, Chrysostomo aliisque multis adscribimus. Si vero *Schanz* (*Comment.* p. 20 sq.) obiicit, Petro de suo primatu Romae tacere non licuisse, recte responderi videtur, tota sua agendi ratione eum satis docuisse, quem locum in Ecclesia teneret, neque Romanos primo statim tempore institutione accuratiore de hac eius praerogativa indiguisse.

10. Cfr *Schanz* Comment. p. 14; *Felten* Kirchenlexic. Ed. 2. 1893. p. 675 sq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 479 sqq.; *Knabenbauer* Comm. in Marc. 1894. p. 10 etc. — *Godet* Études bibl. II. 39; *Meyer-Weiss* Handbuch I. 2. (Ed. 7. 1885) p. 5 etc.

11. *Act.* 1, 21 sqq.; 10, 36-43.

27. — De INTEGRITATE Evangelii secundi dicturi praemonemus sententiam illam, quae ultimam Evangelii partem de apparitionibus Domini resuscitati (Marc. 16, 9-20) spuriam declarat, a Patribus Concilii Tridentini esse damnatam; quum enim libros sacros « integros *cum omnibus suis partibus* » « pro sacris et canonicis suscipiendos » sub anathematis poena statuerent, Evangeliorum particulas, quae illo tempore repudiari coeptae erant, maxime tueri voluerunt; inter quas Evangelii secundi clausula enumeratur[1]. Eius igitur authentia ad fidem pertinet; quare, quum protestantici interpretes plerique hodie eam impugnare non cessent[2], argumenta eorum examini subiiciamus oportet, ut criticis quoque rationibus Tridentinum decretum defendamus. Audiamus ergo unum ex recentioribus pericopes illius adversariis, qui omnia, quae ab aliis ad illam impugnandam dicta sunt, quodam modo collegit[3].»

Primo loco affert argumenta *externa* haec: 1.) Fragmentum desideratur in B., ℵ., antiquioribus codicibus armeniacis, duobus aethiopicis, uno Italae (K. cod. Bobiens. 5. vel 4. saec.), arabico uno, et asterisco notatur in duobus minusculis graecis (137. 138 i. e. Vatic. 757 et 758 saec. 11 et 12.) 2.) *Eusebius* (ad Marin. qu. 1.) « in cunctis fere exemplaribus » Evangelium Marci verbis ἐφοβοῦντο γὰρ (Marc. 16, 8) terminari testatur additque paullo post (ad Marin. qu. 3), nostros versus non nisi « in aliquibus exemplaribus » inveniri. Idem demum apud Victor. Antioch. (ed. Matthaei II. p. 208) nullam apparitionem Domini discipulis factam a Marco narrari asserit. 3.) *Hieronymus* (ad Hedib. qu. 3), *Gregorius Nyss.* (de resurr. Christi or. 2.), *Victor Antioch.* (ed. Matthaei II. p. 120), *Severus Antioch.* (apud Montfaucon Biblioth. Coisl. p. 74) et scholion compluribus codicibus adiectum monent pericopen in permultis exemplaribus (*Hier.*: « omnibus Graeciae libris paene ») deesse. 4.) Versio Syra Philoxeniana et codex graecus quidam (L. saec. 8.) adnotant, aliquibus in codicibus pro nostra clausula aliam legi plane diversam. 5.) *Iustinus M.* et *Clemens Alex.* immerito tamquam testes citantur, qui fragmentum hoc cogno-

verint; *Eusebius* autem canones suos ad v. 8. terminavit; quod si vero in codicibus quibusdam (C. E. H. K. M. V) fragmento nostro adscripti sunt, merito pro spuriis habentur.

Quibus accedunt *internae* rationes; et 1.) quidem a v. 9. alius omnino scribendi modus incipit, ac si auctor alterum librum excerpsisset; 2.) desunt styli proprietates, quae in Evangelio ipso apparent (nullum adest εὐθέως, nullum πάλιν etc.), deest perspicuitas et descriptionis accuratio; 3.) supponuntur quaedam cognita, quae antea non sunt narrata (v. 9. « de qua eiecerat septem daemonia »), illa autem non narrantur, quae annuntiata sunt (v. 7 « praecedit vos in Galilaeam, ibi eum videbitis »); 4.) adsunt fabulae apocryphae (v. 18. « serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit »).

Adversariorum argumentis opponamus nostra, quibus versuum illorum authentia extra prudentis viri dubitationem ponitur.

Atque 1.) si codices Vaticanum et Sinaiticum, quos magnae auctoritatis esse non negamus, paucaque illa aliarum versionum exemplaria, quae supra enumerata sunt, excipis, omnes graeci libri manuscripti, quotquot exstant, omnesque versiones etiam antiquissimae, syriaca vetusta, quam edidit Cureton, syriaca Peschito, itala, coptica, gothica, armeniaca, aethiopica versus illos continent. Syriaca autem et latina ad medium saltem secundum, coptica ad tertium, gothica et aethiopica ad quartum saeculum ascendunt. Num omnibus hisce testibus duos illos codices, qui saec. 4. scripti censentur, praeferemus?

2.) Antiqui quoque Patres pericopen illam in suis exemplaribus legerunt. Ut *S. Papiam* omittamus, qui teste Eusebio Iustum Barsabam poculum lethale bibisse nec damnum passum esse retulit[4], medio saeculo 2. *S. Hermas* et *S. Iustinus M.* ad eam alluserunt, quamvis adversarii id negent; S. Iustini discipulum autem *Tatianum* integram illam pericopen in suum Diatessaron recepisse plus quam probabile est[5]. Eodem saec. exeunte *S. Irenaeus* disertis verbis ultimum versum Marco attribuit, atque eius discipulus *S. Hippolytus* duos praecedentes versus allegat[6]. *Origenes* quoque, quidquid contra dicunt adversarii, vel potius *Celsus*, Origene antiquior, testis authentiae citari potest. Celsus enim, si neminem Christum a mortuis resuscitatum vidisse dicit, « nisi mulierem fanaticam (γυνὴ πάροιστρος) et si quis alius fuerit ex eadem impostorum societate (γοήτεια) »[8], sine ullo dubio ad secundum Evangelium alludit, quod non tantum pauciores, quam reliqua, apparitiones narrat, sed etiam primo loco eam refert, quae facta est « Mariae Magdalenae, de qua eiecerat Dominus septem daemonia ». Quae testimonia patristica omnibus codicibus, qui hodie exstant, longe antiquiora confirmant Patres iuniores, qui versus illos pro genuinis agnoscunt. Inter Latinos praeter S. Hieronymum nullus unquam Pater dubitationem minimam de eorum authentia expressit; inter Orientales autem et Graecos

sine ulla haesitatione eos allegant *S. Iacobus Nisib.*, *S. Caesarius*, Gregorii Naz. frater, *S. Gregorius Nyss.* [8].

3.) Omnes facile concedent, S. Marcum Evangelium non potuisse terminare verbis illis : καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον· ἐφοβοῦντο γάρ [9]. Tacentibus enim de resurrectione testibus necessario alii addendi erant, qui factam resurrectionem annuntiarent (v. 10. 13. 14). Ergo aut Marcus librum suum imperfectum reliquit, aut genuina libri peroratio periit, aut nostra est authentica. Atqui primum nemo facile admiserit; etenim non tantum nullus ex antiquis scriptoribus huius rei mentionem fecit, sed nec ulla excogitari potest ratio, cur Marcus Evangelium suum non finierit. Quod si enim aliqui Neroniana persecutione illum impeditum esse, ne finem operi imponeret, gratis omnino asseruerunt, non satis attenderunt illud ante illam persecutionem esse exaratum. Neque magis admitti potest genuinam clausulam perisse et in tota Ecclesia falsam esse substitutam; nimia enim cum cura invigilarunt Christiani, ne sacri libri mutilarentur aut falsificarentur; atque unde quoque illa falsificatorum, quos supponere debent, concordia, ut in dissitissimis ecclesiis eadem addita sit clausula? Restat igitur tertium, illam sc. perorationem, quam a medio saec. 2. in Ecclesia lectam esse demonstravimus, esse genuinum S. Marci opus.

4.) Neque desunt internae rationes, quae clausulae nostrae authentiam confirmant. Supra iam monuimus Petrinum secundi Evangelii characterem ab omnibus fere interpretibus, atque ab ipsis rationalistis plerisque, admitti; quare necessario exspectamus, Marcum illis limitibus narrationem suam circumscripsisse, quos S. Petrus evangelicae praedicationi fixit, ac proin illam usque ad ascensionem dominicam perduxisse; revera ascensionis mentionem facit peroratio nostra (16,19), eo termino usa, quo usus est S. Petrus (Act. 1, 22; cfr. 2, 33 sq.).

Porro ob specialem, quem prosequitur, finem, uti infra videbimus, Marcus magis, quam reliqui, potentiam Domini describit eiusque in daemones dominium; cui characteri optime correspondet, quod Christum Apostolis, quum eos in mundum universum mitteret, illisque, qui per eos crediturі essent, donum miraculorum promisisse referat, et inter miracula patranda primo loco nominet eiectionem daemoniorum (16,17. 18).

Intimus quoque est nexus inter apparitionem Angeli (16,5-8), et tres Domini ipsius apparitiones (16,9-14), atque aptissima gradatio : Angelus mulieribus resurrectionem annuntiat, at illae timore perculsae id, quod audierant, silentio premunt; uni mulieri ipse Dominus apparet, at Mariae Magdalenae non credunt Apostoli; duobus discipulis apparet, neque illis fidem adhibent; ita praeparatur publica, ut ita dicam, apparitio, quae omnibus Apostolis facta est, atque lectores non amplius

in dubium vocare possunt, quod Apostoli credere quodam modo coacti sunt.

1. *Conc. Trid.* Sess. 4. Decret. de canonicis Script. — Cfr. *Theiner* Acta genuina Conc. Trid. I. p. 71 sq. et *Introd. gener.* 52 n. 3 et 53 (p. 137 sqq.).

2. Recentissimae editiones criticae, quas curaverunt *Tischendorf* (Ed. 8. mai. I. p. 403 sqq.), *Tregelles* (The N. T. edited from ancient authorities I. i. h. l.), *Westcott* et *Hort* (Text p. 113 cfr. Notes p. 29-51), pericopen spuriam declarant. Quas sequuntur longe maior numerus interpretum protestanticorum in Germania, contradicentibus paucis, inter quos lutherani Guericke, Ebrard, Keil, rationalistae de Wette, Bleek, Hilgenfeld; inter anglicanos autem interpretes et criticos plerique eam admittunt. Cfr. *Burgon* The last twelve verses of the Gospel according to St. Marc vindicated against recent objectors (London 1871), *Cook* St. Marc's Gospel (The Speaker's Commentary N. T. I. London 1878. p. 301-308), *Scrivener* (Introduction to the criticism of the N. T. Ed. 3. Cambridge 1883. p. 583-589).

3. Cfr. *Meyer* Exeget. Handb. I. 2. Evang. des Marcus. Ed. 5. p. 208 sqq.; Ed. 7. cur. B. Weiss (1885) p. 238 sqq. Eadem argumenta proferunt *Tischendorf* N. T. Ed. 8. I. p. 403 sqq., *Westcott-Hort* Notes etc p. 29 sqq., reliqui.

4. *S. Papias* apud Euseb. H. E. III. 39. (M. 20, 297).

5. *S. Hermas* Past. Sim. 9, 25 paucis in lineis coniungit haec verba, quae Marc. 16, 15. 20 leguntur : πᾶσα ἡ κτίσις... κηρύξαντες εἰς τὸν ὅλον κόσμον... πανταχοῦ πορευθέντες. — *S. Iustin. M.* Apolog. I. 45 (M. 6, 397) : « ὃν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ οἱ ἀπόστολοι αὐτοῦ ἐξελθόντες πανταχοῦ ἐκήρυξαν, cfr. Marc. 16, 20 : ἐκεῖνοι δ' ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ. Dubiae sunt allusiones Apolog. I. 39. 45. 46. 50; c. Tryph. 53. 132. — *Tatianum* totam pericopen adhibuisse hodie satis constat ex Diatessari versionibus *latina* (ed. Ranke 1868, n. CLXXIII sqq.) et *arabica* (ed. Ciasca 1888. n. 55 sqq.). Cfr *Th. Zahn* Gesch. des neutest. Kanon. II. 1892. p. 553 sq. 924.

6. *S. Iren.* c. haer. III. 10 : « In fine Evangelii ait *Marcus* : Et quidem Dominus Iesus postquam locutus est eis, receptus est in coelos et sedet ad dexteram Dei ». — *S. Hippol.* de charism. 1; cfr *Constit. Apost.* VIII. 1 et VI. 15.

7. *Origen.* c. Cels. II. 45 (M. 11, 884).

8. *S. Iacob. Nisib.* Serm. 1, 13 (Opera. Romae 1756. p. 17) allegat Marc. 16, 17; *Aphraates* (ed. Wright. London 1864) hom. 21, 6 sqq.; *S. Caesar.* Dial. 4, 193 (M. 38, 1178); *S. Gregor. Nyss.* de resurr. 2. (M. 46, 652); cfr. etiam *Ps. Athanas.* Synops. 48 (M. 28, 393).

9. Ipse *Hort* (l. c. p. 46) fatetur : « It is incredible that the evangelist deliberately concluded either a paragraph with ἐφοβοῦντο γάρ, or the Gospel with a petty detail of a secondary event, leaving his narrative hanging in the air ».

Ut clarius pateat, quantopere adversariorum obiectionibus praevaleant argumenta nostra, priores accuratiori examini subiiciamus.

1.) Praeprimis autem eorum argumenta externa non tot sunt numero, quot videntur esse. Codex *Vaticanus* enim, etsi pericopen non exhibeat, in fine tamen Evangelii spatium vacuum recipiendo fragmento sufficiens habet, dum inter reliquos libros nullum unquam spatium relinquat; unde merito concludimus, librarium aut animadvertisse quaedam deesse in exemplari, quod transcripsit, aut ipsum de eius, quod in exemplari illo invenit, authentia dubitasse. Idem autem de co-

dice *Sinaitico* valere, recens codicis examen demonstravit [10]; praeterea Tischendorf ipse iam ostendit, eundem librarium, qui ultimum folium Evangelii Marci in Sinaitico scripsit, etiam codicem Vaticanum exarasse: eandemque sententiam confirmarunt alii viri critici [11]; *Codex L.* demum integer a Vaticano dependet [12]; quare tres hi testes non nisi unicum constituunt. Accedit, quod sua probabilitate non omnino careat Tischendorfii coniectura, Vaticanum et Sinaiticum ex illorum codicum numero esse, quos Eusebius iussus a Constantino M. describendos curavit, ita ut eorum testimonium ab Eusebii testimonio dependeat [13]. Certum autem est, Eusebium, si pericopen spuriam habuit, etiam *canones* suos illi adscribere non potuisse; quare eorum omissio in quibusdam codicibus non constituit novum argumentum. Certum quoque est, *S. Hieronymum,* si Hedibiae scribit illos versus non nisi « in raris ferri Evangeliis, omnibus Graeciae libris paene hoc capitulum non habentibus », haec ex Eusebii Quaest. ad Marin. desumsisse, quippe quas, ut adnotat Card. Mai, Quaestionum illarum editor, « prorsus expilaverit », sibique non constare, quum alio in loco asserat « maxime in graecis codicibus iuxta Marcum in fine eius Evangelii scribi : postea quum accubuissent undecim » etc (Marc. 16, 14) [14]. Denique addamus *S. Gregorium Nyss.* quoque et *Victorem Antioch.* ex Eusebio dubitationem hausisse, quam exprimunt, priorem autem dubitatione illa non obstante in fine eiusdem orationis, in qua illam exprimit, sine ulla haesitatione Marc. 16.19 una cum textu Evangelii tertii allegasse, alterum autem, etsi in plerisque exemplaribus perorationem deesse cum Eusebio dicat, in « accuratioribus » illam inveniri disertis verbis tradidisse [15]. Quamobrem non sex septemve testes numerandi sunt, sed unus, sc. Eusebius, a quo iuniores Patres certissime, atque probabiliter etiam codices nobis oppositi dependent.

2. At Eusebii ipsius testimonium hac in quaestione non admodum magni est ponderis; ex verbis enim illius satis apparet, eum ob exegeticas potius, quam criticas rationes pericopen in dubitationem vocasse. Namque « sequentia, inquit, quae raro in aliquibus, non vero in omnibus, exemplaribus habentur, superflua videntur, *maxime si* (εἶπεν) *repugnent* ceterorum *Evangelistarum testimonio* ». Quam sententiam *S. Hieronymus* ita reddidit : « Aut non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Graeciae libris paene hoc capitulum in fine non habentibus, *praesertim quum* diversa atque contraria Evangelistis ceteris narrare videatur » [16]. Quia igitur aliquibus ea, quae Marcus de tempore, ut videtur, apparitionum tradit, cum reliquorum narrationibus pugnare visa sunt, Marcum reliquerunt; at recte *Maldonatus* : « absurda prorsus est ratio: isto enim modo et ultimum caput Lucae et paenultimum Ioannis inducere deberemus; maior enim

inter illos et Matthaeum, quam inter Matthaeum et Marcum apparet repugnantia ».

Nihilominus non solis rationibus exegeticis nititur scrupulus Eusebii, siquidem procul dubio eius aetate sat multi codices pericope nostra caruerunt; at ratio huius omissionis potius erat quaerenda, quam pericope reiicienda. Probabilem vero rationem indicant moderni quidam interpretes[17]. Alexandrina nimirum ecclesia ieiunium terminavit festumque paschatis celebrare incepit media nocte, reliquae ecclesiae pleraeque circa auroram ad galli cantum[18]; prior sibi favere putavit Matth. 28,1, aliae autem ad Marc. 16,9 provocarunt, qui versus, si temporis determinatio, id quod a multis interpretibus fit, cum participio ἀναστάς (resurgens) et non cum verbo ἐφάνη (apparuit) coniungitur, alexandrinae consuetudini contradicit; « apud omnes enim in confesso est, inquit *S. Dionysius M., post* resurrectionis horam laetitiam festi esse inchoandam ». Quare ne populo scrupulus iniiceretur, Alexandrini istam Marci pericopen in coetibus paschalibus non legisse videntur ideoque eandem in lectionariis suis omisisse; quae omissio deinde in codices quosdam transiit[19].

3.) De internis adversariorum rationibus vix opus est, ut disputemus, quum externis argumentis res iam sit definita. Quam incertae porro sint illae proprietates styli, elocutionis etc, nemo est qui ignoret. Quid quod in pericope nostra ipsa, quam adversarii stylo quam plurimum a reliquo Evangelio differre dicunt, alii viri critici discrepantias alicuius momenti frustra quaeri illasque, quae a multis proferuntur, ad rem non esse asserant, alii demum proprietates styli marciani invenire velint[20]. Libenter quidem fatemur, tres apparitiones Domini a Marco summatim indicari potius quam narrari (16,9-14); quo iure autem a scriptore, ut omnia fuse narret, postuletur, non intelligimus. Nonne aliis quoque in locis excerptorem potius quam narratorem agere videtur S. Marcus? Integram historiam ieiunii et tentationum Domini unico versu absolvit (1, 13), primam Apostolorum missionem, cui S. Matthaeus integrum caput (10,4-43) tribuit, sex versibus complectitur (6,7-13). Ceterum a v. 15. consuetum modum tenet, missionemque Apostolorum fusius, quam reliqui, tradit, quia haec lectoribus suis utiliora suoque fini magis adaptata esse censuit. Neque negamus, in illis duodecim versibus nec εὐθύς nec πάλιν ullum inveniri; sed num omnes illos versus Marco abiudicabimus, a quibus particulae istae exsulant? Mariam Magdalenam vocat illam, « de qua eiecerat (Dominus) septem daemonia », quamvis illud miraculum antea non narraverit; num ideo magis vituperandus est, quam S. Lucas, qui idem appositum habet (8, 2) neque alibi miraculi istius mentionem facit? Illa, quae 16, 7 praedicuntur, in pericope nostra utique non narrantur; quod si quis autem hanc ratio-

nem urgere vellet, ad summum deduceret, aliquid in Evangelio desiderari, minime vero ea, quae adsunt, esse superflua et spuria. Demum S. Marco obiiciuntur fabulae apocryphae. Grande sane vocabulum, sed quid miracula illa praedicta cum apocryphis habent commune? Nonne S. Paulus serpentem sustulit, neque ei nocuit? Num apocryphum esse demonstratum iam est, quod narrat S. Papias Barsabam Iustum bibisse poculum mortiferum nec ullum damnum passum esse? Qui miraculorum possibilitatem admittit, in illis, quae Marc. 16,17.18 praedicuntur, nihil apocryphi inveniet.

10. *Iohn Gwynn* apud *Scrivener* Introduction etc. Addenda et corrigenda p. XIII. « As regards the omission of the verses of St Marc. 16, 9-20, it is not correct to assert that Cod. Sin. betrays no sign of consciousness of their existence. For the last line of v. 8, containing only the letters τογαρ, has the rest of the space (more than half the width of the column) filled up with a minute and elaborate *arabesque* executed with the pen in ink and vermillion, nothing like which occurs anywhere else in the whole MS (O. T. or N. T), such spaces being elsewhere invariably left blank. By this careful filling up of the blank, the scribe distinctly shows that the omission is not a case of *non-interpolation*, but of *deliberate excision* ».

11. *Tischendorf* N. T. Vaticanum. Lipsiae 1867. Prolegom. p. XXI sqq.; *Westcott-Hort* Introduction p. 213; *Scrivener* l. c. p. 92 et 584; *Gregory* Proleg. ad edit. 8. mai. Tischend. Lips. 1884. p. 300.

12. *Scrivener* l. c. p. 134; *Tischendorf* Monumenta sacra inedita Lips. 1846. p. 16.

13. *Euseb.* Vita Constant. IV. 36. 37. (M. 20, 1185); *Tischend.* Prolegom. in Cod. Sinait. p. XXXI.

14. *S. Hier.* ad Hedib. ep. 120, 3; sed contrarium adv. Pelag. II. 15 (M. 22, 987; 23, 550). De S. Hieronymi ab Eusebio in hac quaestione dependentia cfr. *Mai.* ad Euseb. Quaest. 1 (M. 22, 937 not.).

15. *S. Gregor. Nyss.* de resurrect. 2 (M. 46, 644 et 652); ipse *Hort* (l. c. p. 34) fatetur relate ad Gregorii dubium : « Both, the immediate context and other parts of this oration abound in matter taken from Eusebius, and the textual statement is evidently nothing more than a brief paraphrase of his words, *entitled to no independent autority* ». — De Victore Antioch. cfr. *Hort* l. c.

16. *Euseb.* Quaest. ad Marin. 1. (M. 22, 937); *S. Hier.* ad Hedib. ep. 120, 3.

17. *Reithmayr* Einleitung p. 394; *Valroger* Introd. II. p. 72; *Aberle* Einl. p. 59.

18. Cfr. quae de hac quaestione disputat *S. Dionys. M.* ad Basil. (M. 10, 1272 sqq.).

19. Simile quid accidit in epistola ad Rom.; caput enim illud, quod solis fere salutationibus constat (Rom. 16.), quum in ecclesiis raro legeretur, in nonnullis codicibus omissum est (Cfr. *Reithm.* l. c. p. 395).

20. Recte *Scrivener* Introd. p. 588. « With regard to the argument against these twelve verses arising from their alleged difference in style from the rest of the Gospel, I must say that the same process might be applied (and has been applied) to prove that S. Paul was not the writer of the Pastoral Epistoles, S. Iohn of the Apocalypse, Isaiah and Zachariah of portions of those prophecies that bear their names. *Every one used to literary composition may detect, if he will, such minute variations as have been made so much of in this case, either in his own writings, or in those of the authors he is more familiar with* ». — Ceterum obiectionem ex internis rationibus petitam egregie refutat *Knabenbauer* Comm. in Marc. 1894. p. 445 sqq.

QUAESTIO III. — Quibusnam et quem in finem Evangelium secundum sit scriptum.

28. — *Romae* S. Marcum Evangelium suum exarasse ex Patrum testimoniis supra relatis satis constat[1]; unus a reliquis dissentit *S. Chrysostomus*, qui in Aegypto illud scriptum dicit; at quum rem obiter tantum attingat statimque addat, non multum esse inquirendum, ubinam singuli Evangelistae scripserint, nihil obstat, quominus assertum eius lapsui memoriae tribuamus et negligamus[2]. Moderni quoque interpretes tantum non omnes romanam libri originem admittunt atque monent illam charactere linguae, qua scriptus est[3], non parum confirmari; haud pauca enim vocabula latina recepit Marcus explicatione nulla addita[4]. Ut lectoribus suis explicet, quanti λεπτὰ δυό valeant, ad comparationem adhibet nummum Romanum (ὅ ἐστι κοδράντης 12,42); Pilatus eiusque munus lectoribus cogniti supponuntur; Simon Cyrenaeus vocatur « pater Alexandri et Rufi »; Rufum autem eundem esse, quem S. Paulus in sua ad Romanos epistola ceu « electum a Domino » salutat, qui proin Romanis bene cognitus erat, communis est sententia[5].

Itaque *Romae* S. Marcus atque *romanae ecclesiae* suum librum scripsit, idque eo tempore, quo haec multo plures numeravit fideles, qui ex gentibus quam qui ex Iudaeis venerant. Quamvis enim S. Petrus, eius fundator, prima vice Romam ingressus (c. a. 42.) inter contribules suos, quorum apostolatum imprimis habebat concreditum (*Gal.* 2, 7), maxime laborasset, primitiae ergo ex Iudaeis essent, res tamen mutata est, postquam Claudius c. a. 50. Iudaeos Urbe expulit eodemque decreto Iudaeo christianos comprehendit (cfr *Act.* 18, 2). Hinc quippe factum est, ut a. 52., quando Claudio mortuo Petrus Romam reversus Marcum secum adduxit (n. 32), ecclesia romana paucos haberet iudaicos fideles. Revera S. Paulus a. 58. Romanis scribens eos velut ethnicos conversos alloquitur, et a. 62., quum vinctus Romam venisset, primi Iudaeorum de Christianis vix quidquam audierant[6]. Porro Romae illa aetate religio ethnica contemtu laborabat; polytheismo reiecto multi scepticismo se dederant; alii impuris illis ritibus ex Oriente allatis pacem illam quaerebant, quam antiquorum deorum cultus dare non potuit; alii demum monotheismum professi Iudaeis sese adiunxerant. *Seneca* teste « eo usque sceleratissimae gentis (Iudaeorum) consuetudo convaluerat, ut per omnes iam terras recepta esset; victi victoribus leges dederunt »[7]. Ex quibus nonnulli quidem circumcisione accepta totam Legem mosaicam amplexi ad Iudaismum omnino transierant[8]; « proselyti iustitiae » (גרי הצדק) a rabbinis appellantur; plerique vero septem illarum legum, quae noachicae vocari solent[9], observatione contenti, quamquam nec circumcisionem nec integram Legem receperunt, ad

coetus tamen religiosos in synagogas recipiebantur; « proselyti portae » (גרי השער) a rabbinis, in Novo Testamento autem et a Iosepho οἱ σεβόμενοι (« colentes » sc. verum Deum) nuncupantur [10]. Quemadmodum S. Paulus in Asia, Macedonia, Graecia, ita Romae S. Petrus inter hos proselytos maiorem, quam inter Iudaeos, videtur fidem invenisse. Porro plus quam veri simile quoque est, eum ethnicis proprie dictis Evangelium annuntiasse; per iudaicos enim proselytos ad eorum familias liberum habuit accessum, atque per Cornelium centurionem, quem in Ecclesiam receperat, ad aliorum ethnicorum familiaritatem facile pervenit. Merito ergo primitivam ecclesiam romanam integram fere proselytis vel ethnicis conversis constitisse asserimus [11].

Eiusmodi autem ecclesiae secundum Evangelium destinatum esse perspicuum satis est. S. Marcum enim, quum librum suum exararet, Iudaeo-Christianos prae oculis non habuisse, maxime apparet, si cum S. Matthaei opere comparatur. Dum enim in primo Evangelio continuo ad V. T. recurritur, atque vaticiniis impletis Iesum esse Messiam promissum demonstratur, in secundo rarissima sunt V. T. testimonia, nec unquam fere nisi in sermonibus Domini vel aliorum relatis afferuntur; praeclariora autem vaticinia tantum non omnia omittuntur [12]. Dum primum Evangelium satis frequenter ostendit, quaenam sit Evangelii ad Legem relatio, nihil eiusmodi in secundo invenitur [13]; Iudaeorum consuetudines religiosas lectoribus incognitas esse supponit ideoque explicat; parabolas autem illas, quae Iudaeorum moribus innituntur, omittit [14]. Eodem modo pleraque silentio praeterit, quae in Iudaeis, maxime Pharisaeis, sive a Ioanne B. sive a Domino reprehenduntur, uti illas quoque parabolas, quae magis contra Iudaeos erant directae [15]. In genere parcus est in parabolis afferendis, quibus Iudaei delectabantur, nam quatuor solas habet : unam de praeparatione ad regnum Dei suscipiendum requisita, duas de futuro Ecclesiae incremento, quartam de admissione gentium in Ecclesiam, quae quantopere ethnicis conversis fuerint adaptatae non est quod dicamus [16]. Quae omnia et multa alia, quae statim afferemus, evidenter demonstrant, non Iudaeis, sed ethnicis conversis secundum Evangelium proxime esse destinatum.

1. Praeter testimonia *S. Irenaei, Clementis Alex., Eusebii* supra (25) relata cfr. etiam *Clem. Alex.* Adumbr. in 1. Petr. ep. (M. 8, 732) : « Marcus Petri sectator, palam praedicante Petro Evangelium *Romae* coram quibusdam caesareanis equitibus et multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, ut possent quae dicebantur memoriae mandare, scripsit ex his, quae a Petro dicta sunt, Evangelium quod secundum Marcum vocitatur ». *S. Ephraem* Evang. concord. expositio ed. Moesinger p. 286 : « Marcus Simonem secutus est, et quum in urbem Romam profecti essent, ut perfecte recordarentur, si forte propter longum temporis spatium aliquid in oblivionem veniret, Marcum rogarunt, et scripsit, quodcunque acceperat ». *S. Epiph.* haer. 51, 6 (M. 41, 897 sq.) : « Itaque post Matthaeum statim Marco, qui Romae S. Petri comes fuit, scri-

bendi Evangelii provincia committitur. Quod quum fecisset, a B. Petro in Aegyptum mittitur ». *S. Hier.* de vir. illustr. 8; *V. Beda* ad Acc. Praef. in Marc. (92, 131), *S. Isidor. Hisp.* Etym. VI. 36 (M. 82, 233), *Theophyl.* Prooem. in Marc. (M. 123, 492) etc.

2. *S. Chrysost.* in Matth. hom. 1, 3 (M. 57, 17).

3. Quum Romae Marcum scripsisse testentur Patres Romanisque destinasse librum suum, cum *Baronio* (Ann. ad an. 45. n. 39 sq.) aliisque (cfr. *Bellarm.* Controvers. de verbo Dei II. 7 et 15) aliqui concludere voluerunt, primigenium secundi Evangelii textum latinum fuisse; quae sententia non parum roboris ex eo videbatur accipere, quod *S. Ephraem* (l. c.) et versionis syriacae codicumque quorundam graecorum subscriptiones latinam Evangelii originem asserant, ac praeterea Venetiis et Pragae latinum Marci autographum asservari dicatur. Attamen non tantum nullus unquam Pater de latino primigenio textu locutus est, sed praecipui Patres latini ipsi, *S. Augustinus* (de cons. Evang. I. 2. M. 34, 1044) et *S. Hieronymus* (ad Damas. Praef. in Evang.) disertis verbis graecam eius originem testantur. Codicum illorum subscriptionibus aliae nec pauciores numero nec inferiores auctoritate opponuntur, quae graece scripsisse Marcum testantur. Autographum vero illud, quod praetenditur, fragmentum est codicis Foroiuliensis (saec. 5. vel 6.), qui vulgatam textus correctionem exhibet (Cfr. de codicis huius historia *Danko* Hist. revel. N. T. p. 282; *Monfaucon* Iter italicum Paris 1702. p. 55). Praecipuum demum adversariorum argumentum, quod S. Marcus Romae Romanis non nisi latinum Evangelium scribere potuerit, falso inniti supposito ostendimus in *Introd. gener.* Ed 2. n. 137 p. 381 sqq.

4. Σπέκουλάτωρ (6, 27), ξέστης (sextarius 7, 4. 8), κοδράντης (quadrans 12, 42), κεντυρίων (15, 39. 44. 45), κῆνσος (12, 14), λεγεών (5, 9. 15, φραγελλοῦν (15, 15), δηνάριον, πραιτώριον, ἱκανὸν ποιῆσαι (satisfacere 15, 15), etc. Quaedam quidem ex his vocabulis, quum in hellenisticam dialectum essent recepta, etiam apud alios Evangelistas leguntur, sed latinismi in secundo Evangelio multo sunt frequentiores.

5. Cfr *Marc.* 15, 1, ubi Pilatus prima vice nominatur, cum *Matth.* 27, 2 et *Luc.* 3, 1; ipse *Ioan.* 18, 28, quando Iesum a Iudaeis in praetorium ductum esse refert, Pilati dignitatem indicandam esse censuit. — *Marc.* 15, 21 et *Rom.* 16, 13.

6. *Act.* 28, 12; *Rom.* 1, 5 : « per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei (i. c. ad obedientiam fidei efficiendam) *in omnibus gentibus,... in quibus estis et vos* »; 1, 13 : « ut aliquem fructum habeam et *in vobis, sicut et in ceteris gentibus* »; 15, 14 sq. : « audacius autem scripsi vobis... propter gratiam, quae data est mihi a Deo, *ut sim minister Christi Iesu in gentibus*, » etc.

7. *Seneca* apud *S. August.* de civ. Dei VI. 11 (M. 41, 192). Cfr. *Fl. Ioseph.* c. App. II. 39 « nulla Graecorum urbs est vel Barbarorum nec gens ulla, ad quam non pervenerit septimi diei, quem otiosi transigimus, celebrandi consuetudo, et apud quam ieiunia et lucernarum incensio et ciborum, quibus vesci nobis nefas est, distinctio non observentur ».

8. Cfr. *Iuvenal.* Sat. 14, 96 sqq.; *Tacit.* Hist. V. 5 etc.

9. Leges, quae vulgo noachicae vocantur, prohibent idololatriam et blasphemiam, homicidium, rapinam et rebellionem, incestum (connubia inter propinquos) et esum sanguinis ac suffocati.

10. *Act.* 13, 43 (οἱ σεβόμενοι προσήλυτοι) 13, 50; 16, 14; 17, 4 (καί τινες ἐξ αὐτῶν [Ἰουδαίων] ἐπείσθησαν... τῶν δὲ σεβομένων καὶ Ἑλλήνων πλῆθος πολύ), 17, 17; 18, 7. — *Fl. Ioseph.* Antiqu. XIV. 7, 2. « Mirum autem non est, quod tantae divitiae in nostrum templum congestae essent, πάντων τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἰουδαίων καὶ σεβομένων τὸν θεὸν... εἰς αὐτὸ συμφερόντων ». Moderni quidam interpretes rabbinicam illam distinctionem proselytarum iustitiae et proselytarum portae tempore Christi exstitisse negant; quum vero simul concedant, non omnes proselytas Iudaeorum fuisse circumcisos

nec omnes totam Legem observasse, quaestio de nomine potius est, quam de re.

11. Cfr *Schanz* Comm. p. 36 : « Fassen wir alle Momente in das Auge, so wird man die Mehrzahl der roemischem Gemeinde unter den Heidenchristen suchen müssen ». — Neotubingianorum opinio, romanam ecclesiam etiam post a. 50. (tempore Pauli) iudaeochristianam fuisse, hodie vix non est relicta, quia contrarium ex ep. ad Rom. nimis clare elucet. Sed hanc epistolam *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 561) non satis perpendit, quum definiri non posse teneat, utrum iudaicorum an ethnicorum neophytorum numerus tempore Pauli Romae praevaluerit. — Cfr *infra* Diss. II. § 8, n. 145 et Comment. in ep. ad Rom. 1896. p. 6 sqq.

12. Duo sola vaticinia Marcus ipse affert, sc. 1, 2. 3 et 12, 28; hoc alterum autem, quum in quatuor antiquissimis codicibus (B, ℵ, A, C) aliisque non paucis iunioribus et in versione sahidica desideretur, dubitatur, num apud Marcum genuinum sit, an ex Luc. 22, 37 velut glossa in nostrum locum irrepserit. — Christus quoque a Marco nunquam vocatur « filius David » (caecus autem eum hoc nomine salutat 10, 47 sq., et Scribis haec Messiae appellatio ita attribuitur, ut Dominus eam quodam modo repudiare videatur 12, 35-37), sed « filius Dei » aut « filius hominis ». Pro « regno coelorum » Marcus usurpat terminum « regni Dei ».

13. Sermo montanus (Matth. 5, 17 sqq.) omnino omissus est; item verba illa fere omnia praeterit, quae Iudaeis proximum ius ad Evangelium attribuunt (Matth. 10, 5; 15, 24 cfr. Marc. 7, 24-30); « nova » (1, 27) autem vocatur doctrina Iesu.

14. *Marc.* 7, 2-12; 14, 12; 15, 42; omissae sunt parabolae de nuptiis (Matth. 22, 2 sqq.), de virginibus fatuis (Matth. 25, 1 sqq.) etc.

15. Cfr. *Marc.* 1, 4 sqq. et Matth. 3, 7 sqq. — Matth. 8, 11 sq.; 12, 38 sqq.; 23, 1 sqq. omittuntur, uti parabolae de filio inobediente (Matth. 21, 28 sqq.) etc.

16. Cfr. *Marc.* 4, 3-9; 4, 26-30 (parabola haec de semine, quod germinat et crescit, agricola ipso non adiuvante, Marco est propria), 4, 31. 32; 12, 1-9.

29. — QUEMNAM FINEM autem S. Marcus in libro suo scribendo sibi proposuit? Quoniam magna est inter duo priora Evangelia similitudo, ita ut verbis haud raro consonent, olim multi putaverunt et hodie multi putant alterutrum ab altero dependere; atque inter illos, qui Marcum Matthaei librum cognovisse et adhibuisse contendunt, alii quidem compendium quoddam primi Evangelii condere, alii vero illud supplere, alii demum ordinem chronologicum, qui in priore desideratur, restituere eum voluisse dicunt[1]. Quae opiniones omnes labili admodum nituntur fundamento; parum enim probabilem habemus sententiam illam, quae similitudinem synopticorum Evangeliorum ex eo derivat, quod iuniores Evangelistae praedecessorum suorum opera adhibuerint et expilaverint; sed hac quaestione, quae infra tractanda erit, seposita, attenta duorum priorum Evangeliorum lectio satis docet, Marcum nec primum Evangelium abbreviasse, nec illud supplevisse aut complevisse, nec eius ordinem chronologicum restituisse.

S. Augustinus quidem, quum B. Marcum « pedissequum et breviatorem Matthaei » appellet[2], a prima opinione non longe videtur abfuisse, at non solum, si haec revera eius sententia fuit, antiquiorum Patrum testimonio contradicit, qui omnes illam secundi a primo Evan-

gelio dependentiam ignorant, sed etiam ipso libro demonstratur errasse. Etsi enim secundum primo Evangelio longe sit brevius, nullo tamen modo eius compendium dici potest. Namque alium prorsus sequitur ordinem; atque si una ex parte multa, quae in primo leguntur, prorsus omittat, pauca brevius narret, altera ex parte etiam nonnulla addit, in plerisque autem, quae utrique communia sunt, tantum abest, ut Marcus breviatorem agat, ut multis circumstantiis additis res fusius, quam Matthaeus, narret[3]. Multo minore autem cum iure primum Evangelium complevisse aut supplevisse asseritur. Etenim si hoc eius consilium fuisset, tot et tanta non omisisset. Neque ordinem chronologicum restituere voluit, quum ipse illum non ubique servet et quam plurima relinquat, quorum ordo chronologicus in primo Evangelio desideratur[4].

Omissis igitur opinionibus illis, quae nec Patrum auctoritate nec Evangelii indole nituntur, ex libro ipso definiamus, quem finem auctor eius sibi proposuerit. Qua in re id ante omnia prae oculis habeamus oportet, S. Marco in scribendo Evangelio non aliud fuisse, atque S. Petro in eo praedicando, consilium; discipulum enim magistri praedicationem literis mandasse inde a S. Papiae, vel potius ab ipsius S. Ioannis Apostoli aetate, Patrum est traditio unanimis et constans. Iam vero S. Petrum reliquosque Apostolos aliam, quum Iudaeis praedicarent, aliam, quum ethnicos ad fidem adducerent, docendi methodum tenuisse ex rei ipsius natura perspicuum est; auditoribus enim magistri sese accommodent necesse est. Iudaeochristianis igitur, qui a pueris Messiam exspectaverant, Iesum Nazarenum esse Messiam per Prophetas promissum demonstrandum erat, ut in fide confirmarentur; quoniam V. T. libri summa atque divina apud eos gaudebant auctoritate, illorum testimonium negligere non potuerant Apostoli, si « scandalum crucis » tollere veramque esse Domini doctrinam iis persuadere voluerunt. Hunc revera finem prosecutum esse et hanc viam tenuisse Matthaeum, quum Iudaeis conversis Evangelium suum destinaret, supra demonstravimus. At proselyti illi et ethnici, ex quibus ecclesia primitiva romana coaluit, aut nullam omnino aut incertam dumtaxat et obscuram Messiae ideam habebant, libris autem V. T., etiamsi aliqualem forte eorum scientiam in synagogis iudaicis hauserant, non eandem, quam Iudaei, tribuebant auctoritatem. Quid igitur S. Petrus effecisset, si Iesum esse Messiam promissum testimoniis Prophetarum impletis demonstrasset? Sine ullo dubio argumentum ex V. T. vaticiniis desumtum etiam ethnicos convincere potuit ac debuit; attentio enim eorum excitabatur, si iam multis saeculis antea redemtoris, qui annuntiabatur, vitam videbant praedictam, atque vaticiniorum illorum accurata impletio efficacissimum eis quoque erat credendi motivum. At multo longior erat haec via et difficilior. Ut plena

cum fide Iesu Christo adhaererent eiusque doctrinam divinam toto cordo amplecterentur, citius et efficacius adducebantur neophyti illi romani, si Iesum Dei illius, quem proselyti iam unicum adoraverant, Filium esse eique utpote « omnium Domino » plene subiectos esse ipsos daemones, quos ethnici velut deos suos venerati erant, convincebantur. Quapropter a vero non aberrare nobis videmur, si Petrum in suis catechesibus romanis illud semper prae oculis habuisse censeamus, ut auditoribus suis duplicem hanc veritatem inculcaret, qua ad integram Domini doctrinam amplectendam magis magisque eos disponeret. S. Marci autem Evangelium, si nihil est aliud nisi Evangelium a Petro praedicatum, eundem quoque duplicem finem exhibeat necesse est. Ac profecto *integrum in eo est, ut Iesum esse Filium Dei eiusque supremo dominio, uti reliqua omnia, ita etiam ipsos daemones subiacere doceat atque hac ratione lectorum animos et corda ad divinam eius doctrinam recipiendam praeparet*[5]. Qua ratione integer liber explanatio quaedam est et demonstratio verborum illorum, quae prima ad primos ethnicos romanos convertendos fecit S. Petrus, ad Cornelium scilicet centurionem eiusque familiam[6].

1. Optime has opiniones refutat *Patrizi* De Evang. I. p. 59.

2. *S. Aug.* de cons. Evang. I. 2 (M. 34, 1011). Magna S. Doctoris auctoritas effecit, ut non pauci iuniores Patres et interpretes eandem sententiam sint amplexi. At recte iam *Baronius* (Annal. a. 47. n. 55) monuit : « Quod vero Augustinus Marcum dicat fuisse breviatorem Matthaei, non ita accipiendum est, ut Evangelium a Matthaeo editum Marcus redegerit in compendium, sed quod multa, quae a Matthaeo fusius essent narrata, Marcus secundum quod a Petro accepisset breviore narratione descripserit ». Cfr. *Corn. a Lap.* (in Marc. Argum.), qui eodem modo Augustinum explicat. *Ven. Beda* tamen (Praef. in Marc. M. 93, 205) verba illa, ut videntur sonare, defendit, quia « Marcus cum solo Ioanne nihil dixit, solus ipse perpauca, cum solo Luca pauciora, cum Matthaeo autem plurima fere totidem atque ipse verbis sive cum solo sive cum ceteris consonante ».

3. *Patrizi* De Evang. I. p. 59 sqq. accurato utriusque Evangelii examine instituto in tabulis ea exhibet, quae a Marco brevius aut fusius narrantur; examinis autem summam exprimit his verbis : « Etsi Marcus pauca quaedam breviora fecerit, quam sunt apud Matthaeum aut vix attigerit..., longe tamen plura sunt facta et dicta, quae vel multo plenius, vel ipse primus refert, vel iis supplet, quae Matthaeus praeterierat, ut tot rerum adiuncta taceam, quorum meminit ».

4. Sententiam hanc proposuerunt et evolverunt *Hug* (Einl. II. p. 107 sqq.; maxime 117 sq.) et *Cellérier* (Essai d'une introduction au N. T. Genève 1823. p. 284 sqq. . Cfr. quae contra eos disserit *Patrizi* (l. c. p. 61). Mirum tamen, quod egregius interpres, qui praedecessorum suorum sententias optime refutavit, aliam rationem, cur Marcus Evangelium a se conscriptum Romanis tradere maluerit quam Matthaei librum, se reperire non potuisse fateatur, nisi quod Marco non graecum, sed solum syrochaldaicum Matthaei exemplar in manibus esset, quum Romae Evangelium suum componeret. Num revera Marcus non scripsisset librum suum, si graecus Matthaei textus iam tunc temporis propagatus fuisset? Et si Matthaeum Romanis sufficere putavit, cur

cum graecitate non donavit, sed novum Evangelium diversum composuit? (Cfr. *Grimm* Einh. der Evang. p. 495).

5. Lud. de *Tena* (Isagoge p. 241 B) : « Intentum Marci est probare hominem illum, qui vocatur Iesus Christus, esse verum et summum mundi imperatorem, quod isto probat discursu : Ille, cui omnes potestates parent, supernae et infernae, visibiles et invisibiles, est summus mundi imperator; atqui potestati hominis Christi Iesu omnes istae potestates parent; ergo » ; *Goldhagen* (Introd. III p. 59) « Iesum, quem Matthaeus demonstravit esse Messiam promissum, Marcus regem summum rerumque omnium dominum esse ostendit ». Ex modernis *Coleridge* (Life of our live. Pref. p. XXII sqq.), *Bacuez* (Manuel III. 87-93), *Fillion* (Comment. Préf. p. 1-18) quaestionem de fine secundi Evangelii omittunt; *Reithmagr* (Einl. p. 388) et *Valroger* (Introd. p. 65) externam scribendi occasionem, quam indicavit Papias, pro solo fine statuunt; *Messmer* (Introd. p. 33) : « Filium Dei nobis ostendit revelantem sese creaturis, ut omnem creaturam evehat ad fidem supernaturalem » ; *Glaire* (Introd. V. p. 119) : « En lisant le récit des œuvres de la puissance divine de Jésus, récit qui fait le fond de presque tous ses chapitres, il est impossible de ne pas connaître, que *l'évangéliste a voulu prouver, que ce même Jésus était le maître souverain de toutes choses* » ; *Bisping* (Handb. II. p. 6) : « Er will die *goettliche Sendung* Iesu aus seinen *Thaten* zeigen » ; *A. Maier* (Einl. p. 70) : « Der Evangelist will Iesus als den *Sohn Gottes* darstellen » ; *Aberle* (Einl. p. 46) : « Es ist verfasst um *den Heiden* den Beweis zu liefern, dass Iesus wirklich *der Sohn Gottes* sei » ; *Schanz* (Comm. p. 41) : « Marcus *wollte den Beweis für die Gottessohnschaft Iesu* liefern, indem er einerseits *die Lehre als eine neue, bisher unerhoerte* darstellte, welche auf die Zuhörer eine bloss durch göttliche Macht erklärbare Wirkung hervorbrachte, andererseits aber Iesus als *Wunderthaeter* schildert, der nicht nur mit goettlicher Kraft ausgerüstet, sondern Gott selbst sein muss ». A quibus omnibus magis minusve nobiscum consentientibus prorsus discedit *Grimm* (Einh. des Evang. p. 506 sqq.), qui nec Iudaeis nec ethnicis peculiari modo Evangelium nostrum destinatum putat, sed Marcum medium inter utrosque positum eos quasi conciliare voluisse censet. Inter *protestanticos interpretes*, qui fidem non plane abiecerunt, *plerique* etiam tenent Marcum divinitatem Iesu demonstrare voluisse; cfr. ex. gr. *Thomson* Gener. Introduction to the Gospels (the Speaker's Commentary N. T. I. p. XXXV); *Keil* Comment. über d. Evang. des Marc. und Luk. Leipz. 1879. p. 6 sq. etc.

6. *Act.* 10, 36-42. Cfr. supra 26 p. 91

Thesin, quam evolvendam et demonstrandam assumsit, S. Marcus in ipsa operis inscriptione statuit : « Initium Evangelium Iesu Christi, *Filii Dei* »[7]. *Ad divinam autem Iesu naturam demonstrandam* nec Petri ipsius nec reliquorum Apostolorum solas assertiones aptas fuisse in aperto est; quapropter professiones fidei, quae in aliis quidem Evangeliis leguntur, in nostro autem nihil nisi theseos repetitiones fuissent, omisit Marcus[8] centurionis tantum romani, qui Christi morti adfuit, testimonio retento, ut dubitationem quandam, quam in neophytorum ethnicorum animis passionis et mortis narratio forsitan provocaverit, praecaveret[9].

Alteram idcirco demonstrationis viam iniit argumentumque elegit, quo facilius et fortius ad ethnicorum animos convincendos non possidemus, miracula scilicet Domini, quorum, quum Petrus et Apostoli testes oculares fuissent, veritas extra omnem dubitationem erat. Inter Evangelia

aliud non habemus, quod magis, quam nostrum, in miraculis narrandis versetur eisque tantum, quantum nostrum, locum tribuat. Statim ab initio Evangelista in medias res nos abripit. Infantiae historia, cuius Petrus testis ocularis non fuerat, prorsus omissa praedicationem Ioannis B. et Domini baptisma indicat potius, quam narrat, ut occasionem habeat Dei ipsius testimonium afferendi, qui sollemni modo Iesum Nazarethanum Filium suum dilectum declaravit; iterumque historia ieiunii et tentationum omissa, vel si mavis brevissime indicata, venit ad primorum Apostolorum electionem, qui « testes praeordinati a Deo » « a baptismate Ioannis usque in diem, quo assumtus est Iesus in coelum » omnibus rebus ab eo gestis interfuerunt, ut eas praedicarent « omni creaturae »[10]. Quibus praemissis statim transit ad miracula : daemoniacus liberatur, socrus Petri sanatur, varii languores curantur et multa daemonia eiiciuntur, leprosus mundatur, paralyticus sublato grabato abit coram omnibus[11]. Eodem modo in longe maiore Evangelii parte miracula primum locum tenent; quamquam brevissimum omnium est, non tantum miracula, quae Matthaeus habet, quatuor exceptis[12], omnia refert eaque vel nominibus eorum, qui sanati sunt, vel aliis circumstantiis loci et temporis additis exactius narrat, sed nonnulla nova addit[13]. Longos vero illos sermones dominicos sive ad Apostolos sive ad turbas habitos, quos reliqui Evangelistae afferunt, Marcus fere omnes aut silentio praeterit aut paucis verbis attingit, atque in genere doctrinam Domini quasi in transitu et excepto c. 4. non nisi cc. 10-13 magis ex professo proponit. Ac si vetus adagium « brevem esse viam per exempla » coram oculis habuisset, Dominum ostendit « transeuntem benefaciendo », ut quid ipsi facere debeant, lectores exemplo Domini doceantur. Neque narratione miraculorum contentus turbarum quoque admirationem, quam potentia sua et benignitate Dominus excitavit, adnotare non omittit, ut evidentius eluceat, illum non fuisse merum hominem[14]. In fine iterum Evangelii miracula ipsa primo in loco ponuntur; nam resurrectio, qua mortis dominatorem sese ostendit Dominus, tot testimoniis fulcitur, ut de ea dubitare iam nemo possit; atque demum enumerantur signa, quae eos, qui crediderint, secutura sint[15]; qua enumeratione id obtinet Evangelista, ut miracula, quae Romani a Petro patrata ipsi videbant, ad Iesu divinam potestatem demonstrandam ac proin ad thesin confirmandam inserviant. Rectissime igitur secundum Evangelium vocari potest *Evangelium miraculorum Domini*[16].

7. *Marc* 1, 1. In ultima sua editione critica *Tischendorf* verba « υἱοῦ θεοῦ » velut spuria omisit, quia in ℵ et duobus minusculis (28. 255.) non inveniantur et aliqui Patres illa ignorasse videantur : « ineptum vero totique textus sacri historiae repugnans foret, tale quid modica fide sublatum, quam pietate male sedula illatum dicere » (*Tisch.* N. T. Ed. 8. I. p. 215). Item *Westcott* et *Hort* (Text. p. 73; cfr. Notes p. 23), etsi verba

non plane reiiciant, illa tamen velut dubia in margine posuerunt. At sanae criticae regulas viri docti transgressi sunt, quum haec verba in dubium vocarent. In Sinaitico codice a primo correctore, quem librario ipso vix iuniorem esse declarat Tischend., iam sunt addita, omnes reliqui codd. graeci, omnes antiquae versiones illa agnoscunt; *S. Irenaeus* (c. haer. III. 10. 16. M. 7, 878. 922) ex illis iam contra haereticos argumentatur. Quod si *Origenes*, *Basilius*, *Epiphanius*, *Hieronymus* et si qui sunt alii in primo Marci versu allegando illa omiserunt, id difficultatem non creat; etenim Marcum a praedicatione Ioannis B. initium Evangelii fecisse docere voluerunt, quem in finem verbis illis non indiguerunt. Simili modo ipse *S. Irenaeus*, qui certissime illa in suo codice legit et genuina habuit, illa omittit, ubi initia quatuor Evangeliorum recitat (c. haer. III. 11. M. 7, 888).

8. *Matth.* 14, 33; 16, 16; Ioan. 6, 70 etc. Interroganti Domino « Vos vero quem me esse dicitis »? apud *Marc.* 8, 27 respondet Petrus : « Tu es Christus ». Cod. Sin. quidem cum paucis aliis (L. 13. 69. 124. 346) et paucissimis versionum Italae, Syriacae, Persicae manuscriptis lectionem exhibet : σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ (τοῦ ζῶντος). At non tantum aliorum codicum omnium auctoritate, sed interna quoque ratione supra indicata haec lectio improbabilis redditur.

9. *Marc.* 15, 39; cfr. *Matth.* 27, 54; *Luc.* 23, 47, qui tamen habet : Ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν.

10. *Marc.* 1, 1-11; 1, 12. 13; 1, 14-20. Cfr. *Act.* 10, 41; 1, 22; Marc. 16. 15.

11. *Marc.* 1, 22-27. 30-31. 34. 40-44; 2, 1-12.

12. Omittit sanationem pueri centurionis (Matth. 8, 5-13), duorum caecorum et daemoniaci muti (Matth. 9, 27-34) atque staterem in ore piscis inventum (Matth. 17, 24-27). Ultimum sine dubio reliquit, quia ob humilitatem suam Petrus illud tacuerat.

13. Nomina addit *Marc.* 5, 22; 10, 46 cfr. Matth. 9, 19; 20, 28; alias circumstantias *Marc.* 2, 2 sqq. cfr. Matth. 9, 2; Luc 5, 1 et frequentissime. Ad Matthaei miracula addit *Marc.* 1, 22-28; 6, 13; 7, 31-37; 8, 22-26 etc.

14. *Marc.* 1, 27. 33. 45; 2, 12; 4, 40; 5, 20; 6, 14. 51; 7, 36 sq. etc.

15. *Marc.* 16, 5-14; 16, 17. 18.

16. *Maldon.* in Marc. 1, 1. « Non tam historiam de tota vita Christi, quam compendium de eius doctrina *atque miraculis*, *quibus confirmata doctrina esset*, *scribere volebat* ». *Aberle* (Einl. p. 46) : « Man kann sogar behaupten, dass Marcus geradezu das Evangelium der Wunderthaten der Herrn sei ».

At alter quoque eius character probe est considerandus. Etenim Iesus, si multis suis miraculis se omnium virium naturae dominatorem exhibuit, ad cuius solam vocem venti et mare quiescunt, panes multiplicantur, aegroti omnes sanantur, mortui ad novam vitam resurgunt, aliis miraculis *dominium quoque suum absolutissimum in daemones* manifestavit. Primum miraculum, quod S. Marcus narrat, est eiectio daemonis, qui Filio Dei testimonium reddere cogitur : « Quid nobis et tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio, qui sis, Sanctus Dei »; eodemque modo alia daemonia, quae Iesus eiecit, eius divinitatem cognovisse aperteque eam professa esse narrat [17]. Quantopere autem hanc Christi in daemones potestatem lectoribus suis inculcare voluerit, quum ex frequenti istius commemoratione[18] tum maxime ex modo elucet, quo de ea loquitur. In principio Evangelii totam vitam publicam Iesu hisce

verbis comprehendit : « Et erat praedicans in synagogis eorum et in tota Galilaea *et daemonia eiiciens* »[19], ac si praedicatione et dominii in daemones exercitio totum eius ministerium absolvi censeret. In medio deinde Evangelio, ubi missionem primam Apostolorum refert, eodem loquendi modo utitur : « coepit eos mittere binos et *dabat illis potestatem spirituum immundorum* »[20]. Et iterum in secunda Apostolorum missione, ubi in totum mundum exire iubentur, inter signa facienda primo loco enumerat : « *In nomine Iesu daemonia eiicient* ». Hanc ergo potestatem ita Iesu propriam esse ostendere voluit, ut eam non solus exercuerit, sed cum iis quoque, quos voluit, communicaverit atque eius solum nomen ad daemones fugandos satis fuerit. Quo clarius autem appareat, quam horrendum daemonibus sit sanctissimum Iesu nomen ac proin quantum Domini ipsius in eos dominium, S. Marcus illos quoque, qui discipuli non fuerant, nominis istius virtute spiritus immundos expulisse narrat[21].

Quae omnia, quum clarissime doceant summae curae Marco fuisse, ut et divinam esse Iesu Nazareni potestatem demonstraret adstrueretque eius in omnia atque adeo in ipsos daemones, quos superstitioso cultu ethnici venerabantur, dominium absolutissimum, omnem ni fallor dubitationem removent, quin duplici hoc Evangelii charactere praecipuus eius finis insinuetur[22]; praesertim quum finis hic illis apprime consonet, quae de secundi Evangelii origine et destinatione Patres tradiderunt. Ad conlusionem autem confirmandam *tertium Evangelii characterem* paucis adumbremus. Romanis, ut ea, quae Petrus de Domini miraculis supremoque domino narravit, viva et perfecta fide admitterent, ante omnia, ut patet, de testis ipsius scientia et auctoritate constare debuit; revera non primo cuique, sed « testibus a Deo praeordinatis » munus incumbere ut ea, quae Dominus egit et docuit, omni creaturae annuntient, monuit S. Petrus[23]. Quinam vero « testes praeordinati » illi sint quaeque illis competat auctoritas, sollerter docet S. Marcus. Dum enim una ex parte saepius refert, Dominum non tantum severe prohibuisse, quominus daemones ipsi testimonium redderent, sed etiam vetasse, ne illi, quos sanaverat, beneficia recepta promulgarent[24]; altera ex parte Apostolorum vocationem, institutionem, missionem accurate narrat, eosque semper, ut ita dicam, in proscenio collocat. Chronologico neglecto ordine ante primum miraculum relatum Petrum cum tribus aliis discipulis vocatum esse refert, et a principio Evangelii usque ad finem Iesum, etiam quando a turbis se retrahebat, a discipulis circumdatum ostendit[25]. Duodecim deinde Apostolorum electionem enarrat eorumque, postquam antea *soli* de natura regni novi, quod annuntiare debuerunt, edocti et magno miraculo in fide confirmati sunt, primam missionem[26]. Reducibus autem ex illa Dominum singularem curam tribuisse docet, ut eos ad « praeordinatorum testium » munus praepararet, atque de-

mum eos solos post resurrectionem familiariter cum Domino egisse et mandatum accepisse, ut omni creaturae praedicarent Evangelium[27]. Neque illud censeo esse omittendum, quod saepius, quam reliqui Evangelistae, Marcus referat, incredulitatem discipulorum a Domino esse vituperatam[28], ac si hac ratione ostendere voluisset, non facili negotio nec levibus argumentis eos permotos esse, ut ipsi illa admitterent, quorum testes esse debuerunt[29]. Sollicitudo autem haec, qua toties de Petri aliorumque Apostolorum praeparatione ad missionis munus loquitur, quem alium habuit finem, quam ut eorum auctoritatem testimoniique, quod de Christi miraculis, doctrina, natura tulerunt, fidem augeret et extolleret[30]?

17. *Marc.* 1, 23 sqq. cfr. 1, 34; 3, 11. 12.; 5, 7.

18. *Marc.* 1, 23-27; 1, 34; 1, 39; 3, 11 sq.; 3, 15; 3, 22-27; 5, 2-20; 6, 7-13; 7, 25-30; 9, 16-28; 9, 37; 16, 9; 16, 17. Notatu dignum quoque est, quod Marcus longe frequentius, quam reliqui, daemonia appellet πνεύματα ἀκάθαρτα; apud Matthaeum tantum bis, et apud Lucam sexies terminus hic legitur, apud Marcum autem undecies. Daemon enim et daemonium Graecis et Latinis genius sive bonus sive malus erat. *Cic.* Divin. 1, 54 « Esse divinum quiddam, quod Socrates daemonium appellat ».

19. *Marc.* 1, 39. Cfr. *Matth.* 1, 23 « Et circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni et *sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo* ».

20. *Marc.* 6, 7. cfr. 6, 12. 13 et 3, 15. Cfr. *Matth.* 10, 7. 8; *Luc.* 9, 1. 2.

21. *Marc.* 16, 17; 9, 37.

22. Si quis vero difficultatem in eo invenerit, quod S. Ioannes, quamquam ipse quoque divinitatem Domini demonstrare voluit, aliam prorsus viam inierit, respondebimus S. Petrum, cuius praedicationes nobis conservavit S. Marcus, catechumenos ethnicos hoc dogma docere voluisse, S. Ioannem vero idem dogma contra haereticos stabilivisse et defendisse. Sed de hac quaestione infra (63. sqq.) recurret sermo.

23. *Act.* 10, 41.

24. Cfr. *Marc.* 1, 24 sq.; 1, 34; 3, 12; — 1, 43 sq.; 5, 43; 7, 36; 8, 26. Quod daemoniorum testimonium repudiaverit Dominus, facile intelligitur; in assignanda autem ratione, ob quam sanatos a se beneficium promulgare vetaverit, non consentiunt Patres; veram, ni fallor, indicavit *S. Hilarius* (in Matth. 9, 30. M. 9, 905) : « *quia Apostolorum proprium erat praedicare* »; « praeordinatos » voluit testes.

25. *Marc.* 1, 16 sqq.; 1, 35. 36; 3, 7; 6, 1 etc.

26. *Marc.* 3, 13 sqq., 4, 10 sqq.; 4, 35 sqq.; 6, 7 sqq.

27. *Marc.* 6, 30 sqq.; cfr. praesertim 7, 1 sqq.; 8, 27-10, 31; 13, 1-27.

28. *Marc.* 4, 40; 6, 52; 8, 17 sqq.; 9. 18; 16, 14.

29. *S. Hier.* in Matth. 28, 17 (M. 26, 218) « Dubitatio eorum nostram auget fidem ». Cfr. etian *S. Chrys.* in princ. Act. Ap. hom. 4, 8; in Act. Ap. hom. 1, 4 etc. (M. 51, 109; 60, 19).

30. Rectissime *Schanz* (Comm. p. 43) « Mit dem Zwecke, die roemischen Christen im Glauben an Iesus Christus, den Sohn Gottes, zu befestigen, haengt die Erscheinung zusammen, dass im Marcusevangelium die Jünger so sehr in den Vordergrund treten. Sie sind nicht bloss Zeugen des Erzaehlten, sondern auch die von Iesus bestellten und unterrichteten Vertreter seiner Stiftung ».

Quaestio IV. — Quis Evangelii secundi sit ordo.

30. — Ut ordinem, quem secutus est Marcus, cognoscamus, ad S. Papiae testimonium supra allatum revertamur oportet[1]. Marcum igitur ait Christi dicta et facta, quorum meminit, accurate quidem *sed non ordine* perscripsisse; rationem vero, ob quam ordinem neglexerit, illam dat, quod ipse Dominum non sit secutus, sed Petri tantum auditor fuerit, « qui pro (auditorum) necessitate doctrinam tradidit, non vero ut rerum dominicarum seriem (σύνταξιν) contexeret. Ideo excusandum esse Marcum, qui nonnulla (ἔνια) ita scripserit, prout eorum recordatus sit, quum ad id unum semper intentus fuerit, ne quid eorum, quae audierat, praetermitteret, neve in iis falleret ». Mirum est, quod verba haec, quamvis clarissima sint, a variis interpretibus vario modo explicentur, et quod de ordine, quem in Marci Evangelio inveniri negat Papias, disputari potuerit[2]. Quicunque enim animo a praeiudicatis opinionibus vacuo testimonium legerit, non potest dubitare, quin de chronologico ordine loquatur. Ad quid enim ratio addita, quod Marcus ipse Dominum secutus non fuerit, si de chronologia non est sermo? Num forte, qui Christi discipulus non fuit, eius dicta et facta secundum alium ordinem disponere non potuit? Petrus, utpote Christi discipulus (haec est Papiae argumentatio), seriem chronologice ordinatam (σύνταξιν) rerum dominicarum dare quidem potuit, sed noluit, quum eas pro auditorum necessitate proferre mallet; Marcus autem hanc seriem chronologicam restituere nequivit, quia rebus gestis ipse non interfuerat; atque ita factum est, ut non omnia quidem, sed *nonnulla* (ἔνια) non recte sint disposita, si ad temporis, quo singula acciderunt, rationem attendatur.

Cui descriptioni revera correspondet Evangelium nostrum. Si enim cum tertio comparatur, in quo ordinem chronologicum retentum esse demonstrabimus (41), pleraque eodem ordine a Marco tradita videmus et pauca tantum alio modo disposita. Namque si temporis seriem accuratam observasset, quum a galilaico Domini ministerio inciperet, primo loco post baptismum repulsionem narrasset, quam a Nazarethanis passus est Iesus; illis deinde miracula in Capharnaum facta adiunxisset ac tum demum vocationem primorum discipulorum[3]; quo chronologico ordine neglecto miraculis praemittit Petri aliorumque vocationem, repulsionem autem illam non nisi multis aliis interiectis affert[4]. Lapsui memoriae hanc ordinis inversionem adscribere videtur Papias, aptius vero illam ex Evangelistae fine explicabimus. Quia scilicet ob Nazarethanorum incredulitatem Iesus « non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit » (6, 5), factum hoc ad thesin suam de divina Domini potentia stabiliendam parum aptum

primo in loco ponere noluit illudque narravit, postquam aliis miraculis narratis animos ad illud intelligendum praeparavit. Vocationem vero discipulorum primis miraculis praemisisse est dicendus, ut Apostolos ceu eorum testes oculares produceret; revera enim coram eorum oculis facta erant. Simili modo explicatur, cur refutationem calumniae, quod Dominus in Beelzebub daemonia expulerit, iam in initio Evangelii attulerit, quamquam ex temporis ratione post transfigurationem et quae eam secuta sunt narranda fuit[5]. Qui autem sequuntur pauci versus de matre et fratribus, ut Iesum viderent, venientibus, illos hoc iam loco, opinor, addidit, ut ostenderet, quo in loco Dominus Apostolos suos, quorum electio immediate antea narrata est, habuisset[6]. Praecipuae hae sunt ordinis chronologici inversiones; etenim in eo, quod 6, 17-29 mortem Ioannis B. referat, quae si temporis ratio spectatur, ante 6, 14-16 ponenda erat, aut simili modo unctionem pedum Domini 14, 3-9) non ante, sed post 14, 1. 2 tradat, ordinem chronologicum non laesit, quia parenthetico modo istae narrationes insertae sunt.

Chronologicum igitur ordinem sequitur S. Marcus, quare secundi Evangelii analysin tradere vix operae pretium est; ut autem clarius appareat, qua ratione Evangelista finem a nobis indicatum prosequatur, brevem adscribere non pigebit[7].

1. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20, 300). Cfr. supra 25.

2. Non satis intelligimus, quomodo *Schanz* (Comm. p. 34) nullo argumento allato asseruerit : « Es (sc. Papiae testimonium) *kann nicht* von der chronologischen Ordnung verstanden werden ». Si Marci ordinem cum ordine Matthaei a Papia comparari putat, non attendit de Matthaei Evangelio nondum fuisse sermonem nec ullum lectorem hanc comparationem suspicari potuisse. Obstat autem praecipue ratio addita : οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ. Mirum quoque, quod *A. Maier* (Einl. p. 77) nodum solvi putaverit, si Papias, quum de Marci ordine loqueretur, Matthaei ordinem, de quo postea locuturus erat, *in mente* iam habuisse dicatur. At num talem ineptiam Papiae imputabimus, ut nostra praeiudicia defendamus?

3. Cfr. *Luc.* 4, 14-5, 12. Dubitatur autem a multis, utrum iter nazarethanum, de quo Luc. 4, 16 sqq., idem illud sit, de quo *Marc.* 6, 1 sqq. et *Matth.* 13, 54 sqq. Ratio dubitandi prima est quod Matthaeus *duo* itinera nazarethana commemoret (4, 13 et 13, 54); recte autem responderi puto de unico itinere loqui Matthaeum, de eo scilicet, quod Lucas initio ministerii galilaici factum esse narrat; illud enim a Matthaeo 4, 13 *indicari* quidem, ut explicet, quomodo in Iesu, quamvis fuerit Nazarethanus, impletum sit Isaiae (9, 1) vaticinium, idem autem Matth. 13, 54 *narrari*, ut explicet, quomodo etiam sapientia Domini cognita non suffecerit ad Iudaeorum incredulitatem vincendam. Neque obiiciatur in alio libro historico nos certe, si eodem modo, quo a Matthaeo, res narratae essent, duplex iter esse admissuros; S. Matthaeum enim historicum agere negamus atque praesertim in tota illa prima parte dogmaticus tractandi modus praevalet. Minoris momenti reliquae sunt dubitandi rationes, quod sc. apud Matth. et Marc. narratio haec intimo nexu cum praecedentibus cohaereat, et quod relatio Lucae ita a duabus aliis relationibus differat, ut de eodem facto intelligi nequeant; secundum Matth. et Marc. enim Dominus aliqua miracula in patria sua patravit, secundum Lucam nulla. Nam quod ad nexum attinet, si chronologicus intelligitur, tria erunt

itinera nazarethana statuenda, quia alter nexus apud Matth., alter apud Marc.; si vero rerum nexus intelligitur, eum adesse fatemur, sed nihil ex eo deduci patet. Neque a Luca omnia miracula *excludi* recte dicitur; illa enim, quae Matth. et Marc. de miraculis tradunt, apud Luc. 4. inter v. 30. et v. 31 apte inseruntur; Dominum enim *statim ex monte*, ex quo illum praecipitare voluerant Iudaei, Capharnaum esse profectum Lucas non asserit; nec quidquam obstat, quominus Iudaeos miraculosa Domini liberatione perculsos eum in civitate aliquos dies retinuisse dicamus. Ceterum de hac quaestione difficili et impedita cfr *Grimm.* (Einh. der Evang. p. 191 sqq.), cuius sententiam equidem praefero, et *Knabenbauer* (Comm. in Matth. 1892. I. p. 547), qui alteram strenue tuetur.

4. *Marc.* 1, 16-20. 21-45; 6, 1-6.

5. *Marc.* 3, 22-30; cfr. *Luc.* 11, 14 sqq.

6. *Marc.* 3, 31-35; cfr. *Luc.* 8, 19-21. Dubitari quoque potest, utrum interrogatio de maximo in Lege praecepto sit Domino proposita brevi ante passionem, id quod indicare videntur *Matth.* 22, 34-40 et *Marc.* 12. 28-34, an in eius itinere versus Ierusalem, uti habet *Luc.* 10, 25-28. Quum enim de toto hoc itinere, quod fuse narrat *Luc.* 10, 1-18. 14, taceant, Matthaeus et Marcus illa, quae ex hoc itinere fini suo apta iudicarunt, aliis in locis inserere potuerunt.

7. Plerique interpretes catholici, quum Marcum ordinem chronologicum sequi nobiscum teneant, divisionem libri non indicant; qui vero eam indicant, inter se non consentiunt. *Bisping* (Handb. II, p. 7) duas partes distinguit (Historiam publicae vitae Iesu tamquam Messiae 1, 1-13, 37, et historiam passionis et glorificationis Iesu 14, 1-16, 20), quas secundum temporis rationem subdividit (Inauguratio et tentatio Messiae 1, 1-13; Iesu ministerium usque ad Apostolorum electionem 1, 14-3, 12; ab eorum electione usque ad eorum missionem 3, 13-6, 6 etc). *Messmer* (Introd. p. 32) praeter Introitum de praedicatione Ioannis et baptismo Christi (1, 1-13) tres partes facit : I. Revelatio Christi inter Iudaeos eorumque resistentia (1, 14-6, 13), II. Christi secessus et revelatio esoterica inter suos seorsum (6, 14-9, 49), III. Christi iter in fines Iudaeae et ultima ejus fata (10, 1-16, 20). Tres quoque partes facit *Fillion* (Comment. p. 20 sq.) : Préambule 1, 1-13; I. Vie publique de N. S. (1, 14-10, 52); 1. Ministère de Jésus dans la Galilée orientale (1, 14-7, 23); 2. Ministère de Jésus dans la Galilée occidentale et septentrionale (7, 24-9, 49); 3. Jésus en Pérée et sur le chemin de Jérusalem (10, 1-52); II. Les derniers jours et la passion de Jésus (11, 1-15, 47); 1. Entrée triomphale de Jésus à Jérusalem (11, 1-11); 2. Le Juge messianique (11, 12-13, 37); 3. Christus patiens (14, 1-15, 47); III. Vie glorieuse de N. S. (16, 1-20 : Le Christ ressuscité 16, 1-14; le Christ montant aux cieux 16, 15-20). *Schanz* (Comm. p. 51 sq.) praeter exordium (1,1-13) iterum duas tantum partes agnoscit, quarum prior (1,14-9,49) galilaicum Domini ministerium tribus sectionibus (1,14-3,6; 3,7-6,13; 6,14-9,49) exponit, atque altera (10,1-16, 20) pariter tribus sectionibus (10,1-45; 10,46-13,37; 14,1-16,20) eius ultimum iter in Ierusalem, mortem resurrectionemque enarrat. *Knabenbauer* (Comm. in Marc. 1894. p. 13) ad tripartitionem reversus post prooemium (1,1-13) has statuit partes : 1. De iis quae gesta sunt in Galilaea (1,14-9,49), 2. de iis quae in Iudaea acta sunt (10,1-15,47), 3. de Iesu resurrectione et glorificatione (16,1-20).

31. — Tres igitur partes distinguentes hanc esse aptam censemus ANALYSIN SECUNDI EVANGELII.

EXORDIUM (1,1-20) post libri inscriptionem (1,1)

1. *attentionem lectorum excitat*, quum Iesum, quem Filium Dei esse de-

monstrare vult, iam ante publicam eius vitam a Deo praemisso Angelo, Ioanne Bapt., hominibus annuntiatum (1, 2-8), in baptismo Filium dilectum declaratum (1, 9-11), in deserto a Satana quidem tentatum at Angelorum ministerio fruitum esse ostendat (1, 12. 13);

2. *fidem lectorum provocat* primorum discipulorum, quos continuos vitae suae testes adhibuit, vocatione narrata (1,14-20).

Pars prima (1,21-9,28) *describit, quomodo Dominus se Dei Filium esse galilaico ministerio demonstraverit.*

1. *Prima Domini miracula in Capharnaum eiusque vicinia* (1, 21-2, 12).
   a.) Quum de nova doctrina, quam in synagoga docebat, omnes stuperent, daemoniaco liberato suam divinam missionem manifestat (1, 21-27);
   b.) socrum deinde Petri sanavit omnesque, quos rumor primi miraculi patrati attraxerat (1, 28-34).
   c.) Relicta civitate cum discipulis in vicinia docet, daemonia eiicit, leprosum mundat; quare undique ad eum concurrunt (1, 35-45).
   d.) In civitatem regressus, ut sibi, utpote Dei Filio, ius competere ostendat remittendorum peccatorum, paralyticum sanat (2, 1-12).
2. *Quosnam effectus prima haec miracula apud varios produxerint* (2, 13-3, 35).
   a.) Miraculis his perculsus ad primam vocationem sequitur Dominum Levi Alphaei (2, 13. 14);
   b.) Scribae vero et Pharisaei, quum miracula negare nequeant, Dominum ipsum accusant, quod cum peccatoribus familiariter conversetur (2, 15-17), discipulos eius, quod non ieiunent (2, 18-22) et sabbathum violent (2, 23-28); a Domino autem refutati, qui ipse sabbatho manum aridam sanat, eum perdere volunt (3, 1-6).
   c.) Non obstante autem odio Pharisaeorum turbae undique ad eum concurrunt, ut miracula eius videant (3, 7-12).
   d.) Pro diversa hac animorum dispositione diverso modo agit Dominus: duodecim Apostolos eligit, ut sui sint adiutores (3, 13-19), Scribas et Pharisaeos, qui ita sunt obcaecati, ut eius miracula daemoniorum principi adscribant, quia in peccato contra Spiritum S. sunt constituti, damnat (3, 20-30); relate ad alios declarat, illos veros suos esse parentes, qui voluntatem Dei faciant (3, 31-35).
3. *Electos discipulos ad primam missionem praeparat et dimittit* (4, 1-6, 32).
   a.) Parabolis de seminante, de semine clam crescente, de grano sinapis turbas docet naturam novi regni, solis autem Apostolis illas accuratius exponit (4, 1-34);
   b.) magnis miraculis, sedata tempestate (4, 35-40), liberato daemoniaco in regione Gerasenorum (5, 1-20), sanata haemorrhoissa et resuscitata filia Iairi (5, 21-43) discipulos in fide confirmat;
   c.) repulsione, quam a Nazarethanis experitur, eos edocet, quid eos exspectet (6, 1-11).
   d.) Hac ratione praeparatos ad primam missionem dimittit illisque suam quodam modo potestatem confert (6, 7-13).

e.) Miraculis autem, quae ipsi patrant, eius nomen magis propagatur divinaque eius potestas clarius splendet, ut Herodes, qui Ioannem B. occiderat, timere incipiat (6, 14-29).

f.) Reduces a prima eorum missione in desertum abducit, ut requiescant (6, 30-32).

4. *Ultimis galilaici ministerii mensibus turbis et maxime discipulis divinam suam potestatem magis magisque manifestat* (6, 32-9, 49).

a.) Turbis, quae eum in desertum secutae erant, pane multiplicato satiatis (6. 33-44), discipulorumque animis ambulatione supra mare confortatis (6, 45-52), ita claret eius potestas, ut omnes male habentes solam vestimenti fimbriam tangere quaerant (6, 53-56).

b.) Turbarum huic admirationi prorsus opposita est Pharisaeorum agendi ratio; a Ierosolymis, quo Domini fama pervenerat, venientes ridiculam querelam discipulis movent, quod traditiones pharisaicas non observent; a Domino autem refutantur et increpantur, qui deinde discipulis solis refutationem accuratius explicat (7, 1-23).

c.) Nova miracula Domini, daemoniacae syrophoenissae liberationem (7, 24-30), surdomuti in finibus Decapoleos sanationem (7, 31-37), alteram panum multiplicationem (8, 1-9) sequitur nova altercatio cum Pharisaeis signum de coelo quaerentibus (8, 10-13); unde occasionem arripit Dominus, ut discipulos a Pharisaeorum conversatione cavendum esse moneat (8, 14-21) eosque novo signo, caeci sanatione, confirmet (8, 22-26).

d.) Ad sollemnem fidei professionem deinde provocatos docere incipit futuram suam passionem (8, 27-31); Petrum, qui illum dehortari conatur, increpat (8, 32. 33), turbasque et discipulos docet, illos solos habituros partem secum, qui secum crucem portaverint (8, 34-39).

e.) Discipulos de futura passione turbatos confortat gloriosa sua transfiguratione (9, 1-12) et daemone eiecto, quem discipuli eiicere nequiverant (9, 13-28).

Pars secunda (9, 29-13, 37), quum in priore Domini divinitas iam satis demonstrata sit, maxime *in tradenda doctrina versatur, qua Dominus discipulos ad munus apostolicum explendum praeparavit.*

1. *Quaenam docuerit et egerit in itinere hierosolymitano* (9, 29-10, 52).

a.) Ad iter hierosolymitanum se accingens iterum discipulis futuram passionem revelat (9, 29-31), illis humilitatem commendat et vitandum omne scandalum inculcat (9, 32-49).

b.) Per Peraeam in Iudaeam iter faciens Dominus provocatus a Pharisaeis totum populum et seorsum discipulos indissolubilitatem matrimonii docet (10, 1-12);

c.) Discipulis simplicitatem puerorum (10, 13-16) et voluntariam paupertatem commendat (10, 17-25), magnamque mercedem promittit illis, qui ut ipsum sequantur omnia dimiserint (10, 26-30).

d.) Tertia vice passione sua praedicta (10, 31-34) ex filiorum Zebedaei

petitione occasionem capit, ut iterum discipulis omnibus humilitatem secundum suum exemplum commendet (10, 35-45).

e.) Vix deinde in Iudaeam ingressus Ierichunte Bartimaeum caecum sanat atque hac ratione ultima vice ante sollemnem suum ingressum in Ierusalem divinam suam potestatem manifestat (10, 46-52).

2. *Ultimi dies Domini ante passionem* (11, 1-13, 37).

a.) Triumphalis Domini in templum ingressus demonstrat, populum iudaicum divinam Domini potestatem agnovisse (11, 1-11).

b.) Sequenti die fici, quae fructus non habuit, maledictione futuram Iudaeorum maledictionem indicat; in templum autem ingressus se dominum templi manifestat eiectis eius profanatoribus, ob quod factum sacerdotes eum perdere quaerunt (11, 12-19).

c.) Tertia die discipulis de ficu arefacta stupentibus inculcat virtutem fidei et precationis (11, 20-26), in templum vero iterum ingressus confundit sacerdotes eisque parabola de iniustis vinitoribus proposita futuram populi iudaici sortem praedicit (11, 27-12, 12), confundit quoque Pharisaeos et Sadducaeos a sacerdotibus missos, ut eum tentarent (12, 13-17. 18-27). Scribae interroganti exponit maximum mandatum (12, 28-34), atque demum monet cavendum a Scribis esse, qui honores quaerunt, imitandam autem esse pauperem illam viduam, quae, quamquam duo tantum minuta obtulit, plus omnibus dedit (12, 35-44).

d.) Eodem die egressus e templo destructionem templi praedicit et docet discipulos de persecutionibus, quae eos exspectant, de devastatione Ierosolymorum et de ultimo iudicio, eosque ad vigilantiam exhortatur (13, 1-37).

Pars tertia (14, 1-16, 20) *de Christi passione et glorificatione agit.*

1. Passio ita narratur, ut appareat Dominum liberrime omnia in se suscepisse atque divinitatem eius ita vel in ipsa eius morte apparuisse, ut centurio ethnicus in moriente Filium Dei agnoverit (14, 1-15, 39).

2. Cum honore sepultus (15, 40-47) tertia die gloriosus resurrexit; resurrectionem autem eius apparitiones variae testantur, praesertim autem illa, qua Apostolis missionem in universum mundum contulit (16, 1-18).

3. Gloriosus demum in coelum ascendit, eumque verum esse Deum signa demonstrant, quae praedicationem Apostolorum sequuntur (16, 19. 20).

Ex brevi hac analysi elucet, quanta cum arte, si ita dicere fas est, Marcus vel potius Petrus facta, quibus Iesum esse Deum demonstrare voluit, elegerit et disposuerit atque umbras a lumine diviserit. Sine dubio ethnicis Filius Dei ad mortem ignominiosam condemnatus et crucifixus « stultitia » erat; a principio autem Evangelii animi praeparantur, ut mortem hanc Christi divinitati eius non obstare intelligant. Ideo post prima miracula narrata statim indicatur, ob quas levissimas causas odium Pharisaeorum, quod Dominum ad crucem adduxit, sit exor-

tum; quomodo paullatim creverit, ostenditur; ubicunque autem de odio hoc Pharisaeorum sermo est, ei admiratio populi opponitur, et novis miraculis immediate postea narratis difficultas, quam odium illud in animis excitare potuit, sapientissime removetur[1]. Ita tandem, quando ad ultimos Domini dies perventum est, passio, quam ipse repetitis vicibus praedixerat, nude cum omnibus suis circumstantiis narrari potuit, et tantum abest, ut difficultatem aliquam in mentibus auditorum vel lectorum creare possit, ut admirationem Domini, quam tota narratio vitae publicae provocavit, augeat atque in amorem convertat.

1. Cfr. ex. gr. in Analyseos prima parte 1. d.); 2, a)-d.); 4. a.) b.) etc.

Quaestio V. — Quo tempore Evangelium suum scripserit Marcus.

32. — Romae S. Marcum librum suum scripsisse Patrum testimoniis constare diximus; de tempore autem, quo scripsit, nihil certi nobis traditum est, quare coniecturis solis illud definire licet.

Iam vero Marcum satis diu post Domini ascensionem initium scribendi fecisse certum est; nam ultima eius verba (« illi [Apostoli] autem profecti praedicaverunt *ubique* [πανταχοῦ]. Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis ») evidenter docent Evangelium non tantum in Palaestina eiusque vicinia et Romae, sed etiam in aliis imperii romani partibus esse annuntiatum et propagatum, antequam Evangelium secundum sit exaratum. Scribi igitur illa verba non potuerunt, antequam Paulus et Barnabas ex primo itinere, in quo Marcum socium habuerant, reversi ecclesiae antiochenae retulerunt « quanta fecisset Deus cum illis et quia aperuisset gentibus ostium fidei », et Phoenicen et Samariam perambulantes « narrarunt conversionem gentium et fecerunt gaudium magnum omnibus fratribus »[1]. Imo, ni fallor, rectius dicemus, Evangelium secundum non esse scriptum, antequam Marcus ex secundo itinere cum Barnaba suscepto redux Petro Romam revertenti sese adiunxerat. *Ante a.* 52. *ergo Evangelium scriptum non esse censemus.*

Neque post a. 62. *scriptum dici potest. S. Irenaei* quidem profertur testimonium, quo post SS. Petri et Pauli mortem Marcum et Lucam libros suos exarasse demonstretur; lugdunensis autem doctoris verba, si recte explicantur, communi Patrum traditioni, quae illos ante eam scripsisse testatur, minime contradicere supra ostendimus[2]; post *Clementem Alex.* enim plerique Patres asserunt, S. Petrum discipuli sui librum cognovisse[3]. Porro satis communis quoque illa est traditio, secundum temporis, quo scripta sunt, rationem Evangelia in canone nostro esse disposita, Marcum igitur ante Lucam scripsisse (5). Dissentit quidem *Clemens Alex.*, qui a vetustioribus presbyteris se accepisse

refert, prius scripta esse illa Evangelia, quae genealogias continent[4], ita ut Marcus tertio in loco esset ponendus; at nulla prorsus apparet ratio, cur solitarium hoc testimonium reliquis omnibus praeferamus. Atqui Lucam Apostolorum Actus a. 63 vel 64 absolvisse, Evangelium autem, cuius Actus secundam quasi partem constituunt, antea edidisse infra demonstrabimus (44).

Sexta igitur aerae nostrae decade S. Marcus Evangelium videtur edidisse; nec quidquam obstat, quominus illum iam brevi post suum in Urbem adventum illud composuisse dicamus; id enim suadet traditio Patrum, qui illum rogatum a Romanis, ut accuratius ea, quae Petrus docuit, addiscere possent, magistri sui praedicationes literis mandasse referunt; primis enim annis magis, quam postea, tali auxilio indiguerunt neophyti[5].

Ab hac nostra sententia non pauci dissentiunt moderni interpretes. Ut enim illos omittamus, qui Irenaei testimonio nisi post principum Apostolorum mortem Evangelia secundum et tertium scripta esse tenent[6], multi sunt, qui ex Eusebii et S. Hieronymi testimonio de S. Marci missione in Aegyptum deducunt, iam a. 42. vel 43. illum opus suum absolvisse[7]. Nescio vero, an satis certa sint illa, quibus innituntur testimonia Eusebii et Hieronymi; profecto si unus idemque Marcus Petri et Pauli socius fuit, id quod probabilius esse demonstravimus, Marcus a. 43. Romae Petri praedicationes literis mandare nequivit, quum illo tempore cum Paulo esset (23); certissimum autem est, an. 42. nondum ubique Evangelium esse praedicatum.

1. Act. 14, 16; 15, 3.

2. *S. Iren.* c. haer. III. 1 (M. 7, 844). Cfr. *supra* 22 p. 76 sqq.

3. Testimonia laudavimus *supra* 25 et 28 p. 85 sqq.; 101 sq.

4. *Clemens Alex.* apud *Euseb.* H. E. VI. 14 (M. 20, 551).

5. Si verum esset, quod post *S. August.* (Expos. inch. ep. ad Rom. 1. M. 35, 2088) censent multi moderni interpretes, S. Paulo contentiones, quae inter Iudaeos et ethnicos in ecclesia romana exortae erant, ansam dedisse, ut suam ad Romanos Epistolam scriberet, Evangelium Marci iam ante a. 58. scriptum esset dicendum; nullum enim contentionum istarum vestigium apparet nec ullibi iudaizantium errores directe refutantur. Quum vero haec sententia de occasione epistolae ad Rom. nobis non probetur, argumentum hoc relinquere maluimus.

6. *Hug* Einl. p. 70; *A. Maier* Einl. p. 86; *Schanz* Comm. p. 46 sqq.; *Fillion* Comm. p. 14.

7. *Patrizi* De Evang. I. p. 86 sqq.; *Glaire* Introd. V. p. 116; *Aberle* Einl. p. 54 sq. etc. — *Bisping* (Handb. II, p. 6) Clementis A. et Irenaei testimonia ita conciliare vult, ut Marcus ante Petri mortem Evangelium suum inchoaverit et post eam illud ediderit; simili modo iam *R. Simon* (Hist. crit. du texte du N. T. ch. 10. p. 107) duplicem Evangelii editionem statuit, romanam ante mortem S. Petri, alexandrinam post eam. At haec sunt effugia minime necessaria.

§ 4. — *De Evangelio secundum Lucam.*

Quaestio I. — De vita S. Lucae Evangelistae.

33. — De tertii Evangelii auctore haec nobis tradit *Eusebius :* « Lucas, domo Antiochenus, arte medicus, qui et cum Paulo diu coniunctissime vixit et cum reliquis Apostolis studiose versatus est, artis illius ad hominum animos sanandos aptae, quam sibi ex Apostolorum doctrina comparaverat, duos nobis libros divinitus inspiratos reliquit. Alter eorum Evangelium est, quod quidem ita se prorsus exarasse testatur, sicut ab illis, qui ab initio ipsi viderant et ministri fuerant sermonis, acceperat; alter liber inscribitur Apostolorum Actus, quos ille non iam auditione acceptos sed oculis suis spectatos literis mandavit » [1].

Gente Iudaeum non fuisse S. Lucam, et nomen eius aliquo modo insinuat, et modus prodit, quo de Iudaeorum lingua velut de aliena loquitur, et clare docet *S. Paulus* eum ab aliis sociis, qui ex circumcisione erant, diserte distinguens [2]. Quoniam rituum morumque iudaicorum scientissimum sese ostendit, aliqui eum proselytum fuisse opinati sunt; at Antiochiae tantus degebat Iudaeorum numerus, ut ex eorum conversatione mores ritusque illos cognoscere potuerit [3]. Medicam artem eum exercuisse, Patrum testimoniis probare superfluum est, quia ex S. Pauli testimonio constat [4].

Quandonam fidem christianam amplexus sit, ignoratur. *Ps. Origenes, S. Epiphanius* aliique pauci illum inter septuaginta duos Domini discipulos, quorum solus mentionem fecit, enumerant; teste *Theophylacto* « nonnulli » illum alterum ex duobus discipulis fuisse tradiderunt, quibus ad castellum Emmaus euntibus Dominus resurrectionis die sese manifestavit [5]. Rectius vero *S. Hieronymus* eum « cum Domino in carne non versatum esse » asseruit, quod iam duobus saeculis antea auctor *fragmenti Muratoriani* fere iisdem verbis asseruerat, « S. Lucam Dominum in carne non vidisse » [6]. Nam satis clare in prooemio Evangelii se ipse ab illis distinguit, « qui ab initio ipsi viderant et ministri fuerant sermonis ». Non est improbabile, eum inter illos gentiles fuisse, qui mox post S. Stephani mortem Antiochiae in Ecclesiam sunt recepti; Antiochiae quoque haud dubie S. Pauli discipulus factus est, quem S. Barnabas, ut illum in Evangelio praedicando socium haberet, Tarso Antiochiam accersiverat [7].

Paulo Antiochia ad secundum iter apostolicum suscipiendum profecto Troade se socium adiunxit; etenim in prima huius itineris, quod in Actibus descripsit, parte narranda semper adhibet tertiam personam, primam autem in altera; Apostolum igitur gentium in Macedoniam

comitatus est cum eoque Philippos pervenit. Ibi autem a S. Paulo videtur esse relictus, ut in Macedonia Evangelium praedicaret ecclesiisque ab Apostolo fundatis invigilaret; nam in tertia itineris parte iterum tertia utitur persona. Septem fere annis post S. Paulus in tertio suo itinere Corintho Ierosolyma revertens Philippos reversus Lucam sibi denuo adiunxit sociumque individuum usque ad suam mortem retinuit. Namque non solum in ultima tertii itineris parte describenda, sed etiam in itineris romani narratione semper primam personam adhibet; ex epistola autem ad Colossenses apparet, eum in priore captivitate Apostolo adstitisse, et ex epistola 2. ad Timotheum, eum etiam in secundis vinculis magistrum suum non reliquisse [8].

Quibus ex sacris libris haustis vix quidquam ex Patrum testimoniis addendum habemus, nisi eum tertii Evangelii et Actuum Apostolorum esse auctorem. Si *S. Epiphanio* fidem adhibemus, post magistri sui mortem in Italia, Gallia, Dalmatia et Macedonia Evangelium praedicavit; *Metaphrasta* vero et *Nicephorus* eum incolas superioris Aegypti (Thebaidos) convertisse tradunt, cum illisque faciunt *Constitutiones Apost.*, quibus testibus Aniani alexandrini episcopi, quem instituerat Marcus, successorem constituit Anilium, et subscriptiones quaedam codicum, quae eum Alexandriae Evangelium suum edidisse ferunt [9]. De mortis eius genere ante 4. saec. non invenimus testimonium; illo autem tempore et *S. Gregorius Naz.* in Oriente et in Occidente *SS. Gaudentius Brix.* et *Paulinus Nol.* eum martyribus accensent; octogenarium eum ex arbore suspensum obisse martyrium scribit *Nicephorus* [10]; plerique Patres in Achaia, alii in Bithynia eum sepultum esse tradunt [11]; reliquias eius Constantinopolim esse translatas refert S. Hieronymus cum aliis. Sed his immorari nostri muneris non est.

1. *Euseb.* H. E. III. 4 (M. 20, 220); similia tradit *S. Hier.* de vir. ill. 7 (M. 23, 619).

2. Reliqui omnes N. T. scriptores, utpote Israelitae, nomen habuerunt hebraicum (etiam *Ioannes* Marcus), solius Lucae aliud nomen non est traditum. De ipso autem nomine disputatur. « Lucium, inquit *Orig.* (ad Rom. 16, 21. M. 14, 1288), quem S. Paulus inter socios suos commemorat, quidam ipsum perhibent Lucam, qui Evangelium scripsit, pro eo quod soleant nomina interdum secundum patriam declinationem, interdum etiam secundum graecam romanamque proferri ». At eo tempore, quo S. Paulus Romanis scripsit, Lucam secum non habuit, eumque etiam non inter συγγενεῖς suos, sed cum Timotheo inter συνεργούς enumerasset (Philem. 24). Praeterea nomen *Lucae* quoque vix a *Lucius* derivari potest, sed probabiliter idem videtur ac *Lucanus*, vel *Lucilius;* nomina enim propria, praesertim composita, in lingua vulgari contrahebantur et syllaba — ᾶς vel — ας terminabantur : Ἀρτεμᾶς = Ἀρτεμίδωρος, Δημᾶς = Δημήτριος, Σίλας = Σιλουανός etc. (Cfr. *Beelen* Gramm. Graecit. N. T. p. 88, Winer Grammat. d. neutest. Sprachidioms. Ed. 5. p. 113). — *Act.* 1, 18. 19, « appellatus est ager ille lingua *eorum* (sc. habitantium Ierusalem) Haceldama ». — *Col.* 4, 10-14 enumerat Apostolus primum Marcum et Iesum Iustum, « qui sunt ex circumcisione; hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio », deinde sequuntur « Lucas me-

dicus charissimus et Demas ». At in ep. ad Philem. 24, quae eodem tempore scripta est, vocantur Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas « adiutores » Pauli. Distinguit ergo in ep. ad Col. adiutores suos « ex circumcisione » ab illis, qui non fuerunt « ex circumcisione ».

3. *S. Hieron.* Quaest. in Gen. 46, 26 (M. 23, 1002); « plerique tradunt Lucam Evangelistam, ut *proselytum*, hebraeas literas ignorasse ». — De Iudaeis antiochenis cfr. *Fl. Ioseph.* Antiquit. XII. 3, 1; XIV. 2 et 6. etc.

4. *Col.* 4, 14. *S. Hier.* in Is. 6, 9 (M. 24, 98) : « Evangelistam Lucam tradunt veteres Ecclesiae tractatores medicinae artis fuisse *scientissimum* et magis graecas literas scisse, quam hebraeas »; in Philem. 24 (M. 26, 618) : Lucas « quomodo Apostoli de piscatoribus piscium piscatores hominum facti sunt, de medico corporum versus est in medicum animarum..; cuius liber, quotiescunque legitur in ecclesiis, toties eius medicina non cessat ». — Pictorem fuisse S. Lucam antiquiores Patres non tradunt; saec. 10. Simon Metaphr. (Vita S. Lucae 6. M. 115, 1136) primus, ut videtur, id asseruit. Ceterum cfr. *Baron.* Ann. a. 48. n. 26; *Acta Sanct.* Octobr. VIII. p. 296 sqq.; *Schanz* Comment. über das Evang. des h. Lukas. Tübingen 1883. p. 3 iam saec. 6. Theodoro Lect. hanc opinionem cognitam fuisse suspicatur.

5. *Ps. Orig.* (Adamant.) de vera fide 1 (M. 11, 1721): *S. Epiph.* haer. 51, 11 (M. 41, 908). Primus, qui eum socium Cleophae in castellum Emmaus euntis (*Luc.* 24, 13 sqq.) fuisse coniecit, videtur esse *S. Gregor. M.* (Moral. Praef. 1, 3. M. 75, 517); inter Graecos *Theophyl.* (in Luc. 24. M. 123, 1113) : « Nonnulli (τινὲς), inquit, unum ex duobus istis Lucam fuisse dicunt; idcirco et abscondit nomen suum Evangelista ». Idem tradunt *Sim. Metaphr.* l. c., *Nicephor.* l. c. etc; aliqui quoque moderni eiusdem sententiae sunt.

6. *S. Hier.* de vir. ill. 7; *Fragm. Murat.* l. 2-8; cfr *Introd. gen.* Ed. 2. p. 182.

7. *Act.* 11, 20 sqq.

8. Cfr. *Act.* 15, 40-16, 9 (16, 8 « Quum autem pertransissent Mysiam, *descenderunt* Troadem » v. 10 « Ut autem visum vidit, statim *quaesivimus* proficisci in Macedoniam etc.) 16, 10-40; 17, 1-20, 4; 20, 5-28, 31. Ex hoc scribendi modo iam argumentatus est *S. Iren.* (c. haer. III. 14. M. 7, 913), ut Lucam inseparabilem Pauli socium fuisse demonstraret. — Cfr. deinde Col. 4, 14; Philem. 24; 2 Tim. 4, 9-11. — Nonnulli etiam 2 Cor. 8, 18 (« misimus cum illo, sc. Tito, fratrem, *cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias* ») Lucam designari putant, qui Philippis Corinthum esset missus. *Origenes* (in Luc. hom. 1. M. 13, 1804), *Chrysost.* (in Act. hom. 1, 1. M. 60, 15), *S. Hieron.* (de vir. ill. 7), *Pelagius* (Ps. Hier. in 2 Cor. 8. M. 30, 783), auctor longioris recensionis epistolarum S. Ignatii M. (ad Eph. 15; *Funk* Patr. apost. II. p. 198) aliique hanc explicationem adoptarunt. Iunioribus tamen interpretibus iure merito non probatur; neque enim de scripto Evangelio ibi agitur neque illo tempore Lucae Evangelium iam editum erat; cfr meum *Comment.* in 2. Cor. et Gal. 1892. p. 230 sq.

9. *S. Epiph.* haer. 51, 11 (M. 41, 909), *Sim. Metaphr.* Vita S. Lucae 7 (M. 115, 1136), *Niceph.* H. E. II. 43 (M. 145, 876). Notandum tamen, quod S. Lucam Thebaidi superiori et Thebaidi inferiori Evangelium intulisse scribat Metaphr., Thebaidem inferiorem autem vocet τὴν ἑπτάπυλον; atqui Thebae *septem* portis ornatae antiquis caput est Boeotiae, in oppos. ad Thebas *centum* portis ornatas (Θῆβαὶς ἡ ἑκατόμπυλος) in Aegypto. — *Constitut. Apost.* VII. 46 (M. 1, 1052); codicum subscriptiones afferunt *Cotelerius* in not. ad Constit. Ap. l. c., *Tischendorf.* N. T. Ed. 8. I. p. 738 etc.

10. *S. Gregor. Naz.* c. Iulian. or. 4, 69 (M. 35, 589); *S. Gaudent. Brix.* serm. 17 (M. 20, 963); *S. Paulin. Nol.* ep. 32, 17 (M. 61, 339); *Niceph.* H. E. II. 43.

11. *S. Isidor. Hisp.* De vita et obitu Patr. 82 (M. 83, 154) in Bithynia, *Dorotheus* apud Theophyl. (M. 123, 685) Ephesi, *S. Gaudentius* (l. c.) Patris in Achaia eum sepultum

dicunt. *S. Hier.* (de vir. ill. 7) reliquias eius Constantinopolim translatas esse scribit, et *Brev. Rom.* addit illas ex Achaia esse translatas. Ceterum de S. Lucae vita cfr. *Baron.* Ann. ad an. 61 n. 6 sqq.; *Acta Sanct.* Oct. VIII. p. 294 sqq.

Quaestio II. — De tertii Evangelii authentia et integritate.

34. — Tertii Evangelii authentiam demonstraturi ante omnia id, quod maxime ab adversariis negatur, ostendemus, primis scilicet fidei temporibus librum nostrum cognitum fuisse et auctoritate esse gavisum, ac deinde in eius auctorem inquiremus. Iam vero etsi S. Matthaei Evangelium a primis scriptoribus christianis frequentius adhibitum esse videatur, tertium tamen sufficientibus testimoniis munitur, ut nemo, qui veritati aperte refragari nolit, apostolicam eius originem in dubium vocare queat.

Primum testem citamus *S. Clementem R.*, qui quum in priore ep. ad Corinthios, quam omnes genuinam agnoscunt, tum in altera atque etiam in 2. ep. ad Virgines aliqua verba dominica ita allegat, ut ex tertio Evangelio desumta sint dicenda. Insignis praeprimis est locus in altera ad Cor. epistola, ubi ait : « Dicit enim Dominus *in Evangelio :* Si parvum non servatis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis : qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est ». Quoniam ultima verba prorsus cum tertio Evangelio consonant, priora autem sensum saltem fideliter referunt, arbitrarium prorsus est ad apocryphum quoddam incognitum verba illa referre[1]. S. Clementi adiungamus *Doctrinae Apostolorum auctorem*, qui bis saltem terve dominica verba eodem fere modo, quo S. Lucas, refert, ut illa ex Evangelio tertio desumta videantur[2]. Item *S. Polycarpus* dictum Domini iisdem verbis, quibus S. Lucas, adducit hac formula : « dixit Dominus docens »[3]. Num *S. Ignatius M.* quoque verba referens, quibus Dominus Petrum sociosque eius allocutus est (« Apprehendite et palpate me et videte, quod non sum spiritus incorporeus ») ad Lucae Evangelium respexerit, an illa ex traditione orali hauserit, in medio relinquimus[4].

S. Polycarpo aequalis fuit *S. Iustinus M.*, qui, etsi ex tertio non tot, quot ex primo, Evangelio testimonia desumserit, inter praecipuos tamen testes adnumerari meretur. Omnia, quae ex illo mutuatus esse creditur, afferre superfluum est; pauca tantum allegabimus, quae nullum dubium relinquunt, quin tertium Evangelium pro auctoritate adhibuerit. Historiam annunciationis refert, « quemadmodum, inquit, docuerunt, qui omnia ad Salvatorem nostrum pertinentia literis mandarunt »[5], atque in nativitate quoque dominica narranda circumstantias commemorat, quae apud solum Lucam leguntur[6]. De SS. Eucharistiae institutione haec habet : « Apostoli in commentariis suis, quae Evangelia vocantur, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt : eum scilicet

accepto pane, quum gratias egisset, dixisse : *Hoc facite in meam commemorationem;* hoc est corpus meum; et poculo similiter accepto actisque gratiis dixisse : Hic est sanguis meus »; atqui priora illa verba soli Lucas et Paulus tradunt[7]. Item « in commentariis, quos ab Apostolis eius *eorumque discipulis* compositos dixit », historia sanguinei sudoris referebatur, quam iterum solus Lucas tradit; « ex Apostolorum commentariis » didicit ultima verba Domini in cruce morientis, prout ea refert tertium Evangelium[8].

Eadem aetate *S. Theophilus Antioch.* teste S. Hieronymo nonnullas saltem parabolas a Luca conservatas commentariis illustravit, idemque in alio opere verbum dominicum secundum S. Lucam allegat[9]; atque *ecclesia lugdunensis* quoque in sua epistola laudem, quam Lucas Zachariae tribuit, ad unum ex suis martyribus accommodat[10].

1. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 46 (« Vae homini illi! Bonum erat ei, si natus non fuisset, quam ut unum ex electis meis scandalizaret; melius erat, ut ei mola circumponeretur et demergeretur in mare, quam ut unum de electis meis perverteret ») etsi in priori membro Matth. 26, 24 sequatur, in altero tamen multo propius ad Luc. 17, 2, quam ad Matth. 18, 6 et Marc. 9, 41, accedit. — 2 Cor. 8; cfr. etiam 2 Cor. 13 et Luc. 6, 32-35, quae verba adducuntur formula : « Deus dicit ». — 2 Virg. 8.

2. *Doctrina Apost.* 1. Ἐὰν ἄρῃ τις τὸ ἱμάτιον σου, δὸς αὐτῷ καὶ τὸν χιτῶνα (Luc. 6, 29; ἀπὸ τοῦ αἴροντός σου τὸ ἱμάτιον, καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς; sed Matth. 5, 40 : καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον). Ἐὰν λάβῃ τις ἀπό σου τὸ σὸν, μὴ ἀπαίτει (Luc. 6. 30 καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σὰ, μὴ ἀπαίτει) etc. Doctr. A. 16 : οἱ λύχνοι ὑμῶν μὴ σβεσθήτωσαν, καὶ αἱ ὀσφύες ὑμῶν μὴ ἐκλυέσθωσαν cfr. Luc. 12, 35. Ceterum doctrina Apost., quum unum dumtaxat Evangelium agnoscere videatur, haec quae cum Luca communia habet, ex traditione orali haurire potuit; idque omnino est admittendum, si libellus hic, id quod probabile habemus, medio fere saeculo 1. est compositus.

3. *S. Polyc.* ad Philipp. 2 et Luc. 6, 36-38; praesertim ad ultima verba attende : ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν, quae lectio apud solum Lucam genuina est.

4. *S. Ignat. M.* ad Smyrn. 3. cfr. Luc. 24, 39. *S. Hier.* (de vir. ill. 16. M. 23, 633) quidem censet, S. Ignatium verba illa ex Evangelio secundum Hebraeos desumsisse; rectius autem dicendum, si S. Doctor ea non libere secundum Lucam allegavit, illa ex traditione orali et a S. Ignatio et ab apocryphi compilatore esse recepta.

5. *S. Iustin. M.* Apol. I. 33; c. Tryph. 100 (M. 6, 381, 712).

6. *S. Iustin.* c. Tryph. 78 et Apol. I. 34 (M. 6, 657. 384). « Quum census in Iudaea tum primum haberetur sub Cyrenio, ex oppido Nazareth, in quo degebat, Bethlehem, unde oriundus erat, profectus est (Ioseph), ut censeretur... Quum vero in Bethlehem nasceretur puer, quia Ioseph in hoc vico non habebat, quo diverteret, in specum quendam vico proximum se recepit; quumque ibi essent, peperit Maria Christum et eum in praesepio posuit » etc. « Est autem vicus quidam in terra Iudaeorum, ubi natus est Iesus Christus, quemadmodum et ex descriptionibus census discere potestis, quae sub Cyrenio, primo vestro in Iudaea praeside, confectae sunt ».

7. *S. Iustin.* Apol. I. 66 (M. 6, 429) cfr. Luc. 22, 19.

8. *S. Iustin.* c. Tryph. 103. 105 (M. 6, 717. 721) cfr. Luc. 22, 44; 23, 46. — *Tatianum*, Iustini discipulum, in suum Diatessaron tertium Evangelium recepisse, nemo in

dubium vocat. Ceterum cfr *S. Ephrem* Evangelii concordantis (Tatiani Diatessari) exposit. (1. 2 etc. p. 6 sqq. 26 sqq. etc.), uti etiam Diatessari versiones *arabicam* (ed. *Ciasca* 1888.) et *latinam* (in Cod. Fuld. ed. *Ranke* 1868.) passim.

9. *S. Hieron.* ad Algas. ep. 121, 6 (M. 22, 1020) : « Theophilus antiochenae ecclesiae septimus post Petrum Apostolum episcopus, qui quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens ingenii sui nobis monumenta reliquit, haec super hac parabola (Luc. 16, 1 sqq.) *in suis commentariis* est locutus » etc. *S. Theoph.* ad Autol. II. 13 adhibet Luc. 18, 27.

10. Cfr. apud *Euseb.* H. E. V. 1 (M. 20, 412) « Vettius Epagathus... quamvis iuvenis, *Zachariae* tamen *sacerdotis* laudi aequabat. *Incesserat enim in omnibus mandatis et iustificationibus Domini* sine querela ». Cfr. Luc. 1, 6.

Quibus orthodoxis 1. et 2. saec. scriptoribus consentiunt eiusdem aetatis haeretici in tertio Evangelio adhibendo. *Basilides*, qui ineunte saec. 2. errores suos in Aegypto disseminavit, teste auctore Philosophumenon Angeli ad B. Virginem verbis, quae S. Lucas refert, abusus est[11]. *Valentinum* medio saec. 2. « integro instrumento », i. e. integris quatuor Evangeliis, usum esse asserit Tertullianus; illum autem praeprimis tertium Evangelium adhibuisse testis est S. Irenaeus; etenim « multa sunt, inquit, quae inveniri possunt a solo Luca dicta esse, quibus et Marcion et Valentinus utuntur ». Ut ostendant, quomodo Valentini discipuli Scripturas ad suas fictiones detorserint, Irenaeus et auctor Philosophumenon multas eorum expositiones in tertii Evangelii textus afferunt[12]. Quot testimonia ex eo desumpserit *Theodotus*, Valentini discipulus, docent Excerpta, quae ex eius scriptis collegit Clemens Alexandrinus, atque *Heracleonis* quoque, « cuius in schola Valentini fuit maxima fama » expositionem in textum quendam Lucae idem Clemens nobis conservavit[13].

Prae reliquis autem istius aetatis haereticis *Marcion* tertio nostro Evangelio testimonium fert; omnes enim Patres eum Evangelium Lucae adhibuisse et corrupisse asserunt. Secundum S. Irenaeum Marcion « Evangelium, quod est secundum Lucam, circumcidit », « decurtavit », « non Evangelium, sed particulam Evangelii tradidit suis discipulis »; item Tertullianus accusat Marcionem, quod « Lucam elegerit, quem caedat », « Lucae manum intulerit » etc; S. Epiphanius « Marcion, inquit, solum Lucae Evangelium amplectitur, amputato tamen eius initio, quia ibi Salvatoris in utero generationem et eiusdem cum corpore adventum perspicue commemorat. Nec initium solum abscidit, sed ex fine quoque et ex medio multas veritatis sententias exscidit aliasque pro illis substituit »[14]. Quo unanimi Patrum testimonio despecto Semler, rationalismi biblici parens, cum paucis sequacibus saeculo praecedente et nostro tempore Neo-Tubingiani nonnulli rem prorsus invertere ausi ex Marcionis Evangelio, quod compendium fuisse Evangelii cuiusdam primitivi statuunt, canonicum nostrum esse exor-

tum, aut saltem Lucae et Marcionis opera ex communi quodam fonte primitivo emanasse contenderunt nostrumque non nisi post Marcionis aetatem in hodiernam suam formam esse redactum [15]. At frustra studium laboremque suum impenderunt, nec cuiquam prudenti coniecturas probabiles reddiderunt, ut hodie vix inveniatur, qui Patrum testimonio hac in re fidem deneget. Revera ex illis, quae nobis de Marcionis evangelio sunt tradita, nonnulli illud restituere conati [16] ad oculos quasi demonstraverunt omnes fere istos textus vel omissos vel mutatos, in quibus a nostro canonico Evangelio dissentit, ob dogmaticas rationes, ut sua placita defenderet stabiliretque, a Marcione omissos aut additos aut mutatos esse. Accedit, quod Marcionitae ipsi nunquam tertii nostri Evangelii authentiam in dubium vocaverint, sed editionem suam puriorem dumtaxat dixerint. Imo ex Tertulliani testimonio constat, Marcionem ipsum fassum esse, se prius nostro Evangelio esse usum [17]. Quidquid igitur contradicunt adversarii, Marcion nobis est testis, ante medium saeculum 2. nostrum tertium Evangelium auctoritate in Ecclesia esse gavisum.

Celsum quoque testem citare possumus; asseruit enim « nimis insolenter egisse eos, qui Iesu genealogiam texuerunt, quum illum a primo homine Iudaeorumque regibus oriundum dicerent » [18]; atqui solus Lucas genealogiam Christi ad Adamum usque perduxit.

Exeunte igitur 1. et toto saec. 2. Evangelium nostrum pro divina Scriptura adhibitum esse, testimoniis allatis, quae facili negotio, si opus foret, augerentur [19], invicte demonstratur.

11 *Philosoph.* VII. 26 (M. 16, 3315); cfr. Luc. 1, 35. Negare quidem nolumus Basilidis systema ab eius discipulis esse excultum nec ubique ab Irenaeo, auctore Philosophumenon, Epiphanio aliisque haeresiologis doctrinas magistrorum a discipulorum expositionibus accurate distingui. Nihilominus modernae « scholae criticae » methodum, qua textus scripturisticos magistris ab Irenaeo aliisve attributos discipulis attribuit, prorsus arbitrariam et parum « criticam » esse censemus; veri enim critici est, ut non nisi argumentis solidis nixus id, quod antiqui scriptores asserunt, neget aut addubitet; quibus autem argumentis nixi auctorem ex. gr. Philosophumenon erroris coarguent, si Basilidi textum aliquem tertii aut quarti Evangelii attribuit? Totam enim nostram systematum gnosticorum scientiam ex Irenaei, auctoris Philos. aliorumque antiquorum haeresiologorum operibus hauriamus oportet; fundamentum autem ipsum scientiae nostrae destruimus, si pro nostro lubitu, quemadmodum faciunt moderni « critici », eorum asserta aut recipimus aut reiicimus. Haec semel monuisse sufficiat. Ceterum quum S. Irenaeus martyrium passus sit a. 202, auctorem Philosophumen. c. a. 220 scripsisse constet, uterque autem de haeresibus illis velut de systematis iam satis diu antea exortis et propagatis loquantur, nullum est dubium, quin testimonia omnia illa haereticorum saeculo 2. iure attribuamus. Quod si autem iidem libri ab orthodoxis et haereticis saec. 2. pro sacris recipiebantur, satis patet eorundem originem saeculo 2. esse antiquiorem.

12. *Tertull.* De praescr. 38 (M. 2, 52); *S. Iren.* c. haer. III. 14 (M. 7, 916); idem

l. c. I. 8 (M. 7, 527 sq.) affert Valentinianorum expositiones in Luc. 2, 28-36; 9, 57-62; 15, 4-8; *Philosoph.* VI. 35 (M. 16, 3247) addit eorum explicationem Luc. 1, 35.

13. Cfr. *Clem. Alex.* Excerpta ex scriptis Theodoti 1. 9. 16 etc. (M. 9, 653 sqq.); de Heracleone cfr. *Clem.* Strom. IV. 9 (M. 8, 1281) et Luc. 12, 8-12.

14. *S. Iren.* c. haer. III. 11. 12; I. 27 (M. 7, 884. 906. 688); *Tertull.* c. Marc. IV. 2. 5. etc. (M. 2, 364. 367); *S. Epiph.* haer. 41, 9. (M. 41, 708). Iam Marcionis magister *Cerdo,* teste *Ps. Tert.* (De praescr. 51. M. 2, 70) Lucae quidem Evangelium, sed non integrum recepit.

15. *Semler* in notis suis ad versionem germ. Historiae crit. N. T. et alibi; *I. F. C. Loeffler* in Comment. theolog. ed. Velthusen etc I. p. 180 sqq. — *Baur* Krit. Untersuch. über die Evang. p. 397 sqq.; *Schwegler,* Nachapostol. Zeitalter I. p. 260 sqq.; *Ritschl* Das Evangel. Marcions u. das kanon. Evang. des Lucas. Tübingen 1846 etc. Alios eiusdem sententiae patronos enumerant *Bleek* Einl. p. 150 sqq., *Reuss,* Gesch. d. N. T. Ed. 5. I. p. 254 sq.

16. *A. Hahn* Evang. Marcionis ex auctoritate veterum monumentorum, in *Thilo* Codex apocr. N. T. p. 401 sqq.; alias editiones enumerat *Hilgenfeld* Einl. p. 49. N.

17. *Tert.* c. Marc. IV. 4 (M. 2, 365) « Quod ad Evangelium pertinet Lucae... adeo antiquius Marcione est, quod est secundum nos, ut et ipse illi Marcion aliquando crediderit » etc.; de carne Christi 2 (M. 2, 755) Marcionem increpans, qua historiam annunciationis et nativitatis Domini abiecisset : « Et eo magis mortuus es, quo magis non es christianus; qui quum fuisses, excidisti rescindendo quod retro credidisti, *sicut et ipse confiteris in quadam epistola,* et tui non negant, et nostri probant » etc.

18. *Orig.* c. Cels. II. 32 (M. 11, 852).

19. Ex. gr. Homiliae Clementinae, quae medio saec. 2. exortae sunt, quamquam ebioniticae, ut videtur, sunt originis, non raros textus evangelicos ita protulerunt, ut ex Luca illos esse desumtos appareat. Hom. 3, 15 (cum Matth. 24, 2. 34 coniungitur Luc. 19, 43 sq.); hom. 4, 71 (Luc. 10, 7); hom. 8, 7 (Luc. 6. 46); hom. 9, 22 (Luc. 10, 20); hom. 12, 33 (Luc. 11, 32); hom. 17, 5 (Luc. 18, 5 sqq.); hom. 18, 3 (Luc. 18, 18); hom. 19, 2 (Luc. 10, 18) etc. (M. 2, 121. 156. 229. 257. 300. 388. 405. 424).

35. — Exeunte demum saec. 2. idem illud Evangelium, quod inde a saec. 1. in totius Ecclesiae usu fuisse vidimus, in omnibus ecclesiis S. Lucae, Apostoli gentium socio et adiutori, adscribitur. Circa a. 170 in ecclesia romana testatur *auctor fragmenti Muratoriani :* « tertium Evangelii librum secundum Lucam iste medicus post ascensum Domini, quum eum Paulus quasi ut iuris (i. e. Legis) studiosum secundum (sc. post Marcum) asumsisset, nomine suo ex opinione (eius sc. Pauli) conscripsit. Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et ideo prout assequi potuit. Ita et a nativitate Ioannis incipit dicere »[1]. Ecclesiae africanae eiusdem aetatis insigne testimonium reddit *Tertullianus,* qui contra Marcionem, tertii Evangelii corruptorem, ad apostolicarum ecclesiarum auctoritatem provocat, ut S. Lucae auctoritatem defendat : « In summa, inquit, si constat id verius, quod prius, id prius, quod et ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis : pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias apostolicas fuerit sacrosanctum... Dico itaque apud illas, nec solas iam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti foederantur, id Evangelium Lucae

ab initio editionis suae stare, quod quum maxime tuemur : Marcionis vero plerisque nec notum, nullis autem notum, ut non eo (nisi una etiam) damnatum... Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus, nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent; capit magistrorum videri, quod discipuli promulgarint »[2]. Asiaticarum simul et lugdunensis ecclesiarum fidem nobis profitetur *S. Irenaeus* « Lucas, inquiens, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur Evangelium in libro condidit »[3]. Alexandrinae demum traditionis testes sunt *Clemens* et *Origenes;* atque prior quidem, ut veritatem assertionis cuiusdam demonstraret, ad ea provocavit, quae « in Evangelio secundum Lucam » scripta sint; alter vero ea, quae « ex traditione acceperat de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia citra controversiam admittantur », tradens asserit « tertium Evangelium esse Lucae, quod a Paulo commendatum sit, in gratiam gentilium conscriptum »[4].

Quibus Patrum testimoniis, si adiungimus auctoritatem *versionum,* quae saec. 2. exortae Evangelium Lucae inscriptum cum aliis exhibebant, *Italam* dico et *Syriacam,* apparet in integra Ecclesia ante saeculi 2. finem unanimi consensu illud non solum ceu divinitus inspiratum esse receptum, sed etiam Lucae auctori esse attributum. Consensus vero talis non explicatur, nisi ex apostolica traditione Patres suam persuasionem hausisse concedatur.

Neque dicatur iuniora esse illa testimonia, quae Lucam auctorem esse dicunt, S. Papiam vero, immediatum Apostolorum discipulum, qui Matthaeum et Marcum duorum priorum Evangeliorum auctores esse testatur, de Luca nihil tradidisse. Nam ex Papiae silentio vel ideo nihil deducitur, quia pauca tantum eius fragmenta ad nos pervenerunt, atque Eusebius, qui testimonia eius de duobus prioribus Evangeliis in suam Historiam recepit, illa ipsa non conservavit eum in finem, ut Matthaeum et Marcum librorum illorum auctores esse demonstraret (qua de re nemo illo tempore dubitavit), sed ut ostenderet, quae primi Evangelii esset lingua primitiva, quae Marco occasio scribendi et quae neglecti ordinis chronologici causa. Immerito igitur ex Eusebii silentio ad Papiae silentium concluditur[5]. Ad priorem obiectionem autem quod attinet, etsi verum sit testimonia illa iuniora esse, probe tamen animadvertendum est, eodem tempore in dissitissimis ecclesiis eandem persuasionem inveniri, nec ullum unquam, praeter S. Lucam, ab aliquo tertii Evangelii auctorem esse dictum. Unde igitur unanimis ille consensus, nisi ex apostolica traditione? Lucae nomen ter tantum in tota Scriptura commemoratur[6]; inter celebriores igitur Pauli socios numerari non po-

tuisset, nisi ex orali traditione fideles eum Evangelii et Actuum auctorem esse scivissent[7].

1. *Fragm. Murator.* lin. 2-8 (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 63. p. 182).
2. *Tertull.* c. Marc. IV. 5 (M. 2, 366).
3. *S. Iren.* c. haer. III. 1 (M. 7, 845).
4. *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8, 885); *Orig.* in Matth. tom. I. (M. 13, 829; cfr. Eus. H. E. VI. 25. M. 20, 581).
5. Cfr. *Schanz* Comment. über das Ev. des h. Lucas. Tübingen 1883. p. 8. N. « Das Fehlen der Zeugnisse aus Papias für die beiden letzten Evangelien bei Eusebius wird mit Unrecht auf die Schriften des Papias zurückgeführt, denn nach den Grundsätzen, die Eusebius hinsichtlich der Citate über die h. Schriften befolgte, ist es wenigstens sehr wahrscheinlich, dass er nur bei den *bestrittenen* Schriften die Verweisungen und Citate der Schriftsteller notirte und bei den anerkannten bloss die Erzaehlungen ». Revera nemo sibi persuaserit, Papiam ex omnibus Apostolorum epistolis solas 1. *Ioan.* et 1. *Petr.* cognitas habuisse. Atqui has solas Eusebius velut ab eo adhibitas nominat, quia de earum origine dubitabatur; paulinis autem eum usum esse, tamquam rem per se claram omnibusque notam tacet.
6. Cfr *Col.* 4,14; *Philem.* 24; 2 *Tim.* 4,11.
7. Ipse *Renan* (Les Évangiles. Paris 1877. p. 252) fatetur : « Luc n'avait pas assez de célébrité pour qu'on exploitât son nom en vue de donner de l'autorité à un livre ».

36. — *Internis rationibus* authentiam tertii Evangelii, quae argumentis externis allatis extra dubium posita est, confirmaturi praemoneamus oportet duplicem rationum istarum classem esse distinguendam; aliae enim S. Lucam scriptorem, aliae S. Paulum primarium auctorem Evangelii magis minusve clare produnt.

Etenim simili modo, quo supra (26) Evangelium secundum S. Petro competere diximus, tertium a plerisque Patribus S. Paulo attribuitur. Lucam, Pauli sectatorem, Evangelium, quod ab illo praedicabatur, in libro condidisse, asseruit iam *S. Irenaeus;* idemque contra Marcionitas aliosque haereticos disputans, qui absconditas quasdam doctrinas ab Apostolis sese accepisse gloriabantur, ad Lucae Evangelium provocavit, ut Paulum alias doctrinas non docuisse ostenderet, quia secus Lucas eas retulisset; quod Doctoris lugdunensis argumentum nullum esset, nisi singulari modo tertium Evangelium ad Paulum pertinere velut rem ab omnibus admissam supposuisset[1]. Irenaeo concinit *Tertullianus,* qui non tantum Paulum « illuminatorem Lucae » appellat, sed etiam diserte docet « apostolicas ecclesias » « Lucae digestum Paulo adscribere solere »[2]. Sequitur *Origenes*, qui « tertium secundum Lucam Evangelium a Paulo laudatum » vocat[3]; quibus verbis nihil aliud, opinor, dicere voluit, nisi quod fusius refert *Eusebius :* « Lucae, inquiens, Evangelium aiunt a Paulo designari solitum esse, quoties tamquam de proprio quodam Evangelio sermonem faciens dicit : secundum Evangelium meum »[4]. Quare etiam *S. Chrysostomus* adductis 2 Cor. 8, 18 et 1 Cor. 15, 5 censet, « non errare eos, qui Lucae Evangelium ipsi

Paulo adscribunt » [5]. Legitimos tamen limites iterum transgreditur *Ps. Athanasius*, quum tertium Evangelium « dictatum quidem ab Apostolo Paulo, conscriptum vero et editum a B. Luca Apostolo et medico » dicat [6].

Sententiae huic, quae nostrum librum singulari modo ad Paulum pertinere tenet, ipsum eius prooemium repugnare dicitur, in quo S. Lucas non tantum Pauli mentionem non faciat, sed aliis potius fontibus se usum esse significet. At prooemii verba, si recte explicantur, id unum dicunt, auctorem, quia non « ab initio ipse viderit », ab aliis suam de Christo scientiam hausisse, nequaquam vero fontes describunt, ex quibus eam hausit; S. Paulus igitur excludi gratis asseritur. Quod si quis Paulum sine dubio excludi putaret, quoniam ipse quoque ab initio non vidit nec cum Domino in vita eius mortali conversatus est, attendendum esse responderemus ad ea, quae gentium Apostolus de origine Evangelii sui docuit « Notum vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Iesu Christi »; praeterea ut demonstret, se esse genuinum Apostolum, cum emphasi exclamat : « Nonne Iesum Christum Dominum vidi »?; illa quoque, quae de SS. Eucharistiae institutione tradidit, se a Domino (*immediate*) accepisse affirmat. Coram rege Agrippa autem haec verba adducit, quibus Dominus ipsum allocutus est : « Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum et *testem eorum, quae vidisti*, et eorum, quibus apparebo tibi » [7]. Quae ultima verba cum Lucae prooemio (« sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis ») ita consonant, ut nulla sit ratio, cur Paulus ex testium ocularium numero excludatur, licet non eodem modo res ei sint ostensae, quo reliqui Apostoli eas viderant.

Sed quid? Nonne Lucas a reliquis quoque Apostolis eas res, quibus ipsi interfuerant, diligenter exquisivisse dicendus est? Nihil impedit, quominus id admittatur; imo id admittendum omnino esse censemus. Rectissime enim S. Paulus « illuminator » Lucae vocatur « digestumque Lucae » Paulo singulari modo adscribitur, etsi hic etiam ab aliis omnia diligenter exquirere studuerit. Quod si enim magister, qui tanta cum sollemnitate asseruit, se Evangelium suum non ab homine sed per revelationem Iesu Christi accepisse, illud cum reliquis Apostolis conferre non recusavit, « ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset », etiam discipulus, ut ad maiorem illam firmitatem securitatemque (ἀσφάλειαν) lectores perduceret, illa, quae a Paulo audierat, cum aliis conferre potuit. Quare asserto nostro non obstante libentissime concedimus, Lucam infantiae dominicae mysteria, uti aliqui putant, a B. Virgine exquisivisse, Antiochiae et Romae S. Petrum, Tyri S. Philippum, Ierosolymis S. Iacobum Min. de vita publica Domini interrogasse.

1. *S. Iren.* c. haer. III. 1. 14 (M. 7, 845. 914). « Si autem Lucas quidem, qui semper cum Paulo praedicavit, et dilectus ab eo est dictus, et cum eo evangelizavit, et *creditus est nobis referre Evangelium* (sc. Pauli), nihil aliud ab eo didicit, sicut ex verbis eius ostensum est : quemadmodum hi, qui nunquam Pauli adiuncti erant, gloriantur abscondita et inenarrabilia didicisse sacramenta? »

2. *Tertull.* c. Marc. IV. 2. 5 (M. 2, 364. 367.)

3. *Orig.* in Matth. tom. I. Cfr. *Eus.* H. E. VI. 25 (M. 20, 581).

4. *Euseb.* H. E. III. 4 (M. 20, 220) Cfr. *S. Hier.* de vir. ill. 7. (M. 23, 621) : « Quidam suspicantur, quotiescunque in epistolis suis Paulus dicit *iuxta Evangelium meum*, de Lucae significare volumine ».

5. *S. Chrys.* in Act. hom. 1, 1 (M. 60, 15). Quod si S. Chrysostomus addit : « ὅταν δὲ εἴπω τούτῳ, τῷ Χριστῷ λέγω, evidenter per Paulum ad Christum Evangelium deducere vult, quippe a quo Paulus suum Evangelium acceperit; id enim integer docet contextus. Immerito autem *Credner* (Einl. p. 148) relationem ad Paulum excludit. Cfr. etiam *Chrys.* in Matth. hom. 4, 1 (M. 57, 40) : « Eodem modo duo discipuli magistros suos sunt imitati : Lucas Paulum ubertate flumina superantem, Marcus Petrum brevitati studentem ».

6. *Ps. Athan.* Synops. 76 (M. 28, 433).

7. Cfr. *Gal.* 1, 11. 12; 1 *Cor.* 9, 1; 11, 23; *Act.* 26, 16.

Quibus praemonitis rationes quasdam internas, quibus tertium Evangelium a S. Luca, discipulo S. Pauli, conscriptum esse comprobatur, paucis non tam exponemus quam indicabimus.

Graecum genere fuisse tertii Evangelii auctorem, stylus libri prodit. « Evangelistam Lucam, inquit *S. Hieronymus*, tradunt veteres Ecclesiae tractatores medicinae artis fuisse scientissimum et magis graecas literas scisse quam hebraeas. Unde et sermo eius tam in Evangelio quam in Actibus Apostolorum comptior est et saecularem redolet eloquentiam »[8]. Revera omnes interpretes in eo conveniunt, quod tertii Evangelii et Actuum stylum omnibus aliis N. T. libris (sola epistola ad Hebraeos excepta) puriorem esse dicant[9]; hebraismi quidem non desunt, frequentiores autem non inveniuntur nisi in duorum priorum Evangelii capitum hymnis et in sermonibus relatis. Quae styli puritas auctorem inter Ethnicochristianos potius quam inter Iudaeos conversos esse quaerendum suadet; ex frequenti enim alexandrinae versionis lectione etiam Hellenistarum lingua hebraismis scatebat.

Addere liceat, quamvis huic argumento magnam probandi vim inesse non censeamus, quod loquendi modus ex multorum interpretum sententia scriptorem artis medicae peritum prodat. « Ubi Matthaeus aut Marcus, inquit *P. Patrizi*, prodigia referentes vulgatioribus verbis utuntur, Lucas propria magis atque adeo aptiorem quandam periphrasin usurpat, veluti, quum ἀσθενοῦντας dicit, quos Matthaeus et Marcus κακῶς ἔχοντας, quum ὑγιαίνοντας, quos ἰσχύοντας, quum χρείαν ἔχοντας θεραπείας, quos Matthaeus ἀῤῥώστους : sic etiam pro illis Matthaei verbis ἐάθη ὁ παῖς Lucas scripsit εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα : sic pro

illis Marci κατέκειτο πυρέσσουσα Lucas haec usurpavit ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ. Ad haec illud πυρετῷ μεγάλῳ, quod legitur in Evangelio, illudque ἀχλύς, quod in Actibus Apostolorum, esse in medicina terminos technicos testimonio Galeni Wetstenius affirmavit » [10].

Stylus igitur loquendique modus Lucae, quem Graecum genere, arte medicum fuisse diximus, apprime conveniunt.

Socium quoque Pauli fuisse auctorem stylus nobis manifestat et multo magis rerum consensus. Ad priorem quod attinet, sat multa vocabula ab interpretibus enumerantur, quae Lucas et Paulus soli aut fere soli usurpant. In primo Evangelii capite saltem decem occurrunt, quibus praeter gentium Apostolum alii N. T. scriptores vix sunt usi; atque aliae voces, quae Paulo sunt usitatissimae, a Luca quoque satis frequenter, ab aliis rarissime adhibentur. Verba composita et decomposita amat S. Paulus, ut praepositionibus illis additis sensum verbi accuratius definiat ideamque expressam, ut ita dicam, depingat et ob oculos ponat; eadem autem vel similia inveniuntur in tertio Evangelio et Actibus [11]. Omittimus phrasium quarundam Lucae cum paulinis similitudinem [12], ut moneamus dominicum verbum : « Dignus est operarius mercede sua » a Paulo ita allegari, sicut apud solum Lucam legitur, in institutione SS. Eucharistiae referenda Lucam cum Paulo convenire, ordinem apparitionum Domini resuscitati, quem Paulus indicat, apud Lucam reperiri [13].

Pauca haec sine ullo dubio Pauli discipulum fuisse auctorem libri demonstrant; multo magis autem idem elucebit ex illis, quae mox de primis lectoribus et fine tertii Evangelii dicemus.

8. *S. Hier.* in Is. 6, 7 (M. 24, 98); ad Dam. ep. 20, 4 (M. 22, 378) : « Lucas inter omnes Evangelistas graeci sermonis eruditissimus fuit, quippe ut medicus ». Cfr. *Euseb.* Quaest. ad Marin. 4 (M. 22, 961) : « Lucas celebri Antiochia genus trahebat, qua in urbe omnes eruditi ab Ionibus progenitos sese gloriabantur. Sed praeter insitum civibus Hellenismum aliquantum magis in literis profecerat Lucas, quia medicae artis peritus erat ».

9. Quantum Lucae dictio cum graecitate classica conveniat, ostendit *Noesgen* in Stud. u Krit. 1877. p. 468 sqq. ac praesertim p. 474 sq.

10. *Patrizi* de Evang. I. p. 63 sq. — Cfr. *Hobart* The medical language of St. Luke. Dublin 1882. et *Meyer-Weiss* das Evang. Lukas. Ed. 8. 1892. p. 273 sq.

11. Ex gr. Luc. 1, 1 πληροφορεῖν (Luc. et Paul.), 1, 4 κατήχω (Luc. et Paul.), 1, 6 ἐνώπιον (semel Evang. Ioan., frequenter Luc., Paul. et Apoc.), 1, 19 εὐαγγελίζεσθαί τινί τι (frequentissime Luc. et Paul., semel Petr.), 1, 30 χάρις (frequentissime Luc. et Paul., inter reliquos soli Ioan. et Petr. raro illud adhibent), 1, 35 διὸ (frequenter Luc. et Paul., rarissime reliqui) 1, 50. 54. 58, 72. 78 τὸ ἔλεος (ex Evangelistis solus Lucas saepe Paul., reliqui raro), 1, 74 λατρεύειν (frequenter Luc. et Paul., semel Matth.) 1 72 διαθήκη (semel tantum in institutione Eucharistiae Matth. et Marc., Lucas quater, Paulus frequentissime), 1, 77 γνῶσις (Luc. et Paul.) etc. S. Lucas, aeque ac S. Paulus, vocabula cum praepositionibus διὰ et ἐπί composita amat (διαβαίνειν, διαγγέλλειν,

διαιρεῖν, διακονεῖν et διακονία [Luc. et Paul. soli], διαμαρτύρεσθαι, διατάσσειν etc; ἐπαγγελία, ἐπαινεῖν, ἐπικαλεῖσθαι, ἐπιλαμβάνεσθαι, ἐπιμένειν), item decomposita: συμπαραγίνεσθαι, συμπαραλαμβάνειν, συναντιλαμβάνεσθαι, etc. De lucani styli cum paulino consonantia satis fuse tractant non pauci interpretes. Inter catholicos cfr. *Schanz* Comment. p. 22; *Fillion* Comment. p. 10 sq.; fusius de ea agunt protestantici interpretes *Credner* Einl. p. 132 sqq.; *Holtzmann* Die synopt. Evang. Leipzig 1863. p. 316 sqq.; *Davidson* Introd. II. p. 57 sqq.; *Noesgen* Stud. u. Krit. 1877. p. 468 sqq.

12. Cfr. *Schanz* Comment. p. 22 N., qui has phrases vel potius phrasium partes allegat : *Luc.* 4, 22 = *Col.* 4, 6 et *Eph.* 4, 29; *Luc.* 4, 32 = 1 *Cor.* 2, 4; *Luc.* 6, 37 = *Rom.* 2, 1; *Luc.* 6, 39 = *Rom.* 2, 19; *Luc.* 8, 15 = *Col.* 1, 10 sq.; *Luc.* 10, 8 = 1 *Cor.* 10, 27; *Luc.* 10, 20 = *Phil.* 4, 3; *Luc.* 11, 41 = *Tit.* 1, 15; *Luc.* 12, 42 = 1 *Cor.* 4, 1; *Luc.* 13, 26 = 1 *Cor.* 8, 8; *Luc.* 20, 17 sq. = *Rom.* 9, 33; *Luc.* 21, 24 = *Rom.* 11, 25; *Luc.* 21, 36 = *Eph.* 6, 18. Cfr. *Davidson.* Introd. p. 17 sq.

13. 1 *Tim.* 5, 18 et *Luc.* 10, 7. Ceterum Paulus haec verba ex Lucae Evangelio allegasse merito dicitur. S. Matthaeus (10, 10) eundem sensum aliis verbis exprimit. — 1 *Cor.* 11, 24. 25 et *Luc.* 22, 19, 20. — 1 *Cor.* 15, 5 et *Luc.* 24, 34-36. — Apud Matth. 23, 34 Dominus de se ipso dicit : « Ecce *ego* mitto Prophetas » etc; in loco parallelo S. Luc. 11, 49 ponit : « Propterea et *Sapientia Dei* dixit : Mittam ad illos Prophetas » etc. Dissensus huius apparentis conciliationem exhibet 1 *Cor.* 1, 24 « nos praedicamus... Christum Dei virtutem et Dei Sapientiam ». S. Lucae quoque Dei Sapientia idem fuit ac Christus Dominus.

37. — Pauca de TERTII EVANGELII INTEGRITATE dicamus oportet, etsi hodie pauci inveniantur, qui illam impugnent. Saec. 16. iam calvinista Ioannes Bodinus duo priora capita S. Lucae abiudicare conatus est, quia tertii capitis initium totius operis exordium esse videretur. Quae sententia a Dan. Huetio refutata a rationalistis aliquibus saeculi praecedentis recocta etiam nostro saeculo nacta est nonnullos assertores [1]. Firmissimis enim graecorum omnium codicum versionumque antiquarum atque vetustissimorum Patrum, S. Iustini M., auctoris fragm. Murator., Irenaei etc testimoniis spretis [2], capita illa ob nimia, quae tradunt, miracula reiicienda duxerunt; eorum quoque stylum, quum hebraismis scateat, Luca esse indignum; Lucam autem ipsum in Actuum principio (1, 1 « sermonem feci de omnibus, quae coepit Iesus *facere et docere* ») clare indicare, a vita publica se narrationem suam inchoasse; atque demum capita illa in Marcionis libro, ex quo noster dependeat, defuisse. — Quid rationes hae valeant, vix opus est ut dicamus. Marcionem ex genuino nostro Evangelio capita illa, quia placitis eius dogmaticis contradixerunt, audaci manu exscidisse, omnes Patres testantur [3]. Eodem autem cum iure, quocum adversarii ex Actuum principio deducere volunt, Lucam a vita publica narrationem suam inchoasse, nos ex Evangelii principio (1, 3 « visum est et mihi assecuto omnia *a principio* diligenter ex ordine tibi conscribere ») deducimus, a vitae mortalis initio auctorem narrandi initium fecisse. Rectius vero dicemus, utrumque loquendi modum aptum fuisse, sive a vita privata, sive a publica narrationem

inchoare voluit. Hebraismos in primis capitibus esse frequentiores non negamus; at illos in hymnis fere inveniri iam diximus: qui, quum ex lingua aramaica sint translati, hebraismis carere vix potuerunt. Ceterum in reliquis istorum capitum partibus illa, quae stylo S. Lucae sunt propria, nullo modo desiderantur. Ad primam demum rationem respondere superfluum est.

Alter locus, de cuius authentia hodie quoque a nonnullis dubitatur, est ille, in quo Dominus in horto agonizans et sudore sanguineo perfusus ab Angelo esse confortatus narratur [4]. Etenim versus illi desunt in B., A., R., T.; in nonnullis aliis codicibus graecis asterisco vel obelo notantur, uti etiam desunt vel obelo notantur in versionum italae, syriacae, copticae, armeniacae codicibus nonnullis. Accedit quod ex aliquorum Patrum testimoniis habemus, eorum tempore versus istos a sat multis codicibus graecis et latinis exsulasse. « Nec sane ignorandum nobis est, inquit *S. Hilarius*, et in graecis et in latinis complurimis vel de adveniente Angelo vel de sudore sanguinis nihil scriptum reperiri »; quibuscum consentiens *S. Hieronymus* « in *quibusdam* exemplaribus tam graecis quam latinis » istos versus legi asserit; *S. Ambrosius* autem et *S. Cyrillus Alex.* in suis commentariis versus istos non explicant, ut in eorum exemplaribus defuisse videantur [5]. — Quibus testimoniis non obstantibus versus illi secundum sanae criticae regulas omnino genuini sunt dicendi. Eorum enim authentiam 1.) testantur saec. 2. Patres, *SS. Iustinus M., Irenaeus, Hippolytus*, qui ex illis contra haereticos argumentantur nullo dubio de eorum genuinitate commemorato [6]. 2. Quibus accedunt saeculorum insequentium Patres et scriptores ecclesiastici quam plurimi omnium ecclesiarum. Ex graecis nominasse sufficiat *SS. Dionysium Alex., Caesarium, Epiphanium, Chrysostomum, Theodoretum, Ps. Dionysium Areop.*, quibus addere liceat *Arium* et *Theodorum Mopsuest.* [7]; ex syris *S. Ephraem;* ex latinis autem *SS. Hilarius* et *Hieronymus*, quamvis versus in multis codicibus desiderari scirent, eos tamen adhibuerunt, aeque ac *S. Augustinus* [8]. c.) Exceptis codicibus nominatis reliqui graeci, inter quos Sinaiticus, versus illos exhibent, atque Alexandrinus (A.) quoque, quum canonem eusebianum, qui ad nostros versus spectat, praecedenti versui adscriptum habeat, illis indirectum testimonium affert. Cum graecis autem pleraque versionum omnium exemplaria antiqua consentiunt [9].

Quos testes quum numero tum auctoritate praevalere manifestum est; interroganti autem, quomodo factum sit, ut praeclari isti versus in tot antiquis exemplaribus olim sint omissi, probabile responsum exhibet *S. Epiphanius* de simili loco disputans, in quo Dominus super Ierusalem flevisse refertur : « Orthodoxi dictum illud (quod « in non mutatis [ἀδιορθώτοις] exemplaribus legi et a S. Irenaeo contra Docetas adhiberi »

dixerat) abstulerunt, quia *timebant,* neque finem eius vimque maximam intelligebant »[10].

1. *Dan. Huetii* Demonstr. Evangel. Prop. IX. 9, 7 (Venet. 1765. p. 497). — *Evanson* the dissonance of the four Evangelists etc. Ipswich 1792; *I. Iones* Ecclesiastical researches. London 1803; *Eichhorn* Einl. I. p. 620 sq.; *Baur,* Das Marcusevang. p. 218 sqq. etc.

2. *S. Iustin. M.* Apolog. I. 33. 34; c. Tryph. 78. 100 (M. 6, 381, 384. 637. 712); *Fragm. Murat.* « ideo et a nativitate Ioannis incipit dicere ». Cfr. *Introd. gener.* p. 168. *S. Iren.* c. haer. III. 10 « Lucas... de Zacharia et Elisabeth, ex quibus secundum repromissionem Dei Ioannes natus est, referens ait »... Luc. 1, 6 sqq.; cfr. etiam epist. eccl. lugd. (*supra* 34. n. 10 p. 124.)

3. Cfr. *supra* 34 p. 124 sqq.

4. *Luc.* 22, 43. 44. *Lachmann* in sua editione versus illos velut dubios uncis inclusit; *Westcott* et *Hort* autem illos spurios declarant et ex orali traditione insertos. Cfr. Westcott et Hort Notes p. 64-67. *Tischendorf* et *Tregelles* in suis editionibus illos velut authenticos retinuerunt.

5. *S. Hilar.* De trin. IV. 1 (M. 10, 375); *S. Hier.* c. Pelag. II. 16 (M. 23, 552); *S. Ambros.* in Luc. 22 (M. 15, 1818); *S. Cyrill. A.* in Luc. (M. 72, 921).

6. *S. Iustin. M.* c. Tryph. 103 (M. 6, 717); *S. Iren.* c. haer. III. 22 (M. 7, 957); *S. Hippol.* c. Noët. (M. 10, 828) et in Ps. 52 (apud Theodoret. Eranist. dial. 2. M. 83, 174).

7. *S. Dionys. Alex.* in Luc. 22 (M. 10, 1592.); *S. Caesar.* Dialog. I. 23 (M. 38, 881); *S. Epiphan.* Ancor. 31. (M. 43, 73); *S. Chrysost.* in Matth. hom. 85, 1 (M. 58, 746), *Theodoret* in Ps. 15, 7 et Demonstr. quod unio sit inconfusa 8 (M. 80, 961; 83, 325); *Ps. Dionys. Ar.* de coel. hierarch. IV. 4 (M. 3, 181). — *Arius* apud S. Epiph. haer. 69, 19 (M. 42, 232), *Theodor. Mops.* in Luc. 22 (M. 66, 725).

8. *S. Ephr.* Evang. concord. expos. p. 245; cfr etiam Diatessari versiones arabicam (ed *Ciasca* 1888.) et latinam (in Cod. Fuld. ed. Ranke 1868.). — *S. Hilar.* l. c.; *S. Hieron.* l. c.; *S. Aug.* De consensu Evang. III. 4. (M. 34, 1165).

9. Iure merito *Scrivener* Introd. p. 602 : « A host of later writers acknowledge these two important verses »; allegat autem *Quaterly Review* Oct. 1881. p. 353 « Upwards of thirty famous personages from every part of ancien Christendom recognize these verses as part of the Gospel; thirteen of. them beeing as old, some of them beeing a great deal older, than our oldest manuscripts ».

10. *S. Epiph.* Ancorat. 31 (M. 43, 74). Syri a Photio, Armeni a Nicone et Isaaco Cath. incusantur, quod hos versus eiecerint; cfr *Tischend.* N. T. Ed. 8. I. p. 695.

Quaestio III. — Quibusnam et quem in finem Evangelium tertium sit scriptum.

38. — Duplici quaestioni propositae S. Lucas non obscure in libri sui prooemio videtur respondere; Evangelium enim Theophilo cuidam inscripsit, « ut cognosceret eorum verborum, de quibus eruditus esset, veritatem », vel, uti accuratius ex graeco reddimus : « ut cognosceret earum doctrinarum, quas orali institutione edoctus esset, certitudinem »[1].

Quae ut accuratius evolvamus, praeprimis inquirendum est, quis ille Theophilus fuerit. Antiquioribus Patribus, uti *Origeni,* et iunioribus, uti *Epiphanio,* tam parum cognitus erat, ut dubii haererent, utrum

certam aliquam personam, an potius omnem hominem, qui a Deo diligitur (Orig.) vel qui Deum diligit (Epiph.), Lucas hoc nomine designare voluisset[2]. Amicum vero vel discipulum Evangelistae designari cum plerisque interpretibus modernis pro certo admittendum censemus; nostra enim loquendi figura, qua sub nomine ficto ad integram aliquam hominum classem sermo dirigitur, antiquis scriptoribus non fuit usitata. Deficiente igitur certa Patrum traditione[3] ex libris ipsi dedicatis, quis fuerit, definiendus est; at nescio an certi quidquam ex illis colligatur.

S. *Chrysostomus*, quem *Oecumenius* et non pauci moderni sequuntur interpretes[4], ex epitheto κράτιστος collegit, praesidem vel praefectum provinciae Theophilum fuisse, quia illo honoris titulo soli viri insigniores, qui publico munere fungerentur, ornati essent; quoniam vero in sermone familiari eodem titulo aliae quoque personae appellabantur, conclusio non est certa[5].

Moderni multi variis ex indiciis deducunt, Theophilum nec Iudaeum fuisse, nec Palaestinam incoluisse. Iudaeo, inquiunt, S. Lucas praeceptum illud, quod quadragesimo die primigenitos Domino in templo sisti iussit, non attulisset; multo autem minus ei explicasset, dies azymorum idem esse quod pascha et in paschate agnum occidi solere[6]. Palaestinensi Herodem « regem Iudaeae » fuisse non dixisset; civitates autem locaque in Palaestina sita (Capharnaum, Nazareth, regionem Gerasenorum, Arimathaeam, Emmaus etc) cognita supposuisset[7]. Simili modo eum nec Asiam nec Macedoniam nec Cretam incoluisse, nec Graecum[8] sed Italum, imo Romanum, eum fuisse omnia putant suadere. Quamdiu enim res extra Italiae fines gestae referuntur, civitatum etiam maiorum situs plerumque indicatur; quamprimum autem historia fines Italiae attingit, omnes civitates atque ipsa loca minima lectori cognita supponuntur : Rhegium, Puteoli, Forum Appii, Tres Tabernae[9]. De toto illo biennio, quod Paulus Romae post primum suum cum Iudaeis colloquium peregit, summatim tantum refertur, Apostolum praedicasse regnum Dei et docuisse ea quae sunt de Domino Iesu Christo, ac si singula facta Theophilo, utpote praesenti, iam satis essent nota.

Quae omnia, etsi probabilitate quadam non careant, rem non evincunt; praetermittendum enim non est, textibus allatis alios posse opponi, qui conclusionem dubiam reddant. Soli enim Iudaeo sine dubio cognitum fuit, quid esset « sabbathi iter », atque non paucas allusiones in Evangelio solus Iudaeus, qui Legem suam librosque suos sacros cognovit, potuit intelligere; extra Italiae quoque fines interdum civitatum minorum situs non definitur, Iconii, Seleuciae, Salaminos, Paphi etc[10]. Praeterea autem difficile est creditu, S. Lucam libros suos Theophilo ita dedicasse, ut alios lectores excluderet; illo potius modo

egisse censendus est, quo antiqui quoque scriptores profani nonnulli, qui quamvis libros suos publici iuris esse vellent, amico cuidam eos inscripserunt, ideoque aliorum lectorum causa multa inseruerunt, quae amico optime erant perspecta.

Quaestione igitur de Theophilo, quippe quae certis argumentis non definitur nec ad Evangelii intelligentiam multum iuvet, omissa illud, opinor, pro certo statuendum est, Lucam, Apostoli gentium discipulum et socium, libros suos proxime et primario ecclesiis a magistro suo fundatis destinasse; sine dubio enim non magis, quam magister eius, « super alienum fundamentum » aedificare et in alienam messem falcem immittere voluit[11]. Ecclesias autem a Paulo fundatas ex Iudaeis et ethnicis (praesertim proselytis) ita coaluisse, ut Ethnicochristiani multum praevalerent, ex Actibus Apost. et epistolis paulinis constat. Ex iisdem autem fontibus haurimus, quantopere Apostolo gentium elaborandum semper fuerit, ut iudaizantium doctorum, « transfigurantium se in Apostolos Christi », conatus reprimeret doctrinasque repelleret. Illa definitione, quam Apostoli in concilio hierosolymitano tulerant, non contenti libertatem, quae ethnicis conversis concessa erat, destruere atque omnes sub antiquae Legis servitutem redigere satagebant; pharisaico enim spiritu ducti solis Iudaeis a Christo salutem esse allatam docebant, gentibus vero eius partem non competere, nisi in quantum per Iudaismum ad Christum accederent et cum nova doctrina antiquam Legem integram in se susciperent. Cuius continuae luctae multa et insignia documenta, quae in epistolis paulinis invenimus, certos nos reddunt in catechesibus quoque suis Apostolum ad hos iudaizantium conatus respexisse novosque Christianos contra eorum errores solidis argumentis praemunisse. Procul igitur dubio catechumenis suis illam thesin frequenter inculcavit et evolvit, quae epistolae ad Romanos argumentum est, nimirum Iesum Christum omnibus hominibus, Iudaeis atque Graecis, salutem attulisse omnibusque per fidem patere viam ad salutem messianicam. S. Lucae autem, si Evangelium suum scripsit, ut Theophilum, i. e. omnes ecclesias a Paulo fundatas, in ea fide confirmaret, quam orali institutione iam didicerant, eadem doctrina evolvenda et adstruenda erat; quare ei quasi ob oculos versari debuit dictum illud paulinum : « *Evangelium virtus est omni credenti, Iudaeo primum et Graeco* ». Si igitur S. Matthaeus, qui Iudaeis conversis proxime Evangelium suum destinavit, Iesum esse Messiam in Lege promissum ostendit, atque S. Marcus ethnicos conversos in ea fide, quam acceperant, Iesum esse Filium Dei confirmavit, tertio Evangelistae illis ecclesiis Evangelium daturo, quae ex utrisque, ethnicis et Iudaeis, coaluerant, demonstrandum erat, coram Deo non esse personarum acceptionem, eadem cum caritate Deum utrosque amplecti, eandemque

utrisque salutis viam a Christo esse apertam [12]. Cui descriptioni respondere tertium Evangelium paucis ostendemus.

1. *Luc.* 1, 4.

2. *Orig.* in Luc. hom. 1 (M. 13, 1804) : « Putat aliquis, quod ad Theophilum quempiam Evangelium scripserit; omnes, qui nos auditis loquentes, si tales fueritis ut diligamini a Deo, et vos Theophili estis et ad vos Evangelium scribitur ». Ita quidem S. Hier. in sua versione; graecus vero textus in Catenis conservatus ita est reddendus : « Fortasse aliqui putaverint, Lucam Theophilo cuidam, qui unus fuit ex fidelibus, Evangelium scripsisse; hic spiritu fervens et insatiabili amore captus eorum, quae Dominus egit et dixit, securior factus est etiam his scriptis. Alius autem dicit, nosmetipsos omnes esse Theophilos, si tales erimus, ut a Deo amemur et diligamur ». *S. Epiph.* haer. 21, 7 (M. 41, 900) « sive ad Theophilum quendam scribens ita dixerit, sive amantem Dei quemlibet alloquatur ».

3. Cfr. *Tolet.* in Luc. 1, 4 (Romae 1600. p. 7); *Baron* Ann. ad a. 58 etc. Baronii coniectura Theophilum esse eundem, quem *Recognit. Clem.* (X. 71. M. 1, 1453) dicunt « fuisse cunctis potentibus in civitate (Antiochiae) sublimiorem atque domus suae basilicam ecclesiae nomine consecrasse, in qua Petro Apostolo constituta esset ab omni populo cathedra » facile quidem conciliatur cum assertione Constit. Apostol. (VII. 46. M. 1, 1049) Theophilum tertium Caesareae Palaest. fuisse episcopum; at semper mera manebit coniectura.

4. *S. Chrys.* in Ascens. Dom. et in princ. Act. II (M. 52, 782) : « Quis est ille Theophilus? Illo tempore praefectus erat et in praefectura sua praedicationem admisit... Illud vero *Optime* (κράτιστε) idem est quod *Illustrissime* (λαμπρότατε). Undenam id perspicuum est? Festus praeses dicit Paulo : Insanis, Paule; cui ille : Non insanio, *optime* Feste » (Act. 26, 24). *Oecumen.* in Act. 1, 1 (M. 118, 25). — Cfr. *Patrizi* De Evang. I. p. 6; *Aberle* Einl. p. 67 etc.

5. Praeter Theophilum praesides Felix (Act. 23, 26; 24, 3) et Festus (Act. 26, 24) hoc titulo ornantur. *Fl. Ioseph.* Antiq. IV. 6, 8; c. Appion. I, 1 latiore sensu terminum usurpat. Cfr. Wetstein ad Luc. 1, 1.

6. Cfr. *Hug* Einl. II. p. 142 sq.; *A. Maier* Einl. p. 93; *Bacuez* Manuel III. p. 97 etc. *Luc.* 2, 22 sqq.; 22, 1. 7.

7. *Luc.* 4, 31; 1, 26; 8, 26; 23, 51; 24, 13.

8. Cfr. *Hug* l. c., qui affert *Act.* 16, 12; 17, 21; 27, 8. Cfr. etiam 13, 13; 14, 6 etc.

9. *Act.* 28, 13-15.

10. *Act.* 1, 12 etc. 13, 4-6. 51.

11. *Rom.* 15, 20.

12. Cfr. *Coleridge* The life of our life Pref. I. p. XXVI. « If we consider S. Matthew as addressing himself primarily to the Hebrew Christians, and S. Mark as turning to the direct converts from heathenism, we may look upon S. Luke as the Evangelist of the Church as already more or less formed out of the coalescence of both bodies, or, in particular, as the Evangelist of the Churches in which the Iewish element has been more or less absorbed by the larger influx of Gentiles, great numbers of whom had passed through the proselytism before they embraced the faith ».

39. — Dicimus ergo 1.) tertium Evangelium nec solis Iudaeis conversis nec solis Ethnicochristianis, sed utrisque esse destinatum.

Nam a.) S. Lucam ethnicos in Evangelio suo scribendo prae oculis habuisse tam clarum est, ut *Origenes* « in gratiam eorum, qui ex gen-

tibus fuerant (τοῖς ἀπὸ ἐθνῶν), *S. Hieronymus* vero « Graecis » (i. e. ethnicis in oppositione ad Iudaeos) eum scripsisse dicant[1], atque hodie quoque quam plurimi tertium Evangelium proxime et primario Ethnico-christianis destinatum esse censeant[2]. Neque id mirum videbitur consideranti, quanta cum cura S. Lucas evitaverit, quidquid ethnicos offendere potuit, quantaque cum sollertia ea congesserit, quae ethnicis quoque salutem a Domino allatam esse probant.

Etenim quae a S. Matthaeo acerbius contra *gentes* vel de gentibus a Iesu dicta narrantur, ea S. Lucas aut praetermittit aut vocabulo quodam synonymo substituto mitigat, ut ethnicorum offensionem evitet. Apud Matthaeum Apostoli in prima sua missione « in viam gentium » abire vetantur, Lucas hanc prohibitionem tacet. Historiam mulieris chananaeae, quam integram refert Matthaeus, Marcus iam mitigaverat omissis illis verbis Domini : « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel », Lucas integram omittere maluit[3]. Ubi Dominus apud Matthaeum interrogat : « nonne et *ethnici* hoc faciunt? » Lucas habet « et *peccatores* hoc faciunt »; apud Matthaeum legimus : « haec omnia *gentes* inquirunt », apud Lucam : « haec omnia *gentes mundi* inquirunt »; apud priorem : « et eritis odio *omnibus gentibus* propter nomen meum », apud alterum : « eritis odio *omnibus* propter nomen meum »[4] etc.

Quot quantaque porro affert, ut ethnicos quoque ad Evangelium vocatos esse ostendat! Genealogiam Domini, quam S. Matthaeus, ut Iesum esse Messiam promissum demonstraret, per reges ad David et Abraham perduxit, S. Lucas per alium davidicae familiae ramum ad David, Abraham et dein ad primum hominem perducit, ut primo Adamo, cuius inobedientia peccatores constituti sunt multi (οἱ πολλοί), Christum, alterum Adamum, opponat, cuius obeditione iusti constituentur multi, eumque non ad unum tantum populum sed ad integrum genus humanum pertinere probet[5]. Ideo Christo in hunc mundum ingrediente Angeli gaudentes, nulla facta distinctione inter Iudaeos et inter Graecos, pacem annuntiant omnibus « hominibus bonae voluntatis ». Christus autem prima vice in templum ingressus a Simeone sene salutatur « salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium ». Atque prima vice in synagoga docens exemplis ex V. T. desumtis Dominus ipse ostendit, quantam ethnicorum quoque curam Pater aeternus habuerit[6]. In S. Matthaei relatione de praedicatione Ioannis B. sermo est de solis Iudaeis; Lucas autem, quum publicanis quoque et militibus (ethnicis) praecursorem praedicasse narret, uti praecursorem, ita et Salvatorem ad omnes convertendos advenisse innuit[7]. Praeter duodecim Apostolorum electionem S. Lucas, isque solus inter omnes Evangelistas, nobis electionem et missionem septua-

ginta (duorum) discipulorum narrat; namque « quia multus, inquit *S. Cyrillus Alex.*, futurus erat credentium in eum numerus, quum non solus Israel sagena concludendus esset, sed etiam ethnicorum greges, propterea designati fuerunt a Deo nostro Christo ultra illos duodecim, alii quoque septuaginta »[8]. Solus quoque inter synopticos S. Lucas refert, quomodo Dominus Samaritanorum sit misertus; solus parabolas nonnullas conservavit, quae gentium praenuntiant vocationem, inter quas pulcherrima illa de filio prodigo[9].

1. *Orig.* in Matth. tom. I (M. 13, 829. Cfr. *Eus.* H. E. VI. 25. M. 20, 581); *S. Hier.* ad Dam. ep. 20 M. 22, 378).

2. *A. Maier* Einl. p. 94; *Messmer* Introd. p. 38; *Grimm* Einh. der Evang. p. 97 sqq.; *Bacuez* Manue bibl. III. p. 97 sqq. etc.

3. *Matth.* 10, 5 et *Luc.* 9, 3; *Matth.* 15, 21-28 et *Marc.* 7, 24-30.

4. *Matth.* 5, 47 et *Luc.* 6, 33; *Matth.* 6, 23 et *Luc.* 12, 30; *Matth.* 24, 9 et *Luc.* 21, 17.

5. *Luc.* 3, 23-38 Cfr. *S. Iren.* c. haer. III. 22. « Lucas genealogiam, quae est a generatione Domini N. usque ad Adam septuaginta duas generationes habere ostendit finem coniungens principio et significans, quoniam ipse est, qui omnes gentes exinde ab Adam dispersas et universas linguas et generationem hominum cum ipso Adam in semetipso recapitulatus est (ἀνακεφαλαιώσατο). Unde et a Paulo typus futuri dictus est ipse Adam ». *S. Chrys.* in Matth. hom. 1, 3 (M. 57, 17) : « Matthaeus, quippe qui Hebraeis scriberet, nihil aliud ostendere studuit, quam quod ab Abrahamo et Davide ortum duceret; Lucas vero, quippe qui omnibus simul loqueretur, altius sermonem extendit et ad Adamum usque progreditur ». *Tolet.* in Luc. 3, 38 : « Recte Lucas generationem ad Adam et ad Deum ipsum describit; quum enim a Christo se manifestante et salutem iam hominum operante initium sumserit, omnium meminit generationum, quia omnes ab eo salvandi erant, et sicut primus Adam omnes suo peccato infecit, ita hic secundus Adam sua iustitia omnibus remedium attulit; et quod Deus ipse, cuius Adam fuisse dicitur, in primo homine condidit (eum enim iustum et sanctum et sibi amicum fecerat), id Christus malitia daemonis et hominis arbitrio destructum ac perditum reparavit ac restituit ».

6. *Luc.* 2, 14. 31; 4, 25-27. In quae ultima verba *S. Cyrill. Alex.* (M. 72, 544) : « innuit (Dominus) gentium Ecclesiam, quae ipsum receptura erat et leprae morbo mundanda esset, dum interim Israelis sensus obstupesceret ». Cfr. etiam *Ven. Beda* in Luc. 4, 27 (M. 92, 377) : « Naaman iste Syrus populum demonstrat nationum, quondam perfidiae scelerumque lepra maculosum, sed per sacramentum baptismatis ab omni mentis et corporis foeditate purgatum... Merito Naaman, cuius, dum aqua corpus abluitur, fide pectus abluitur, i. e. populus gentium, Iudaeis lepra contumaciae squalentibus antefertur. Merito vidua sareptana, i. e. Ecclesia, ligno crucis refici desiderans, Iudaeis fame verbi pereuntibus, pane sacrosancti corporis et vivifici Spiritus unctione recreatur. Probaturque Dominus civibus suis non ob suam impotentiam, sed ob eorum invidentiam virtutum dona negasse, atque hoc exemplo totam postremo gentem, non quia non amaretur, sed quia ipse se amari non amaret, ab eo derelictam, doctoribus scilicet inde ob salvationem gentium toto orbe dispersis ».

7. *Matth.* 3, 5-12 et *Luc.* 3, 12-14.

8. *Luc.* 10, 1. *S. Cyr. A.* i. h. l. (M. 72, 665). Teste Thalmude Iudaei ex tabula genealogica Noe (Gen. 10) collegerunt septuaginta (duos) esse populos in orbe terrarum (cfr. *Eisenmenger* Entdecktes Iudenthum I. p. 803 sqq.), quare iam Ven. Beda et post

cum alii interpretes numerum discipulorum ita a Domino esse definitum censuerunt, ut duodecim Apostolis, qui duodecim tribus Israel repraesentant, septuaginta discipuli pro numero populorum ethnicorum adderentur. *Ven. Beda* in Luc. 10, 1 (M. 92, 461) : « Bene autem septuaginta duo mittuntur; sive quia totidem mundi gentibus Evangelium praedicandum erat, ut quomodo duodecim tribus Israel, ita et hi propter exteras gentes destinarentur imbuendas; sive quod ipse praedicantium numero totus orbis per Evangelium summae et individuae Trinitatis illustrandus intimabatur, sicut solem hunc constat triduanum suae lucis ambitum mundo per septuaginta duas horas afflare solitum ».

9. *Luc.* 9, 52-56; 10, 30-37; 17, 11-19; — 15, 3-32 etc.

2.) His igitur aliisque permultis, quae, quia obvia sunt, afferre supersedemus, exemplis tertium Evangelium, praesertim si cum primo comparatur, Ethnicochristianis singulari modo destinatum esse appareret; immerito autem aliqui interpretes illis solis illud proxime scriptum esse dicunt. Si enim cum secundo, quod proxime ethnicis conversis scriptum esse demonstravimus, illud contulerimus, haud pauca inveniemus, quae inter primos lectores etiam multos *Iudaeo*christianos fuisse ostendunt illumque finem prosequuntur, ut hosce in fide accepta confirment.

Quo prae ceteris integra fere infantiae Domini N. historia spectat, quam omisit S. Marcus, S. Lucas autem satis fuse narravit; atque probe notandum, quomodo pro fine diverso, quem prosequuntur, diversa facta a Matthaeo et a Luca sint recepta. Nescio annon tota illa historia, prout in tertio Evangelio refertur, pro uberiore explanatione et demonstratione versuum illorum haberi possit et debeat, in quibus S. Paulus Israelitarum privilegia enumerat; « quorum est *adoptio filiorum* et *gloria* et *testamentum* et *legislatio* et *obsequium* et *promissa*, quorum sunt *Patres* et ex quibus est *Christus* secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula »[10]. Ad omnia enim haec privilegia S. Lucam duobus primis libri sui capitibus respexisse satis facile demonstratur; pauca indicabimus.

« *Adoptio filiorum* » (υἱοθεσία) a S. Paulo hoc loco non illa intelligitur, qua per gratiam filii Dei vocamur et sumus, sed altera illa, quae prioris illius umbra tantum est et figura, quatenus nimirum populus Israel, utpote prae omnibus aliis populis electus, singulari modo Dei populus erat ideoque ab eo « filius », « filius primogenitus » appellatus est[11]. Quod privilegium non tantum in mentem revocat B. Virgo, ubi Deum dicit suscepisse *Israelem puerum* (filium) *suum* « sed illud prae oculis Zacharias quoque habuit, ubi Deum celebrat, qui « visitavit et fecit redemtionem *plebis suae* et erexit cornu salutis nobis in domo David *pueri sui* » atque Simeon, qui contentus moritur, quoniam oculi eius iam viderant gloriam, quam paraverat Deus « *plebi suae* Israel »[12]. — Non ultimo in loco iure merito illud habebant Iudaei, quod Deus in medio populo, quem primogenitum adoptaverat, singulari quodam

modo praesens adesset, cuius praesentiae signum visibile erat arca foederis quaeque aliis quoque modis sese manifestabat. Quando perfecto tabernaculo foederis illata est arca, « *gloria Domini* implevit tabernaculum testimonii », et iterum quando in salomonico templo posita est arca, « implevit *gloria Domini* domum Domini »; ideo templum vocabatur et erat « locus habitationis *gloriae Dei* » [13]. Quantopere vero auctum est hoc privilegium, quum typo succederet antitypus, atque Dei Filius homo factus statim quadragesimo post nativitatem die templum ingrederetur. Tunc impletum est Aggaei vaticinium, quod novae domus, quamvis in ea deesset arca foederis, « magna futura sit *gloria*, plus quam primae, et quod Deus in loco isto daturus sit pacem ». Ideo etiam Dominus prima vice templum ingressus a Simeone salutatur « salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum..., et *gloria* plebis suae Israel » [14].

Minoris momenti non sunt, quae sequuntur privilegia : « *testamentum* » i. e. foedus, quod cum populo suo Deus pepigerat, quodque una ex parte continebat *legislationem*, quae exhibitis Dei praeceptis et mandatis, qua via incedendum esset, ostendebat, et *obsequium*, quo nomine S. Paulus intelligit cultum Deo praestandum (λατρείαν), altera vero ex parte *promissa*, quae Deus populo suo fideli dederat. Mirum est, quoties duobus istis capitibus *promissa* haec commemorentur; eorum impletionem, quam exspectaverant pauperes pastores aeque ac Simeon et Anna, celebrant B. Virgo et Zacharias; imo ab illis, qui promissa illa ignorant, tota illa historia non intelligitur [15]. At cultum (*obsequium*) quoque Israelis laudibus extollere sine dubio vult Evangelista, si primam appropinquantis salutis annuntiationem factam esse Zachariae « *sacerdoti* » narrat « secundum consuetudinem *sacerdotii* » in templo incensum offerenti, atque ipsum Filium Dei nobis ostendit templum praesentia sua sanctificantem et festa Iudaeis praescripta celebrantem [16]. Ad *legislationem* autem quod attinet, quantus honor ei accedit, quum Christus Dominus ipse in circumcisione, praesentatione, annua ad templum peregrinatione legem ritualem ad amussim observasse narratur, quum Zacharias et Elisabeth nobis exhibentur « iusti ambo ante Deum, incedentes in *omnibus mandatis et iustificationibus Domini* », Simeon « homo iustus et timoratus », Anna prophetissa, « quae non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die » [17].

In eo praesertim gloriabantur Iudaei, quod semen essent Abrahae quodque a *Patribus* (i. e. Patriarchis) descenderent. Neque immerito, dummodo cum Patrum sanguine etiam eorum pietatem haereditassent. At « convertenda erant *Patrum* » ob filios degeneres irata « corda iterum in filios ». Nihilominus autem haec ex Patribus origo magnum erat privilegium; etsi enim filii indigni essent, « fecit Deus misericordiam cum *Patribus* » eorum, missoque Filio suo « memor testamenti sui sancti » et Patres e limbo liberavit et eorum spem ac desiderium implevit; « recordatus enim misericordiae suae suscepit Israelem puerum suum, sicut locutus erat ad *Patres* » eorum [18].

Quae omnia privilegia longe superat illud, quod ultimo loco reservavit Paulus : « ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula »; in principio eiusdem epistolae idem iam asseruerat,

Iesum Christum « *ex semine David* secundum carnem » eumque simul « *Filium Dei* » esse. Quae verba quum scriberet, in mente habuisse videtur Paulus annuntiationem illam angelicam, sicut eam refert S. Lucas : « Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et *Filius Altissimi* vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem *David patris eius* et regnabit in domo Iacob in aeternum » ; atque iterum : « quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur *Filius Dei* ». Utrumque autem hoc dogma S. Lucas duobus istis capitibus adstruit atque hac ratione maximum Iudaeorum privilegium demonstrat. Divinam Christi naturam a Iudaeis agnitam esse ostendit, ubi praecursor Christi dicitur praecessurus « *ante Dominum Deum* in spiritu et virtute Eliae », « *ante faciem Domini* », ubi Maria ab Elisabeth salutatur « *mater Domini* » ; eandem deinde probat magnis illis miraculis, quae in annuntiatione et nativitate praecursoris, maioribusque, quae in Christi Domini annuntiatione et nativitate facta narrat [19]. Eadem autem cum cura demonstrat Christum esse « ex semine David », singulari igitur modo secundum carnem ad Israelitas pertinere ; titulus enim hic « filii David », quamquam ethnicis non magni momenti erat ideoque a Marco non adhibetur, maximus erat Iudaeis. Unica assertione S. Iosephum ac proin eius sponsam sponsaeque filium « *de domo David* » esse non contentus, in historia nativitatis iterum repetit eos esse « *de domo et familia David* », Iesumque natum esse « *in civitate David* », atque canticum Zachariae refert, qui Deum celebrat, « quia erexit cornu salutis nobis *in domo David* pueri sui » [20]. Quae omnia et multa alia, quae afferri possunt, dubitare nos non sinunt, quin Lucas in suo Evangelio scribendo etiam Iudaeochristianos prae oculis habuerit ; imo tota infantiae historia tot repleta est allusionibus ad V. T. libros, ut Iudaeis potius conversis, quam ethnicis destinata esse videatur.

In reliquo Evangelio pauciora eiusmodi vestigia inveniri fatendum quidem est, at minime desunt. In temporum ratione indicanda Lucas praeter romanos aliosque ethnicos principes etiam sacerdotes Iudaeorum adducit ; multo saepius, quam Marcus, ad Iudaeorum sectas earumque perversas doctrinas respicit ; una cum Matthaeo verbum Domini a Marco omissum affert, quod continuam Legis obligationem docet ; in narratione de paupere Lazaro proponit « Moysen et Prophetas » tam quam eos, quos audiri oporteat, ne quis in locum tormentorum veniat ; origo autem abrahamitica singulare quoddam ius videtur dare, ut quis a Domino beneficium recipiat [21]. Sine ullo dubio Lucas increpationes et minas, quas Dominus contra Iudaeos pronuntiavit, non siluit, imo in passione Domini culpam integro magis populo, quam Pharisaeis et Scribis, videtur attribuere [22] ; at altera ex parte illud quoque considerandum est, quod ubique simul ostendat, Dominum populo suo viam salutis monstrasse, tempus poenitentiae concessisse, spem redemtionis assequendae reliquisse [23]. Quid, quod Iesum populum suum, etiamsi iam gratiae resistere et Messiam suum respuere incepisset, singulari quodam

amore prosecutum esse demonstret? Solus enim inter omnes Evangelistas Dominum in sollemni suo in civitatem sanctam ingressu de futuro eius excidio « flevisse » narrat; et iterum solus refert, Dominum, quum iam a populo suo cruci esset affixus, infelicibus illis a Patre tenerrima precatione veniam efflagitasse. Quibus narrationibus nobis fontem ostendit, ex quo S. Paulus magnum suum erga Iudaeos amorem hauserat : « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo : optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem »[24].

At haec sufficiant; satis enim demonstrasse nobis videmur, nec Iudaeis, nec ethnicis conversis solis, sed illis ecclesiis, quae ex utrisque coaluerant, i. e. ecclesiis a magistro suo Paulo fundatis, Lucam Evangelium suum destinasse. Ut unum tantum addamus, quo magis magistri et discipuli consonantia appareat, conferatur, quomodo a Matthaeo et Marco una ex parte, ex altera vero a Luca missio Apostolorum referatur. Duo priores enim nihil habent, nisi Dominum Apostolos in universum mundum exire iussisse, ut « docerent omnes gentes », « omni creaturae Evangelium praedicarent » ; Lucas autem addit, ex voluntate Christi eos debuisse « praedicare remissionem peccatorum in omnes gentes, *incipientes ab Ierosolymis* » ; revera, uti habet S. Paulus, « Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo *primum* et Graeco », atque in omnibus suis itineribus apostolicis Apostolus gentium, antequam ad ethnicos se converteret, Iudaeis Evangelium obtulit[25].

10. *Rom.* 9, 4. 5., quem in locum cfr *Comment.* in ep. ad Rom. 1896. p. 475 sqq.

11. *Exod.* 4, 22 sq. « Filius meus primogenitus Israel » ; *Exod.* 19, 5 ; *Deuter.* 14, 1. 2. « Filii estote Domini Dei vestri,... quoniam te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quae sunt super terram ». *Deut.* 32. 6. *Os.* 11, 1 etc.

12. *Luc.* 1, 54. 68; 2, 32.

13. *Exod.* 40, 34 sqq. ; 3 *Reg.* 8, 10. 11 ; *Ps.* 25, 8 cfr. *Hebr.* 9, 5. — In textu paulino *Tolet.*, *Iustinian.* aliique « gloriam » intelligunt solam arcam foederis (ex 1 Reg. 4, 22 : « Ait : translata est *gloria* ab Israel, *quia capta est arca Dei* ») ; rectius vero omnis sensibilis manifestatio praesentiae divinae videtur esse intelligenda.

14. *Agg.* 2, 9 ; *Luc.* 2, 31. 32.

15. *Luc.* 1, 55, 72. 73 ; 2, 11. 25. 38.

16. *Luc.* 1, 8 sqq. ; 2, 22 sqq. 41 sqq.

17. *Luc.* 2, 21. 22. 27. 29. 31 ; 1, 6 ; 2, 25. 36. 38.

18. *Luc.* 1, 17. 72. 55.

19. *Rom.* 9, 5 ; 1, 3 ; *Luc.* 1, 31 sqq. ; 1, 17. 76. 43. — In textu paulino (Rom. 9, 5) moderni interpretes protestantici haud pauci, quum socianistico quodam spiritu affecti Christum non posse « Deum super omnia » appellari censeant, ultima verba : ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας puncto posito a prioribus separant, ut doxologiam Patris constituant. At a S. Irenaei tempore omnes Patres, quos *Tischendorf* (Nov. Test.

Ed. 8. II. p. 410 sq.). quamquam socianisticam interpunctionem recepit, ipse longo agmine affert, verba cum Christo coniunxerunt; id quod finis quoque Apostoli postulat, qui, quum Iudaeorum privilegia enumerare vellet, maximum tacere non potuit, quod ipse Filius Dei ex Iudaeorum gente carnem assumsisset. Praeterea illud « secundum carnem » in priore membro etiam incompletum foret, nisi altero membro divina eius natura assereretur. Optime *Theodoret.* (in Rom. 9, 5. M. 82, 152) : « Quemadmodum in prooemio, quum dixisset : *factus ex semine David secundum carnem*, subiunxit : *qui praedestinatus est filius Dei in virtute*, ita hic, quum dixisset : *secundum carnem*, adiecit : *qui est super omnia Deus benedictus in saecula*, et naturarum differentiam ostendens et merito lugere se docens, quod ex ipsis quidem sit secundum carnem, qui est Deus super omnia, ipsi autem a nobilitate exciderint et ab illa cognatione alieni facti sint ». Cfr de hac quaestione m. *Comm.* in ep. ad Rom. 1896. p. 481 sqq.

20. *Luc.* 1, 27; 2, 3; 2, 11; 1, 69.

21. *Luc.* 3, 2; 16, 17 (cfr. *Matth.* 5, 18); 16, 29; 13, 16 (« Hanc autem *filiam Abrahae*... non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbathi? »); 19, 9 (« Hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse *sit filius Abrahae* »).

22. Cfr. *Luc.* 13, 1-9. 23-35; 19, 42 sqq.; 23, 1. 4. 13. 18 sqq. (cfr. *Matth.* 27, 1. 12. 20; sed 27, 25 « universus populus »).

23. *Luc.* 13, 3. 6-8; 21, 24 « Ierusalem calcabitur a gentibus, *donec impleantur tempora nationum* ». Cfr. *Rom.* 11, 25 sqq.

24. *Luc.* 13, 16; 23, 34. *Rom.* 9, 1. 2.

25. Luc. 24, 47 *Act.* 1, 8 « Et eritis mihi testes *in Ierusalem* et in *omni Iudaea* et Samaria et usque ad ultimum terrae ». Cfr. *Matth.* 28, 19; *Marc.* 16, 15 *Ven. Beda* in Luc. 24 (M. 92, 632) : « Et merito sic scriptum est inter cetera dominicae pietatis sacramenta, et sic oportebat, ut ministri sermonis, qui in nomine Christi crucifixi et resuscitati poenitentiam erant et remissionem peccatorum in omnes gentes praedicaturi, a Ierosolymis inciperent, non solum quia illis credita sunt eloquia Dei, quia eorum est adoptio filiorum... et ex iis est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula, verum etiam, ut gentes... hoc maximum divinae pietatis indicium ad spem impetrandae veniae provocaret, quod eis quoque, qui Filium Dei crucifixerunt, non tantum veniam reatus a Patre, sed et vitae aeternae gaudium viderent esse donatum ».

40. — Quibus de Evangelii destinatione disputatis pauca tantum de eius FINE addenda habemus; nonnulla enim iam praeoccupavimus. Quid sibi proposuerit in libro suo scribendo, Evangelista in prooemio diserte asserit; ideo enim visum est ei rerum evangelicarum historiam enarrare, ut lectores sui « cognoscerent (vel potius accurate cognoscerent) doctrinarum, quas ex orali institutione acceperant, certitudinem ». Quibus ex verbis elucet nihil novi tradere voluisse Lucam, sed illa tantum in memoriam revocare et testimonio suo, quod diligenti et sollerti investigationi innitebatur, confirmare, quae neophyti iam didicerant; illos enim libros, qui eousque in eundem finem conscripti erant, ad eum assequendum aptos non esse censuit[1]. Quaenam vero doctrinae illae fuerint, quas narratione sua confirmare voluit, opus ipsum manifestat, quum totum sit in illis referendis, « quae coepit Iesus facere et docere usque in diem, quo assumtus est »[2]. Simili igitur modo, quo

S. Matthaeus in alias terras profecturus fidelibus hierosolymitanis defectum praesentiae suae libro scripto compensavit, et S. Marcus a Romanis rogatus ea, quae princeps Apostolorum ethnicis suis neophytis de vita Domini narraverat, literis mandavit, S. Lucas res gestas et doctrinas Christi, quas Apostolus gentium in suis catechesibus docere solebat, conscripsit, ut maiorem lectoribus suis daret eorum, quae audierant, securitatem [3].

Etenim evidens est, S. Paulum nec per se ipsum nec per socios peregrinationum suarum omnibus et singulis neophytis ecclesiarum, quas in continuis suis itineribus apostolicis fundavit, illam disciplinam adhibere potuisse, ut integram Domini vitam et doctrinam cognoscerent, sed plerorumque ac maxime eorum, qui fundatae iam ecclesiae alicui sese adiunxerunt, institutionem presbyteris et episcopis, quos statuerat, relinquere debuisse. Facile autem concipitur hosce ipsos, quum per breve tempus Apostoli disciplina fruiti essent, nec completam nec semper accuratam earum rerum, quas ipsi semel vel bis tantum audierant, scientiam tradere potuisse ; unde necessario factum est, ut in neophytorum animis de hac vel illa narratione dubitatio quaedam exoriretur. Cui incommodo ut occurrerent, « multi quidem conati sunt historiam contexere (ἀνατάξασθαι διήγησιν) rerum earum, quae utpote a testibus ocularibus et ab illis, quos ministros Evangelii sui Dominus ipse constituerat, relata a Christianis firma fide credebantur » (τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου). Sive vero multi illi diligentem investigationem neglexerant, sive debitum ordinem in sua narratione non observarant, opera eorum ex animis neophytorum omnem dubitationem non removerant; quare S. Lucas, ut plenam eis certitudinem daret, onus hoc in se suscepit, et post sollertem investigationem debito ordine observato « sermonem fecit de omnibus, quae coepit Iesus facere et docere usque ad diem, quo assumtus est » [4].

1. *Luc.* 1, 1-4. *Origenes* (in Luc. hom. 1. M. 13, 1802), quem sequuntur reliqui Patres et antiquiores interpretes, in verbo, quo usus est S. Lucas, πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι invenit « latentem accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus S. ad scribenda Evangelia prosilierunt ». Modernis quidem plerisque interpretibus explicatio haec displicet, quum ἐπιχειρεῖν sit vox media, quae bonusne an malus sit susceptae rei exitus non exprimat; at illud saltem constat, vocabulum, ubicunque sive in N. T. (Act. 9. 29; 19, 13) sive in V. T. (2 Par. 20, 11; Esth. 9, 25; 2 Mach. 7, 19; 9, 2; 10, 15) adhibetur, infelicem exitum denotare; sola exceptio est 2 Mach. 2, 30, quo in loco de exitu rei nihil asseritur. Cfr. *Patrizi* De Evang. III, p. 2 sq. Quidquid autem de vocabuli sensu statuitur, totus contextus docet multorum illorum conatus fini intento fuisse impares; ideoque procul dubio vocabulum « latentem accusationem » exprimit.

2. *Act.* 1, 1.

3. Simili modo *Maldon.* in Luc. 1, 4 : « Hoc mihi videtur Lucas significare voluisse,

Theophilum quidem prius audivisse de Christo, quae ad salutem illi essent necessaria, sed nondum omnem ordine rerum ab eo gestarum historiam cognovisse; eam se velle ipsi perscribere, ut re ad perfectum cognita auditisque Christi miraculis in iis, quae prius audiverat, confirmaretur ». Cfr. etiam *Tolet.* i. h. l.

4. De sensu, quem phrasi : « *quae in nobis completae sunt* », attribuimus cfr. *Orig.* l. c. vel potius S. Hieronymum homiliarum interpretem (M. 13, 1803) : « Effectum suum Lucas indicat ex sermone, quo ait : *in nobis manifestissime sunt ostensae* i. e. πεπληροφορημένων, quod uno verbo latinus sermo non explicat. Certa enim fide et ratione cognoverat, neque in aliquo fluctuabat, utrum ita esset an aliter ». Hunc sensum « communissimum esse apud interpretes » antiquiores testatur *Tolet* (i. h. l.). Quod si moderni interpretes nonnulli illam verbi πληροφορεῖν significationem, quam expressit Vulg. (complere, perficere) praeferunt, non satis attendunt non nisi coacte dici posse, « in nobis » i. e. inter Christianos, qui ipsi testes oculares non fuerant, completas esse res evangelicas.

At hic, quem descripsimus, magis est externus scriptoris finis; internus vero operis alius non est, atque ille, quem S. Paulus, cuius catechesin historicam a S. Luca traditam diximus, in praedicatione sua prosecutus est. Iam vero gentium Apostolus in ecclesiis a se fundatis, quae ex iudaicis et ethnicis neophytis coaluerunt, natura ipsa rerum coactus est, ut non esse Iudaeorum et Graecorum distinctionem ostenderet; eundem enim omnium esse Dominum divitem in omnes, qui invocent ipsum; omnes peccasse et egere gloria Dei; Evangelium virtutem Dei esse in salutem omni credenti, Iudaeo et Graeco; Christum enim pacem annuntiasse iis, qui longe fuerunt, et iis, qui prope, atque per ipsum omnes in uno Spiritu accessum habere ad Patrem[5]. S. Lucam autem haec eadem in Evangelio docere voluisse ex iis iam, quae de libri destinatione diximus, luculenter apparet. Nec illam igitur solam thesin, quam statuit Matthaeus, Iesum esse Messiam in Lege promissum, nec illam solam, quam statuit Marcus, Iesum esse Filium Dei, sibi proposuit; sed ut omnes *suos* lectores in fide recepta confirmaret, utramque quodammodo coniunxit et utramque admirandum in modum simul demonstravit. Statim a principio infantiae historia, etsi vaticinia messianica directe non afferat, Iudaeis conversis, « qui exspectaverant redemtionem Israel », persuadere potuit ac debuit, hunc Iesum utpote filium Davidis e virgine in civitate David natum esse Messiam promissum; eadem autem ethnicis conversis Iesum Altissimi Filium esse miraculis, quae in ipsius atque in eius praecursoris annuntiatione et nativitate facta sunt, ostendit. Atque ubi S. Lucas Dominum prima vice in synagoga publice docentem exhibet, Iudaei conversi illum cognoscunt, quem Isaias praedixerat Unctum Spiritu S., missum evangelizare pauperibus et liberare captivos, neophyti ethnici autem se quoque inter illos pauperes et captivos numerari edocentur, quorum causa venit Dominus[6]. In hac autem narratione, a qua publicae vitae historiam

inchoat, summam quasi sententiam et argumentum totius Evangelii proponit. Quemadmodum S. Paulus prae ceteris Apostolis divitias bonitatis et patientiae et longanimitatis Dei celebrat, quae omnes homines ad poenitentiam adducit[7], ita S. Lucas nobis magis, quam alii Evangelistae, Domini infinitam misericordiam ostendit, qua omnes omnino homines amplectitur. Solus nobis narrat, quomodo misertus sit Dominus peccatricis, Zachaei publicani, latronis crucifixi[8]; solus nobis conservavit parabolas de Pharisaeo et publicano, de muliere, quae drachmam unam perdidit, de filio prodigo, de iudice iniquo, et in illa de ove perdito, quam etiam Matthaeus habet, solus addit « in coelo gaudium fore super uno peccatore poenitentiam agente, magis quam super nonaginta novem iustis »[9]; solus nobis tradidit verba Domini in cruce persecutoribus suis veniam a Patre efflagitantis, et solus nobis eum etiam ad Pharisaeos, adversarios suos implacabiles, devertentem ostendit, ut illos quoque, si fieri possit, ad poenitentiam adducat[10].

Iesum igitur esse « *salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum,* lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis suae Israel » demonstrare voluit S. Lucas : quod si maior Iudaeorum pars salutare sibi quoque paratum reiicit nec gloriam plebis suae agnoscere volunt, id ipsis solis attribuendum est, qui praeiudiciis suis obcaecati effecerunt, ut sibi iam non esset in resurrectionem, sed in ruinam[11].

5. *Rom.* 10, 12; 3, 23; 1, 16; Eph. 2, 17 sq. etc.

6. *Luc.* 4, 16-30.

7. *Rom.* 2, 4; 9, 23; *Eph.* 1, 7 etc.

8. *Luc.* 7, 37-50; 19, 1-10; 23, 39-43. Cfr. etiam quomodo Samaritanorum, qui ipsum recipere noluerant, misereatur. Luc. 9, 55 sq. « Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare ».

9. *Luc.* 15, 8-32; 18, 1-14; 15, 7. 10 etc.

10. *Luc.* 23, 34; 7, 36 sqq.; 11, 47; 14, 1.

11. Simili fere modo sed nimis, ni fallor, apologeticam rationem urgens *Schanz* (Comm. p. 34) : « Das Evangelium hat also den Zweck, die paulinischen Heidenchristen (solos?) in ihrem durch den Unterricht gepflanzten Glauben zu bestärken, indem die negative und feindliche Haltung des jüdischen Volkes erklärt und die Berufung der Heiden als von Anfang an feststehendes Princip nachgewiesen wird. Die göttliche Barmherzigkeit umfasst beide vorher getrennte Nationen mit gleicher Liebe, um sie aus dieser bösen Welt für das zukünftige Reich der Seligkeit zu retten ». Polemicum vero finem *Grimm* (Einh. d. Evang. p. 97) exaggerat, si hisce Evangelii summam complectitur : « Das Evangelium ist ursprünglich für Israel *und* die Heiden bestimmt; aber Israel hat seinen Messias, hat damit das Evangelium verworfen, *darum gehört est den Heiden* und wird es von Israel verfolgt. Zeuge und Beleg hierfür ist die Geschichte des Evangeliums, wie sie sich von der Taufe bis zum Tode Christi entwickelt; in dieser Entwicklung liegt die thatsächliche Motivirung des sonst unbegreiflichen Rathschlusses, der das Heil, welches aus Israel kommt, eben diesem Israel nimmt ». Paucis annis antequam Lucas librum suum scripsit, S. Iacobus dixit S. Paulo : « Vides, frater, quot millia (πόσαι μυριάδες quot dena millia) sunt in Iudaeis, qui crediderunt » etc;

hisce, qui « omnes aemulatores Legis » fuerunt, adnumerentur Hellenistae, quos Paulus sociique eius converterant. — Melius *Glaire* (Introd. V. p. 128) : En examinant l'Évangile sous un point de vue général, on peut dire, que le dessein de son auteur est de prouver par l'ensemble des faits et par les circonstances de la vie de Jésus de Nazareth, que ce même *Jésus est le véritable Sauveur de tous les hommes* ». Cfr. etiam *Messmer* (Introd. p. 40) : « Christum describere voluit induentem quidquid est humanae infirmitatis et miseriae, ut omnes homines, Iudaeos et Graecos, benignitatis et humanitatis divinae (Tit. 3, 4) participes efficeret »; *A. Maier* (Einl. p. 95). Idem fere iam antiqui introductores statuerunt, inter quos *L. de Tena* (Isagoge p. 263) Aureolum et Ederum secutus Lucam istam conclusionem intendisse asserit, « quod homo ille, qui dictus est Iesus, fuit Salvator hominum et medicus animarum ». « Dubium nemini esse potest nec debet, Christum Iesum non tantum esse Regem coeli et terrae supremum, sed unicum *generis humani* Salvatorem et verum medicum, *extra quem nulla unquam speranda sit salus* ». Atque *Goldhagen* Introd. III. p. 73 : « Videtur per totam narrationis seriem hoc maxime agere, ut Christum, quem Matthaeus Messiam, Marcus Dominum esse probaverat, vere Iesum, i. e. *Salvatorem mundi*, esse ostendat ».

Non pauci sunt interpretes, qui mere historicum finem sibi proposuisse S. Lucam putant; quum enim post multos alios, qui evangelicarum rerum narrationem ordinare conati sint, se ipsum quoque, assecutum omnia a principio diligenter, *ex ordine* illas perscribere velle asserat, narrationibus minus accuratis accuratiorem opponere voluisse dicunt[12]. Qui vero ita sentiunt, inter finem operis et inter viam rationemque, qua ille attingitur, non satis videntur distinguere; accurata enim et historica rerum narratio, quam promittit, via est, qua lectores ad doctrinarum iam cognitarum certitudinem perventuros esse auctor sperat et desiderat. Neque nova quaedam nobis probatur sententia, quae duos S. Lucae libros nihil esse statuit, nisi defensionem quandam, qua discipulus magistri sui coram romanis magistratibus a synedrio Iudaeorum accusati causam agere atque ostendere voluerit, novam religionem christianam reipublicae romanae non esse exitiosam[13]. Ut enim taceamus, eiusmodi finis vestigium nullum ad nostra usque tempora esse detectum, atque tertium Evangelium non minus quam Actus Apostolorum lectores supponere, qui christianam doctrinam iam cognoverunt ac proin nec ad romanos magistratus nec ad alios ethnicos potuisse dirigi, novam hanc sententiam prooemio Evangelii apertissime contradicere manifestum est[14]. Rationalistarum variae sententiae, quorum alii Lucam primos Apostolos iudaizantes impugnasse, alii Petrinos iudaizantes et Paulinos conciliasse, alii Evangelium iudaizans sensu universalistico retractasse dicunt[15], refutatione non indigent, quum nulli fundamento innixae mera sint otiosorum hominum portenta, quae mutuis ictibus se concidunt et destruunt.

12. *Patrizi* De Evang. I. p. 91. « Lucas Evangelium edidit ad eum finem, ut Christi historiam plenius atque ordine, huiusque praecepta vivendi eas gentes doceret

quae recens in Christianos nomen dederant ». *Reithmayr* Einl. p. 407 et *Valroger* Introd. II. p. 85 « St Luc s'est attaché le premier à mettre les faits évangéliques dans un ordre conforme aux règles de l'histoire ».

13. *Aberle* Einl. § 14-17. Cfr. p. 78 « Die Schriften des hl. Lucas sind veranlasst durch die nothwendig gewordene Vertheidigung des Apostels Paulus gegen eine im Namen des jüdischen Synedriums geführte Anklage vor den römischen Behörden. Diese Vertheidigung ist auch ihr nächster Zweck. Allein nach der Natur der gegen den Apostel gerichteten Anklage erweiterte sich derselbe zu einer Vertheidigung des Christenthums, wie sich dasselbe als neue Religion im römischen Staate gebildet hatte und jüdischerseits vor den römischen Gerichten der Staatsgefährlichkeit bezichtigt worden war ».

14. Frustra *Aberle* (l. c. cfr. Tüb. Quartalschr. 1863. p. 98 sqq.) contendit integrum prooemium esse obscurum et magna cum arte (vel potius cum astutia) Lucam ambigue locutum esse, « *ut nihil diceret* » (« Er wollte mit dem Prolog *nichts* sagen, *etwas* wollte er nur für diejenigen sagen, die den Schlüssel zu seinen Worten hatten »); ideo etiam communem prooemii explicationem, quam per saecula theologi tradiderunt, esse erroneam. Vocabula quibus utitur S. Lucas, si nude spectantur, varias quidem significationes admittunt; in suo autem contextu sunt omnino determinata, nec ulla est ratio, cur antiqua et communis interpretatio relinquatur. Cfr. *infra* 87.

15. Die Evangelien, ihr Geist, ihre Verfasser etc. Leipzig 1845. p. 44 sqq.; *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter II. p. 39 sqq.; *Baur* Untersuchungen über die Evang. p. 501 sqq. etc. Sententiarum enumerationem exhibet *Hilgenfeld* Einl. p. 194 sqq. 200 sq. 581 sqq. etc.

Quaestio IV. — De tertii Evangelii ordine et auctoritate historica.

41. — *S. Ambrosius* iam monuit « Lucam velut quendam historicum ordinem tenuisse » suumque librum « historico stylo digessisse describendis magis rebus, quam exprimendis praeceptis intentum » [1]. Quin historicum dogmatico eius fine non obstante agere voluerit tertius Evangelista, dubium non est libri prooemium legenti, in quo duo illa, quae ab historico scriptore maxime requiruntur, a se praestita esse diserte testatur : diligenter enim in omnes res gestas, quas tradere sibi proposuerat, inquisivit easque se « ex ordine » traditurum promittit.

At quemnam ORDINEM promittit, rerumne an temporis? Antiqui interpretes plerique realem potius quam temporalem ordinem indicatum vidisse dicuntur, atque moderni quoque nonnulli chronologicum ordinem in tertio Evangelio observatum esse negant [2]; immerito autem, nisi omnia nos fallunt.

Prooemii enim verba, sive sola sive in contextu suo considerantur, tam clara sunt, ut dubitationi locum vix relinquere videantur. Sibi enim visum esse dicit παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς γράψαι. Atqui vocabulum καθεξῆς ordinem qualemcunque non significat, sed maxime chronologicum, seriem scilicet, in qua res aliae post alias gestae sunt; hoc enim sensu a profanis scriptoribus, atque hoc solo sensu

in tertio Evangelio et in Actibus adhibetur[3]. Praeterea alia quoque verba παρηκολουθὼς ἄνωθεν πᾶσιν inquisitionem qualemcunque non significant, sed illam, quae ad temporalem rerum nexum attendit; ad literam enim sonant : « postquam a principio omnia comitatus sum », i. e. « postquam a prima re gesta incipiens ad alteram, tertiam... transiens in omnes inquisivi, illa tibi secundum seriem, qua gestae sunt, scribere constitui ». Suum denique librum aliis opponit, quos ob debitae inquisitionis et debiti ordinis defectum fini suo assequendo impares indicavit; sine ullo autem dubio in illis quoque ordo aliquis erat observatus; quare si nihilominus se *ex ordine* scripturum cum emphasi asserit, certum et determinatum, qui alius, quam chronologicus esse nequit, ordinem indicavit[4].

Integer liber quoque ita est comparatus, ut temporis rationi indicandae specialem curam et diligentiam scriptorem adhibuisse ubique demonstret. Quemadmodum nativitatis dominicae tempus Augusti edicto determinavit, ita multis synchronismis allatis annum definivit, quo Ioannes B. ministerium suum inchoavit et Dominus « quasi triginta annos natus » ab illo baptizatus est[5]. Incipit ab annuntiatione et conceptione Baptistae; sex mensibus postea missum esse Angelum ad B. Virginem, atque post incarnationem Virginem tres menses apud cognatam suam Elisabeth mansisse tradit, atque tum ex ordine nativitatem Ioannis, iter Iosephi sponsaeque eius in Bethlehem, Domini nativitatem, circumcisionem, praesentationem, primamque pueri Iesu ad templum peregrinationem narrat[6]. Quam accurate in tota hac parte ordo chronologicus sit observatus, nemo non videt. In reliquo Evangelio temporis circumstantiae eadem fere cum diligentia sunt indicatae : « in sabbatho secundo primo », « in altero sabbatho », « in his diebus », « deinceps » (ἐν τῇ ἑξῆς vel ἐν τῷ καθεξῆς), « in sequenti die », « in eadem hora », « ipso in tempore », « eadem die » etc[7]. Inter synopticos Lucas praeterea solus varia itinera, quae Ioanne teste Dominus in sanctam civitatem suscepit, ita indicat, ut tertium cum quarto Evangelio hac in re plene consentire facili negotio demonstretur[8].

Quae quum ita sint, ordinem chronologicum a tertio Evangelista retentum esse censemus, quamvis non negemus, ob dogmaticum finem, quem praeprimis prosecutus est, scriptorem pauca quaedam facta e loco suo, quem secundum temporis rationem occupare debuerunt, in alterum transtulisse[9].

1. *S. Ambros.* in Luc. Prooem. 4. 7 (M. 15, 1530. 1532).

2. *Maldon.* in Luc. 1, 3 « Ex ordine se scripturum non dicit, quod eodem prorsus ordine, quo gestae res fuerant, scribit, sed quod non confuse scribat aut quod, quamvis non singulis in rebus, in toto tamen historiae complexu ordinem servet ». *Tolet.*

in Luc. 1, 3 : « Quidam recentiores ex hoc loco colligunt, Lucam servasse *in omnibus* ordinem temporum, quibus gesta sunt; quorum tamen opinio facile convincitur a veritate aberrare, quum constet nonnulla per anticipationem quandam narrata ab eo esse; servavit quidem ordinem temporis in praecipuis, in nonnullis autem praetermisit et alio loco nonnulla constituit; qui quidem ordo magis narrationi et doctrinae elucidationi accommodatus erat ». Eodem fere modo reliqui loquuntur; satis autem patet, eos chronologicum ordinem singularium quorundam factorum dumtaxat negare.

3. *Thucyd.* Bellum Pelop. II. 1 γέγραπταί τε ἑξῆς, ὡς ἕκαστα ἐγίγνετο κατὰ θέρος καὶ χειμῶνα, « scripta sunt secundum seriem, prout acciderunt hieme et aestate ». Inter sacros scriptores solus Lucas vocabula ἑξῆς et καθεξῆς adhibet; atque prius quidem ei semper temporis ordinem indicat (*Luc.* 7, 11; 9, 37; *Act.* 21, 1; 25, 17; 27, 18) neque aliter alterum (cfr *Luc.* 8, 1; *Act.* 3, 24; 11, 4), uno excepto loco (*Act.* 18, 23), ubi temporali localis ordo adiungitur. Recte ergo concludimus, etiam in Lucae prooemio temporalem seu chronologicum ordinem vocabulo indicari.

4. Cfr *Grimm* Einh. der Evang. p. 99. sqq.; *Patrizi* de Evang. III. p. 5; *Knabenbauer*, Comm. in Evang. S. Lucae 1896. p. 35 sqq. etc.

5. *Luc.* 2, 1; 3, 1.

6. *Luc.* 1, 5. 26. 39. 56 sqq.; 2, 1 sqq.

7. *Luc.* 6, 1. 6. 12; 7, 1. 11; 8, 1; 9, 28. 37 etc. Sat multas etiam narrationes formulis vagis inchoari (« et factum est », « in una dierum » etc.) fateamur oportet; at illas ipsas, quum determinatis intermixtae sint, hisce quoad temporis rationem determinari censemus.

8. *Luc.* 9, 51 sqq., et 10, 38 sqq.; 13, 22 et 13, 31; 17, 11. Cfr. infra 74.

9. Huc praesertim spectant *Luc.* 4, 16-30 et 9, 57-62. Ad prius autem quod attinet, licet a Matthaeo (13, 54) et Marco (6, 1) tardius referatur, nihil impedit, quominus illud ordine chronologico a Luca esse relatum dicamus (cfr. supra 30 n. 3 p. 112 sq.) neque eorum sententiam approbamus, qui a Luca illud toti narrationi cum in finem praemissum censent, ut summam et argumentum libri sui indicaret. Alterum autem a S. Matthaeo (8, 19) ita cum itinere in terram Gerasenorum coniungitur, ut illud alio tempore accidisse non ausim dicere; Lucas vero, quum inde a c. 10. magis de praeceptis et doctrinis dominicis loquatur, haec facta quasi summam eorum, quae dicturus erat, parti isti praemittere potuit. Ordinis enim chronologici inversionem admittere malumus, quam textui S. Matthaei cum *Grimm* Einh. der Evang. p. 166 sq. vim inferre, nec eadem facta eodem ordine bis accidisse cum *Patrizi* (De Evang. I. p. 82) concedemus.

42. — In prooemio suo S. Lucas accurate (ἀκριβῶς) se in illa, quae ex ordine narrare voluit, inquisivisse affirmat; quia vero per multos annos cum S. Paulo familiarissime vixit, atque reliquos Apostolos, Petrum, Iacobum, Philippum, aliosque, « qui ab initio ipsi viderant », intime cognovit, dubium non est, quin felicem exitum habuerit eius diligentia[1]. Quare summa est eius AUCTORITAS HISTORICA eiusque narratio, etsi inspirationem omittamus, maxima fide est digna. Nihilominus rationalistae in eius libris nonnulla se invenisse rati, quae profanae historiae repugnant, auctoritatem eius detrectare non verentur apertique erroris eum accusare. Quam iniusta sit haec accusatio facile apparebit, si tria illa, in quibus errasse dicitur, examini subiecerimus.

1.) S. Lucas decretum Augusti imperatoris de universo imperio romano describendo (ἀπογράφεσθαι) circa nativitatis dominicae tempus exiisse atque hanc descriptionem (ἀπογραφή) primam in Palaestina praeside Syriae Cyrino (Quirinio) factam esse narrat. Contra quod assertum uno ore disputant rationalistae, atque pauci hodie inveniuntur interpretes protestantici, qui hac in re Evangelistam ab omni errore absolvunt [2]. a.) Unica, inquiunt adversarii, decreti huius mentio invenitur apud iuniores quosdam scriptores christianos, Cassiodorum, Suidam, Isidorum Hisp., qui illud ex Evangelio nostro solo cognoverant; neque enim Tacitus, nec Suetonius, nec Fl. Iosephus, nec Dio Cassius de illo usquam loquuntur, nec Augustus ipse in marmore ancyrano, quamvis in eo censum civium romanorum ter a se actum esse tradat, universi imperii descriptionem commemorat. b.) Si vero eiusmodi decretum ultimis annis regis Herodis, quo tempore natus est Christus, exiisset, Palaestinam non comprehendisset; censum enim Romani in suis dumtaxat provinciis agebant, Palaestina autem regnum socium fuit, usque dum Archelao, Herodis filio, decimo regni eius anno in exsilium pulso, in provinciae formam redacta et Syriae adiuncta est. c.) Praeterea P. Sulpicius Quirinius teste Iosepho diu post Herodis mortem provinciam Syriam administrandam accepit; ultimis Herodis annis illam obtinuerunt C. Sentius Saturninus, et P. Quinctilius Varus, qui non nisi post Herodis mortem successorem habuit. d.) Censum quidem Quirinius in Palaestina egit, at satis diu post Christi nativitatem, quum nimirum pulso Archelao Palaestina Syriae adiungeretur; hunc censum etiam Fl. Iosephus commemorat; inde forte exortus est error Lucae. e.) Demum census ille aut more romano aut modo iudaico agendus erat; more Romanorum unusquisque in loco habitationis, non vero originis, censendus erat, Iudaei autem solos viros censebant; neutro igitur in casu edictum illud Augusti causa esse potuit, cur S. Ioseph cum sponsa sua iter bethlehemiticum susciperet. Omnia ergo ficta sunt [3].

2.) Alteram difficultatem desumunt ex Luc. 3, 1, ubi inter alios, qui tempore baptismi dominici partem antiqui regni israelitici tenebant, nominatur Lysanias, Abilae tetrarcha; atqui Iosephus etiam Lysaniam quendam, Chalcydis, cui terra Abilena vicina erat, dynasten nominat, sed eum instigante Cleopatra a. 34. a. Chr. occisum esse scribit; alter vero Lysanias nec a Iosepho nec ab ullo altero scriptore profano commemoratur; erravit ergo Lucas [4].

3.) Gamaliel in oratione sua, quam tradit Lucas (Act. 5, 36) Theudam quendam nominat, qui dicebat se esse aliquem et multos seduxit et occisus est. Iamvero Iosephus etiam seditionem Theudae narrat, sed eam factam esse refert Fado Iudaeam procurante; seditio illa ergo non accidit ante a. 44. p. Chr., i. e. decem fere annis post illam orationem Gamalieli attributam; manifestum ergo est, Lucam illam orationem finxisse [5].

1. In fontes, ex quibus narrationem suam Lucas hausit, inquirere opus non est; plene enim sufficiunt ea, quae supra diximus (36. p. 129). Moderni interpretes plerique *scriptis* quoque fontibus usum esse Evangelistam contendunt; quo autem argumento solido id probetur, ignoramus. Sine ullo dubio prooemium Lucae demonstrat eo tempore, quo scripsit, alios Evangelia scribere iam esse conatos; at num inde recte cum Schanz

concludemus Lucam libris illis velut fontibus esse usum? (Tüb. Quartalschr. 1885. p. 220 : « Der Prolog des Lukasevang. beweist, dass zu jener Zeit eine Evangelienliteratur existirte und dem Lukas bekannt war. Bei ihm kann man also [?!] von einer Benützung unmöglich abstrahiren »). Nisi omnia nos fallunt, prooemii verba, quatenus de fontibus explicanda sunt, solam traditionem oralem nominant. Neque enim vocabulum παραδιδόναι, etsi forte *scriptam* traditionem significare *possit* (substantivum παράδοσις *semel* a S. Paulo 2 Thess. 2, 14 ita adhibetur, ut oralem et scriptam traditionem coniungat), nostro loco, in quo αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου traditionis illius auctores dicuntur et illis, qui scripserunt, opponuntur, de traditione scripta intelligere licet. Modus autem, quo S. Lucas de multis illis, qui scripserunt, loquitur, omnino prohibet, quominus eorum libros Evangelistae pro fontibus fuisse dicamus. Firmum igitur manet, quod iam de prooemii sensu monuit *S. Hieronymus* (de vir. ill. 7. cfr. in Matth. Prol. M. 23, 621; 26, 18) : « Evangelium sicut *audierat* scripsit ».

2. Catholicos interpretes omnes auctoritatem historicam S. Lucae defendere per se clarum est; ex recentioribus fusius quaestionem hanc tractant *Patrizi* De Evang. III. p. 161 sqq., *Aberle* Tüb. Quartalschr. 1865. p. 103 sqq.; 1868. p. 29 sqq.; 1874. p. 663 sqq.; *Garrucci* Civiltà catt. 1876, Ser. v. 12. p. 206 sqq.; 1881. Ser. v. 5. p. 724; v. 6. p. 475 sqq.; *Riess* Das Geburtsjahr Christi Freib. 1880. p. 66 sqq. *Schegg* Das Todesjahr des K. Herodes u. das Geburtsjahr Christi München 1882. p. 37 sqq.; *Knabenbauer* Comm. in Evang. S. Lucae 1896. p. 104-114. — Ex acatholicis conferri merentur *Zumpt* Commentat. epigr. II. Berolini 1854. p. 73 sqq. et Das Geburtsjahr Christi. 1869. p. 90 sqq.; *Wieseler* Beiträge z. Würdigg der Evang. 1869; *Keil* Comm. p. 213 sqq.; *Cook* The Speaker's Comm. N. T. I. p. 326 etc.

3. Cfr inter alios *Strauss* Leben Iesu. Ed. 4. I. p. 226 sqq.; *Davidson* Introd. II. p. 68 sqq.; *Renan* Vie de Jésus, p. 19 sq. (Ed. 18. p. 20 sq.) etc.; *Weizsäcker* in Schenkel Bibellexicon 1875. V. p. 24 sqq.; *Meyer-Weiss* Exeget. Handb. I. 2. Ed. 8. 1892 p. 323 sqq.; *Schürer* Lehrb. der neutest. Zeitgesch. 1874. I. p. 262 sqq. et in *Riehm* Handwörterb. des bibl. Alterth. 1884. I. p. 244; *Sieffert* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XIII. p. 451 sqq.; *Holtzmann* Handcomm. Synopt. u. Apostelgesch. 1892. p. 41 sqq.

4. Cfr *Strauss* Leben Iesu I. p. 341 sqq.; *Holtzmann* in Zeitsch. f. wissensch. Theol. 1873. p. 93 et *eiusdem* Handcomment. 1892 p. 57 sq.

5. Rationalistae moderni, quibus praelusit *Vales.* in sua adnotatione ad Euseb. H. E. II. 11 (M. 20, 164), plerique Lucam hac in re errasse tenent; paucos nominasse sufficit : *Winer* Bibl. Realwörterb. II. p. 609 sq.; *F. Chr. Baur* Der Apostel Paulus. Ed. 2. 1866. I. p. 41 sq.; *Keim* in Schenkel Bibellexicon V. p. 510 sqq.; *Renan,* Vie de Jésus, p. 60 (Ed. 18. p. 63); *eiusdem,* Les Apôtres. 1866. Introd. p. XXIX; *Schürer* in Riehm Handwörterb. der bibl. Alterth. II 1884. p. 1653 sq.; *Meyer* Exeget. Handb. III. Ed. 4. p. 141 (Ed. 7. quam curavit *Wendt* 1888. p. 146 sq.); *Holtzmann* Handcomm. 1892. I. p. 343 etc.

Priusquam directe has obiectiones refutemus, moneamus oportet iniustissimo modo et iniquissimo scriptores nostros sacros ab omnibus illis tractari, qui supranaturalem revelationem respuerunt. Quodsi enim factum aliquod historicum ab auctore profano commemoratum vident, illud, etsi a reliquis scriptoribus silentio praetermittatur, pro certo et indubitato admittunt; quot enim facta antiquitatis reiicienda essent, si unus testis pro nullo haberetur. Si vero inter profanorum scriptorum relationes contradictio quaedam apparet, antiquior testis praeferri solet, praesertim si reliquis etiam diligentia praestat, nec ulli partium

studio in sua narratione indulsisse videatur. Atque haec quidem rectissime et optime. Sed si sacrum scriptorem inter et profanum contradictio adesse creditur, profanus, etiamsi antiquitate, diligentia, integritate longe inferior sit, sacro praefertur; facta autem historica, quae a solo sacro scriptore referuntur tacentibus (minime vero contradicentibus) profanis, inter mythos ablegantur. Quoniam iniquissimum hunc agendi modum nullatenus admittimus, a limite obiectiones illas omnes reiicere possumus; omnia enim (etiamsi inspirationem omittamus) pro Luca militant contra profanos, qui de illo tempore scripserunt. Antiquitate enim praestat Evangelista, qui saltem centum quinquaginta annis ante Dionem Cassium, quinquaginta ante Tacitum et Suetonium, viginti ante Fl. Iosephum librum suum scripsit. Neque ei meliores, quam illis, praesto fuisse fontes negari potest, qui probabiliter ipsam B. Virginem circumstantias nativitatis dominicae narrantem audivit, certissime autem ab Apostolis omnia accurate exquisivit. Ad integritatem autem quod attinet, nemo rationem ullam inveniet, qua permotus Lucas illud edictum Augusti, vel illam Quirinii praefecturam, vel illum Lysaniam tetrarcham, vel Theudae illius seditionem finxerit. Fl. Iosephus e contra, qui aetate proximus est, nemo ignorat, quot celaverit, diminuerit, exaggeraverit, finxerit, ut simul et Romanis victoribus, protectoribus suis, placeret nec displiceret popularibus suis, victis Iudaeis. Tacitus Annales suos a regno Tiberii incipit; quare inepte in illis omnium eorum, quae Augustus egit, mentio quaeritur; Suetonius in Augusti indole depingenda magis quam in rebus ab eo gestis narrandis versatur; Dio Cassius non tantum a tempore Christi et Apostolorum longissime distat, sed etiam decem illorum annorum, de quibus maxime quaestio agitur, historia in eius opere desideratur.

At illud quoque accedit, quod tria haec, quorum veritas historica in dubium vocatur, non sola sunt, quae de illius temporis historia nobis refert S. Lucas; innumera alia habet, quae ad historiae fidem scripta esse, ipsi adversarii concedere sunt coacti. Praeter Lysaniam Abilenae tetrarcham Herodes (Antipas) tetrarcha Galilaeae, Philippus eius frater, tetrarcha Ituraeae, Annas et Caiphas summi sacerdotes a. 15. Tiberii auctoritate potiti esse dicuntur, quae omnia ex Fl. Iosepho aliisque scriptoribus profanis confirmantur. In Actibus sermo est de tribus regibus ex Herodis familia, Antipa, Agrippa I., Agrippa II., de duobus procuratoribus romanis Felice et Festo, de Drusilla Felicis uxore et de Berenice Agrippae II concubina, de Sergio Paulo proconsule Cypri et de Gallione proconsule Achaiae, de Publio principe insulae Melitae etc; atqui haec omnia aut historicorum profanorum testimoniis, aut si illi tacent, monumentis superstitibus demonstrantur accuratissime a Luca relata[6].

Aequus igitur iudex Lucae testimonium, aliorum scriptorum non ob-

stante silentio, pro certo et indubitato non admittere non potest. Verum ad directam iam obiectionum refutationem transeamus ab ultimis, quippe quas paucissimis expedire licet, initium facientes.

6. Licet omnia haec evolvere non sit huius loci, sed ad interpretes pertineat, pauca quaedam tamen afferenda censemus, quae clarius ostendant eo magis fidem historicam Lucae in ipsis rebus minutissimis apparere, quo magis nobis hodie innotuerunt antiquae historiae monumenta. Paulus Sergius in Actibus vocatur *Proconsul* Cypri (Act. 13, 7. 8. 12); iam antiquis interpretibus, qui ex Strabone (XIV. 6, 6) didicerant, Augustum, quum Senatui aliquas provincias attribueret, sibi Cyprum retinuisse, atque aliunde edocti erant, senatorias solas provincias a *proconsulibus*, caesareas autem a *propraetoribus* esse administratas, titulum hunc parum accurate positum esse putaverunt variisque modis difficultatem solvere sunt conati. Attamen hodie non tantum ex Dionis Cassii (LIII. 12. cfr. LIV. 4) testimonio constat, Cyprum iam ab Augusto Senatui esse restitutam, sed ex sexta quoque decade primi saeculi, i. e. ex illo fere tempore, quo Paulus Cyprum venit, inscriptiones cyprenses habemus superstites, quae a *proconsulibus* provinciam administratam esse docent (*Boeckh* Corpus inscr. graec. II. n. 2631. 2632), imo ultimis annis una inventa est, quae nostrum Sergium Paulum videtur nominare (*Cesnola*, Cyprus, its ancient cities etc. London 1877. p. 424 sq.). — Magistratus *thessalonicenses* Lucas (Act. 17, 6) titulo prorsus inusitato appellat πολιτάρχας (civium magistros), dum titulus vulgatus sit πολίαρχος (urbis praefectus); nonne mirum, quod ad Lucae auctoritatem confirmandam *Thessalonicae* sit inventa inscriptio, quae inusitatum titulum exhibet (*Boeckh* Corp. inscript. II. n. 1967)? — Item in *Melitam* insulam veniens Lucas Publium (insulae magistratum) appellat τὸν πρῶτον τῆς νήσου (Act. 28, 7.); nonne iterum mirum, quod unica inscriptio, eaque *melitensis*, hunc titulum Melitae adhibitum esse demonstret (*Boeckh* Corp. inscr. III. n. 5754)? — Philippi πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις (Act. 16, 12) vocatur; multum disputatum est, quo iure Philippi, quum caput Macedoniae non esset, ita designari potuerint; res tamen clara est illi, qui Lucam accurate loqui scit. Illo enim tempore, quo Paulus cum sociis suis ex Troade in Macedoniam venit, Philippi revera illis, qui a Troade per Samothraciam Macedoniam petebant, *prima* fuit, quae occurrit, *civitas macedonica;* viginti annis postea, quum Neapolis, portus in quem Paulus appulit, Macedoniae a Vespasiano attributa esset, expressio Lucae non amplius fuisset accurata. Coelesti nimirum visione Paulus in *Macedoniam* erat advocatus (16, 9), ideo Neapoli, quae nondum erat civitas Macedoniae, non commoratus Philippos properavit, in *primam*, quam attingere potuit, Macedoniae civitatem. Immerito ergo et iniuste *Renan* (St Paul, 1869. p. 131) Lucam hac in re « levis erroris » incusat. Sed haec pauca sufficiunt (plura exhibent *Felten* Die Apostelgesch. 1892. p. 27 sq. et passim; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 533 sq.); qui in eiusmodi minutiis fidelis testis invenitur, is in maioribus quoque procul dubio plenam meretur fidem.

De Lysania vix opus est, ut dicamus; ipsi enim huius temporis rationalistae tantum non omnes concedunt alium esse Lysaniam *Chalcidis dynasten*, quem Iosephus iussu Cleopatrae interfectum esse scribit, alium Lysaniam *Abilenae tetrarcham*, cuius regnum a Chalcide omnino distinguitur [7]. Neque minus certum est, seditionem Theudae, quam commemorat Gamaliel, omnino diversam esse ab illa, quam Iosephus narrat [8]. Gamaliel enim disertis verbis illam factam esse asserit *ante* alteram, quam movit « Iudas Galilaeus in diebus professionis » (ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς). Etenim post exsilium Archelai,

quum Iudaea in provinciae formam redacta esset, Quirinius Syriae praefectus censum egit, qui Iudaeis tam odiosus fuit, ut Iuda Gaulanite vel Galilaeo duce illum vi repellere conarentur[9]. Seditio haec accidit circa a. 6. p. Chr., si Herodes M., id quod plerique tenent mortuus est a. 750 U. C.; Theudas igitur ille, quem commemorat Gamaliel, iam ante annum 6. p. Chr. occisus erat. Iam quis sibi persuadebit, S. Lucam tantopere errasse, ut hominem, qui suo tempore seditionem movit (Theudas Iosephi enim post a. 44. p. Chr. vixit[8], quinquaginta fere annis antea occisum diceret? Quis non admittere mavult, Iosephum illum Theudam, de quo agit Gamaliel, aut omisisse (multo graviora enim, quorum commemoratio Iudaeis invisa erat, eum omisisse constat), aut alio nomine appellasse[10]?

7. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XV. 4, 1; XIX. 5, 1; XX. 7, 1. Cfr. *Renan* Mémoire sur la dynastie des Lysanias d'Abilène (Memoires de l'Acad. des inscript. et belles-lettres. 1870. XXVI. II. p. 49 sqq.), *Kneuker* in Schenkel Bibellexikon I. p. 26 sqq.; *Schürer* in Riehm Handwoerterb. des bibl. Alterth. p. 931; *Wieseler* in Herzog P. R. E. Ed. 2. I. p. 88 sq., ac praesertim *Knabenbauer* Comm. in Luc. 1896. p. 155 sq.

8. *Act.* 5, 36 et *Ioseph.* Antiquit. XX. 5, 1.

9. *Ios.* Antiquit. XVIII. 1, 2.

10. Nomen Theudae idem est, quod Theodorus respondetque hebr. מַתִּנְיָה (Matthaeus) vel מַתִּתְיָה (Mattathias vel Matthias). Narrat *Ioseph.* (Antiqu. XVII. 6. Bell. Iud. I. 33.) ultimis Herodis annis, quum falsus rumor de eius morte propagatus esset, Matthiam quendam seditionem movisse sed captum et vivum igne crematum esse. Ad hanc seditionem alludi a Gamaliele censent aliqui (*Wieseler* Beiträge zur richt. Würdigung der Evang. Hamb. 1869. p. 103 etc); parum autem nobis haec sententia probatur, quum Matthias ille non diceret « se aliquem esse » i. e. pro Messia haberi nollet. At circa tempus nativitatis dominicae et 1. saec. christiano tot falsi Christi prodierunt, ut facile duo nomen Theudae gerere potuerint. A morte Herodis M. usque ad Felicem procuratorem Palaestinae quatuor, qui nomen Simon gerebant, intra decem annos tres, nomine Iudae, seditionem moverunt etc. Cfr. *Lardner* Credibilty of the Gospel history I. 2. p. 7; *Felten* Die Apostelgesch. 1892. p. 135.

Gravior est prima difficultas, nec una eademque solutio ab omnibus interpretibus proponitur; quum omnes referre et diiudicare sententias non sit huius loci, eam solam paucis indicabimus, quam praeferendam censemus. Praenotemus oportet bis a S. Luca « descriptionem » (ἀπογραφήν) commemorari; in Evangelio: αὕτη ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρίνου (haec erat prima descriptio praeside Syriae Quirinio), in Actibus: « post hunc exstitit Iudas Galilaeus ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς in diebus descriptionis »; quae altera ob seditionem ab Iuda Galilaeo excitatam tam celebris fuit, ut ἡ ἀπογραφή nominaretur. Eam quoque factam esse Quirinio Syriae praeside circa a. 760 U. C. testatur *Iosephus* atque innuit S. Lucas, quum priorem illam, quae tempore nativitatis Domini i. e. circa a. 749 U. C. facta est, « *primam* Quirinio praeside » appellet atque hac ratione a secunda, quae magis famosa erat, distinguat[10]. Quare duo nobis sunt ostendenda, primum quidem circa tempus nativitatis Domini, i. e. intra annos 747 et 753 U. C., inter quos chronographorum de nativitate Christi fluctuant sententiae, Quirinium Syriae

praesidem fuisse, atque circa idem tempus Augusti edictum exisse vel in Palaestina promulgatum esse, quo universum imperium romanum describi iubebatur. Quibus duobus stabilitis reliqua, quae obiiciuntur, facillime solvuntur.

Quandiu soli Iosepho fides adhibebatur, prior quaestio omnimoda cum certitudine solvi non potuit; constat vero hodie inter omnes satis magnam lacunam in eius Antiquitatibus esse admittendam, quum integrum fere Archelai regnum (750-760 U. C.) silentio premat [11]; hinc factum est, ut nullum Syriae legatum inter Varum, qui tempore mortis Herodis illam provinciam administravit, et Quirinium, qui post Archelai exsilium eo missus est, nominaverit, quamvis extra dubium sit, a. 758 L. Volusium Saturninum Syriam administrasse [12]. Quia vero Augustus sibi legem statuerat, ne quem legatum provinciae praeesse pateretur diutius quinquennio neve brevius triennio, consequens est, ut inter Varum et Volusium duo alii legati provinciam illam obtinuisse dicantur. Quorum priorem Quirinium fuisse, ita demonstratur. Teste Tacito Quirinius, antequam C. Caesari, Augusti filio adoptivo, a. 753 rector iuventutis additus est, « expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus est » [13]: atqui Cilicia inde ab a. 728 usque ad Vespasiani regnum cum Syria provincia coniuncta atque a Syriae legato administrata est; ergo ante a. 753 Quirinius legatus Syriae fuit successor Vari, qui illam provinciam usque post mortem Herodis (750) tenuerat. Accurato autem omnium illius aetatis monumentorum studio *Zumptius* hanc Syriae legatorum seriem stabilivit [14].

C. Sentius Saturninus 746 U. C.	C. Marcius Censorius 756
P. Quinctilius Varus 748	L. Volusius Saturninus 758
P. Sulpitius Quirinius 750	*P. Sulpitius Quirinius* iterum 760
M. Lollius 753	A. Caecilius Creticus 764.

Quae legatorum Syriae series etiam ab illis hodie admittitur, qui Lucae auctoritatem historicam negant [15].

Augustum descriptionem universi imperii edixisse disertis quidem antiquorum scriptorum testimoniis demonstrare non possumus, atque fateamur oportet Augustum ipsum in marmore ancyrano, quamvis ter se censum *civium romanorum* egisse glorietur, illam non commemorasse. At probe quoque notandum S. Lucam de censu proprie dicto (ἀποτίμησις) non loqui, sed de descriptione imperii (ἀπογραφὴ τῆς οἰκουμένης), quam tempore Augusti factam esse indirectis antiquioribus et iunioribus directis testimoniis constat.

Suetonius enim refert Augustum, quum diuturnae valetudinis taedio de reddenda republica iterum cogitasset, magistratibus ac senatui domum accitis « rationarium imperii » tradidisse, quod postea appellat « breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique essent, quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigaliorum ». Qua de re accuratius *Tacitus;* Tiberium enim Augusto mortuo in senatu proferri libellum recitarique iussisse narrat, in quo « opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa ac vectigalia, et necessitates ac

largitiones; *quae cuncta manu sua perscripserat Augustus* »[16]. Tabulas igitur confecerat Augustus, in quibus totum imperium recensebatur, nec sola Italia aut solae provinciae, sed regna quoque socia eorumque omnium opes, exercitus, tributa ac vectigalia comprehendebantur. Quae quum omnia sua manu perscripsisset imperator, iure merito concludimus eum prae ceteris curasse, ut omnia accurate cognosceret; quod quomodo absque integri imperii descriptione fieri potuerit non intelligitur.

Indirectum hoc argumentum directis testimoniis Cassiodori et Suidae confirmatur et illustratur. *Cassiodorus* enim non in commentario quodam sacro sed in epistola publica, quam pro munere suo ad agri mensores scripsit, « Augusti temporibus, inquit, orbis romanus agris divisus censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda »; atque *Suidas* vocem ἀπογραφῆς explicans: « Imperator Augustus, inquit, viginti viros spectatae virtutis et integritatis delectos in omnem terram subditorum misit, qui et hominum et bonorum descriptionem facerent partemque iustam inde iussit in aerarium inferri. Haec prima fuit descriptio (αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο), quum praedecessores eius nihil non eripuissent possessoribus, adeo ut publicum crimen essent divitiae »[17]. Adversarii quidem haec testimonia a Luca dependere contendunt atque praesertim monent verba Suidae (haec prima facta est descriptio) eadem esse, quae Evangelistae. At non attendunt reliqua ita dissentire, ut dependentia apto argumento non demonstretur; Lucas enim ἀπογραφὴν τῆς οἰκουμένης, quae Italiam complectitur, Suidas ἀπογραφὴν τῆς γῆς τῶν ὑπηκόων nominat, quae Italiam, quippe in qua census civium romanorum agendus esset, excludit; de viginti illis viris autem, de bonorum descriptione, de descriptionis fine Lucas prorsus tacet; quare Cassiodorus et Suidas, etsi Lucae verba cognoverint, ex aliis fontibus antiquis hausisse dicendi sunt.

Confirmationis demum gratia etiam Tertullianum testem citamus. « Sed et census, inquit *Tertullianus*, constat actos sub Augusto tunc in Iudaea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius (sc. davidicum Christi) inquirere potuissent »[18]. Quae verba ex Evangelio solo non dependere patet; nomen enim Sentii Saturnini nusquam in Scriptura legitur; neque tamen Lucae contradicit Tertullianus, dummodo statuamus descriptionem illam ab Augusto edictam initium habuisse Sentio Saturnino praeside (746-748), continuatam esse Varo praeside (748-750) atque ad finem perductam esse a Quirinio (750-753), ita ut descriptio vel Saturnini vel Quirinii appellari potuerit, quamvis eo tempore, quo Christus natus est neuter Syriam administraret[19].

Quicunque animo a praeiudiciis libero testimonia allata examini subiecerit, non dubitabit, quin Augustus totius imperii atque etiam terrarum regibus sociis subiectarum descriptionem edixerit atque ad finem perduxerit, sive ut quantum tributorum militumque singulae terrae praestare possent, accurate cognosceret, sive ut tributa iuste distribueret. Edictum hoc iam a. 726 exisse atque decursu annorum paullatim in omnibus terris vastissimi imperii executioni mandatum esse probabile est[20]. Quod Iosephus hanc descriptionem praeterierit, id difficultatem non creat; libenter enim illa omittit, quae Iudaeis odiosa erant; atque alteram quoque descriptionem a Quirinio a. 760.

factam certissime praeterisset, nisi Iudae Galilaei seditionem commemorare eiusque causam indicare debuisset.

Quia vero prima descriptio pro proximo fine impositionem tributi non habebat, nihil obfuit, quominus Syriae legati eam in regno Herodis peragerent. Accedit autem, quod Herodes eo tempore non amplius « rex socius », sed « rex restitutus » esset, qui regnum suum non amplius foederis alicuius iure obtineret sed benevolentiae imperatoris deberet ideoque vix maiorem haberet, quam procuratores, auctoritatem[21]. Solebant autem Romani populis subiectis, quantum eius fieri potuit, sese adaptare, ne eos irritarent; quare veri simillimum est, primam descriptionem factam esse more Iudaeorum singulosque in loco originis esse descriptos; descriptio igitur S. Iosepho itineris causa fuit. Quamquam autem apud Iudaeos mulieres in genere censui non subiacebant, censendae tamen erant filiae haeredes; quodsi igitur, ut Cassiodorus tradit, descriptio facta est, « ut possessio sua nulli haberetur incerta », Maria autem in Bethlehem possessionem habebat, ipsa quoque Bethlehem proficisci debuit[22].

Etiamsi ergo Evangelistae inspirationem omnino omittamus, omnia illa, quae de profana istius temporis historia narrat, optime defenduntur atque integra intactaque manet eius auctoritas historica.

10. *Luc.* 2, 2; *Act.* 5, 37; *Fl. Ioseph.* Antiqu. XVIII. 1, 2.

11. Cfr. *Zumpt* Comment. epigr. II. 87; Eiusdem Geburtsjahr Christi p. 26.

12. Nummus, qui Volusium legatum Syriae an. 35. aerae Antioch. (i. e. 758 U. C.) appellat, describitur ab *Eckhel* Doctr. numm. III. p. 275. Cfr. *Zumpt* Comm. epigr. II. 88; Geburtsjahr Chr. p. 31.

13. *Tacit.* Ann. III. 48. Fuse Quirinium Syriae praesidem fuisse, quum Homonadenses devinceret, ostendit *Zumpt* Comm. epigr. p. 90 sqq.; Geburtsjahr Christi p. 43 sqq.

14. *Zumpt* Comm. epigr. II. p. 149; Geburtsjahr Chr. p. 71.

15. Cfr. *Henzen* in Orelli Inscript. lat. III. p. 496; *Mommsen* Res gestae divi Augusti. Ex monum. Ancyr. p. 121 sqq.; *Schürer* Neutestam. Zeitgesch. p. 161 sq. et in Riehm Handwörterb. des bibl. Alterth. p. 245 etc.

16. *Sueton.* Octav. 28. 101; *Tacit.* Ann. I. 11.

17. *Cassiod.* Variar. III. 52 (M. 69. 608); *Suidae* Lexic. s. v. ἀπογραφή.

18. *Tertull.* c. Marc. IV. 19 (M. 2, 405). *S. Iustinus M.* quoque (Apolog. I. 4. M. 6, 384) imperatori totique senatui dixit, Christum natum esse Bethlehem eos « ex tabulis descriptionis (ἐκ τῶν ἀπογραφῶν) discere posse, quae sub Quirinio primo Romanorum in Iudaea praeside confectae sint ». Quodsi Iustinus dicere voluit, eo tempore, quo Quirinius Iudaeam administravit, natum esse Christum, fatendum est eum errasse; recte autem eum primum Iudaeae praesidem appellavit, quia revera eo tempore, quo iterum Syriae legatus erat, Archelao in exsilium pulso, Iudaea Syriae provinciae addita est.

19. Id quidem negant *Schürer* (Neutestam. Zeitgesch. p. 284 et apud Riehm l. c. p. 246) aliique putantque a S. Luca 2, 2 tempus indicari, quo Christus natus est; at non attendunt versum 2. parenthesin esse, quae primam illam Quirinii descriptionem a secunda, quae magis nota erat, distinguit.

20. Obiiciunt quidem descriptionem a. 760 teste Iosepho (Antiqu. XVIII. 2, 1) unius anni tempore esse terminatam, primam igitur non per plures annos durare potuisse;

at Iosephus nihil aliud tradit, nisi eam isto anno « factam esse », de duratione autem non loquitur; praeterea in secunda tabulae in priori confectae adhiberi potuerunt, ut minime sit mirandum, quod citius ad finem sit perducta. Cfr. *Zumpt* Geburtsjahr Chr. p. 187. 211. 219.

21. Cfr. *Aberle* Tüb. Quartalschr. 1874. p. 668 sqq. Imo Herodes non tantum « rege socio » sed « rege amico » (Cfr. Cic. de leg. III. 18, qui hunc ordinem statuit : socii, amici, stipendiarii) inferiorem locum ultimis regni annis tenuit; etenim a. 746 literas ei misit Augustus iratus, « quarum summa haec fuit, se eum antea in amicis habuisse, nunc pro *subdito* habiturum » (ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ νῦν ὑπηκόῳ χρήσεται) *Ios.* Antiqu. XVI. 9, 3.

22. Ceterum S. Lucas B. Virginem ipsam propter descriptionem cum sponso suo Bethlehem profectam esse disertis verbis non tradit; quare nihil obstat, quominus quis eam alias ob rationes sponsum suum comitatam esse censeat.

43. — S. Lucas, etsi in magna Evangelii sui parte eadem fere, quae duo priores synoptici, tradat, pro singulari tamen, quem sibi proposuit, fine illis multo plura habet, quae singula iam enumeravit *S. Irenaeus*[1]. Quo, praeter minora non pauca, integra infantiae dominicae historia atque longa illa de itineribus hierosolymitanis relatio, quae inde a 9,51 usque ad 18,31 sese extendit, maxime spectant; pauca enim dumtaxat, quae in hac relatione leguntur, duo priores Evangelistae receperunt[2]. Dum S. Marcus a baptismo Ioannis et S. Matthaeus a conceptione Domini narrationis initium faciunt, S. Lucas iam ab annuntiatione Ioannis B. Evangelium incipit, et cum S. Marco illud brevi narratione ascensionis dominicae terminat. Nihilominus immerito praedecessores suos complere voluisse a nonnullis interpretibus creditur; nam satis multa, quae illi tradunt, prorsus omittit, praecipue vero pleraque, quae S. Matthaeus contra Pharisaeorum traditiones moresque a Domino disputata esse narrat[3]. Nulla igitur tertii Evangelistae a duobus prioribus dependentia statui potest; sed ad finem suum solum attentus illas res gestas doctrinasque Domini elegit, quas aptas esse iudicavit, illasque ita disposuit, ut lectores plenam eorum, quae orali institutione iam didicerant, certitudinem acquirerent. Quod ut clarius appareat, brevem totius libri ANALYSIN addimus.

Integrum Evangelium in quatuor partes, vel si mavis, quum chronologico ordine procedat S. Lucas, in quatuor periodos apte distribuitur, quarum *prima* (1, 5-4, 13) illa, quae publicum Domini ministerium praecesserunt, *quarta* (19, 29-24, 53) eius passionem et glorificationem narrant. Duabus autem intermediis (4, 14-9, 50 et 9, 51-19, 28) publica eius vita ita absolvitur, ut *secunda* tradat, quae Christus in Galilaea *egit, tertia* autem ea, quae in ultimis itineribus hierosolymitanis *docuit*[4]. Quamvis enim Christi doctrina etiam in parte secunda non negligatur et in tertia res gestae nonnullae narrentur, omnino tamen in secunda narrationem, in tertia doctrinam praevalere manifestum est[5].

1. *S. Iren.* c. haer. III. 14 (M. 7, 915 sq.); cfr. *S. Ambros.* Expos. S. Luc. Prol. 4 (M. 15, 1530); *Euthym.* in Luc. Praef. (M. 129, 858) etc.

2. Praeter historiam infantiae ei praesertim propria sunt 3, 1. 2. 10-14. 23-38; 5, 2-10; 7, 11-17. 36-50; 8, 1-3; 9, 51-56; 10, 1-20. 28-42; et pleraque quae sequuntur usque ad 18, 14; dein 19, 1-27; 22, 24-38. 43. 44. 63-71; 23, 5-15. 27-31. 34. 39-41; 24, 13-53.

3. Omittit praesertim omnia, quae habet Marc. 7, 1-8, 26 eique correspondens Matth. 15. 1-16, 12. Accuratam tertii Evangelii cum duobus prioribus comparationem relate ad ea, quae addita vel omissa sunt, institutam habes a *Patrizi* De Evang. I. p. 87 sqq.

4. Cfr *Act.* 1,1. — Quia in tertia parte doctrina omnino praevalet, aliqui tenent, in illa potius realem quam chronologicum ordinem a Luca esse observatum. At satis clare 9, 51 (cfr. 10, 38), 13, 22; 17, 11 tria itinera hierosolymitana Domini distinguuntur; ex *Ioan.* 7, 10; 10, 22; 12, 1 autem scimus, ultimo vitae anno ad scenopegiam, encaenia et demum ad ultimum pascha Dominum Ierosolyma ivisse; quare merito supponimus de iisdem itineribus Lucam et Ioannem loqui (cfr. *infra* 74). Neque obstat, quod transitus ab uno itinere ad alterum disertis verbis non indicetur; is enim est tertii Evangelistae modus scribendi, ut ab uno facto ad alterum transiliat temporis intervallo, quo disiuncta sunt, non indicato; id quod non paucis exemplis demonstratur. Etenim *Act.* 1, 4-9, si ad hunc scribendi modum non attenderis, Dominum ex coenaculo in coelum ascendisse putabis; aut cum *Renan* (Les Apôtres. Paris 1866. Introd. p. XX. sq.) aliisque rationalistis contradictionem invenies inter tertii Evangelii finem et initium Actuum, quum in priore Dominus ipso resurrectionis die in coelum ascendisse videatur, in altero autem quadraginta dies ascensionem a resurrectione separent; aut cum iisdem contradictio tibi admittenda est inter *Act.* 9, 19-23 et *Gal.* 1, 15-18, etsi nulla adsit, quum, aeque ac Paulus, Lucas duplicem commorationem damascenam distinguat (*Act.* 9, 19 « paucos dies », 9, 23 « dies multos »), interiectum autem iter arabicum praetermittat; aut difficultatem invenies in conciliandis *Act.* 15. et *Gal.* 2, 1 sqq., quum de una sola congregatione *Act.* 15, 6 et 15, 12 sermonem esse putaveris etc. Ideo secundum temporis rationem quatuor sectiones partis illius distinguendas censuimus.

5. Plerique interpretes tres vel quatuor partes faciunt : *Fillion* (Comm. p. 23) : I. Vie cachée de N. S. 1, 5-2, 52; II. Vie publique 3, 1-19, 28 (3, 1-4, 13; 4, 14-9, 50; 9, 51-19, 28); III. Vie souffrante et glorieuse 18, 29-24, 53. — *A. Messmer* (Introd. p. 39) : Introitus prior (1. 2) et posterior (3, 1-4, 13); Pars I. vita publica in Galilaea, et in hac evolutio revelationis a Christo factae maxime externa cum funesto suo successu (4, 14-9, 50); Pars II. duae peregrinationes Christi et in his evolutio revelationis maxime interna sive dialectica (9, 51-17, 10); Pars III. ultimum Christi iter et ultima eius fata (17, 11-24, 53). *Bisping* (Exeg. Handb. II. 145) I. Vorgeschichte 1, 1-4, 13; II. Oeffentliche Wirksamkeit in Galilaea 4, 14-9, 50; III. Vom Laubhüttenfest bis zum Leiden 9, 51-21, 38; IV. Leiden, Auferstehung und Himmelfahrt 22, 1-24, 53. — *Schanz* (Comm. p. 39 sq.) I Vorgschichte 1, 5-4, 13; II. Thätigkeit in Galilaea 4, 14-9, 50; III. Reisebericht 9, 52-18, 30; IV. Letzte Reise nach Ierusalem, Leiden, Auferstehung (18, 31-24, 52) etc.

Prooemium (1, 1-4) occasionem, rationem finemque conscriptionis Evangelii paucis explanat.

Pars prima (1, 5-4, 13) *ea, quae publicum Domini praecesserunt ministerium, proponit*, idque ea ratione, ut in Iesu Iudaei quidem Messiam sibi promissum, Ethnicochristiani autem Filium Dei clare possint cognoscere.

1. *Historia infantiae* (1, 5-2, 52).
   a.) Annunciatur Zachariae sacerdoti conceptio Ioannis B., qui magnus coram Domino et Spiritu S. repletus ex utero matris « in spiritu et virtute Eliae » praecedet ante Messiam (1, 5-25).
   b.) Sex mensibus postea B. Virgini annuntiatur Iesus, qui ex virgine nascens Filius Dei vocabitur et tamquam filius Davidis « regnabit in domo Iacob in aeternum » (1, 26-38).
   c.) Maria visitans Elisabeth et « mater Domini » salutata cantico magnificat Deum, qui « recordatus misericordiae suae suscepit Israelem puerum suum » secundum promissiones olim factas (1, 39-56).
   d.) In nativitate Ioannis B. exsultans pater eius Zacharias « repletus Spiritu S. et prophetans » benedicit Deum, quia videt salutem a Prophetis praedictam appropinquantem atque filium suum ante faciem Domini praeeuntem eique vias praeparantem (1, 57-80).
   e.) Edicto Augusti obsecuta Maria cum sponso suo in Bethlehem proficiscitur, ibique in civitate David parit filium suum, quem Angeli pastoribus tamquam Salvatorem, Christum Dominum, annuntiant et tamquam eum celebrant, qui pacem affert omnibus hominibus bonae voluntatis (2, 1-20).
   f.) Secundum Legem octavo die circumcisus et Iesus vocatus, quadragesimo die in templo praesentatus a Simeone sene salutatur « salutare omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, gloria plebis Israel », ab Anna prophetissa autem annuntiatur « omnibus, qui exspectabant redemtionem Israel » (2, 21-40).
   g.) Duodennis cum parentibus suis Ierosolyma ad pascha celebrandum profectus admirationem excitat Scribarum, et occultam suam divinitatem aliquatenus manifestat (2, 41-52).
2. *Proxima praeparatio Domini ad publicum suum ministerium exercendum* (3, 1-4, 13).
   a.) Anno 15. Tiberii Caesaris Ioannes B., quum poenitentiam praedicare coepisset Iudaeis et publicanis et militibus ethnicis, a populo Christus esse creditur, at se non esse nisi eius praecursorem fatetur. Iesus autem, quum a Ioanne baptizaretur, voce coelesti Filius Dei dilectus declaratur (3, 1-22).
   b.) Iesu genealogia per Davidem et Abraham ad Adam usque perducitur, ut eum novum totius generis humani parentem esse appareat (3, 23-38).
   c.) Iesus « plenus Spiritu S. regressus ab Iordane » vincit diabolum tentantem (4, 1-13).

Pars secunda (4, 14-9, 50) *Domini galilaicum ministerium narrat.*

1. « In virtute Spiritus in Galilaeam regressus *in nazarethana synagoga sese manifestat Messiam* a Prophetis praedictum; quum autem a civibus suis repudiaretur, monet iam antiquitus Prophetas a populo suo repulsos inter ethnicos fidem invenisse (4, 14-30).
2. *Multis miraculis admirationem populi excitat,* sed amore suo erga peccatores et reiectione traditionum pharisaicarum *odium Pharisaeorum sibi attrahit* (4, 31-6, 11).

a.) In synagoga capharnaumitana daemonem eiicit, qui ipsum profitetur « Sanctum Dei », deinde in domo Petri socrum eius sanat, vespere autem multos infirmos et daemoniacos (4, 31-41).

b.) Civitate Capharnaum relicta praedicat in synagogis Galilaeae; post miraculosam piscationem vocat Petrum eiusque socios, leprosum mundat, et undique conveniunt turbae, ut eum audiant et ab infirmitatibus suis liberentur (4, 42-5, 16).

c.) Sanatione paralytici, cui peccata remittit, coram Pharisaeis divinam suam naturam probat (5, 17-26).

d.) Post vocationem Matthaei vituperantur (ipse et) discipuli eius a Pharisaeis, quod cum publicanis et peccatoribus manducent, non ieiunent, in sabbatho spicas vellant (5, 27-6, 5).

e.) Ad maiorem iram excitati Pharisaei, quum coram eis sabbatho manum aridam sanasset, « colloquuntur ad invicem, quidnam faciant Iesu » (6, 6-11).

3. *Prima novae ecclesiae initia* (6, 12-49).

a.) Quum hac ratione iam separari coepissent in populo electo inimici et amici Messiae, Dominus primum suae ecclesiae fundamentum ponit electione Apostolorum (6, 12-16),

b.) et oratione habita in loco campestri promulgat novi sui regni leges (6, 17-38), atque similitudine proposita de duce caeco omnes exhortatur, ut Pharisaeos relinquant, ea autem faciant, quae ipse praecipit (6, 39-49).

4. *Misericordia Domini erga omnes hominum classes* ostendit ab hoc regno neminem, qui bonae sit voluntatis, excludi (7, 1-50).

a.) Sanat servum centurionis ethnici et a mortuis excitat filium pauperis viduae (7, 1-17).

b.) Auditis miraculis Domini Ioannes B. mittit ad eum discipulos, ut eum interrogent, num sit Messias; respondet autem Dominus ostendens miracula sua et praedicationem. Hinc occasionem arripit laudandi Ioannis, cuius baptisma receperant publicani, respuerant Pharisaei, et vituperandae Pharisaeorum contradictionis, qui nec Ioannis severa vivendi forma nec sua ipsius misericordia ad poenitentiam adduci potuerunt (7, 18-35).

c.) A Pharisaeo ad prandium invitatus mulieri peccatrici peccata remittit (7, 36-50).

5. *Cum Apostolis Galilaeam peragrans eos ad primam missionem praeparat* (8, 1-9, 6).

a.) Enumerantur illi, qui Dominum in itinere comitari solebant (8, 1-3),

b.) Dominus proponit turbis et explicat discipulis parabolam de semine, quod agrum praeparatum requirit, ut fructum afferre possit (8, 4-18).

c.) Quum mater et fratres eius venirent, ut eum viderent, docet quinam sint veri ipsius consanguinei (8, 19-21).

d.) Magnis miraculis, sedata tempestate, liberato daemoniaco in terra Gerasenorum, sanata haemorrhoissa, resuscitata filia Iairi confirmat fidem discipulorum (8, 22-56).

e.) Illis ad primam missionem confert potestatem super omnia daemonia et ut languores curent (9, 1-6).

6. *Apostolos a prima missione reduces novis miraculis in fide confirmat et ad passionem suam praeparat* (9, 7-50).

a.) Herodes miraculis Iesu permotus dumtaxat est, ut dubitaret, num Ioannes B. a mortuis resurrexisset (9, 7-9);

b.) at Apostoli ex missione reduces, postquam per eorum manus multiplicati sunt panes (9, 10-17), aperte eum « Christum Dei » profitentur (9, 18-20).

c.) Ita praeparatis praedicit prima vice suam passionem eosque ad abnegationem et suam sequelam exhortatur (9, 21-27).

d.) Ne vero hac praedictione perturbentur, transfiguratur ante oculos trium Apostolorum (9, 28-36) et daemonem eiicit, quem discipuli eius eiicere nequiverant (9, 37-45).

e.) Iterum Apostolis praedicit passionem eosque ad humilitatem exhortatur (9, 46-50).

Tertia pars (9, 51-19, 27), *quae Domini ultima itinera hierosolymitana complectitur, in eius doctrina tradenda maxime versatur.*

1. *Iter ad festum tabernaculorum* (9, 51-11, 54), in quo discipulos multa de vita perfectiore docet.

a.) Volens per Samariam transire a Samaritanis repulsus, quum a discipulis ut illos puniret rogaretur, se ad omnes salvandos venisse docet (9, 51-56).

b.) Illis, qui se sequi velint, necessariam esse monet paupertatem et plenam abdicationem omnium curarum temporalium (9, 57-62).

c.) Electos septuaginta discipulos praeparat ad missionem reducesque, quum de felici successu gloriarentur, ad humilitatem exhortatur (10, 1-24).

d.) Proposita parabola de bono Samaritano omnes homines velut proximos nostros esse amandos docet, ac proin differentiam non esse inter Iudaeos et alios (10, 25-37).

e.) (Bethaniae) apud Mariam et Martham diversus unum prae ceteris necessarium esse asserit, dilectionem sc. Dei, qua curis superfluis neglectis homo se totum Deo tradit (10, 38-42).

f.) Discipulos verum orandi modum et orationis efficaciam docet (11, 1-13).

g.) (Ierosolymis) Pharisaeos, qui eum in Beelzebub daemonia eiicere dixerunt, refutat (11, 14-26) atque beatum praedicat omnem, qui verbum Dei auditum custodiverit (11, 27. 28). Signum ab ipso quaerentibus aliud non datum iri dicit, nisi signum Ionae, sed ita, ut contrarium prorsus effectum relate ad Iudaeos istius generationis producturum sit (11, 29-36). Pharisaeos deinde, quum de traditionibus eorum non observatis argueretur, gravissime increpat (11, 37-52), quare aliquid de ore eius capere quaerunt, ut eum accusent (11, 53. 54).

2. *Peregrinationes Domini a scenopegia usque ad encaenia* (12, 1-13, 30) in quibus discipulos ad vitam perfectiorem instituere pergit

a.) Vitandam monet hypocrisin pharisaicam atque aperte sine ullo hominum timore Filium hominis coram hominibus esse confitendum (12, 1-12).

b.) Rogatus ab aliquo de haereditatis lite turbis parabolam de divite subita morte abrepto proponit, ut eas ab omni avaritia retrahat (12, 13-21), discipulos vero docet vitandas esse omnes curas saeculares, quaerendum autem solum regnum coeleste, atque semper eos debere paratos esse (12, 22-40). Interroganti Petro, num haec solis discipulis sint dicta, proposita parabola de servo fideli ita respondet, ut haec ad eos, qui ipsum sequuntur, proxime dicta esse appareat (12, 41-53).

c.) Quod ut clarius appareat, discipulis credentibus opponuntur Iudaei infideles. Iudaei enim, etsi tempestatis, serenane an turbida futura sit, signa cognoscant, nunc esse tempus salutis non vident (12, 54-59); quare si poenitentiam non agant, eandem sortem habebunt, quam ficus sterilis (13, 1-9).

3. *Peregrinationes post encaenia in Peraea* (13, 10-17, 10), in quibus contra Pharisaeos plerumque disputans clarius vocationem gentium annuntiat.

a.) Quum sabbatho paralyticam sanasset, iratos Pharisaeos vituperat, quod ob minutas suas traditiones graviora caritatis officia negligant (13, 10-17); populum vero de gloriosis eius rebus gestis gaudentem docet parabolis fore, ut non obstante Pharisaeorum inimicitia regnum Dei quidem sicut granum sinapis crescat totumque mundum occupet et sicut fermentum mundum permutet (13, 18-22), ipsi autem, nisi poenitentia acta per angustam portam intrare contendant, excludantur et gentes ipsorum locum occupaturas videant (13, 23-30). Vae igitur Ierosolymis, quae occidit Prophetas (13, 31-35).

b.) In Pharisaei cuiusdam domum invitatus sabbatho sanat hydropicum; quum vero invitatos videret primos accubitus eligentes, eos exhortatur ad humilitatem et amorem proximi, quibus virtutibus praemium aeternum obtinetur (14, 1-14). Atque quum aliquis beatos praedicaret illos, qui hoc praemium accepturi sint, proponit Dominus parabolam de coena, ad quam invitati (Iudaei) venire nolunt, quare pauperes et debiles (ethnici) ad eam vocantur (14, 15-24). Rationem vero, cur invitati venire noluerint, explicat turbis; Dominum nimirum sequi (ac proin ad coenam venire) nemo potest, nisi qui omnibus propter Dominum renuntiat et sese abnegat; quod quum Iudaei, quibus crux Christi est scandalum, facere recusent, tamquam sal insipidum proiicientur (14, 25-35).

c.) Pharisaeis de sua cum publicanis et peccatoribus conversatione murmurantibus proponit parabolas de ove perdito, de drachma amissa, de filio prodigo (15, 1-32), quae omnes simul etiam futuram vocationem gentium insinuant.

d.) Parabolam de villico iniquo, qui domini sui divitiis utitur, ut sibi amicos facit, Dominus proponit, ut discipulos moneat, eos quoque

divitiis uti debere, ut eleemosynis sibi amicum Deum faciant (16, 1-13); quam doctrinam irridentes Pharisaei avari increpantur a Domino, quia se iustos putent, dum tamen iniustitiam suam ipsi demonstrent non intrantes in regnum Dei, quod Lex et Prophetae praeparaverunt. Quae sors eos exspectet, docet historia de divite et paupere Lazaro (16, 14-31).

e.) Discipulos de Pharisaeorum irrisione scandalizatos docet scandala necessario venire, scandalizantibus autem, si poenitentiam agant, semper dandam esse veniam; quod quum homini naturali difficile sit, precantur discipuli, ut fides et fiducia sua augeatur, qua sola id possibile redditur. Quod quam verum sit, docet parabola, quae hominem sibi aliquid boni adscribere vetat (17, 1-10).

4. *Domini iter ultimum* (17, 11-19, 28), in quo iterum discipulos ad vitam perfectiorem instituit, sed simul etiam gentium vocationem innuit.

a.) Ex decem leprosis, quos mundavit, unus Samaritanus revertitur ad gratias agendas; quo facto iam indicatur maiorem praeparationem Dominum apud alienigenas quam apud Iudaeos invenisse (17, 11-19).

b.) Interrogatus a Pharisaeo, quando venturum sit regnum Dei, illud iam in eorum medio adesse respondet, ac dein ad discipulos conversus eos ad vigilantiam exhortatur, ne secundus Domini adventus eos imparatos inveniat (17, 20-37).

c.) Ut autem parati sint, continuo debent orare; continuae vero orationis efficaciam parabola de iudice iniquo illustrat (18, 1-8).

d.) Praeter orationem autem requiritur humilitas, quae qualis esse debeat parabola de superbo Pharisaeo et humili publicano ostendit simul gentium vocationem innuens (18, 9-14). Eandem autem humilitatem commendat Dominus infantium exemplo proposito (18, 15-17).

e.) Humilitati adiungit commendationem voluntariae paupertatis, cui ingens praemium reservatum esse docet (18, 18-30).

f.) Postquam passionem suam proxime instantem tertia vice praedixit, Ierichunte duobus factis clarissime docet se ad omnes salvandos venisse; caecum, qui ipsius utpote Messiae auxilium implorat, propter eius fidem sanat (18, 31-43), et publicanum Zachaeum etiam in numerum filiorum Abrahae recipit; filius enim hominis venerat quaerere et salvum facere (omne), quod perierat (19, 1-10).

g.) Demum, quum in eo esset, ut ad Patrem iret ad recipiendum regnum suum, proponit parabolam de rege proficiscente et servis suis divitias relinquente, ut illis negotientur. Qua parabola quid eos exspectet, qui in iudicio fideles Messiae servi, aut servi pigri, aut inimici invenientur, docet (19, 11-27).

QUARTA PARS (19, 28-24, 53) *de passione et glorificatione Christi agit.*

1. *Praeparatio ad passionem* (19, 28-22, 38).

a.) Sollemnis ingressus in civitatem; dum turbae eum regem proclamant, ipse flet super civitatem, quae, quia gratias oblatas repudiavit, destruenda erat (19, 28-45); templum autem ingressus, eiiciendo ementes et vendentes sese dominum templi manifestat (19, 46-48).

b.) Interrogantibus principibus sacerdotum, qua in potestate haec agat, respondere quidem renuit (20, 1-8), parabolam autem de iniustis vinitoribus proponit, qua reiectionem antiquae synagogae aperte docet (20, 9-18).

c.) Irati sacerdotes eum perdere quaerunt ideoque variis quaestionibus eum tentant (20, 19-40); ipse autem, ut a superbis et iniustis Scribis caveant, exhortatur populum eisque praefert pauperculam viduam (20, 41-21, 4).

d.) Praedicit interitum Ierosylomorum, quae calcabuntur a gentibus, donec impleantur tempora nationum (21, 5-24), et ultimum iudicium, ut ad vigilantiam omnes exhortetur (21, 25-36).

e.) Dum populus avide eum audit, principes Sacerdotum eum occidere quaerunt et pactum ineunt cum traditore (21, 37-22, 6).

f.) Post ultimam coenam (21, 7-23) Apostolos ad humilitatem exhortatur, praedicit Petro infallibilitatem et, ne superbiat, trinam negationem (21, 24-38).

2. *Passio Domini* (22, 39-23, 56) ita narratur, ut iniustitia populi magis appareat, quam apud Matthaeum, innocentia autem Christi clarius luceat, quum nec Herodes (de quo tacent reliqui) nec Pilatus culpam in eo inveniant. Misericordia quoque Christi magis effertur, veniam a Patre petentis pro persecutoribus et poenitenti latroni paradisum promittentis.

3. *Glorificatio Christi* (24, 1-53).

a.) Resurrectio Christi probatur testimonio mulierum (24, 1-12) et apparitionibus, quae factae sunt discipulis euntibus in Emmaus, Petro, undecim Apostolis (24, 13-43).

b.) Apostolis confert missionem, ut incipientes ab Ierosolymis praedicent poenitentiam omnibus gentibus (24, 44-48).

c.) Ascendit in coelum (24, 49-53).

Quaestio V. — Quando et quo in loco tertium Evangelium sit scriptum.

44. — Certa traditio nec de tempore nec de loco, quo tertium exaratum est Evangelium, ad nos pervenit; coniecturis igitur, quid hac de quaestione sentiendum sit, assequi studeamus.

Ante omnia modernorum rationalistarum sententiam, qui S. Lucam post urbis Ierosolymorum expugnationem templique destructionem librum suum scripsisse asserunt, prorsus reiicimus; solis enim praeiudiciis suis eam demonstrare conantur. Oppugnationis scilicet Ierosolymorum, inquiunt, circumstantias tam clare indicat, inter templi destructionem et inter Christi secundum adventum tam perspicue distinguit tertium Evangelium, praesertim si cum primo confertur[1], ut illud vaticinium post impletionem scriptum esse appareat[2]. Falso autem supposito, impossibilitati sc. clari et perspicui vaticinii, hoc argumentum inniti ma-

nifestum est. Relationem S. Lucae clariorem esse non negamus; ex diverso autem fine, quem sibi proposuerunt, et ex diversis lectoribus, quos proxime prae oculis habuerunt, sat facile explicatur, cur primus Evangelista obscurius, tertius clarius eandem prophetiam scripserint.

Neque eorum nobis probatur sententia, qui erronea testimonii S. Irenaei explicatione seducti Evangelium tertium post Apostolorum principum mortem scriptum dicunt; verum illis, quae supra de hoc testimonio diximus, quidquam addere opus non est[3].

Omnîmoda cum certitudine constat ex Actuum prooemio, S. Lucam ante illos Evangelium suum scripsisse; Actus autem, quum biennio illo, quod S. Paulus Romae in vinculis peregit, quasi abrupte terminentur nec quidquam de ultimis eius annis referant, illo ipso tempore scriptos esse iam S. Hieronymus tradidit. « (Apostolorum) historia, inquit, usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est usque ad 4. Neronis annum. Ex quo intelligitur in eadem urbe librum esse compositum »[4]. Revera abruptae libri conclusionis ratio apta non datur, nisi circa biennii istius finem Lucas librum illum absolvisse dicatur; quid enim, quominus reliquam Pauli vitam eiusque gloriosam mortem commemoraret, eum prohibuisset, si aut post eius ex primis vinculis liberationem aut post eius martyrium librum suum composuisset? Quod autem, ne librum suum terminaret, nescio quibus circumstantiis impeditus sit, id nimis leve et arbitrarium est effugium[5]. Qui illo rem expedire se posse arbitrantur, nunquam videntur attendisse, quam vividis coloribus, ut ita dicam, Pauli iter romanum, adventus in Urbem, colloquium cum Iudaeis depingantur; quae narratio, si cum praecedentibus comparatur, dubitare nos non sinit, quin non solum testis ocularis loquatur, sed etiam breve dumtaxat tempus inter haec facta interque eorum narrationem intercesserit. Iam vero biennium illud a. 63. vel 64. terminatur; ergo summa cum veri similitudine statuimus, Evangelium tertium non esse scriptum post a. 64[6]. Omnes autem, qui cum tota antiquitate Lucam eius auctorem esse tenent, illud non *ante* a. 52. scriptum esse concedant necesse est; illo enim anno Paulo sese socium adiunxit; quare errasse dicendi sunt illi interpretes, qui a. 15. post ascensionem Domini Lucam librum suum edidisse asserunt[7].

Quod si editionis tempus accuratius definire voluerimus, ad ea, quae supra de tertii Evangelii ad S. Paulum relatione diximus, attendamus oportebit. Quum enim singulari modo gentium Apostolo attribuendum sit eiusque catecheses historicas referat, scribi ab illo solo potuit, qui diu coniunctissime cum Paulo vixerat. Quamobrem non primis illis septem annis, quos S. Lucas in Macedonia transegit, sed potius quatuor illis, quos cum Paulo Caesareae et Romae vixit, videtur esse attribuendum; nam ante illos septem annos vix paucos menses cum Paulo

fuerat, in Macedonia autem neminem habuit, a quo utpote a teste oculari et ministro sermonis de iis, quae in nobis completae sunt, rebus sit edoctus. Ergo intra annos 59. et 63. Evangelium scriptum esse magna cum probabilitate asseritur.

Num vero Caesareae an Romae scriptum sit, definire non audemus; Romam autem praeferent illi, qui Theophilum ob rationes supra (38) allatas Romanum vel saltem Italum fuisse censent. *SS. Hieronymus* quidem et *Gregorius Naz.*, quibuscum consentiunt nonnullorum codicum subscriptiones, Lucam « in Achaiae Boeotiaeque partibus volumen suum condidisse » tradunt; alii codices cum syriaca versione Aegyptum locum originis vocant[8]; num vero ante Pauli primam captivitatem Lucas diutius in Achaia aut in Aegypto commoratus sit, merito in dubium vocatur.

1. *Luc.* 21, 5 sqq. et *Matth.* 24, 1 sqq.

2. Cfr. *De Wette* Einl. § 101. c.; *Davidson* Introd. II. 54; *Renan* Vie de Jésus, Introd. p. XXXIX (Ed. 18. p. LXXXIII); *Reuss* Gesch. des N. T. I. p. 210; *Bleek-Mangold* Einl. p. 243 etc, etc. — Mirum, quod etiam *Schanz* (Comm. p. 35) hac ratione adductus sit, ut Evangelium saltem brevi ante destructionem, quum iam oppugnaretur urbs, scriptum diceret: « Die Schilderung der Belagerung Ierusalems ist derartig concret, dass hier die Prophetie bereits in Erfüllung übergehen muss ». Rectissime autem idem cl. auctor monet « propheticum sermonis dominici characterem non debere destrui »; illum vero destrui censemus, si S. Lucas ea, quae obscure Dominus annuntiaverat, *ideo* clarius reddidisset, quia illa partim iam impleta coram oculis habuisset.

3. *S. Iren.* c. haer. III. 1 (M. 7, 844). Cfr. *supra* 22 p. 76 sqq.

4. *S. Hier.* De vir. ill. 7 (M. 23, 619). Quod si quis obiicit, S. Hieronymum nihil asserere nisi *Romae* scriptum esse librum (*Schanz* Comm. p. 35), non satis vidit conclusionem Hieronymi esse illegitimam, nisi simul cum loco etiam tempus indicare voluit; ex eo enim, quod romana Pauli captivitate liber terminatur, non sequitur librum Romae esse scriptum, nisi versus biennii captivitatis finem a Pauli captivi socio scriptus dicitur.

5. Sunt quidem, qui iunioris originis vestigium in ipso libro sibi deprehendisse videantur. Gaza enim inquiunt, deserta dicitur (*Act.* 8, 26); atqui Gaza cum aliis oppidis a Iudaeis rebellibus a. 12. Neronis (66. p. Chr.) vastata est (*Ioseph.* Bell. Iud. II. 18, 1); ergo Actus post a. 66. scripti sunt. Gazam autem vocari desertam negamus; nam illud incisum (αὕτη ἐστὶν ἔρημος « haec est deserta ») glossa non est a S. Luca verbis Angeli inserta, sed ab Angelo ipso pronuntiatur, ut inter varias vias, quae Ierosolymis Gazam ducunt, Philippo illam indicet, qua eunuchum invenire debuit. Cfr. *S. Chrysost.* in Act. hom. 19, 1 (M. 60, 149).

6. De chronologia, quam sequimur, *infra* (91.) recurret sermo.

7. *Theophyl.* in Luc. Argum. (M. 123, 685); *Euthym.* in Luc. (M. 129, 857); codices multi in suis subscriptionibus idem asserunt; (cfr. *Tischend.* Nov. Test. Ed. 8. I. p. 738); ex uncialibus autem duo soli (K. S.), quorum antiquissimus est saec. 9. Ante hanc aetatem nullum huius opinionis invenitur vestigium.

8. *S. Hier.* in Matth. Prol. (M. 26, 18); *S. Gregor. Naz.* Carm. 12, 32 (M. 37, 474); de codicibus cfr. *Tischend.* Nov. Test. Ed. 8. p. 738.

CAPUT II.

DE EVANGELIORUM SYNOPTICORUM MUTUA RELATIONE.

§ 5. — *De Evangeliorum synopticorum affinitate eiusque ratione.*

45. — Illis expositis, quae de singulis Evangeliis synopticis nobis tradita sunt, eorumque authentia et integritate vindicatis, restat ut de eorum inter se relatione mutua dicamus. Vix alia est quaestio, quae nostra hac aetate interpretum Novi Testamenti ingenia magis exercuerit magisque vexaverit. Innumera sunt systemata excogitata, quibus illa, quae inter synopticos adest, affinitas simul et discrepantia explicetur, et vix non quotannis novum systema veteribus additur. Quare nos quoque quid de hac Synopticorum mutua relatione, vel uti alii dicere malunt, de fontibus, quibus tres priores Evangelistae in libris suis scribendis usi sint, tenendum videatur, paucis saltem verbis exponamus oportet. Ut ordine procedamus, primo in loco accurate, quantum eius fieri potest, statum quaestionis proponemus, ut quid explicandum sit, clare innotescat; secundo illa systemata, quae aut certe erronea sunt aut minus nobis probantur, allatis rationibus refutabimus; tertio demum illud, quod praeferendum ducimus, explicabimus et adstruemus.

Praenotemus autem quaestionem hanc, quum de Evangeliorum origine agatur, esse historicam; in diiudicandis igitur systematis historica argumenta primum tenere locum, nec meris coniecturis commentisque arbitrarie excogitatis rem definiri. Systema ergo aliquod non ideo iam potest admitti, quia eius ope mutua synopticorum relatio quoquo modo explicatur; sed fundamentum historicum habeat vel saltem cum illo rerum statu, quem tempore apostolico exstitisse monumenta docent, plene consonet oportet. Neque Patres neque antiqui interpretes quaestionem hanc diserte agitant; in eorum tamen operibus habentur, quae in genuino systemate exponendo ac vindicando nos iuvare poterunt[1].

1. Ab hodiernis introductoribus hac de re satis fuse agi solet; cfr *Hug* Einl. p. 71 sqq.; *Patrizi* De Evang. I. p. 73 sqq.; *Messmer* Introd. p. 15 sqq.; *A. Mayer* Einl. p. 11 sqq.; *Reithmayr* Einl. p. 346 sqq.; *Valroger* Introd. II. p. 21 sqq.; *Bacuez* Manuel bibl. I. p. 68 sqq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1894. p. 443 sqq. etc. Ex interpretibus cfr *Schegg* Evang. des h. Marc. p. 12 sqq. et Evang. des h. Luc. passim; *Schanz* Comm. z. Ev. des h. Marc. 1881. p. 23 sqq., Comm. z. Ev. des h. Luc. 1883. p. 10 sqq., Die Traditionshypoth. (Tüb. Quartalschr. 1885. p. 216 sqq.); *Knabenbauer* Stimm. a. M. Laach. 1881. XXI. p. 297 sqq.; 1884. XXVI p. 196; Comm. in Marc. 1894. p. 17 sq. etc. — Fusius ab acath. quaestio haec tractatur; infra eorum opera praecipua nominabimus,

I. Status quaestionis.

46. — Tria priora Evangelia, si inter se comparantur, *in rebus narratis* magnam exhibent similitudinem; in maiore enim sua parte de Domini N. ministerio galilaico agunt, quo fere integro omisso S. Ioannes illa, quae in Iudaea ac maxime Ierosolymis egit et docuit Dominus, narranda sibi proposuit. Hinc evenit, ut eadem fere apud synopticos miracula eosdemque sermones legamus. At simul etiam non parva adest inter eos differentia; etenim non tantum sua quisque habet propria, sed in illis quoque, quae communia habent, ita aliquoties inter se differunt, ut obiter legenti contradictoria tradere videantur. Ut clarius eorum in rebus narratis affinitas illucescat, varias Evangeliorum partes distingamus oportet.

1.) *Historia infantiae*, cui addendae sunt *genealogiae*. — Matthaeus (1. 2.) et Lucas (1. 2. 3, 23-38) soli eam referunt, at alia facta refert primus, alia tertius Evangelista, atque genealogiae quoque prorsus differunt.

2.) *Praedicatio Ioannis B. et baptismus Domini*. — Matthaeus (3, 1-17), Marcus (1, 2-11), Lucas (3, 1-22) in omnibus fere consentiunt; Lucas tamen e concionibus Ioannis plura, quam alii, refert.

3.) *Christi ieiunium et tentationes*. — Marcus (1, 12. 13) haec vix attingit; Matthaeus (4, 1-11) et Lucas (4, 1-13) excepto tentationum ordine consentiunt.

4.) *Initium ministerii publici in Galilaea et vocatio priorum quatuor Apostolorum*. — Matthaeus (4, 12-25), Marcus (1, 14-39), Lucas (4, 15-5, 16) non omnino consentiunt; Lucas enim non tantum primo in loco posuit Domini praedicationem in Nazareth, quam brevius duo alii postea narrant, sed cum vocatione Petri sociorumque eius coniungit miraculosam piscationem; Marcus et Lucas miracula quaedam referunt, quae Matthaeus aut omittit aut alio in loco affert.

5.) *Ministerium Domini in Galilaea*. — Matthaeus (5, 1-18, 35), Marcus (1, 40-9, 50), Lucas (5, 17-9, 50) plerasque res communes habent, sed sua quisque propria adiecit; et Marcus quidem praesertim unam parabolam (4, 26-29) et duo miracula (7, 32-37; 8, 22-26), Matthaeus tria miracula (9, 27-34; 17, 23-26), nonnullas parabolas (13, 24-52; 18, 21-34) et nonnulla Domini effata (9, 36-38; 16, 17-19 etc), Lucas miraculum (7, 11-17), historiam peccatricis et nomina mulierum, quae Iesum sequebantur (7, 35-8, 4); at unusquisque etiam nonnulla, quae duo alii habent, omisit; sermo montanus (Matth. 5, 3-7, 27), cui correspondet brevior ille sermo, quem Lucas (6, 20-49) affert, omissus est a Marco; a Luca omissa sunt, quae apud Matth. 15, 1-16, 12, Marc. 7, 1-8, 27 narrantur etc.

6.) *Itinera hierosolymitana ministeriumque Domini in Iudaea*. — Solus Lucas (9, 51-18, 14) ea narrat; pauca tamen ex hac parte Matthaeus et Marcus aliis in locis videntur inseruisse.

7.) *Domini ministerium in Peraea ultimumque iter hierosolymitanum.* — Matthaeus (19, 1-20, 34), Marcus (10, 1-51), Lucas (18, 15-19, 27) de illis fere consentiunt, sed Matthaeus et Lucas nonnulla propria habent, atque Lucas quidem praesertim 19, 1-27.

8.) *Ultimi dies Domini Bethaniae et Ierosolymis ante passionem.* — Matth. 21, 1-25, 46 (et 26, 6-11), Marc. 11, 1-13, 37 (et 14, 3-8), Lucas 19, 28-21, 36. In hac parte multa conveniunt, sed S. Matthaeus non pauca contra Pharisaeos dicta affert, quae reliqui omiserunt, ipse autem aliqua omisit, quae in duobus aliis leguntur.

9.) *Traditio Iudae, ultima cœna, passio.* — Matth. 26, 1-27, 61, Marc. 14, 1-15, 47, Luc. 22, 1-23, 36 in universum consentiunt; narrationes de contentione discipulorum post coenam et de promissione Petri facta, de sudore sanguineo, de Domino coram Herode solus Lucas habet, de signis factis autem in Domini morte, quae a duobus aliis referuntur, tacet; de resurrectione sanctorum facta tempore mortis Christi solus loquitur Matthaeus, de iuvene post discipulos fugiente solus Marcus.

10.) *Resurrectio et apparitiones Domini.* — Matth. 27, 62-28, 20, Marc. 16, 1-19, Luc. 24, 1-53 ita haec omnia narrant, ut maior adsit differentia. Matthaeo propria sunt corruptio custodum et ultima effata Christi in Galilaea, nihil autem habet de ascensione; Lucas et Marcus referunt ascensionem, sed prior satis fuse apparitionem discipulis in Emmaus euntibus factam narrat, quam Marcus tantum attingit; de dono miraculorum promisso solus scribit Marcus etc.

Illa, quae singuli Evangelistae propria habent, accurate describere difficile est; in narrandis enim miraculis aliisque rebus gestis frequentissime Marcus solus circumstantias temporis, loci etc addit, quas alii omittunt. At in maioribus quoque sectionibus propriis indicandis haud raro dissentiunt interpretes, quum non semper constet, num idem an simile factum ab Evangelistis referatur. Secundum Eusebii canones, qui tria priora Evangelia, ut eorum concordiam ostenderet, in 562 sectiones distribuit, omnes tres Evangelistae communes habent 184, ex quibus 73 etiam in quarto Evangelio leguntur;

Matthaeus et Marcus 73, ex quibus 23 in quarto Evangelio,
Matthaeus et Lucas 104, ex quibus 22 in quarto Evangelio,
Marcus et Lucas 14,
Matthaeus solus 74, ex quibus 12 in quarto Evangelio,
Marcus solus 20,
Lucas solus 93, ex quibus 21 in quarto Evangelio.

Quod si igitur ad facta vel dicta relata sola attendatur, integrum fere Evangelium Marci in duobus reliquis contineri dicendum est, atque Matthaeus sextam, Lucas vero quartam partem librorum suorum proprias habent. Sed alii alio modo evangelicas sectiones distribuerunt, Eusebius vero in suis canonibus, ut videtur, inter illos textus, qui re-

vera paralleli sunt, interque illos, qui similia dumtaxat facta vel dicta continent, non satis distinxit[1].

1. De eusebianis canonibus cfr. *Euseb.* Ep. ad Carp. (M. 22, 1276 sqq.), *S. Hier.* ad Dam. Praef. in Evang. (M. 29, 528 sqq.). Cfr. tabulas, in quibus *Patrizi* (De Evang. I. p. 52-61; 73-78; 84-90) ea, quae communia habent synoptici, composuit. Si secundum hodiernam versuum distinctionem illa, quae propria vel communia habent, definimus, Matthaeo ex 1072 versibus, quos eius Evangelium habet, proprii sunt 330, Marco ex 677 dumtaxat 68, Lucas ex 1152 autem 541; Matthaeus et Marcus habent 170-180 versus, qui Lucae desunt, Matthaeus et Lucas 230-240, qui in Marco desiderantur, Marcus et Lucas circa 50, qui desunt Matthaeo; omnibus communes sunt 330-370. Versus non semper sunt eiusdem longitudinis; hinc numerorum differentia. Cfr. *Reuss* Gesch. des N. T. I. p. 175.

47. — Praeter rerum narratarum similitudinem ad *ordinem* quoque, quo res disponuntur, atque praeprimis ad *modum*, quo narrantur, attendamus oportet.

Ad *ordinem* quod attinet, si ab ultima vitae dominicae hebdomade abstrahimus, in qua narranda omnes tres eodem fere modo incedunt, interdum accurata consonantia inter omnes invenitur, plerumque autem duo soli coincidunt; ex gr. *Matth.* 3, 1-4, 17, *Marc.* 1, 2-15, *Luc.* 3, 1-4, 15 eadem facta eodem ordine referuntur; in iis, quae sequuntur Matth. 4, 18-22 et Marc. 1, 16-20 consentiunt dissentiente Luca, qui 4, 16-30 aliud factum vocationi discipulorum (5, 1-11) praemittit; deinde vero Matth. 5, 1 sqq. ad sermonem montanum transit, Marcus 1, 21-3, 19 autem cum Luca 4, 31-6, 16 eundem ordinem sequitur etc; in genere dici potest Marci ordinem in priore Evangelii parte (usque ad 6, 44) cum Lucae, in altera cum Matthaeo consentire[1].

Quod si rerum narratarum atque ordinis quoque consonantia explicatu non admodum difficilis esse videatur, multo gravior erit difficultas, si ad *narrationis modum* animum adverterimus. Namque easdem res haud raro iisdem verbis referunt iisque etiam rarioribus, quae aliis in locis nunquam occurrunt.

Matth. 9, 5. 6. Τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν· ἀφέωνται σου αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν· ἔγειρε καὶ περιπάτει; ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, τότε λέγει

Marc. 2, 9. 10. Τί ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν τῷ παραλυτικῷ· ἀφέωνται σου αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν· ἔγειρε καὶ ὕπαγε; ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, λέγει

Luc. 5, 23, 24. Τί ἐστιν εὐκοπώτερον εἰπεῖν· ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, ἢ εἰπεῖν· Ἔγειρε καὶ περιπάτει; ἵνα δὲ εἰδῆτε ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐξουσίαν ἔχει ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἶπεν τῷ πα-

τῷ παραλυτικῷ· ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὴν κλίνην καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.

τῷ παραλυτικῷ· σοί λέγω, ἔγειρε, ἆρον τὸν κράβαττόν σου καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.

ραλελυμένῳ· σοί λέγω, ἔγειρε καὶ ἆρας τὸ κλινίδιόν σου πορεύου εἰς τὸν οἶκόν σου.

Praeter irregularem formam ἀφέωνται, quam in omnibus tribus Evangeliis longe maior codicum numerus tuetur[2], praesertim attendas velim ad incisum illud « dixit paralytico », quod omnes tres eodem prorsus modo eodemque loco (licet non iisdem omnino verbis) inserunt. Multa eiusmodi exempla afferuntur[3]; interdum Matthaei et Lucae textum quasi in unum videtur coniunxisse Marcus :

Matth. 8, 3. Θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα κτλ.

Marc. 1, 42. Θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εὐθὺς ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ἡ λέπρα καὶ ἐκαθαρίσθη κτλ.

Luc. 5, 13. Θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εὐθέως ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ κτλ.

Voces nonnullae et formae rariores non occurrunt nisi in locis parallelis omnium trium aut duorum : γεύσασθαι θανάτου (*Matth.* 16, 28; *Marc.* 9, 1; *Luc.* 9, 27), δυσκόλως (*Matth.* 19, 23; *Marc.* 10, 23; *Luc.* 18, 24), οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος (*Matth.* 9, 15; *Marc.* 2, 19; *Luc.* 5, 34), ἀπαρθῇ (*Matth.* 9, 15; *Luc.* 5, 35. *Marc.* 2, 20), τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ (*Matth.* 4, 6; *Luc.* 4, 9), ἐπιούσιος (*Matth.* 6, 11; *Luc.* 11, 3), κολοβόω (*Matth.* 24, 22; *Marc.* 13, 20), ἀνώγεον (*Marc.* 14, 15; *Luc.* 22, 12) etc[4].

Diligenti et minuta textuum comparatione instituta americanus quidam interpres fere sextam Evangelii primi, item secundi sextam, decimam autem tertii Evangelii partem versibus constare invenit, in quibus magis minusve iisdem loquendi modis usi sint Evangelistae; longe maiorem vero similitudinum numerum inveniri in sermonibus relatis[5]. Sine ullo dubio nonnullae librariis iunioribus attribuendae sunt, qui, uti habet *S. Hieronymus*, ad unius Evangelistae exemplum ceteros quoque existimaverunt emendandos[6]; at illis demtis plurimae remanebunt, quae auctoribus ipsis debentur. Exemplis autem allatis id quoque colligitur, omnimodam dictionum consonantiam nusquam inveniri; etsi enim phrases quaedam totae ad verbum congruere videantur, subito una alterave voce mutata dissentire incipiunt. Ex. gr. *Matth.* 11, 25-27 et *Luc.* 10, 21. 22., quamvis in contextu plane diverso afferantur, ita inter se consonant, ut alterutrum ab altero ea desumsisse putaveris; antequam autem phrasis absolvatur, iam apparet differentia; dum enim Matthaeus refert : « nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius », Lucas scribit : « nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater, et quis *sit Pater*, nisi Filius ». Imo illis in rebus, in quibus

plenam consonantiam exspectas, interdum maiorem invenies discrepantiam; in relatione institutionis SS. Eucharistiae nec in ordine nec in verbis consentiunt; in titulo crucis referendo omnes tres variant[7].

1. Etiam ubi ab aliquo Evangelista facta quaedam alio in loco afferuntur, in eorum tamen nexu consentit cum duobus aliis; ita sanatio paralytici et vocatio Matthaei (*Matth.* 9, 1-17; *Marc.* 2, 1-22; *Luc.* 5, 17-39), discipuli spicas vellicantes et manus arida sanata (*Matth.* 12, 1-14; *Marc.* 2, 23-3, 6; *Luc.* 6, 1-11) etc.

2. *Tischend.* quidem (Ed. 8.) et *Hort-Westcott* ex B. ℵ in Matthaeo et Marco formam ἀφίενται receperunt, reliqui autem codd. unciales et minusculi ad unum omnes alteram exhibent.

3. Cfr. *Matth.* 9, 15; *Marc.* 2, 20; *Luc.* 5, 25. — *Matth.* 12, 4; *Marc.* 2, 26; *Luc.* 6, 4. — *Matth.* 16, 24 sq., *Marc.* 8, 34 sq.; *Luc.* 9, 23 sq.; — *Matth.* 16, 28; *Marc.* 9, 1; *Luc.* 9, 27. — *Matth.* 26, 55; *Marc.* 14, 48. — *Matth.* 7, 5; *Luc.* 12, 46. — *Matth.* 24, 50; *Luc.* 12, 46. — *Marc.* 15, 15; *Luc.* 22, 12 etc.

4. Dictionum consonantia aut discrepantia optime deprehenditur in *Patrizi* De Evangel. II (graec. et lat. 1852), in quo singula quoque vocabula ita sunt disposita, ut minimae varietates statim innotescant. Cui fini minus sunt aptae aliae synopses, sive latinae *I. Coleridge* (Vita vitae nostrae. 1869), *C. A. Fillion* (Synops. Evang. 1882.), *L. Méchineau* (Vita Iesu Christi. 1896) etc., sive graecae *C. Tischendorf* (Synops. evang. Ed. 4. 1878.), *R. Anger* (Synops. Ed. 2. 1877.) etc.

5. *Andr. Norton* The evidences of the genuineness of the Gospels. Ed. 2. I. p. 240 : « By far the larger portion of this verbal agreement is found in the recital of the words of others, and particularly of the words of Iesus. Thus in Matthews Gospel, the passages verbally coincident with one or both of the other two Gospels amount to less than a sixth part of its contents; and of this about seven-eights occur in the recital of the words of others, and only about one-eigth in what, by way of distinction, I may call mere narrative, in which the Evangelist, speaking in his own person, was unrestrained in the choice of his expressions. In Mark, the proportion of coincident passages to the whole contents of the Gospel is about one-sixth, of which not one-fifth occurrs in the narrative. Luke has still less agreement of expression with the other Evangelists. The passages in which it is found amount only to about a tenth part of his Gospel; and but an inconsiderable portion of it appears in the narrative — less than a twentieth part ».

6. *S. Hier.* ad Dam. Praef. in Evang.

7. *Matth.* 26, 26-28; *Marc.* 14, 22-24; *Luc.* 22, 19. 20. — *Matth.* 27, 37; *Marc.* 15, 26; *Luc.* 23, 38.

48. — Quod si ea, quae diximus, paucis colligimus, haec de synopticorum affinitate statui possunt :

1.) In maiore Evangeliorum parte idem argumentum traditur, et quod ad publicam Domini vitam attinet, duo priora integra, tertium in prima parte fere ea sola referunt, quae Dominus in Galilaea egit et docuit.

2.) Quaedam omnes tres Evangelistae ita communia habent, ut etiam in illis referendis magis minusve eundem ordinem teneant iisdemque loquendi modis utantur.

3.) Quaedam duo soli communia habent, neque raro ordine quoque et forma hoc in casu consentiunt; et frequentius quidem Matthaeus cum alterutro ex reliquis, quam illi duo inter se soli conveniunt.

4.) Quaedam communia quidem habent, sed ordine et loquendi modo aut omnes tres differunt, aut unus a reliquis duobus recedit.

5.) Sua demum quisque propria habet; pauciora, si a minutis circumstantiis abstrahimus, Marcus, plurima Lucas.

Quae quum ita sint, necessario exoritur quaestio, quomodo factum sit, ut tres synoptici non tantum ministerium galilaicum solum tractare voluerint, sed ex iis, quae Dominus in Galilaea egit et docuit, eadem fere facta et dicta retulerint. Quamvis enim multa miracula a Domino patrata esse omnes dicant, eadem tamen omnes fusius referunt; ex Ioannis quoque Evangelio Dominum in Galilaea multa docuisse scimus, quae nullus synopticus indicat; pulcherrimum ex. gr. sermonem, quem post primam panum multiplicationem in synagoga capharnaumitana habuit (*Ioan.* 6, 26 sqq.), quasi composito consilio omnes alto silentio praetermittunt. Altera deinde quaestio est, undenam factum sit, ut in ordine rerum relatarum atque in earum referendarum modo saepe adsit tanta similitudo coniuncta cum dissimilitudine. Probe enim animadvertendum est, Dominum N. aramaice ea esse locutum, quae graece referunt Evangelistae; iam vero si tres interpretes eadem verba lingua aliena reddunt, rarissime accidet, ut eosdem terminos adhibeant, et vix videtur fieri posse, ut vocabulis, quae rarioris sunt usus, et formis irregularibus omnes eodem in loco vertendo utantur eandemque prorsus verborum seriem observent. Quaestio igitur solvenda est, *undenam sive in argumento tractato, sive in ordine observato, sive in dictionis locutionisque modo exorta sit synopticorum similitudo et dissimilitudo.*

II. Systemata Evangelii primitivi et mutuae dependentiae.

49. — Tribus modis ille status rerum, quem in synopticis coram oculis habemus, videtur potuisse oriri; aut omnes tres ex communi quodam fonte scripto illa, quae tradunt, hauserunt, aut inter se dependent, ita ut secundus primi et tertius secundi et primi libris sit usus, aut ex sola traditione orali omnia sunt derivanda. Hinc tria systematum genera, quae singula examinemus oportet.

I. Systema Evangelii primitivi, ex quo tria nostra dependeant, iam a Ioan. Clerico saec. 17. adumbratum atque a non paucis rationalistis vario modo excultum hodie adhuc suos habet patronos[1]. Duae praecipuae sunt eius formae.

Primi, quorum antesignanus est *Eichhorn*, iam ante S. Stephani pro-

tomartyris mortem in ecclesia hierosolymitana exstitisse asserunt relationem quandam aramaica lingua conscriptam de rebus evangelicis, qua usi sint Apostoli in suis catechesibus. Quod primitivum Evangelium (A) saepius descriptum et retractatum variis recensionibus (B, C, D etc) originem dedisse statuunt; recensiones autem in Evangelistarum manus incidisse ab eisque graece esse redditas; primum igitur Evangelium ex A et D, tertium ex B et D, secundum autem ex C (quae ipsa exorta erat ex A et B) translatum esse. Quum vero videret, hac ratione graecae dictionis similitudinem non explicari, recensionum numerum auxit Eichhorn, et praeter quatuor aramaicas etiam duas graecas adfuisse contendit[2]. Quibus nondum contentus *Marsh*, anglicanae sectae episcopus, aramaico Evangelio primitivo gnomologiam quandam aramaicam addidit, quinque primitivi Evangelii editiones emendatas et auctas unamque versionem graecam statuit, ex quibus demum Evangelistae nostri suos libros componere potuerunt[3]. Ne vero in infinitum numerus recensionum augeretur, *Gratz* solum aramaicum admisit protevangelium eiusque versionem graecam; aramaico textu usum esse Matthaeum statuit, graeco Marcum et Lucam atque etiam Evangelii primi canonici interpretem graecum; a librariis autem in primitivo canonicorum librorum textu multa esse mutata coniecit, quo accuratius inter se consentirent[4].

Alterius formae parens est *Schleiermacher*, qui pro uno protevangelio eiusque recensionibus magnum fragmentorum aramaicorum et graecorum numerum admittere maluit, in quibus singulis aut sermones quidam Domini, aut miracula quaedam vel parabolae essent consignatae, atque tantam sibi ingenii vim attribuit, ut in tertio Evangelio fragmenta singula, quae S. Lucas adhibuisset, accurate distingueret[5].

Mirum non est, quod haec systemata, prout ab auctoribus suis erant proposita, hodie sint derelicta. Tot quidem posse fingi protevangelii alicuius varias recensiones, retractationes, versiones, atque etiam tot evangelicae historiae fragmenta, ut ex eorum combinatione Evangeliorum nostrorum similitudo et dissimilitudo explicetur, minime negamus. At ubinam in tota antiquitate eiusmodi protevangelii aut istorum fragmentorum vel levissimum invenitur vestigium? Etsi enim, id quod fieri non posse supra demonstravimus (11. 25), Papiae testimonium de Matthaei λογίοις et de Marci Evangelio cum rationalistis de Proto-Matthaeo et de Proto-Marco explicaremus, nondum nec Evangelium istud primitivum, quo indiget Eichhorn cum suis asseclis, nec fragmenta schleiermacheriana haberemus.

Quomodo deinde factum est, ut pretiosissimi huius Evangelii, quod, quum ab ipsis Apostolis in catechesibus adhibitum dicatur, publica auctoritate in Ecclesia gaudebat, quodque quum tot eius recensiones

aramaicae et graece adfuisse dicantur, ubique propagatum erat, nullum exemplar usque ad Patres, qui saec. 2. floruerunt, pervenerit?

Hodie utique operum suorum novas editiones emendatas, retractatas, auctas in lucem emittunt scriptores; at eodem modo non egisse antiquos scriptores satis constat; nec Apostolis eorumve sociis nec pauperibus eorum neophytis otium fuit, ut libros suos continuo retractarent.

At non tantum omni fundamento historico caret, imo ipsi historiae contradicit hoc systema, sed etiam scriptore inspirato videtur indignum. Quis enim sibi fingere potest Evangelistas coram quatuor vel quinque voluminibus aramaicis et graecis sedentes, nunc unum, nunc secundum, interdum tertium vel quartum inspicientes et ex illis describentes? Aut quis sibi persuadebit illos varia fragmenta, quae invenerunt, ita inter se consuisse, ut suturae hodie adhuc detegantur[6]?

1. *Ioan. Cleric.* Histor. eccl. duorum prim. saec. Amstelod. 1716. p. 429: « Quidni enim credamus, tria haec Evangelia petita esse ex similibus aut iisdem fontibus, hoc est, e commentariis eorum, qui varios Christi sermones audiverant aut actorum eius testes fuerant, eaque, ne oblivioni traderentur, illico scriptis mandarant »? *Lessing* Neue Hypothese über die Evang. (1778 Cfr. Theolog. Nachlass 1784. p. 45 sqq.) primus videtur fuisse, qui protevangelium aramaicum statuit; eum secuti sunt *Niemeyer* (Coniecturae ad illustrandum N. T. scriptorum silentium de primordiis vitae Iesu. Halae 1790), *I. C. Weber* (Beitraege zur Gesch. des neutestam. Canons. Tübingen 1791) alii. Cfr. *Credner* Einl. p. 174 sqq.

2. *Eichhorn* Allgem. Bibliothek der bibl. Liter. 1794. V. p. 759 sqq.; systema suum altero modo evolvit in Einl. ins N. T. Ed. 2. I. p. 353 sqq.

3. *Marsh* Abhandlung über die Entstehang u. Abfassung unserer drei ersten Evang. in Anmerkungen u. Zusaetzen zu Michaelis Einl. übers. von Rosenmüller. Göttingen 1803. II. p. 284 sqq. Haec est secundum eum Evangeliorum genealogia: 1.) Protevangelium aramaicum (ℵ); 2.) eius graeca versio (ℵ v); 3.) nova recensio aramaica cum minoribus et maioribus additionibus (ℵ + α + A.); 4.) altera recensio aliis additionibus aucta (ℵ + β + B); 5) tertia recensio ex duabus praecedentibus exorta, fundamentum secundi Evangelii (ℵ + α + β + A + B); 6.) quarta recensio, in qua additiones α + A auctae sunt, fundamentum primi Evangelii canonici (ℵ + α + γ + A + Γ); 7.) quinta recensio, in qua additiones β + B auctae sunt, fundamentum tertii Evangelii canonici (ℵ + β + γ + B + Γ); 8.) gnomologia aramaica (ב), qua usi sunt Matthaeus et Lucas. Demum aramaicus Matthaeus conflatur ex ℵ + ב + α + A + γ + Γ; Marcus ex ℵ + α + A + β + B + ℵ v; Lucas ex ℵ + ב + β + B + γ + Γ + ℵ v; graecus Matthaeus ex aramaico Matthaeo una cum Evangeliis Lucae et Marci. Tantae molis erat! — Aliae vix minus curiosae Evangeliorum compositiones satis multae inveniuntur, hodie autem debita oblivione sunt obrutae.

4. *Gratz* Neuer Versuch, die Entstehung der drei ersten Evangelien zu erklären. Tübingen 1814.

5. *Schleiermacher* Ueber die Schriften des Lucas. Berlin 1813: Ueber die Zeugnisse des Papias von unsern beiden ersten Evangelien (Studien u. Krit. 1832).

6. Quis non mirabitur, quod inveniantur, qui in ipso primo Evangelio eiusmodi fragmenta distinguere volunt? *Renan* ex. gr., qui Bernardum Weiss (Marcusevangel. u. s. synopt. Parallelenerk. Berlin 1872; Matthaeusevangel. und seine Lucasparall. 1876. Leben Iesu Ed. 2. 1884. p. 24 sqq.) secutus a Marco duos alios Evangelistas de-

pendentes facit, ridiculo quodam modo textui secundi Evangelii fragmenta inserta docet. « Il y avait, avant la rédaction du premier Évangile, des paquets de discours et de paraboles, où les paroles de Jésus étaient classées d'après des raisons purement extérieures. L'auteur du premier Évangile trouva ces paquets déjà faits et les inséra dans le texte de Marc, qui lui servait de canevas, tout ficelés, sans briser le fil léger qui les reliait » (Les Évangiles. 1877. p. 177. cfr. *Weiss* Leben Iesu I. p. 55 sqq.). Matthaeus igitur egisset eodem fere modo, quo ipse Renan, qui rationalistarum germanicorum commenta sine ullo examine recipit librisque suis inserit. Risum teneatis, amici.

50. — II. Systema mutuae dependentiae aliqui *S. Augustino* attribuunt, quia S. Marcum « pedisequum et breviatorem Matthaei » nominavit; at S. Doctorem in hac sententia fuisse certum non est, quum eius verba cum Baronio et Corn. a Lapide ita intelligere optime possimus, ut ea, quae Matthaeus retulit, omnia fere a Marco, licet brevius, secundum ea, quae a Petro audierat, narrata esse significent[1]. Ceterum hoc systema inter catholicos interpretes non minus est propagatum, quam inter acatholicos; de eius forma vero inter se non conveniunt; imo tot iam propositae sunt formae, quot excogitari potuerunt. Alii enim Matthaeum, alii Marcum, alii Lucam primum scripsisse asserunt, nec dein in duorum aliorum ordine conveniunt; imo quum canonica Evangelia ad problema solvendum sufficere non viderentur, moderni rationalistae cum hoc systemate alterum de protevangelio coniungunt, atque Matthaei λόγια, primitivum quendam Marcum, fragmenta, quae in Lucae prooemio commemorata vident, in auxilium vocant. Omnes has formas recensere nec vacat, nec iuvat; tres tantum indicabimus, quarum duae priores inter catholicos magis sunt receptae, tertia a multis protestanticis tenetur[2].

Prima, quam utpote a S. Augustino adumbratam amplexi sunt *Hug*, *Patrizi*, *Danko*, *Reithmayr*, *Valroger*, *Coleridge*, *Schanz*, *Bacuez* aliique satis multi interpretes catholici et ex protestanticis modernis pauci, docet Marcum usum esse Matthaei Evangelio, Lucam autem utriusque praedecessoris libris; aliqui cum Patrizi addunt Marcum adhibuisse Matthaeum aramaicum, graecum vero Matthaei interpretem inspexisse Marci Evangelium; alii cum Schanz praeter priora Evangelia traditionem oralem et alios fontes scriptos in auxilium vocant, alii cum Reithmayr et Valroger saltem traditionem oralem non prorsus excludunt[3].

Secundam formam a Griesbach excogitatam ex catholicis *Ad. Maier*, *I. Langen* paucique alii receperunt; inter protestanticos olim magna auctoritate gavisa hodie fere derelicta est. Illi quoque Matthaeum primum fuisse Evangelistam tenent; Clementis Alex. autem auctoritate nixi Lucam secundo in loco ponunt, qui solo usus sit Matthaei libro; tertium demum Marcum venisse atque Matthaeum et Lucam adhibuisse dicunt[4].

Tertia forma, hodie valde propagata sed ipsa iterum multiformis et versipellis, a nullo catholico, quod sciam, interprete est recepta nec recipi potuit, quum asseclas suos ad primi Evangelii authentiam negandam cogat. Marcum enim docet primum scripsisse; eius libro usos esse (Ps.) Matthaeum aramaicum et Lucam; interpretem graecum primi Evangelii una cum prototypo duo alia Evangelia adhibuisse. Recentissimi huius formae patroni pro Marco canonico fingunt Proto Marcum quendam etc[5].

Sub quacunque forma proponitur, systema hoc nobis parum probari fatemur, at omnes eius formas accurato examini subiicere et refutare infiniti fere esset laboris, quum singuli eius patroni illud magis minusve transmutent; eo facilius autem ab hoc labore abstinere possumus, quia adversarii nostri ipsi hoc onus in sese susceperunt alterque alterius formam impugnat et destruit. Quare paucas dumtaxat rationes afferemus, quibus integrum systema veri similitudine solidoque fundamento carere demonstratur. Praemonemus autem, nos primam formam ob tot eximiorum interpretum, qui eam defendunt, auctoritatem absolute reiicere nolle, quamvis non videamus, quomodo difficultates, quibus integrum systema laborat, effugere queat.

1. *S. August.* de cons. Evang. I. 2 (M. 34, 1011); cfr. *supra* 29 n. 2 p. 105.

2. Cfr. *Hilgenfeld* Einl. p. 178-210; 454 sqq.; 501 sqq.; 270 sqq., qui moderna Protestantismi systemata de Evangeliorum origine describit.

3. *Hug* Einl. II. p. 101 sqq., 143 sqq.; *Patrizi* De Evang. I. p. 52-62; 79-92; *Danko* Hist. revel. N. T. p. 279. 287; *Coleridge* The Life of our life. Pref. p. XLV sq.; *Reithmayr* Einl. p. 346 sq. et *Valroger* Introd. II. p. 16 sqq.; *Bacuez* Manuel bibl. III. p. 70. Prae ceteris conferendus est *Schanz*, qui in suis commentariis in Marc. et Luc. systema hoc adhibuit et de eo disseruit Comm. über d. Evang. des h. Marc. p. 24 sqq., über das Evang. des h. Luk. p. 12 sqq., Traditionshypothese in Tüb. Quartalschr. 1885. p. 216 sqq. — Ex protestanticis interpretibus multi idem systema adoptarunt, inter quos cfr. recentissimum *Keil* (Comm. über die Evang. des Marc. und Luk. p. 11 sq. 174 sq.)

4. *A. Maier* Einl. p. 29 sqq. etc. — A protevangelii vel fragmentorum systematis *Messmer* (Introd. p. 61), quamvis ea repudiet, haud satis recedit; nam « ex traditione orali apostolica, inquit, a discipulis nonnulla scripto notabantur, ut sensim διηγήσεις harum rerum orirentur. Lucam habemus testem, iam multos conatos fuisse tales ordinare narrationes, ex quibus Matthaeus Apostoli, i. e. testis ocularis et inspirati, praerogativa gaudebat et hinc aliorum opera, similia ceteroquin longe superabat. Iam fieri potuit, ut Marcus non ipsum Matthaei librum, sed unum aut alterum istorum multorum ante oculos habuerit, quod etiam de Luca dici potest. »

5. A secundo Evangelio primum et tertium pendere primus statuit *Storr* (De fontibus Matthaei et Lucae. 1794), cuius systema excoluerunt *Lachmann* (Stud. u. Krit. 1835. p. 577 sqq.), *Wilke* (Der Urevangelist. 1838.), *Weisse* (Die Evangelienfrage in ihrem gegenw. Stadium. 1856.) aliique. Hodie inter « criticos » maxime disceptatur, num *nostrum* secundum Evangelium solum sufficiat, an simul Protomarcum quendam aut collectionem quandam sermonum Domini aut alium quendam librum pro fonte admitti oporteat. Varias eorum opiniones referre operae pretium non esse arbitror; qui eas

cognoscere desideret, recentissimos systematis patronos consulat : *H. I. Holtzmann* Einl. Ed. 2. 1886. p. 361 sqq. 366 sqq. et Handcomm. Die Synoptiker Ed. 2. 1892.; *Bern. Weiss* et *Iohannes Weiss* in Meyer Krit. exeg. Comment. I. 1. Ed. 8. 1890, p. 23 sqq. I. 2. Ed. 8. 1892. p. 4 sqq. 275 sqq.; *Jülicher* Einl. 1894. p. 215 sqq. etc.

Etenim 1.) cum illis, quae Patres de Evangeliorum origine nobis tradidisse vidimus, tantum abest, ut systema hoc consonet, ut aperte cum illis pugnare videatur[6]. Nam si S. Augustinum, cuius testimonium, quum alteram explicationem admittat, saltem dubium incertumque est, paucosque iuniores, qui eius auctoritate permoti sunt, exceperis, nullum Patrem invenies, qui quidquam de mutua inter se Evangelistarum dependentia tradiderit[7]; illa vero, quae ab antiquissimis Patribus unanimi consensu tradita sunt, eam prorsus excludunt. Nam Papias, Irenaeus, Clemens Alex., si Marcum illa scripsisse referunt, quae a Petro Romae praedicata audierat, et Iustinus M., si Marci Evangelium Petro attribuit, longissime procul dubio ab ea sententia abfuerunt, quae Marcum primum Evangelium abbreviasse et in compendium redegisse censet. Tertullianus, qui Paulum Lucae illuminatorem appellat et Lucae digestum ab apostolicis ecclesiis Paulo attribui asserit, Irenaeus, qui Lucam Pauli praedicationem in suo libro condidisse tradit, Eusebius, Chrysostomus aliique, qui tertium Evangelium a Paulo sibi ipsi attribui censent, Hieronymus, qui Lucam Evangelium suum « *sicut audierat* » scripsisse refert, omnino eorum excludunt opinionem, qui ex primo et secundo tertium Evangelium compositum esse statuunt[8]. Demum nisi quis cum rationalistis primi Evangelii authentiam negare voluerit, Matthaeum, Apostolum et eorum, quae narrat, testem oculatum, Evangelia eorum, qui testes oculares non fuerant, adhibuisse certissime dicere non audebit.

2.) Neque ea, ad quae explicanda assumitur, systema hoc explicat. Quod si Evangelista posterior praedecessoris sui libro usus esse statuitur, optime quidem similitudo Evangeliorum intelligitur; undenam autem exortae sint omnes discrepantiae, non apparet. Sine ullo enim dubio Marcus, si Matthaeum adhibuit, multa in suum opus recipere, alia quoque, quae ad eius finem non faciebant, omittere, quaedam magis apta addere, narratorum ordinem mutare potuit; sed ubi semel ad verbum transcribere coepit, cur subito sententiarum verborumque ordinem permutavit, cur synonyma pro praedecessoris verbis adhibuit, cur ea, quae ille clare dixerat, obscurius et intricatius reddere voluit? Eum praedecessorem suum corrigere voluisse nemo unquam catholicus dicet; at nescio annon certis in casibus, ut differentias illas explicent, patroni huius systematis id dicere cogantur. Cur deinde illa miracula, quae eius fini optime erant accommodata, iunior Evangelista omisit, quamvis ea in praedecessoris libro legerit? Cur in rebus illis, in quibus

maximum consensum exspectamus, ex. gr. in verbis institutionis SS. Eucharistiae, in titulo crucis etc, a praedecessore recessit[9]? Numquid ne descripsisse deprehenderetur? Cur Lucas, si praedecessorum libros prae oculis habuit et velut fontes adhibuit, tantam partem (*Marc.* 7, 24-8, 24; *Matth.* 15, 1 sqq.) silentio praeteriit? Nihil ex iis, quae ibi narrantur, fini Evangelii tertii potuisse inservire, nemo prudens dixerit, nec quisquam quoque cum Hug asserere audebit tertium Evangelium integrum ad nos non pervenisse sed magnam eius partem iam primo statim tempore esse amissam[10]. Haec et alia multa explicare tenentur, qui hoc systema tuentur, neque tamen poterunt, nisi ad coactas explicationes confugerint, vel, quod peius est, iuniores Evangelistas socordiae atque negligentiae incusaverint[11]. Sed quid plura? Ipsi enim systematis defensores tota sua agendi ratione satis clare, opinor, demonstrant, quam parum fini, ad quem assumitur, assequendo inserviat. Ad quid enim tot systematis formae, quae inter se pugnant et mutuo se destruunt? Ad quid tot adminicula, ad quae nonnulli confugiunt, et ad quid alii illi fontes sive scripti sive orales, si mutua Evangelistarum dependentia affinitatem librorum eorumque differentias satis explanat? Quod si unus statuit Marcum Matthaeo et Luca usum esse, quoniam versus eius nonnulli partim ex primo, partim ex tertio Evangelio videantur esse desumti, alter non minore cum probabilitatis specie Marco prioritatem vindicabit, atque Matthaeum et Lucam secundi Evangelii versus inter se quasi partitos esse dicet. Neque maiore cum iure Marcus Matthaeum abbreviasse et in compendium redegisse, quam Matthaeus Marcum complesse dicitur. Vix duos interpretes invenies, qui eadem ratione mutuam dependentiam explicent; atque non tantum rationalistae Proto-, Deutero-, Trito-Matthaeos vel Marcos sibi fingere coguntur, sed catholici quoque interpretes ad alios fontes scriptos vel ad traditionem oralem iam confugiunt, ut hoc suum systema defendant.

3.) Quod si quis demum systema, quemadmodum ab initio propositum est, nudum tenere velit, nescio an dignitati Evangelistarum satis consulat. Inspiratio quidem non impedit, quominus scriptores sacri alios libros sive inspiratos sive profanos velut fontes adhibeant; sed aliud est librum quendam pro fonte adhiberi, aliud illum ea ratione adhiberi, quae necessario statuenda est, ut similitudo et dissimilitudo simul explicentur. Finge tibi Marcum coram Matthaei, vel Lucam coram Matthaei et Marci voluminibus sedentem, nunc ex hoc, nunc ex illo versiculum decerpentem, interdum ad verbum describentem, interdum vocabulum addentem, mutantem, transponentem, modo illis, quae descripsit, propria quaedam inserentem, modo folia volventem et revolventem, ut ad posteriora transeat vel ad priora redeat. Moderni huius systematis patroni sine ullo dubio hanc conscribendi methodum,

ut ita dicam, mechanicam respuunt, idque iure merito; sed ipsi videant, annon similem saltem scribendi methodum Evangelistae affingere cogantur, si explicare velint, qua ratione multi illi fontes, quos in Lucae Evangelio adhibitos deprehendere sibi videntur, ab eo sint adhibiti.

6. *Schanz* (Traditionshypoth. l. c. p. 218) nobiscum consentit, quaestionem proxime esse historicam ac proin historicis documentis, quantum fieri potest, definiendam : « So wenig ich auch die innern Gründe unterschätze, so muss ich doch gestehen, dass sichere positive Nachrichten eine bessere Basis gewähren, als die subjective innere Kritik... Nach der Feststellung des histor. Resultates würde es sich nur darum handeln, dasselbe auch exegetisch zu rechtfertigen und die Abweichungen zu erklären ».

7. Textus patristici, quos collegit *Schanz* (Probleme der Einl. bei den Vätern. Tüb. Quartalschr. 1879. p. 72 sqq., Comm. über d. Ev. de h. Marc. p. 24 sq., Traditionshypoth. Tüb. Quartalschr. 1885. p. 222 sq.) *plerique* nihil aliud dicunt, nisi alterum Evangelistam altero brevius vel fusius scripsisse, *pauci* etiam probant ex *iuniorum* quorundam Patrum sententia posteriores Evangelistas priorum *opera cognovisse*. At animadvertas velim a.) Patres illos iuniores hanc sententiam non velut traditam referre, sed ex Evangeliorum indole quodammodo derivare; b.) systematis, quod impugnamus, patronos aliquid omnino diversi statuere, quum priorum Evangelistarum opera posterioribus *fontes* fuisse dicant, quod nullus ex Patribus insinuavit; c.) antiquiores demum Patres non tantum *mutuum usum* sed etiam *cognitionem* praecedentium Evangeliorum negare. Quam longe autem iuniores abfuerint, ut Evangelistas praedecessorum opera velut fontes adhibuisse dicerent, inter alios praeclare docet S. *Chrysostomus*, qui non semel dumtaxat (Traditionshypoth. p. 222) sed *frequenter* inculcat apparentes inter Evangelia contradictiones ideo esse permissas, ne quis « ex mutuo et humano consensu » ea esse conscripta putaret, utque omnes consonantiam eorum a Spiritu S. ducere originem viderent. *S. Chrys.* in Matth. hom. 1, 2; in Ioan. hom. 4, 1; de Laz. hom. 1, 1; de Laz. quatrid. 1., de paralyt. 3 etc (M. 57, 16; 59. 47; 48, 970; 50, 641; 51, 53).

8. Cfr. verba, quibus Patres de Evangeliorum secundi et tertii origine loquuntur *supra* 25. 35. 36. p. 85 sqq. 126 sqq.

9. Exempla sunt obvia; nonnulla collegit *Knabenbauer* Stimmen aus M. L. 1881. XXI. p. 297 sq.; 1884. XXVI. p. 197 sq. Ita ex gr. Schanz (Comm. über d. Evang. d. h. Marc.) *Marc.* 3, 28; 6, 2; 9, 41 etc. clarius aut meliore in contextu a Matthaeo expressa censet; *Marc.* 14, 72 sine ullo dubio obscurior quam *Matth.* 26, 75 etc. Quod si Matth. 17, 1 et Marc. 9, 1 Christus *sex diebus*, postquam eius divinitatem Petrus prope Caesaream confessus est, transfiguratus esse narratur, cur *Luc.* 9, 28 dixit id factum esse *fere diebus octo* postea, si praedecessorum suorum opera cognovit et adhibuit? Neque enim sufficit, ut Lucas non serviliter praecedentia Evangelia adhibuisse dicatur (Traditionshypoth. p. 241 « Ergaben ihm seine eigenen Nachforschungen nicht ebenso sicher die Sechszahl, sondern eine zwischen 6-8 schwankende Zahl, so konnte er trotz seiner Vorgänger unbedenklich *ungefähr* 8 *Tage* schreiben »). Secundum Schanz enim inter fontes, in quos inquisivit Lucas, etiam Evangelia duo priora fuerunt; his igitur plenam fidem non adhibuit, sed ex aliis fontibus, quibus maiorem fidem tribuit, incertum numerum ponere maluit. Consequens videtur esse, cum praedecessorum narrationem corrigere voluisse. Difficultas haec evanescit, si Evangelia canonica ex fontium, quos adhibuit, numero auferuntur. Sed accuratiorem tractationem interpreti relinquemus.

10. *Hug* Einl. II. p. 164 sq.

11. Cfr. quae *Knabenbauer* Stimmen aus M. Laach 1884. XXVI p. 197 disputat.

III. Catechesis apostolica praecipuus Evangeliorum synopticorum fons.

51. — Restat, ut tertium examinemus vel potius evolvamus et adstruamus systema, quod ex sola traditione orali totam synopticorum affinitatem derivat catechesinque apostolicam unicum eorum fontem esse statuit. Non pauci protestantici interpretes illi favent, atque satis multi catholici hodie illud admittunt[1], idque, ut videtur, rectissime. Solum enim inter omnia, quae proposita sunt, cum illis, quae de Evangeliorum origine nobis sunt tradita, plene et perfecte consonat.

Profecto S. Lucas in suo prooemio solam apostolicam traditionem fontem nominat, ex quo ipse aliique, qui ante ipsum de rebus evangelicis scribere conati sint, narrationes suas hauserint (καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου); eius enim verba, uti supra demonstravimus, de fontibus scriptis intelligi non possunt (42 n. 1 p. 152 sq.) Neque aliud nobis testantur Patres; quotiescunque enim de Evangeliorum origine data opera et ex professo, uti dici solet, aliquid referunt, praeter traditionem oralem alium fontem ignorant. Quum Matthaeum Apostolum et testem ocularem primi, quod scriptum sit, auctorem agnoscerent, in eius fontes inquirere nequiverunt; ad Marcum autem et Lucam quod attinet, illud haudquaquam Patribus dubium fuit, priorem Petri, alterum Pauli praedicationes literis mandasse. Ioannem quidem non tantum priora Evangelia cognovisse, sed ad illa etiam respexisse non diffitentur; de reliquis autem ita loquuntur, ut praeter oralem traditionem nullum fontem admisisse videantur. Quando vero iuniores Patres nonnulli in commentariis suis Marcum Matthaei Evangelium in compendium redegisse aut Lucam alterius narrationem complevisse dicunt etc, eundem loquendi modum adhibent, quo hodie traditionis oralis assertores in comparandis Evangeliis quotidie utuntur. Quibus diutius immorari opus non est, quum satis fuse supra iam sint tractata; quare systema ipsum potius exponamus, et quomodo ad Evangeliorum synopticorum similitudinem et dissimilitudinem explicandam iuvet, ostendamus.

1.) Non tantum rerum natura docet, sed disertis quoque testimoniis constat, Apostolos non solis praedicationibus populum ad Evangelium recipiendum adduxisse, sed etiam magna cum diligentia neophytos in fidei doctrina instituisse continuaque catechesi eos credenda et agenda docuisse[2]. In qua catechesi dogmata, ut ita dicam, abstracta non proponebantur nec praecepta vitae christianae nuda; sed postquam Domini demonstrarunt resurrectionem, a qua utpote fidei cardine praedicationes suas inchoare solebant[3], vitam Christi, i. e. eius res gestas praecipuas sermonesque, populo narrabant. Quod luculenter constat *SS. Pa-*

piae et *Irenaei* testimoniis. Prior enim, quum Marcum Evangelium suum ex Petri praedicationibus composuisse eaque, quorum meminit, accurate scripsisse (ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν) asserat, sine ullo dubio historicis narrationibus catechesin romanam Petri constitisse docet; atque se ipse testatur semper illos sectatum esse, qui Domini ipsius praecepta recitabant, curiosiusque in discipulorum Domini praedicationes inquisivisse, ut ex illis suas de oraculorum dominicorum interpretatione libros (Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις) componeret[4]. Alter vero condiscipulo suo Florino in memoriam revocat, magistrum suum Polycarpum Apostolorum dicta omnia commemorasse, atque « illa, quae ab eis de Domino audierat deque miraculis et doctrina eius omnia, quomodo ab iis, qui Verbi vitam ipsi conspexerant, acceperat, fideliter retulisse Scripturis consona »[5]. Ceterum *S. Iustinus* M., si Evangelia omnia ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων i. e. Apostolorum memorabilia vel potius « res ab Apostolis in memoriam revocatas » appellat, nonne docere voluit, ex memoria et traditione apostolica Evangelia esse conscripta? Atque ipse *S. Lucas,* si Evangelium suum eum in finem se scribere dicit, ut Theophilo rerum earum, quas orali institutione didicisset, certitudinem daret, aperte et clare, ni fallor, docet, haec, quae in Evangelio scripta sunt, in catechesi iam esse audita.

Per se autem patet, Apostolos sermones Domini qualescunque neophytis in catechesibus suis proponere nequivisse, sed illos elegisse, qui populo rudi atque inculto aptiores erant. Multa enim Dominus discipulos docuerat et maxime in Iudaea in suis cum Pharisaeis disceptationibus attigerat, quae ab ipsis Apostolis, antequam Spiritum S. acceperant, non intellecta neophytorum captum longe superabant, uti ex. gr. ea, quae in Evangelio S. Ioannis de Verbo divino, de renascentia spirituali, de pane vitae aliaque bene multa legimus. In Galilaea autem ad simplicium piscatorum et agricolarum turbas verba faciens veritates captu faciliores faciliore modo explicaverat. Non mirum ergo, quod hos prae illis Apostoli quoque catechumenis proponendos censerent, ideoque in catechesibus suis galilaicum Domini ministerium fere solum tractarent. Quare si revera tres priores Evangelistae catechesin apostolicam nobis referunt, facile explicatur, cur ipsi quoque maxime de iis scribunt, quae Dominus in Galilaea egit et docuit. Neque putandum est, gratuito a nobis supponi differentiam quandam inter Domini sermones et doctrinas ab Apostolis esse factam; disertis enim verbis asserit Paulus se Corinthiis, postquam per biennium inter eos laborasset, lac dumtaxat potum dedisse, non escam, quia ferre eam non potuissent; attamen institutionem SS. Eucharistiae, Domini resurrectionem aliaque multa eis iam tradiderat[6].

2.) Porro Apostolorum catechesis eadem ubique esse non potuit; alia

erat Ierosolymis, ubi soli Iudaei instituendi erant, alia Romae, ubi postquam Claudius Iudaeos ex Urbe eiecit, solis fere ethnicis conversis ecclesia constabat, alia Antiochiae, ubi ecclesia tum ex Iudaeis tum ex ethnicis conversis coaluerat[7]. Iudaeis ante omnia Iesum esse Messiam in Lege promissum ostendendum erat; ethnicis, qui V. T. Scripturas ignorabant nec de Messia promisso nisi incertas et vagas ideas habebant, Iesu divina natura et virtus erat demonstranda; ecclesiis, ut ita dicam, mixtis salutem a Domino omnibus hominibus esse allatam nec Iudaeorum et ethnicorum distinctionem esse coram Salvatore inculcandum erat; omnibus autem mysteria passionis et resurrectionis erant tradenda. Hinc tres catecheseos apostolicae formae exorirentur necesse fuit, quae quantopere argumento et fini trium primorum Evangeliorum correspondeant, ex supra disputatis satis clarum est[8].

Apostoli vero, priusquam in varias terras Evangelium attulerunt, per aliquot annos Ierosolymis et in Palaestina intima connexi societate vixerant populumque docuerant; quare merito supponere nobis videmur, tacito quodam consensu res, quae neophytis tradendae essent, delectas esse atque certam quoque methodum, qua eas traderent, sua quasi sponte esse efformatam. In hac igitur schola, si ita dicere fas est, hierosolymitana formati Apostoli post suam dispersionem, quum neophytos ethnicos instituendos docendosque haberent, illa, quae ad Domini messianitatem demonstrandam vel ad Iudaeorum traditiones sectasque impugnandas inservierunt, omittere potuerunt et debuerunt, alia vero nonnulla addere, quibus eius divinitas, vel si in ecclesiis mixtis docebant, salutis universalitas magis demonstraretur; pleraque autem dicta et miracula dominica in omnibus ecclesiis tradere potuerunt.

S. Paulus quidem, isque solus ex Apostolis, in schola hierosolymitana non erat institutus; sed « Evangelium, quod evangelizatum est ab eo, neque ab hominibus accepit, neque didicit, sed per revelationem Iesu Christi »; at Antiochiae una cum Barnaba aliisque discipulis, qui Ierosolymis venerant, per longum tempus commoratus eorum docendi rationem cognovit atque procul dubio adoptavit. Unde videtur esse factum, ut in sua catechesi, quam S. Lucam nobis tradidisse asserunt Patres, magnam quidem rerum narratarum partem cum aliis synopticis habeat communem, illis autem multo plura propria addiderit, quam S. Petrus, cuius praedicationem scripsit S. Marcus. Verumtamen ipse quoque finis, quem in ecclesiis suis mixtis prae oculis habere debuit, additiones multas postulavit.

Ex triplici igitur catecheseos forma, quam non gratuito supponimus sed temporum illorum conditione spectata admittere cogimur, synopticorum similitudo et dissimilitudo relate ad *res narratas ordinemque*, quem tenent, apte explicatur.

3.) Ex eadem autem orali traditione vel potius ex apostolica catechesi *formae stylique quoque similitudo* explicatur. S. Polycarpum, S. Ioannis discipulum, miracula et dicta Domini, prout ea a testibus ocularibus audierat, retulisse Scripturis consona (σύμφωνα ταῖς Γραφαῖς) testatur *Irenaeus;* cuius testimonii sensum illum esse censemus, etiam dictionis locutionumque formam, qua Polycarpus ea retulit, Scripturis fuisse consonam. Neque id mirum est; facile enim unusquisque sibi persuadebit primos Christianos illa, quae de vita Domini eiusque doctrina ab Apostolis audierant, tam alte memoriae infixisse, ut eorum quoque locutiones retinerent. Multo magis autem Apostoli ipsi ea, quae a Domino audierant, memoria recolebant; nec quisquam, opinor, pro vero recipere dubitabit, quod in Recognitionibus clementinis, libro utique haeretico medii saec 2., Petrus de se ipso testatur, toties scilicet se per noctem verba Domini ad memoriam revocasse, ut singula quaeque recolens et retexens posset ea memoria retinere[9].

Apostolos iisdem prorsus verbis eadem miracula eademque effata Domini in catechesibus suis semper repetiisse, certissime non asserimus; at fieri fere solet, ut homines, qui saepe easdem res narrant, certo quodam et stabili narrandi typo utantur, easdem locutiones characteristicas repetant, eodem modo narrationes disponant. Iam eiusmodi typum etiam in Apostolorum narrationibus paullatim esse exortum censemus. Quod quidem aliquo saltem modo illustratur exemplis ex Scriptura desumtis; visionem enim, qua S. Petrus ethnicos in Ecclesiam esse admittendos edoctus est, bis, S. Pauli conversionem ter in Actibus narratas habemus [10]; non obstantibus autem multis differentiis idem in relationibus illis est typus, eaedem expressiones characteristicae recurrunt, ut facile appareat frequenti repetitione certam aliquam narrandi formam esse exortam.

Eo facilius autem typus iste exortus est, quo minus graecam linguam callebant Apostoli minoremque vocabulorum copiam in promtu habebant. Unde factum est, ut Marcus et Lucas et graecus Matthaei interpres, quum sive a Petro et Paulo sive ab aliis Apostolis et discipulis easdem locutiones rariores atque magis characteristicas in certis factis narratis frequentius audirent, illas una cum rebus ipsis memoriae infigerent atque postea, ubi scribere coeperunt, sua quasi sponte sine ulla advertentia repeterent. Neque dubitandum est, quin accuratius maioreque cum cura Apostoli Christi sermones et effata, quam eius res gestas, coram auditoribus suis enarraverint; quare in orali quoque traditione maior in effatis Domini relatis, quam in miraculis narratis conformitas inveniebatur; id quod iterum cum illo rerum statu, quem in Evangeliis synopticis adesse omnes concedunt (47. n. 5. p. 175), quam optime consentit. Quod si vero ex fontibus scriptis, sive ex protevangelio

quocunque, sive ex Evangelio canonico iuniores scriptores sacri hauserunt, non satis apparet, cur in sermonibus, quam in miraculis transcribendis fuerint diligentiores.

Similitudo igitur argumenti et formae ex orali traditione vel potius ex catechesi apostolica satis explicatur; de dissimilitudine autem opus non est ut dicamus; nec enim Apostolos nec eorum discipulos catecheses istas servili modo memoriae mandasse evidens est; ideo in characteristicis quidem locutionibus aut etiam in rarioribus quibusdam formis et vocabulis, quae facilius memoriae inhaerent, consentientes reliqua suo proprio stylo narrarunt Evangelistae, ad id unum, uti de S. Marco refert Papias, intenti, ne quid eorum, quae audierant, praetermitterent, neve in iis fallerent. Imo nostrum systema minime impedit, quominus Evangelistas etiam aliqua, quae in catechesi ab Apostolis tradi non solebant, suis libris inseruisse dicamus, si illa ad finem suum melius assequendum apta iudicarunt. Patres enim, etsi Marcum et Lucam praedicationes Petri et Pauli literis mandasse asserunt, minime illos librarios vel notarios dumtaxat fuisse censent, qui dictantium verba exceperint, sed veros suorum librorum auctores. Quare nos quoque, si in tribus primis Evangeliis nobis tres catecheseos apostolicae formas conservatas esse asserimus, nihil aliud dicimus, nisi has catecheses *fontem praecipuum* fuisse, *ex quo synoptici operum suorum argumentum, ordinem, finem, imo* sub certo respectu *formam quoque desumserunt.*

Atque haec de hoc systemate satis sunto! Ex dictis enim luculenter apparet, illud integrum antiquiorum Patrum de Evangeliorum origine testimoniis inniti, nec quidquam supponere, quod primitivae Ecclesiae statui et conditioni non plane congruat, atque sufficientem similitudinis aeque ac dissimilitudinis synopticorum librorum rationem reddere. Quare ceteris systematis illud praeferimus, licet pro certo et indubitato illud non asseramus. Quis enim in quaestione tam perplexa et impedita ad omnimodam certitudinem se pervenisse affirmaverit?

1. *Friedlieb* Oester. Kath. Vierteljahrschr. 1864. p. 68 sqq.; *Weinhart* D. Neue Test. 1865. p. XVI.; *Bisping* Exeg. Handb. I. 1868, p. 15 sqq.; *Schegg* Evang. d. h. Marc. 1870. p. 12 sqq.; *Knabenbauer* Stimm. a. M. Laach. 1881. XXI. p. 297 sqq., 1884. XXVI. p. 196, Comm. in Marc. 1894. p. 15 sqq.; *Le Camus*, Vie de N.-S. 1883. I. p. 28 sqq.; *Fillion*, Introd. génér. aux Evang. 1888, p. 25 sqq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 448 sqq.; *Felten* in Kirchenlex. Ed. 2. VIII. p. 189. 677; *A. Padovani* in notis ad Corn. a Lap. Comm. in Evang. 1896. p. 17 sqq., etc. Aliqui ex his non plane negant, iunioribus Evangelistis opera praedecessorum *simul inservisse*; sed quomodo id demonstretur, non video. — Ex acath. cfr *Gieseler* Versuch über die Entstehung etc. der schriftl. Evangel. 1818. p. 53 sqq.; rationalistico modo systema excoluerunt *Credner, Wetzel* aliique, sensu autem orthodoxo *Guericke, Thiersch, Codet* etc.

2. *Act.* 19, 8 sq. cfr. 18, 26 etc.; *Luc.* 1, 4.

3. S. Petrus coram Iudaeis et coram centurione Cornelio (*Act.* 2,11 sqq.; 3,12 sqq.; 10,34 sqq.), Paulus in synagoga Antiochiae Pisidiae, in areopago Athenis, coram Festo

et Agrippa Caesareae (*Act.* 13, 15 sqq.; 17, 22 sqq.; 26, 2 sqq.) a resurrectione Domini incipiunt.

4. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20, 300); *supra* 25.

5. *S. Iren.* ad Florin. fragm. (M. 7, 1228; cfr. Euseb. H. E. V. 20. M. 20, 485) : καὶ περὶ τοῦ Κυρίου τίνα ἦν, ἃ παρ' ἐκείνων ἀκηκόει, καὶ περὶ τῶν δυνάμεων αὐτοῦ, καὶ περὶ τῆς διδασκαλίας, ὡς παρὰ τῶν αὐτοπτῶν τῆς ζώης τοῦ Λόγου παρειληφὼς ὁ Πολύκαρπος ἀπήγγελλε πάντα σύμφωνα ταῖς Γραφαῖς.

6. *Cor.* 3, 11; cfr. 11, 23; 15, 3.

7. *Gal.* 2, 12 sqq. *Act.* 11, 20 sqq.

8. Cfr. *supra* 19. 29. 40. p. 56 sqq.; 104 sqq.; 146 sqq.

9. *Recognit. Clem.* II. 1 (M. 1, 1249) : « In consuetudine habui verba Domini mei, quae ab ipso audieram, revocare ad memoriam et pro ipsorum desiderio suscitari animis meis et cogitationibus imperavi, ut evigilans ad ea et singula quaeque recolens ac retexens possim memoriter retinere ».

10. *Act.* 10, 10 sqq. et 11, 5 sqq.; *Act.* 9, 2 sqq.; 22, 5 sqq.; 26, 12 sqq.

§ 6. — *De synopticorum contradictionibus apparentibus.*

52. — Tria priora Evangelia, licet multa habeant communia nec raro in phrasibus quoque locutionibusque consentiant, in multis tamen sermonibus rebusque gestis dominicis relatis ita inter se dissentiunt, ut plerique interpretes protestantici et ex catholicis pauci quidam, qui de Scripturarum inspiratione sententiam non rectam sequuntur, veras adesse contradictiones censeant atque prioris Evangelistae asserta a posterioribus corrigi dicant. Imo si rationalistis fides esset habenda, innumeris contradictionibus Evangelia foedata essent dicenda; qua in opinione antecessores et magistros habuerunt antiquos illos incredulos Celsum, Porphyrium, Iulianum Apost.

Attamen SS. Patres, qui ad unum omnes cum *Origene* docuerunt, « illum, qui fideliter et integre sacrorum voluminum collegerit sensum, debere ostendere quomodo ea, quae videantur esse contraria, non sint vere contraria »[1], non tantum veras contradictiones inveniri negarunt, sed apparentes, quae adsunt, veracitatis Evangelistarum argumentum esse rectissime contenderunt. Unum audiamus *Chrysostomum* interroganti, annon unum sufficeret Evangelium, respondentem : « Sufficiebat quidem; sed si quatuor scribunt neque eodem tempore, neque eodem in loco, neque simul congregati et ex mutuo congressu, et tamen quasi uno ore omnia pronuntiant, magnam creant veritatis demonstrationem. Atqui, inquies, omnino contra accidit, saepe enim inter se dissentire deprehenduntur. Certe, sed illud ipsum magnum est veritatis argumentum. Si enim omnia accurate consonassent et quantum ad tempus et quantum ad locum, et quantum ad ipsa verba, ex inimicis nemo credidisset, sed ex mutuo humanoque consensu haec scripta fuisse omnes putassent neque ex simplicitate et sinceritate huiusmodi consonantiam

derivassent. Iam vero illa, quae in exiguis rebus videtur deprehendi diversitas (ἡ δοκοῦσα ἐν μικροῖς εἶναι διαφωνία) omnem suspicionem ab illis depellit scribentiumque fidem clare vindicat. Quod si quid circa tempora et loca varietatis protulerint, id nihil officit veritati narrationis; id quod Deo favente in sequentibus demonstrare conabimur. Praeterea autem ut illud observetis rogamus, in rebus praecipuis, quae ad vitam nostram et ad ipsam praedicationem tuendam pertinent, nullum eorum uspiam ab aliis vel minime dissentire. Quaenam autem illa praecipua sunt? Deum hominem factum esse, miracula edidisse, crucifixum ac sepultum esse, resurrexisse, in coelum ascendisse, iudicaturum esse, salutaria dedisse praecepta, legem veteri non contrariam induxisse, ipsum Filium esse, unigenitum, genuinum, eiusdem cum Patre substantiae, et his similia. Circa ista enim magnam invenimus inter eos consonantiam. Si vero in miraculis non omnes omnia dixerunt, sed alius haec, alius illa, noli turbari. Nam si unus omnia dixisset, superfluus esset reliquorum numerus; si omnes diversa et nova scripsissent, nullum suppeteret consonantiae argumentum. Ideo multa plures simul narrarunt et singuli aliquid proprii scribendum susceperunt, ne quid superfluum vel temere proiectum dixisse viderentur, utque veritatis accuratam nobis probationem offerrent »[2].

Nullo igitur modo veras contradictiones, ne in minimis quidem rebus, inter Evangelistarum narrationes admittere licet[3]; idcirco iam Patres illas omnes, quae ab incredulis haereticisque obiici solebant, data opera enodarunt et immerito afferri ostenderunt[4]. Interpretis quidem est plenam ac perfectam omnium narrationum evangelicarum concordiam ostendere et vindicare; ut autem obiectio, quae contra Evangelistarum inspirationem ex hisce enantiophoniis (vel rectius : enantiophaniis) desumitur, hoc loco, quantum satis est, solvatur, duos proponemus canones, qui, si rite adhibentur, ad plerasque apparentes contradictiones, quae in synopticorum de vita publica Domini narratione occurrunt, enodandas sufficiunt; deinde praecipuas explicabimus difficultates, quae contra duplicem Domini genealogiam atque contra historiam infantiae proferuntur. Quae vero ad passionem et resurrectionem Domini spectant, illa infra attingemus, ubi de synopticorum cum Ioanne concordia dicendum erit.

1. *Orig.* in ep. ad Rom. III. 7 (M. 14, 942).

2. *S. Chrys.* in Matth. hom. 1, 2 (M. 57, 16). Cfr. eundem hom. de Lazaro hom. 1, 1; de Lazaro quatrid. 1; de paralytico 3 etc (M. 48, 970; 50, 641; 51, 53).

3. Praeclare *S. Augustinus* de Evangeliorum consensu tractaturus (de cons. Evang. I. 35. M. 34, 1070) : « Omnibus discipulis suis per hominem, quem assumsit, tamquam membris sui corporis caput est (Filius Dei). Itaque quum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam est dicendum, quod ipse non scripserit; quandoquidem

membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Quamobrem illa potius iam videamus qualia sint, quae putant Evangelistas sibimet ipsis scripsisse contraria; ut his quaestionibus dissolutis ex hoc quoque appareat, illius capitis membra non solum idem sentiendo, verum etiam convenientia scribendo, in corporis ipsius unitate germanam servasse concordiam ».

1. Si Evangeliorum harmonias, quae inde a Tatiani tempore conscriptae Evangeliorum concordiam positive demonstrarunt, omittimus, primus *Eusebius Caes.* apparentes contradictiones explicare agressus est; operis eius ζητήματα καὶ λύσεις inscripti, cuius duo priores libri de historia infantiae, tertius de passione et resurrectione egit, hodie non supersunt nisi compendium et fragmenta, quae collecta habes a Card. Mai (M. 22, 877 sqq.); omnes difficultates complexus est S. Augustinus in suo de consensu Evang. opere (M. 34, 1071 sqq.). Alii Patres aut in commentariis, uti Origenes, Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius, aut in suis epistolis, uti Hieronymus, Isidorus Pelus. data occasione quam plurimas enantiophanias enodant.

53. — Ad vitam publicam Domini quod attinet,

1.) animadvertendum est, ab adversariis aliquoties miracula dictave Domini, quae a diversis Evangelistis referuntur, si minimam inter ea invenisse sibi videntur similitudinem, velut eadem asseri, ut ex diversis eorum circumstantiis relatis errasse Evangelistas demonstrent. Quo artificio iam suo tempore usos esse gentiles et Iudaeos et multos haereticos tradit *S. Chrysostomus,* ut hac ratione reprehenderent omnes Evangelistas tamquam inter se pugnantes et dissonantes; quare ad circumstantias attendendum esse monet, ut similia facta ab identicis distinguantur. « Multa eiusmodi ex Evangeliis colligere licet, quae videntur suspicionem habere repugnantiae; sed nulla tamen est repugnantia, quum et quae ab hoc et quae ab illo dicta sint, evenerint, licet non eodem tempore, et unus primum illud narraverit, alter illud secundum » [1].

Revera Domini N. vita publica illa, quam Synoptici nobis narrant, similis semper et fere eadem erat magnaque varietate carebat; Galilaeam enim peragrans vix non semper eiusdem conditionis auditores eiusdemque generis adversarios habebat; eosdem morbos sive corporales sive spirituales ubique inveniebat. Quid igitur mirum, si eosdem fere aut potius similes sermones saepius repetebat, ad easdem obiectiones eodem modo respondebat, miraculis similibus similes morbos curabat? Bis eum ventum et mare sedasse, bis paucis hebdomadis interiectis eum panes multiplicasse, saepius eum Pharisaeorum calumniam, quod in principe daemoniorum daemonia eiiceret, refutasse etc certissime scimus, quia ab eodem Evangelista haec bis relata legi-

mus[2]; quare si a diversis Evangelistis similia facta vel similes sermones referuntur, concludere statim non licet, idem factum referri.

Immerito unctio pedum Domini per peccatricem facta dicitur eadem esse atque ea, quam fecit soror Lazari; immerito quoque ementium et vendentium e templo eiectio, quam referunt synoptici, eadem dicitur atque illa, quam narrat Ioannes; caecus, quem Dominus ingrediens Iericho sanat, alius videtur esse, ac Bartimaeus, quem Marcus ab egrediente sanatum refert. Non pauca autem ita narrantur, ut catholici quoque interpretes atque Patres ancipites haereant, utrum de eadem an de diversa re agatur. Dubium quidem prudenti non est, quin priorem quandam atque ut ita dicamus praeparatoriam vocationem Andreae et Petri narret Ioannes, quidquid contradicunt moderni multi protestantici interpretes; at num miraculosa piscatio, quam narrat Lucas, coniungenda sit cum vocatione, quam narrant Matth. et Marc., minime est evidens; a multis quoque dubitatur, annon sermo montanus Matthaei sit idem, qui « in campestri » habitus dicitur a Luca, num « daemonium mutum », quod eiectum dicit Lucas, sit illud « caecum et mutum », de quo agit Matthaeus etc[3]. Nimis facile satis multa facta evangelica, quae similia tantum sunt, pro iisdem haberi censemus; quare ad circumstantias omnes personarum, loci, temporis etc accurate est attendendum, atque in secundo et tertio Evangeliis ad nexum quoque, quo singula facta narrantur.

1. *S. Chrys.* Hom. in paralyt. 3. 4 (M. 51, 53 sq.); cfr. in Matth. hom. 4, 5 (M. 57, 45) : « Multi simpliciores in eo dissonantiam esse dixerunt, quoniam Lucas dixit ad Mariam Angelum venisse, Matthaeus autem ad Iosephum, non advertentes utrumque gestum esse. Id quod etiam in omnibus narrationibus observandum est, sic enim multas apparentes contradictiones solvemus ».

2. Tempestas sedata *Matth.* 8, 26 et 14, 32; *Marc.* 4, 39 et 6, 51; multiplicatio panum *Matth.* 14, 14 sqq. et 15, 29 sqq.; *Marc.* 6, 32 sqq. et 8, 1 sqq.; calumnia Pharisaeorum *Matth.* 9, 34 et 12, 24 etc.

3. Unctio pedum *Luc.* 7, 36 sqq., sed *Matth.* 26, 6 sqq.; *Marc.* 14, 3; *Ioan.* 12, 1 sqq. — Vocatio Apostolorum *Matth.* 4, 18 sqq.; *Marc.* 1, 16 sqq.; miraculosa piscatio *Luc.* 5, 1 sqq. — Eiectio vendentium *Ioan.* 2, 13 sqq., sed *Matth.* 21, 12 et parall. — Sermo montanus *Matth.* 5, 1 sqq. et *Luc.* 6, 17 sqq. — Caecus *Luc.* 18, 35 et Bartimaeus *Marc.* 10, 46. — Daemonium mutum *Luc.* 11, 14 et *Matth.* 12, 22.

2.) At altera ex parte cavendum quoque est, ne illa, quae revera eadem sunt, diversa esse affirmemus, quia unus Evangelista circumstantias nonnullas tacuit, quas alter addidit, aut quia idem sensus non iisdem prorsus verbis ab utroque est expressus. « Quod enim, inquit *S. Augustinus*, alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium; neque illud contrarium est, si alius dicit, quod alius praetermittit », et *S. Chrysostomus* : « aliud est diverso, aliud contrario

modo narrare; prius enim illud dissonantiam non gignit aut pugnam ». Ad alteram canonis partem autem quod attinet, monet *S. Augustinus* « nihil in cuiusque verbis nos debere inspicere, nisi voluntatem, cui debent verba servire, nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit, quid ille voluerit, cuius verba non dixit; ne miseri vocum aucupes apicibus quodam modo literarum putemus ligandam esse veritatem, quum utique non in verbis tantum, sed etiam in ceteris omnibus signis animorum non sit nisi ipse animus quaerendus »[4].

Profecto prae oculis habeamus oportet, Evangelistas in rebus Domini gestis narrandis referendisque sermonibus munere fidelium et veracium testium esse perfunctos, qui res ita produnt, prout eas memoria tenent; inspiratione autem sua Deum illos impulisse, ut has ipsas res scriberent, et invigilasse ne quid falsi adderent; ad hoc autem omnino neque requiritur, ut iisdem verbis, quibus Christus usus est, eius sermones referant, dummodo sensum verborum fideliter exprimant, neque ut omnia, quae certa in occasione Christus dixit, repetant; imo ea, quae variis in occasionibus Dominus protulit, uno sermone comprehendere possunt, dummodo singula dicta dominica novo hoc contextu sensu suo primitivo non priventur.

Haud pauca sunt exempla, in quibus altera haec regula adhibenda est, atque prior quidem eius pars Matthaeo cum reliquis conciliando frequenter inservit. Pro apologetico enim et dogmatico fine, qui in eius Evangelio multo magis, quam in aliis apparet, S. Matthaeus minutas circumstantias rerum gestarum, quas refert, saepissime omittit factaque paucis verbis potius indicat, quam narrat. Nemo sine ullo dubio alium esse paralyticum putaverit, quem remissis peccatis sanatum dicit Matthaeus, et alium illum, quem simili modo sanatum dicunt Marcus et Lucas, quamvis primus Evangelista taceat, eum a quatuor viris in lecto suo ad Christum esse allatum, per tectum demissum etc.[5]; at eodem modo « compendio », ut cum S. Augustino loquamur[6], usus est Matthaeus, quum de puero centurionis sanato loquens illa, quae Lucas per seniores Iudaeorum et amicos a centurione missos Christo dicta esse testatur, centurioni ipsi attribueret, vel de resuscitatione filiae Iairi referens verba patris ipsius ad Christum accedentis verbaque servorum eius postea venientium in unum contraheret[7]. Qui ad hunc primi Evangelistae morem attenderit, etiam sanationem caeci, quam refert Lucas, eamque, quam refert Marcus prope Iericho factas, quas diversas esse a S. Augustino non immerito asseri censemus, a Matthaeo coniunctim narrari dicere poterit[8]. Quae autem de circumstantiis omissis diximus, illa etiam de circumstantia numeri valent; Matthaeus duos daemoniacos in regione Gerasenorum liberatos dicit, Marcus et Lucas de uno solo loquuntur; « si enim (Lucas) dixisset, inquit *Chrysostomus*, unum so-

lum fuisse nec alterum exstitisse, Matthaeo contradixisset; sin vero hic de uno, alter de duobus refert, non pugna adest, sed differentia narrandi »[9]. Ex duobus nimirum sanatis unus solus Iesum sequi voluit et postea in Decapoli praedicavit, quanta sibi fecisset Iesus; ideo de hoc solo loquuntur Marcus et Lucas, qui totam rem accuratius referre voluerunt. Simili modo S. Augustinus, qui caecum unum a Christo, quum appropinquaret Iericho, et duos ab egrediente ex civitate sanatos putat, horum duorum unum solum a Marco commemoratum dicit, quia ille Bartimaeus « notissimus et in illa civitate famosissimus fuerit » ideoque « eius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparaverit, quam esset nota illius calamitas »[10].

Altera regulae pars sermonibus relatis conciliandis inservit. Idem prorsus humilitatis et inferioritatis sensus exprimitur, si Ioannes B. apud Matthaeum se dignum non esse dicit Domini « *calceamenta portare* », et apud Marcum et Lucam indignum se declarat « *solvere corrigiam calceamentorum eius* »; eandem quoque abstinentiam ab omnibus rebus superfluis inculcat Dominus Apostolis suis, quando eos secundum Matthaeum et Lucam vel ipsam virgam habere vetat, secundum Marcum virgam eis concedit[11]; idem prorsus vituperium exprimitur verbis : « *Quid timidi estis, modicae fidei* »? vel : « *Quid timidi estis? necdum habetis fidem* »? vel : « *Ubi est fides vestra* »? Neque refert, utrum secundum Matthaeum haec verba prolata dicantur, antequam mare fuerat pacatum, an secundum Marcum et Lucam post sedatam tempestatem, quia non necessario idem ordo, qui fuit in miraculo patrando, in eo referendo est observandus, atque facillime fieri potuit, ut et antea et postea Dominus incredulitatem discipulorum vituperaret[12].

4. *S. Aug.* de cons. Evang. II. 12. 28 (M. 34, 1090. 1111); *S. Chrys.* hom. de paralyt. 3 (M. 51, 53).

5. *Matth.* 9, 2; *Marc.* 2. 3; *Luc.* 5, 18.

6. *S. Aug.* de cons. Evang. II. 20 (M. 34, 1101) : « Non absurde Matthaeus, etiam quod vulgo possit intelligi, per alios facto accessu centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit : accessit ad eum centurio ».

7. *Matth.* 8, 5; *Luc.* 7, 2 sqq. — *Matth.* 9, 18 sqq.; *Marc.* 5, 32 sqq.; *Luc.* 8, 41 sqq.

8. *Matth.* 20, 29; *Marc.* 10, 46; *Luc.* 18, 35.

9. *S. Chrys.* in Matth. hom. 28, 2 (M. 57, 352).

10. *S. Aug.* de cons. Ev. II. 65 (M. 34, 1137).

11. *Matth.* 3, 11; *Marc.* 1, 7; *Luc.* 3, 16. — *Matth.* 10, 10; *Luc.* 9, 3; *Marc.* 6, 8. — Post *S. Aug.* de cons. Ev. II. 30 (M. 34, 1113 sq.) multi interpretes apud Marcum « virgam » metaphorice interpretari voluerunt de potestate sc. a Domino accepta, qua necessaria quaecunque a fidelibus postulare potuerunt; id autem fieri non posse recte monuit *Maldonat.* (in Matth. l. c.), sed utrumque Evangelistam non Christi verba sed eius sensum retulisse; Christum enim Apostolis praecepisse, ne quid haberent praeter ea, quae essent in praesentem usum necessaria; id Matthaeum significasse verbis : *ne virgam quidem* (virgam enim pauperrimus quisque habet), Marcum significasse ver-

bis : *sed virgam tantum*, nam qui virgam tantum (in itinere) habet, nihil superfluum habet, sicut dixit Iacob (*Gen.* 32, 10) : *in baculo meo transivi Iordanem*, i. e. pauper, nihil habens, nisi baculum in manu more mendici.

12. *Matth.* 8, 26; *Marc.* 4, 40; *Luc.* 8, 25.

34. — In conciliandis Christi D. N. genealogiis, quarum altera Abrahae genus usque ad D. N. per singulas generationes recenset (*Matth.* 1, 1-17), altera vero Christi prosapiam etiam per singulas generationes ad Adamum usque reducit (*Luc.* 3, 23-38), iam a primis Ecclesiae saeculis quam plurimum elaboratum est. Consonant enim ab Abrahamo usque ad Davidem; discrepant autem inter Davidem et Salathielem atque iterum in Salathielis nepotibus usque ad S. Iosephum; nam ex Davidis posteris usque ad Salathielem S. Matthaeus quindecim enumerat, S. Lucas vero viginti eosque diversos; Zorobabelem inter et S. Iosephum novem Matthaeus, duodeviginti diversos Lucas recenset. Quam difficultatem, quum praecipua fere sit dicenda, qua inde a Celsi et Porphyrii aetate ad hodiernum usque diem increduli omnes ad Evangeliorum fidem detrectandam et labefactandam abutuntur [1], prorsus praetermittere nobis non licet, quamvis ad exegesin potius quam ad introductionem pertinere videatur; quomodo igitur duae genealogiae contradictionem non constituant, indicabimus, accuratiore omnium difficultatum solutione interpretibus relicta [2].

Inter varia systemata, quae ad enodandam apparentem genealogiarum contradictionem proposita sunt, duo tantum memoria sunt digna; alterum saec. 16. invectum, quum a Matthaeo quidem S. Iosephi genealogiam referri concedat, a Luca autem B. Virginis maiores enarrari contendat, nodum scindit potius, quam solvit; alterum autem, quod Patrum auctoritate commendatur, non tantum Iudaeorum legibus apprime consonat, sed vaticiniis quoque Prophetarum diversoque Evangelistarum fini correspondet [3]. De utroque pauca.

Iuniores satis multi interpretes, quum non satis perspicerent, quomodo genealogiae, si S. Iosephi maiores recenserent, ad Dominum N., quippe qui verus Iosephi filius non esset, pertinere possent, graecum Evangelii tertii textum non cum Vulgata nostra verterunt : « *Et Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli* » etc, sed alio modo interpungentes : « *Et Iesus... erat filius, ut putabatur, Iosephi* (*re vera autem*) *Heli, qui fuit* » etc; i. e. Iesus Iosephi quidem filius putabatur, revera autem filius, vel potius nepos, fuit Heli, patris B. Virginis. Quoniam vero ex traditione habemus, B. Virginis patri nomen fuisse Ioachim, contendunt Heli esse idem nomen ac Eliakim, Eliakim autem et Ioachim inter se converti [4]. Quae rationes parum nobis probantur; nequaquam enim nomina sunt eadem ac nova versio proposita textui non correspondet [5], difficultas demum, quam effugere volunt, nulla est. Patres enim, qui eam iam viderant, duplicem eius solutionem insinuarunt; plerique enim B. Virginem eiusque sponsum ex eadem fuisse familia asserentes docuerunt eo ipso, quod genus S. Iosephi recenseatur, etiam B. Virginis genus recenseri [6], alteramque solutionem aeque solidam addidit *S. Augustinus* : « Quum ipse Evangelista, inquit, narrat non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, unde eum patrem

appellat, nisi quia et virum Mariae recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugii; et ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus?... Ac per hoc etiam, si quis demonstrare posset Mariam ex Davide nullam consanguineitatis originem ducere, satis erat secundum istam rationem accipere Christum filium David, qua ratione etiam Ioseph pater eius recte appellatus est »[7]. Quibus, quamvis per se satis clara sunt, iuniorum interpretum explicationem eiusdem ideae addere liceat : « Quum legitimo matrimonio, inquit *Wouters*, iunctus esset Ioseph Virgini Mariae, Christus fuit fructus coniugii Iosephi et Mariae; natus enim in utriusque coniugio, non ex alio viro, sed ex virtute Spiritus S., utrique adscribendus est tamquam patri et matri. Proles enim, quae non ex adulterio, sed ex coniugio legitimo nascitur, coniugum est, undecumque et quomodocumque nascatur, sicut seges nata in agro sterili supranaturaliter domini agri est. Ac proinde Christus iure coniugii est Iosephi filius, etiamsi ex coniugio non naturaliter sed miraculose sit genitus; imo eo magis magisque admirabilis est Iosephi filius, quia Deus hunc miraculosum coniugii virginalis fructum Iosepho dedit donavitque, perinde ac si Deus in agro eius produxisset messem sine semine illamque ei dedisset... Quum igitur Christus esset proprius ac legitimus, etsi non naturalis, filius Ioseph, sequitur, quod genealogia a S. Luca descripta non tantum sit genealogia legalis Ioseph, sed etiam Christi. Ac proin sicut Ioseph habuit omnia iura veri patris in Iesum, uti erat homo, ita Iesus habuit omnia iura filii respectu illius, et consequenter ex illa parte quoque habuit ius ad sedem regalem Davidis ». Brevius in eundem sensum *Lucas Brug.* : « Quum legitimo matrimonio iunctus esset Iosephus Virgini Mariae et una cum illa esset caro, iure, etsi non re, proles e Mariae carne genita ex eius genita est carne »[8]. Neque recte obiicitur, sponsam Iosephi dumtaxat, non coniugem fuisse B. Virginem; haec enim sponsae et coniugis distinctio eo, quo hodie accipitur, sensu Iudaeis erat ignota sponsisque apud eos omnia eodem modo, quo coniugibus, erant communia[9]. Hac S. Augustini solutione priori, quam omnes fere Patres tradunt, addita irritum redditur argumentum eorum, qui utramque genealogiam esse B. Virginis censent. Ut enim, inquiunt, Christi genealogiae dici possint, nullum in eis membrum non debet non referri ad Christum; atqui si alterutra aut utraque pertinet ad Iosephum, saltem pater Iosephi, quum Maria eius soror non esset, inter maiores Christi non erat referendus. Profecto quum Dominus legalis esset filius Ioseph, omnes maiores Iosephi etiam legales sunt Christi patres. Quam vera autem sit sententia, quae Christum verum et proprium (etsi non naturalem) filium Iosephi dicit, luculentissime apparet, si hoc Iosephi matrimonium cum matrimonio leviratus conferatur; etenim si filius ex leviratus matrimonio ortus defuncti fratris filius habebatur et erat, multo magis in virginali hoc coniugio filius ex Virgine natus filius fuit S. Iosephi[10].

1. De difficultatibus, quas Celsus, Porphyrius, Iulianus Ap. iam contra genealogias moverunt cfr. *Orig.* c. Cels. II. 32 (M 11, 852), *S. Hier.* in Dan. 1, 1 (M. 25, 495), *S. Epiph.* c. haer. 51, 8 (M. 41, 901), *S. Cyrill. Alex.* c. Iul. VIII (M. 76, 887 sqq.). Saec. 16. Anabaptistae easdem fere moverunt cfr. *Sixt. Sen.* Biblioth. sacr. VII. haer.

2. ed. Milante p. 980. Inter genealogiarum adversarios hoc nostro tempore numerandi sunt omnes rationalistici *interpretes*, praeter quos cfr. *Strauss* Leben Iesu Ed. 4. I. p. 136-157; *Renan* Vie de Jésus p. 240; Ed. 18. p. 249. Les Évangiles p. 60 sq.; 186 sqq.; *Davidson* Introduction II. p. 28 sqq. etc.

2. Praeter *interpretes* catholicos omnes cfr. *Hug* Einl. II. p. 266 sqq.; *Patrizi* De Evang. III. p. 33-105; ac praesertim *I. Grimm.* Einheit der Evang. p. 725 sqq., *Eiusdem* Leben Iesu I. p. 186 sqq. II. 137 sqq.

3. Systema illud, iuxta quod duae genealogiae consonare olim dicebantur, quia iidem viri, utpote binomines, alio nomine a Matthaeo, alio a Luca essent recensiti, iure merito ab omnibus hodie est derelictum; illud vero, quod aliquando excogitavit *S. August.* (De cons. Evang. II. 3; Quaest. evang. II. 5. M. 34, 1072; 35, 1335), Iosepho scilicet unum patrem fuisse, a quo genitus, alterum a quo *adoptatus* esset, re melius perpensa ipse correxit, quum Iudaeis adoptio esset ignota (Retract. II. 7. M. 32, 633).

4. *Heli* Ἡλεί respondet hebr. עלי, minime autem idem est quod אלי; at ipsum nomen אלי abbreviatum est pro אליה *Elia*, non אליקים *Eliakim*.

5. Meliores codd. graeci legunt : ὢν υἱὸς ὡς ἐνομίζετο Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλεὶ τοῦ Μαθθὰθ κτλ., unde clarum est τοῦ Ἡλεί, quod nomen praefixum habet articulum, non eodem modo posse dependere ab υἱὸς, quo dependet Ἰωσήφ, ante quod nomen omnes fere codd. (א A. B. D. etc) articulum omittunt. Quum vero nomina propria articulum recipere non soleant, articulus τοῦ ante Ἡλεί et nomina, quae sequuntur, articulus substantivus dicendus est, qui locum tenet, ut saepe fit, substantivi υἱοῦ; integra ergo phrasis sonat ὢν υἱὸς Ἰωσὴφ υἱοῦ Ἡλεὶ υἱοῦ Μαθθάθ κτλ, quod optime reddidit Vulg. : « Ioseph, *qui fuit* Heli, *qui fuit* Mathath » etc. Certe Lucas, si dicere voluisset Christum *putativum filium* Ioseph, *genuinum* autem *nepotem* Heli fuisse, haec clarius exprimere debuisset, ne per quindecim saecula omnes suos lectores in errorem induceret.

6. *S. Hilarius* quidem in opusculo a Card. Maio reperto et edito (Nova Patr. bibl. I. p. 177) asserit, « *multos* velle generationem, quam enumerat Matthaeus, deputari Ioseph, et generationem, quam enumerat Lucas, deputari Mariae », at nec ipse hanc sententiam tenet (cfr. in Matth. 1. M. 9, 919), nec in ullo interprete ante saec. 16. huius sententiae invenitur vestigium (cfr. *Patrizi* De Evang. III. p. 92). B. Virginem ex stirpe davidica fuisse asserunt iam *S. Ignat. M.* (ad Eph. 18. « Deus enim noster Iesus Chr. in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei ex semine quidem David, Spiritu autem sancto ») et *S. Iustin. M.* (c. Tryph. 100. M. 6, 709) et satis aperte colligitur ex *Rom.* 1, 2 collato cum *Gal.* 4, 4, ex *Act.* 2, 30 etc. Docent praeterea Patres, B. Virginem, utpote filiam haeredem ex lege (*Num.* 36, 6 sqq.) viro familiae suae nubere debuisse; etenim lex illa, quamvis proxime de familiis, inter quas Iosue tempore terra palaestinensis divisa est, loqui videatur, ita ut Mariam ex familia Esron, de quo descendit David, fuisse sequatur, strictiore tamen sensu semper intellecta et observata est. Merito autem observat *Papebroch.* (Acta Sanct. Mens. Mart. III. p. 15) : « Quum B. Virgo votum virginitatis emiserit (id quod etiam S. Iosephum fecisse pie credimus), non videtur ratio, cur stante hoc voto sponsalia inierit, alia reddi posse, nisi obedientia erga legem, quae filiam unigenitam consanguineo proximo nubere iubebat, ne haereditates confunderentur ».

7. *S. August.* de cons. Evang. II. 1. 2; de Nupt. et Concup. I. 11; c. Iulian. Pel. V. 12 (M. 34, 1072; 44, 421. 810); eandem rationem ad difficultatem solvendam adhibet *S. Thom.* Sum. III. qu. 28. a. 1. ad 1.

8. *Wouters* Dilucid. Quaest. in hist. evang. 3, 2. (Migne Curs. compl. S. S. 23, 802); *Luc. Brug.* in Luc. 3.

9. Cfr *Flunk* in Innsbr. Theolog. Zeitschr. 1888. p. 669 sqq.

10. *Patrizi* de Evang. III, p. 105; *Grimm* Einh. der Evang. p. 238.

Utraque igitur genealogia maiores S. Iosephi recenseri, omnium Patrum, qui hanc quaestionem tractarunt, et plerorumque iuniorum interpretum est sententia; ut autem genealogiarum differentiam explicent, ad matrimonium, quod leviratus appellatur, recurrunt. Deus enim per Moysen praeceperat Iudaeis: « Quando habitaverint fratres simul et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius et suscitabit semen fratris sui et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit (hebr. והיה הבכור אשר תלד יקום על־שם אחיו המת et primogenitus, quem pariet, stabit super nomen, i. e. in nomen et bona succedet, fratris mortui), ut non delcatur nomen eius ex Israel » [12]. Quam ob rem fieri potuit, ut quis duos patres haberet, alterum naturalem, a quo genitus esset, alterum legalem, in cuius nomen et bona succederet; atque id in S. Iosepho accidisse admittunt Patres; Heli nimirum, quem Lucas patrem Iosephi scribit, demortui uxorem secundum leviratus legem nupsisse Iacobo, quem Matthaeus Iosephi patrem nominat. Neque temere id admiserunt, sed antiqua traditione nixi.

Iulius Africanus enim, ineuntis saec. 3. « vir eruditus et inter extera doctrina imbutos illustris, praeter ceteros multos et egregios libros epistolam quoque habet ad Aristidem de putata Evangelistarum circa Christi genealogiam discrepantia » [13], in qua ad « Domini secundum carnem consanguineos » provocat, qui « sive gloriantes (ob generis sui nobilitatem) sive simpliciter rem narrantes, certissime autem verum dicentes » (εἴτε φανητιῶντες, εἴτ' ἁπλῶς ἐκδιδάσκοντες, πάντως δὲ ἀληθεύοντες) haec tradiderunt: Iosephi sc. avus, Mathan, qui a Salomone genus duxit, ex uxore sua Estha genuit Iacobum; post Mathanis autem mortem vidua eius nupsisse fertur Matthat [14] ex eadem familia davidica sed ex stirpe Nathan oriundo atque secundo suo marito peperisse Heli. Iacob ergo et Heli fratres fuerunt uterini, ita tamen ut prior per patrem suum a Salomone, alter a Nathan descenderet. Heli deinde mortuus est uxore sine liberis relicta; quare secundum leviratus legem Iacob, ut fratri suo semen excitaret, viduam assumsit atque ex ea genuit Ioseph, qui proin filius naturalis fuit Iacobi ex posteris Salomonis, legalis autem Heli ex posteris Nathan [15].

Qua Africani sententia, quam reliqui post eum amplexi sunt Patres, sufficiens ratio redditur, cur membra inter Ioseph et Zorobabel alia nominentur a Matthaeo, alia a Luca; quod si vero Evangelistae in Zorobabele eiusque patre Salathiele iterum consentiunt, ac dein Salathiel a Matthaeo filius Iechoniae, a Luca filius Neri appellatur, nihil obstat, quominus ad eandem leviratus legem recurramus [16]. Mirum enim nemini videbitur, quod in decursu decem saeculorum, quae a Davide usque ad Christum defluxerunt, in eadem familia haec lex saepius locum suum habuerit. Christi ipsius enim tempore eam accurate observatam esse docet difficultas, quam Sadducaei Domino N. proposuerunt [17]; quin maiore autem cum sollicitudine a posteris Davidis sit observata, nemo dubitabit, qui magnarum promissionum davidico semini factarum recordatus fuerit.

12. *Deut.* 25, 5. 6. Lege hac fratres uterinos teneri post *Valesium* (Not. ad Eus. H. E. M. 20, 90) multi moderni (ex. gr. *Meyer*. Exeg. Handb. Ed. 5. II. p. 315; *Da-*

ridson Introd. II. p. 20 etc) negant; eam enim de fratre loqui, qui in eadem domo habitet et sit συγγενής, quae competant solis germanis aut consanguineis. At lex allata non loquitur de cohabitatione in eadem domo, sed obligat « si habitaverint fratres simul »; simul autem habitare dicuntur etiam Abraham et Lot (*Gen.* 13, 6); praeterea Booz hac lege tenebatur relate ad Ruth (*Ruth.* 3. 4), quamvis de cohabitatione in eadem domo non sit sermo. Neque fratres συγγενεῖς commemorantur in lege, quamvis etiam dici possit, fratres uterinos communem sanguinis fontem habere saltem in patre matris suae ac proin esse συγγενεῖς. Nec recte obiicitur hac ratione confundi haereditates, nam filii uterini bona paterna haereditabant; quare si quis fratris uterini defuncti semen suscitabat, filius primogenitus bona patris sui *legalis*, in cuius nomen et bona succedebat, sola haereditabat. Demum obiicit *Valesius* l. c., « dubitari posse, num in genealogiis recensendis ratio habita sit patrum *legalium* », e contra *Meyer*, *Davidson* aliique contendunt, legem vetasse, ne patres *naturales* recenseantur. Altera haec sententia evidenter falsa ostenditur ex libro *Ruth* (4, 5. 10. 17. 18), in quo Booz, quamvis pater naturalis tantum esset, in genealogia pater Obed vocatur; prior autem, etsi exemplis erronea ostendi nequeat, ipsa lege inspecta refutatur, quae ideo suscitandum esse defuncti semen praecipit, ne *nomen* eius pereat in Israel. Facile autem concipitur, in texendis genealogiis Iudaeos disertis verbis non expressisse, num quis legalis, an naturalis tantum pater esset.

13. Cfr. *Euseb.* Quaest. evang. ad Steph. 7, et *eiusdem* H. E. I. 7 (M. 22, 965; 20, 89 sqq.); in priori loco initium epistolae invenitur, in altero reliqua pars.

14. *Afric.* l. c. pro Mathat habet Melchi, qui proavus fuit Heli; num haec nominum permutatio lapsui memoriae debeatur, incertum est; etenim *S. Ambr.* (in Luc. III. 15. M. 15, 1594) et *S. Gregor. Naz.* (Carm. 18, 26. M. 37, 482) etiam Melchi dicunt patrem Heli, ita ut in suis codicibus nomina Levi et Mathat non legisse videantur.

15. Secundum hanc sententiam hac ratione conficimus schema genealogicum Christi, in quo lineae plenae designant originem legalem, lineae punctis indicatae originem mere naturalem.



Schemati inseruimus Phadaia, ut 1 *Par.* 3, 15 cum reliquis textibus conciliaremus. Phadaia igitur, secundus Iechoniae filius, pro Salathiele genuit Zorobabel, ita ut duo matrimonia leviratus in duabus generationibus se excipientibus sint admittendae. Ie-

chonias cum vidua Neri genuit Salathiel, Phadaia autem cum vidua Salathielis genuit Zorobabelem. S. Iosephum posuimus tertium filium Iacobi ob expressum Africani testimonium (*Eus.* l. c. M. 20, 93); dubitari vero potest, num Cleophas et Ioachim, quos Africanus non commemorat, Iosephi fratres natu maiores fuerint. Cfr. *Patrizi* De Evang. III. p. 102 sq.

16. *Maldon.* in Matth. 1, 17 censet Iechoniam genuisse Salathielem ex filia Neri, quare « Iechoniae proprie filius, quia ab eo genitus, Neri vero minus proprie, quia filiae eius erat filius »; similem sententiam inter Protestantes *Keil* (in Agg. 1, 1) et alii; at ex matre Iudaei genus non derivarunt. Zorobabel filius Salathielis appellatur non tantum a Luca et Matthaeo, sed etiam Agg. 1, 1 et 1 *Esdr.* 3, 2, at filius Phadaiae 1 *Paral.* 3, 15.

17. *Matth.* 22, 23 sqq. et parall.

Haec autem difficultatis solutio non tantum solido innititur fundamento historico, sed vaticiniis quoque apprime respondet [18]. Namque Davidi quidem a Deo absolute promissum est, ex posteris eius nasciturum Messiam : « Haec dicit Dominus : Si irritum potest fieri pactum meum cum die et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo : et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius » [19]; Salomoni autem eadem promissio non nisi conditionata facta erat : « Sed et de filiis meis, inquit David, elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel. Dixitque mihi : ... et firmabo regnum eius usque in aeternum, *si perseveraverit facere praecepta mea et iudicia, sicut et hodie* » [20]. At nec Salomon nec eius posteri conditionem a Deo appositam impleverunt, quare reiecti sunt : « Haec dicit Dominus : Scribe virum istum (Iechoniam, ultimum regem ex stirpe salomonica) sterilem..., nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David et potestatem ultra habeat in Israel » [21]. Ne tamen David quoque promissione frustraretur, alius ramus familiae eius eligendus erat, ex quo nasceretur Messias, ut stabiliret thronum David in aeternum. Quomodo hoc facturus sit Deus, pulcherrima imagine describit Ezechiel. Aquila enim grandis (rex Babyloniae abstulit verticem cedri (regem Iechoniam) in terram alienam; at ex *eadem* cedro assumsit Deus tenellum surculum plantavitque eum in monte excelso atque crescere eum fecit in arborem magnam, sub cuius umbra *omnes gentes* terrae requiescent [22]. Quemnam autem surculum ex eadem familia David elegerit Deus, nobis primus, qui post exsilium vaticinatus est, Aggaeus manifestat. Etenim Deus si de Iechonia dixerat per Ieremiam : « Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias *annulus* (חותם = signaculum) in dextera mea, inde evellam eum », per Aggaeum alloquens Zorobabelem ait : « In die illa assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi *annulum* (חותם) » [23]. Zorobabel igitur naturalis quidem Iechoniae ex stirpe salomonica, sed legalis Nerii ex stirpe nathanica nepos in iura Davidi promissa restituitur. Quibuscum consonant, quae alter Propheta, qui immediate post exsilium floruit, Zacharias nobis insinuat, ubi planctum describit, qui in morte Messiae sit futurus : « Et planget terra, familiae et familiae seorsum; familiae domus David seorsum et mulieres eorum seorsum; familiae *domus Nathan* seorsum et mulieres eorum seorsum; familiae domus

Levi seorsum et mulieres eorum seorsum; familiae Semei seorsum et mulieres eorum seorsum »[21]. Semei unus est ex iunioribus filiis Levi, pater Levitarum (in oppositione ad sacerdotes, qui a ramo aaronico domus Levi descendebant), et Nathan est filius Davidis iunior. Iam cur solae hae duae familiae minus notae commemorantur? cur non potius domus Aaron et domus Salomonis? Alia non videtur apta ratio dari, nisi duas illas domos esse reiectas, et Nathan praefertur, in cuius posteris tempore Zachariae iam residebant promissiones Davidi et semini eius factae. Hinc ergo duplex illa genealogia. S. Matthaeus Iudaeis conversis Iesum esse Messiam ostendere voluit eique ius ad thronum davidicum competere; ideo *naturalem* Christi originem prosequitur usque ad David et Abraham, ut ita appareat eum per reges Iudaeorum revera descendere ex *semine* David, ex *semine* Abrahae, uti praedictum fuit a Prophetis. Lucas vero, quum ostendere vellet, Iesum esse alterum Adamum, qui venit ut perniciem a primo Adamo in genus universum propagatam auferret novumque fieret generis humani redemti caput, non solum usque ad Adamum ascendit, qui erat filius Dei, id quod proprie multoque sublimiori modo Christo competit, sed *legalem* quoque originem Christi recenset, ut doceat, non sanguinem per se constituere verum filium Abrahae; etenim « non filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine (Rom. 9, 8).

18. Cfr. praesertim *Grimm* Einh. der Evang. p. 737 sqq.
19. *Ierem.* 33, 20. 21; cfr. 2 *Reg.* 7, 9 sqq. etc.
20. 1 *Paral.* 28, 5 sqq.
21. *Ierem.* 22, 30.
22. *Ezech.* 17, 1-23.
23. *Ierem.* 22, 24; *Agg.* 3, 24
24. *Zachar.* 12, 12 sq.

55. — In historia infantiae D. N. quoque SS. Matthaeus et Lucas pugnare dicuntur, quia facta ab alterutro narrata alterius narratione excludantur. S. Matthaeus enim, postquam Dominum N. ex Spiritu S. conceptum indicavit (1, 18), suspicionem somniumque Iosephi narrat statimque addit, eum accepisse coniugem suam (1, 19-25). Deinde nativitate Domini in Bethlehem indicata (2, 1) adventum Magorum, fugam in Aegyptum, caedem infantium, reditum ex Aegypto in Nazareth tradit (2, 2-23). Altera ex parte S. Lucas praeter historiam annunciationis et nativitatis Ioannis B. (1, 5-25. 57-80), satis fuse narrat annunciationem Domini N. (1, 26-38) illique statim iter B. Virginis ad cognatam suam Elisabeth adnectit (1, 39-56). Post S. Ioannis nativitatem refert iter S. Iosephi sponsaeque eius in Bethlehem, nativitatem Domini, adventum pastorum, circumcisionem die octavo, B. Virginis purificationem die quadragesimo (2, 1-38) atque hanc narrationem terminat hisce verbis: « Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth ». Unde aliquae difficultates; nam

1.) interrogant rationalistae, quandonam suspicio illa Iosephi exorta sit, de qua loquitur Matthaeus, num ante iter B. Virginis ad cognatam suam Elisa-

beth, an post illud. Neutrum admitti posse multis verbis demonstrare conantur [1], at utrumque fieri potuisse vix indiget probatione. Etenim immediate post apparitionem Angeli B. Virginem non esse profectam, satis clare indicat Lucas termino suo : « exsurgens autem Maria *in illis diebus* »; S. Ioseph igitur, qui, ut Hieronymi verbis utamur, « paene maritali licentia futurae uxoris omnia noverat » [2], miraculosam ex Spiritus S. virtute factam conceptionem mox cognoscere de eaque turbari potuit. Melius tamen, ut videtur, post B. Virginis reditum S. Iosephum ab Angelo monitum illam in suam domum recepisse statuimus.

Namque praecipua ratio, ob quam adversarii nostri narrationem hanc inter fabulas et mythos relegare volunt, illa est, quod Maria ipsa sponso suo mysterium sibi annuntiatum non revelaverit, ut se ipsam ab infamiae periculo sponsumque a sinistra suspicione liberaret. Cui difficultati plerique quidem cum *S. Chrysostomo* satis apte respondent, praeter verecundiam virginalem etiam suspicionem quandam, num rem tam extraordinariam (πρᾶγμα ξένον, manifestans fidem apud sponsum suum sit inventura, Mariam ab hac manifestatione retinuisse [3]. At alteram longe aptiorem et probabiliorem explicationem addamus [4]. Supponamus igitur B. Virginem mox post Angeli apparitionem ad Elisabeth cognatam suam esse profectam atque verba S. Matthaei accurate perpendamus : « inventa est in utero habens de *Spiritu S.* », i. e. non tantum eam concepisse, sed *eam miraculoso modo ex operatione Spiritus S. concepisse* apparuit [5]. Profecto postquam Maria ab Elisabeth salutata est « mater Domini », postquam ipsa sublimi suo cantico « magna, quae ipsi fecit, qui potens est » aperte est professa, postquam miracula in nativitate Ioannis B. facta super omnia montana Iudaeae sunt divulgata, quomodo Iosephum magnum hoc mysterium latere potuit, sive a sponsa sua sive ab Elisabeth et Zacharia id audivit? Quare, « quum esset iustus », nec potuit nec voluit illam velut adulteram traducere, id quod facere debuisset, si ream eam esse putasset [6], at timuit quoque, ne eam in domum suam reciperet; parum enim videbatur decere, ut illa, quam Elisabeth « matrem Domini sui » salutaverat quamque ipse quoque tamquam matrem Domini sui venerari debebat, ab hominibus uxor ipsius, et filius, quem paritura erat, i. e. Dominus ipse, filius ipsius esse putaretur. Ideo « voluit occulte dimittere eam ». i. e. clam ab ea recedens Deo, qui miraculum hoc in sponsa sua patraverat, rem totam committere. Quae cogitanti apparuit Angelus, qui mysterium, quod eousque humanis tantum testimoniis cognoverat Ioseph, confirmans eum a timore suo liberavit magno honore, qui ipsi a Deo in hoc mysterio destinatus erat, revelato. « Noli timere accipere Mariam coniugem tuam »; ipse enim Deus hoc tibi ius concedit, quia ipse solus illud concedere potest : « quod *enim* in ea natum est, de Spiritu S. est »; nullus igitur homo ullum habet ius in puerum illum, qui nasciturus est, Deus autem suum ius tibi confert : « vocabis nomen eius Iesum ». Patris enim est nomen filio imponere, ideoque velut legalis pater ab Angelo agnoscitur et tamquam verus B. V. maritus, quum « coniugem suam » in domum recipere iubeatur. Hac ratione optime inter se conveniunt Evangelistae, quum alteruter ea, quae in alterius narratione desiderantur, suppleat.

1. Cfr. inter alios *Schleiermacher* Ueber die Schriften des Lucas p. 42 sqq.; *Strauss* Leben Iesu I. p. 163-172; *Meyer* Exeget. Handb. Ed. 5. II. p. 253 etc.

2. *S. Hier.* in Matth. 1, 18 (M. 26, 24).

3. *S. Chrys.* in Matth. hom. 4, 4 (M. 26, 44 sqq.) : « Putabat enim (Maria) se rem extraordinariam narrantem apud sponsum fidem non esse inventuram, imo timuit, ne illum in iram concitaret, quasi peccatum commissum tegens. Si enim ipsa, quae tantam gratiam perceptura erat, aliquid humani passa est (ἀνθρώπινόν τι πάσχει) et dixit : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? multo magis ille dubitasset, praesertim si illud audisset a muliere hinc sibi suspecta ». Opus vix est, ut moneamus haec S. Chrysostomi verba interpretatione *benigna* indigere; suo enim « humani aliquid passa est » in anima B. Virginis dubitationem videtur statuere, quae ab omni culpa non fuerit libera. At eam S. Doctoris mentem non fuisse certissimum est; cum reliquis enim Patribus procul dubio censuit ne levissimam quidem culpam unquam in Maria adfuisse, id quod divina traditione nixa Ecclesia diserte docet.

4. Hanc sententiam *Salmer.* Comm. in evang. hist. tr. 30 (Opp. Coloniae III. p. 237 sq.) iam Patrum ([Ps.] Orig., [Ps.] Basil., Theoph., S. Bern.) et interpretum (Rich. Vict., Gers., Cathar., Eck.) testimoniis corroborat; cfr etiam *Barad.* in Concord. evang. (Lugduni 1606. I. p. 309). Ex modernis eam adoptarunt *Grimm* (Leben Iesu. 1876. I. p. 218 sqq.) et *Knabenb.* (Stimm. a. M. Laach. 1877. XII. p. 223 sq.). At hic postea eam reliquit; cfr quae contra eam disputat in Comm. in Matth. 1892. I. p. 50 sqq., una cum *Flunk* in Innsbr. Theol. Zeitschr. 1888. p. 681 et *Keppler* in Tüb. Quartalschr. 1889. p. 558 sqq.

5. Plerique illud « *ex Spiritu S.* » aut proleptice aut ad dictum emolliendum insertum censent; sed cur illud a tota sententia avellatur, nulla est ratio.

6. Monet iam *S. Hier.* in Matth. 1, 19 : « Et in Lege praeceptum est, non solum reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccati ». *Lev.* 5, 1 etc. Cfr. *Prov.* 18, 22. « qui tenet adulteram, stultus est et *impius* » (Versus hic deest quidem in text. hebr., exhibetur autem ab alexandrina et vulgata verss.).

2.) Alteram difficultatem creat adventus Magorum; quaeritur enim, num ante praesentationem in templo advenerint an post illam; si prius dicitur, illa, quae Matthaeus de fuga in Aegyptum et de caede infantium refert, aptum locum non habent; sin alterum, videtur contradicere Lucas, qui statim post praesentationem familiam sanctam in Galilaeam in civitatem suam Nazareth profectam esse scribit, dum Matthaeus eam ab Angelo monitam post reditum ex Aegypto ibi domicilium fixisse dicat [7]. Interpretes, ut has difficultates solvant, in varias abeunt sententias, ex quibus eam solam proponemus, quae facilius nodum solvit magisque cum Patrum explicationibus consentit.

Constantem quidem Patrum traditionem de tempore adventus Magorum non habemus; *S. Augustinus* enim iam tertio decimo post Domini nativitatem die Magos advenisse, quadragesimo die Dominum in templo esse praesentatum ac tum demum Angelum Iosephum monuisse censet, ut cum puero et matre eius in Aegyptum fugeret [8]; at sententia haec, quae non parvis difficultatibus laborat, a plerorumque aliorum opinione dissentit, qui Magos non nisi biennio post Domini nativitatem advenisse tradunt [9]; quam in antiqua Ecclesia communiorem fuisse docent antiquae imagines, quae omnes in pastorum adoratione puerulum Iesum pannis involutum, in adoratione autem Magorum eundem iam grandiusculum exhibent [10].

Qua admissa traditione narrationum evangelicarum perfecta harmonia fa-

cillime stabilitur. Quadragesimo enim post nativitatem die Dominum in templo praesentarunt parentes eius et immediate postea in Galilaeam in civitatem suam Nazareth reversi sunt, uti refert S. Lucas. At in Nazareth sedem suam retinere noluerunt, sed rebus suis ibi compositis transmigrarunt in Bethlehem; namque « Bethlehem, regale oppidum Iosepho pro habitatione placebat, quia illum locum iam reputabat sanctificatum nova nativitate novi regis, nec debere puerum Iesum alio in loco educari, quam ubi natus erat » [11]. Bethlehemi igitur, fortassis ipso nativitatis die post annum redeunte, Magi Dominum N. invenerunt et adoraverunt; eadem vero nocte, quum Ierosolyma, ubi Herodes redeuntes Magos exspectavit, Bethlehem sint vicinissima, et ipsi et S. Ioseph cum filio et B. Virgine ab Angelo admoniti fugam arripuerunt. Paucis autem diebus post, quum illusum se videret a Magis, rex « occidit omnes pueros a bimatu et infra, secundum tempus (stellae), quod exquisierat a Magis ». Paullo post mortuus est Herodes et Ioseph iterum ab Angelo admonitus ex Aegypto reversus sedem Bethlehemi quidem figere voluit, sed audiens quod Archelaus regnaret pro patre eius in Iudaea, edoctus ab Angelo veniens habitavit in Nazareth.

Qua explicatione Evangelistarum verbis vis nulla infertur, nec quidquam supponitur, quod in ipsis narrationibus non indicetur. Quod si enim sacra familia post praesentationem a Nazareth in Bethlehem reversa ibi sedem suam elegisse dicitur, id satis clare a S. Matthaeo indicatur. Etenim quum ab Angelo iussus in Palaestinam reverteretur, S. Ioseph ab eodem debuit moneri, ne in Iudaeam iret, sed in Galilaeam; atqui nec timoris S. Iosephi nec admonitionis Angeli ratio apta datur, nisi admittatur, intermedio illo tempore inter nativitatem Domini et fugam in Aegyptum s. familiam sedem suam ex Galilaea in Iudaeam, ex Nazareth in Bethlehem transtulisse [12]. Neque mirandum est, quod integrum annum inter nativitatem et Magorum adventum effluxisse dicamus. Etenim Herodes, qui « diligenter a Magis didicerat tempus stellae », omnes pueros « a bimatu et infra » occidi iussit; duobus igitur fere annis ante puerorum occisionem apparuerat stella. Haec est ratio, ob quam Patres supra allegati Magos non nisi biennio post nativitatem advenisse dixerunt; at magna cum veri similitudine asseri potest, Herodem, ut securior esset, aliquos menses ad tempus, quod Magi indicarant, adiecisse; neque veri similitudine caret, quod *S. Iustinus* refert stellam ἅμα τῷ γεννηθῆναι αὐτὸν apparuisse, i. e. eo statim tempore, quo Verbum per operationem Spiritus S. ex B. Virgine carnem assumsit [13]. Quare quum advenirent Magi, annus fere et novem menses post incarnationem effluxerant, si cum Papebrochio statuamus, ipso nativitatis die anni insequentis eos advenisse; eodem enim die, quo Nativitatem Domini, etiam Magorum adventum hodie adhuc celebrat Ecclesia orientalis et olim videtur celebrasse Ecclesia occidentalis [14]. Sed quidquid est de *die* adventus Magorum, omnia illa, quae refert S. Matthaeus 2, 1-23, procul dubio inserenda sunt in tertio Evangelio inter 2, 39 et 2, 40 [15].

7. Cfr. *Strauss* Leben Iesu I. p. 283 sqq.; *Meyer* Exeg. Handb. II Ed. 5. I. p. 82.
8. *S. August.* de cons. Evang. II. 5 (M. 34, 1079. 1083).
9. *Euseb.* Quaest. evang. ad. Steph. (M. 22, 933); *S. Epiph.* haer. 51, 9 (M. 41, 904);

Iuvenc. Hist. evang. I. 259 (M. 19, 95); *S. Hier.* Chron. Eus. ad a. 3. (M. 27, 562) etc.

10. De antiquis imaginibus graecis cfr. *Papebroch.* in Act. Sanct. Propyl. Maii p. 25; de reliquis antiquis imaginibus cfr. *Garrucci* Storia dell' arte christiana I. p. 363 sqq.; *Lehner* Marienverehrung in den ersten Iahrhunderten. Leipzig 1880. p. 334 sq.

11. *Estius* in Matth. 2, 1; cfr. *Grimm* Leben Iesu I. p. 329.

12. *Estius* l. c. « Quid opus erat, ut Ioseph ex Aegypto reversus iret in terram Iuda, videlicet in Bethlehem (illuc enim iturus erat, nisi audivisset Archelaum filium Herodis illic regnare pro patre suo) ac non potius iret in Nazareth civitatem Galilaeae, quod ut faceret, monendus erat ab Angelo? » etc.

13. *S. Iustin.* c. Tryph. 106 (M. 6, 724).

14. Hodie quoque in tertia missa diei Nativitatis legitur evangelium de adoratione Magorum.

15. Simili modo, quo *Act.* 9. inter v. 21 et v. 22. inserendum est iter arabicum S. Pauli (Gal. 1, 17). Cfr. quae supra de hoc narrandi modo S. Lucae diximus (43. n. 4. p. 161).

CAPUT III.

DE QUARTO EVANGELIO EIUSQUE CUM SYNOPTICIS HARMONIA.

§ 7. — *De Evangelio S. Ioannis seorsim spectato.*

Quaestio I. — De S. Ioannis Apostoli et Evangelistae vita.

56. — S. Ioannes, cui inscriptio quartum Evangelium attribuit, filius fuit Zebedaei, piscatoris cuiusdam satis divitis, et Salomes, unius ex piis illis mulieribus, quae Dominum in eius peregrinationibus secutae cum B. Virgine iuxta crucem steterunt ideoque postea resurrectionis dominicae primum nuntium ab Angelo recipere meruerunt[1]. Cum fratre Iacobo Mai. patrem in piscatoria exercenda adiuvabat Ioannes, intimaque amicitia cum Simone Petro et Andrea erat coniunctus. Antequam a Domino ad eius sequelam vocaretur, Ioanni Bapt. videtur adhaesisse; eum enim unum ex duobus discipulis fuisse, qui a magistro suo edocti primi Dominum secuti sunt, antiquorum et modernorum interpretum sententia est verisimillima[2]. Ad arctiorem vero Christi societatem vocatus et inter Apostolos adoptatus una cum fratre suo Iacobo immediate post Petrum et Andream omnia statim reliquit, ut totum se Domino daret; in Apostolorum catalogis secundo vel tertio vel quarto loco recensetur[3].

Prae reliquis omnibus Apostolis singulari caritate a Domino est dilectus. Solus cum Petro et fratre suo Iacobo adhibitus est testis, quum Dominus filiam Iairi resuscitaret, in monte transfiguraretur, in horto pateretur agoniam; simili modo, quo Petrus, ipse quoque cum fratre suo nomine novo a Domino est insignitus : « et imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui »[4]. Una cum Petro missus est, ut ultimum pascha pararet; sed solus in ultima coena, utpote « discipulus quem diligebat Iesus », « in sinu eius » recubuit, ὁ ἐπιστήθιος eam ob causam a Patribus cognominatus. Dilectione autem dilectionem rependebat; aliis enim discipulis in horto fugientibus ipse cum Petro Dominum usque in atrium summi sacerdotis secutus est, et solus ex omnibus Apostolis sub cruce Domini stans dignus est habitus, cui matrem suam Dominus moriens commendaret[5]. Resurrectionis dominicae primo nuntio accepto cucurrit cum Petro ad monumentum et primus Dominum resurrexisse credidit; quare etiam eius oculi aperti sunt, ut Domi-

num, quum discipulis suis ad lacum Genesareth sese manifestaret, primus cognosceret[6].

Post Spiritus S. adventum S. Ioannes cum Petro primas partes in fundanda Ecclesia habuit. Petro adfuit, quum hic claudum ad portam templi speciosam sanaret; cum Petro primus carcerem passus est propter nomen Domini; cum eodem Samariam missus est, ut neophytis manuum impositione Spiritum S. darent. Quando Paulus Ierosolyma venit, ut Evangelium suum cum Apostolis conferret, Ioannes cum Petro et Iacobo Min., fratre Domini, « columnae Ecclesiae » erant[7]. Quamdiu in Palaestina remanserit, cum certitudine definiri nequit; Paulus, quum a. 55. ex secundo et a. 59. ex tertio itinere apostolico Ierosolyma rediret, Ioannem in civitate sancta non amplius videtur invenisse; quare inter a. 52. et 55. eum ex Palaestina ad alias gentes convertendas esse profectum censemus[8]. « Propter verbum Dei et testimonium Iesu » in insulam, quae appellatur Patmos, relegatus futura Ecclesiae fata videre meruit; redux autem praefuit ecclesiis Asiae[9].

1. *Marc.* 1, 19. 20 (« relicto patre suo Zebedaeo in navi *cum mercenariis* »); *Marc.* 15, 40 sq.; 16, 1.

2. Amicitiae Petri et Ioannis documentum in eo habere censemus, quod inter Synopticos Marcus longe frequentius, quam reliqui, Ioannem commemorat. *Ioan.* 1, 35 sqq. cum Andrea Ioannem secutum esse Dominum suspicantur *S. Chrys.* in Ioan. hom. 18, 3 (M. 59, 117), *S. Epiph.* haer. 51, 14 (M. 41, 916), *nonnulli* apud *Theophyl.* i. h. l. (M. 123, 1180) etc; moderni interpretes plerique absolute fere id asserunt, neque immerito, si attenditur, Ioannem in toto Evangelio suum nomen occultasse.

3. Secundo loco ponitur *Act.* 1, 13, tertio *Marc.* 3, 17, quarto *Matth.* 10, 3; *Luc.* 6, 14.

4. *Marc.* 6, 34; 9, 1; 14, 33; — *Marc.* 3, 17. Quandonam Dominus nomen hoc novum filiis Zebedaei imposuerit, ignoramus; parum enim eorum sententia nobis probatur, qui post illud factum, quod *Luc.* 9, 52-56 commemoratur, Dominum eis hoc nomen dedisse censent (*Keil* Comm. über das Evang. des Ioannes Leipzig 1881. p. 2 etc); ibi enim increpantur a Domino, nomen autem hoc a Marco velut praecipui honoris signum commemoratur. Nomen Boanerges *S. Hier.* (in Dan. 1, 7. M. 25, 497) a librariis corruptum legendumque esse censet Benereem (בני רעם); at recte se habet, si a vocalibus abstrahimus בני רגש (bnai regésch); radix enim רגש syriaca « tumultuatus est », correspondet arabicae radici *radschasa* « tonuit ».

5. *Ioan.* 18, 15; 19, 26.

6. *Ioan.* 20, 1-8 « Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit *et credidit* »; Ioan. 21, 7.

7. *Act.* 3, 1 sqq.; 4, 3; 8, 14; *Gal.* 2, 9.

8. *Act.* 18, 22; 20, 16.

9. *Apocal.* 1, 9 sqq.

57. — Quibus ex S. Scriptura desumtis illa addamus, quae traditio nobis de S. Ioannis vita conservavit. Ex illa igitur haurimus, Apostolum ultimos vitae suae annos in Asia Minore degisse Ephesique residentem

ecclesias asiaticas rexisse; ab imperatore quodam romano in insulam Patmum relegatum vidisse mysteria illa, quae in Apocalypsi Ecclesiae tradidit, post persecutoris autem mortem Ephesum reversum ecclesiarum asiaticarum gubernatione iterum suscepta scripsisse Evangelium suum; Ephesi quoque senem fere centenarium sub Traiano imperatore vitam sanctam sancta morte terminasse. Quae quum omnia a modernis hypercriticis in dubium vocentur, testimoniis Patrum sunt confirmanda et ab adversariorum obiectionibus vindicanda.

Tertullianus auctor est, Apostolum Romae in oleum igneum immersum, sed nihil laesum in insulam esse relegatum[1]. De quo romano quidem martyrio silent reliqui Patres praeter S. Hieronymum iunioresque, qui illud a Tertulliano mutuati sunt; sed eum ab imperatore quodam romano in insulam Patmum fidei causa esse relegatum, tradunt *S. Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, Victorinus Petav., Eusebius, S. Hieronymus, S. Epiphanius* alii[2]. Quisnam vero imperator ille fuerit, non consentiunt. *S. Epiphanius* Claudii tempori (41-54) exsilium Apostoli assignat; eum vero hac in re errasse, luce clarius apparet ex eo, quod vix viginti annis post Domini mortem Ioannem iam nonagesimum vitae annum egisse supponere cogatur Epiphanius[3]. Multi tempore Neronis (54-68) eum Patmum relegatum esse censent ad Tertullianum provocantes, qui Ioannis confessionem cum Petri Paulique martyrio coniunxisse videatur; de tempore autem exsilii nihil certi quidem tradit, sed Domitiani potius, quam Neronis persecutionem videtur designare Tertullianus[4]. Quare cum Eusebio et Hieronymo Domitiani (81-96) persecutioni relegationem illam adscribamus oportet; *S. Irenaei* enim disertis verbis haec sententia fulcitur, qui Apocalypsin « non ante longum temporis spatium, sed fere suis diebus sub finem imperii Domitiani » visam esse asserit; iam vero Irenaei, qui per Polycarpum mediatus fuit Ioannis discipulus, testimonium in hac quaestione nequit repudiari. Domitianum autem a. 15. imperii sui Ecclesiam esse persecutum, teste *Eusebio* « scriptores etiam a nostra religione alienissimi » memoriae tradiderunt[5].

Ut autem Ioannem Apostolum auctorem esse Apocalypseos facilius negarent, moderni quidam rationalistae traditionem hanc de Ioannis exsilio negare coeperunt : Hegesippum enim, cuius relationem de Domitiani persecutione Eusebius afferat, de martyrio illo prorsus silere dicunt, reliquos Patres inter se dissentire atque relegationem illam inventam tantum esse, ut Apoc. 1, 9. explicaretur[6]. Optima procul dubio argumenta! Hegesippi igitur silentium contra nos affertur, ac si integram persecutionis Domitiani historiam scripsisset illaque integra ad nos pervenisset, quum tamen illam persecutionem commemorans Eusebius nihil aliud tradat, nisi Hegesippum quoque narrare Domitianum

omnes, qui a Davide generis sui originem ducerent, interfici iussisse, aliquibus autem posteris Iudae « fratris Domini » vitam condonasse, quia « vilitatem istorum hominum esset aspernatus »[7]. Dissentire dicuntur Patres, quia Clemens Alex. et Origenes persecutoris nomen sileant, Tertullianus Neronem, Eusebius et Hieronymus cum Irenaeo Domitianum, Epiphanius Claudium nominent. Re autem vera solus dissentit Epiphanius, uti diximus; eius vero, utpote multo iunioris testis, dissensus difficultatem non creat, quum in solo tyranni nomine memoria lapsus sit dicendus. Quam parum demum ad Apocalypseos versum explicandum Tertullianus, Clemens Alex., Origenes illam traditionem afferant, eorum verba, quae adscripsimus, demonstrant; neque illud est omittendum, duos Alexandrinos, ut testimonium suum corroborent, ad certam traditionem provocare

1. *Tertull.* de praescr. 36 (M. 2, 49) : « Ista quam felix ecclesia (sc. romana) cui totam doctrinam Apostoli una cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Ioannis (Bapt.) exitu coronatur, ubi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur ». S. *Hier.* c. Iovin. I. 26 (M. 23, 259) : « Refert Tertullianus, quod Romae missus in ferventis olei dolium purior et vegetior exierit, quam intraverit ». Apocryphae περίοδοι Ἰωάννου et Ps. Abdias *Ephesi* Ioannem in oleum fervens immissum referunt. Cfr. *Knabenbauer* in Innsb. Theolog. Zeitschrift. 1884. p. 805.

2. *S. Iren.* c. haer. V. 30 (M. 7, 1207); *Clem. Alex.* Quis dives salv. 42 (M. 9, 648) : « Ut autem magis confidas, modo vere poenitueris, certam tibi salutis spem manere, audi fabulam, quae tamen fabula non est sed vera narratio de Ioanne Apostolo tradita et memoriae studiose commendata (ἄκουσον μῦθον, οὐ μῦθον ἀλλὰ ὄντα λόγον, περὶ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου παραδεδομένον καὶ μνήμῃ πεφυλαγμένον). *Quum enim post tyranni obitum e Patmo insula Ephesum rediisset*, vicinas quoque gentes visebat » etc. Etsi Clemens nomen tyranni silentio premat, Eusebius tamen hunc locum referens (H. E. III. 23. M. 20, 357) Domitianum designari putat. *Orig.* in Matth. t. XVI. 6 (M. 13, 1385) : « Romanorum imperator, quemadmodum perhibet traditio (ὡς ἡ παράδοσις διδάσκει), Ioannem veritatis verbum testimonio suo comprobantem in Patmum insulam relegavit ». *S. Victorinus Petav.*, qui in Diocletiani persecutione a. 303 coronam martyrii obtinuit cuiusque scholia in Apoc. antiquissima sunt, quae ad nos pervenerunt, variis in locis Domitiano relegationem Ioannis adscribit. In *Apoc.* 10, 11 (M. 5, 333) : « Hoc dicit, propterea quod quando haec Ioannes vidit, erat in insula Patmos in metallo damnatus a Domitiano Caesare. Ibi ergo vidit Apocalypsin. Et quum iam senior putaret se per passionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano omnia iudicia eius soluta sunt. Et Ioannes de metallo dimissus » etc. In *Apoc.* 17, 10 (M. 5, 338) : « Intelligi oportet tempus, quo scripta Apocalypsis edita est; quoniam tunc erat Caesar Domitianus » etc. *Euseb.* H. E. III. 18 (M. 20, 252) : « In hac (Domitiani) persecutione Ioannes Apostolus et Evangelista, qui etiam tum in vivis supererat, ob testimonium, quod divino Verbo perhibebat, in insulam Patmum relegatus esse traditur » (ὁ λόγος κατέχει) et in confirmationem affert Irenaei testimonium; *S. Hier.* c. Iovin. I. 26 (M. 23, 247) : Ioannes fuit « propheta; vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat a Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsin infinita mysteria continentem »; cfr. de vir. ill. 9 (M. 23, 625), in Eus. Chron. ad Domitiani an. 14 (M. 27, 602) etc.

3. *S. Epiphan.* haer. 51, 12. 33 (M. 41, 909. 949) : « Spiritus Sanctus Ioannem... ad scribendum Evangelium impulit provecta iam aetate, quippe qui nonagesimum vitae suae annum iam excederet, post eius reditum ex Patmo sub Claudio Caesare ».

4. Si *Tertull.* de praescr. 36 verba mox allegata cum iis conferimus, quae in Apologet. 5 (M. 1, 292 sq.) de Neronis et Domitiani persecutionibus retulit, non immerito concludimus non Neronis sed Domitiani aetati exsilium Ioannis ab eo attribui. Etenim « Nero in hanc sectam... *Caesariano gladio ferocisse* » dicitur; at « Domitianus, *portio* Neronis de crudelitate, sed qua *et homo* facile coeptum repressit restitutis etiam *quos relegaverat* ». Nero igitur Christianos occidit, Domitianus autem Nerone mitior (« portio » enim dumtaxat « Neronis de crudelitate » dicitur atque « qua et homo » *belluae* Neroni opponitur) poenas impositas interdum commutavit Christianosque condemnatos *relegavit*.

5. *Euseb.* H. E. III. 18.

6. *Credner.* Einl. p. 217; *Bleek-Mang.* Einl. p. 170 sq.; *Reuss* Gesch. d. N. T. Ed. 6. 1887. p. 246 : « Das Exil von Patmos stützt sich auf falsche Auslegg von *Apoc.* 1, 9 »; *Meyer-Weiss* Comm. II. Iohannes. Ed. 8. 1893. p. 2 : « Die Tradition von seiner Verbannugn beruht auf Missverständniss von *Apoc.* 1, 9 »; etc.

7. *Euseb.* Hist. eccles. III. 20 (M. 20, 252 sqq.).

At non solum Apostoli exsilium inter fabulas reiicitur, sed negatur quoque eum unquam in Asia Minore sedem suam habuisse. Quo quidem tempore Ephesum pervenerit, quum nihil hac de re antiqui Patres tradiderint, incertum est, at eum per sat multos annos ecclesias asiaticas rexisse, tot testimoniis historicis demonstratur, ut merito mireris audaciam hypercriticorum illorum, qui id non tantum addubitare sed propalam negare non erubuerunt [8].

Primus et gravissimus iterum nobis testis est *S. Irenaeus*, qui frequentissime de asiatico Ioannis Apostoli ministerio loquitur. Ut condiscipulum suum Florinum, qui gnosticae haeresi sese dederat, ab erroribus illis averteret, illa, quae a Polycarpo audierat, in memoriam ei revocans : « Haec dogmata, inquit, presbyteri, qui ante nos fuere Apostolorumque discipuli exstitere, tibi non tradiderunt. Vidi enim te, quum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, quum in imperatoria aula splendide ageres et illi te probare conareris. Nam ea, quae tunc gesta sunt melius memoria teneo, quam quae nuper acciderunt, adeo ut locum dicere possim, in quo sedens beatus Polycarpus disserebat... et quomodo *familiarem consuetudinem, quae illi cum Ioanne et reliquis, qui Dominum viderant, intercessit*, et dicta eorum commemoraret ». Ne quis vero dubitat, num in Asia Polycarpus Ioanne Apostolo familiariter sit usus, Irenaei libros contra haereses inspiciat; etenim « omnes, inquit, presbyteri testantur, *qui in Asia cum Ioanne Domini discipulo* convixerunt, haec Ioannem tradidisse; mansit enim cum illis usque ad Traiani tempus »; et iterum : « Ioannes discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbebat, edidit Evangelium *Ephesi Asiae commorans* »; et iterum : « Sed et quae est Ephesi ecclesia a Paulo qui-

dem fundata, *Ioanne autem permanente apud eos usque ad Traiani tempora,* testis est verus Apostolorum traditionis », et ad Victorem Summum Pontificem scribens de die paschatis celebrando : « Neque Anicetus, inquit, Polycarpo persuadere unquam poterat, ut non observaret ea, quae cum Ioanne, Domini discipulo aliisque Apostolis, quibuscum convixit, semper observaverat »[9]. — Ad eundem Victorem de eadem paschatis quaestione scribens *S. Polycrates* Ephesi episcopus, qui septem consanguineis episcopis eiusdem ecclesiae se octavum accessisse gloriatur, etiam ad Apostolorum, qui in Asia vixerunt, exemplum provocat; inter quos post Philippum, unum ex duodecim, qui mortuus est Hierapoli, nominat « Ioannem, qui in sinu Domini recubuit et pontifex eius fuit, auream laminam in fronte portavit, martyr et doctor fuit, qui Ephesi sepultus est »[10]. Tertius eiusdem aetatis et regionis testis est *Apollonius,* Montanistarum adversarius strenuus, qui a Ioanne Ephesi mortuum per divinam potentiam ad vitam esse resuscitatum narravit[11]. Quibus praeter *Clementem Alex.,* cuius testimonium supra iam attulimus, omnes illos adnumeremus oportet, qui Apocalypsin ab Apostolo Ioanne scriptam esse tradiderunt; epistolae enim ad septem Asiae ecclesias evidenter supponunt, auctorem gubernationem earum in manibus tenere; atqui usque ad *S. Dionysium Alex.,* i. e. usque ad medium saec. 3., non invenitur scriptor ecclesiasticus, qui Ioanni Apocalypsin abiudicaverit, quam plurimi autem, qui disertis verbis illam Ioanni auctori attribuunt; ex quorum numero *S. Iustinum M.* nominasse sufficit. Ephesi enim cum Tryphone Iudaeo disputans « *apud nos,* inquit, vir nomine *Ioannes, unus ex Apostolis Christi,* in apocalypsi ipsi facta mille annos Ierosolymis traducturos praedixit eos, qui Christo nostro crediderunt » etc[12].

8. *Lützelberger* Die kirchl. Tradition über den Apost. Ioan. und s. Schriften in ihrer Grundfosigkeit nachgewiesen. Leipz. 1840; *Th. Keim* Geschichte Iesu von Nazara 1867. I. p. 161 sqq., III. p. 44; *Scholten* Der Apostel Iohannes in Kleinasien. 1872; *Holtzmann* in Schenkel Bibellexicon III. p. 332 sqq. et Einl. Ed. 2. 1886. p. 482 sqq. aliique. *Renan* (L'Antechrist, 1873. p. 558 sqq.) rem in dubio relinquit. — Quem errorem ex acatholicis impugnarunt *Bleek-Mang.* Einl. Ed. 4. 1886. p. 266 sqq., *Keil* Comm. z. Iohannesevang. 1881. p. 7 sqq., *Meyer-Weiss* Exeg. Comm. II. Ed. 8. 1893. p. 3 sqq. etc. Ipse quoque *Davidson* (Introd. II. p. 324), fatetur : « Lützelberger et Keim push their scepticism too far in denying Iohn's residence in Asia Minor ». — Sed quid non faciunt « critici », ut librorum sacrorum authentiam negent?

9. *S. Iren.* ad Florin. fragm; c. haer. II. 22; III. 1. 3; ad Vict. fragm. (M. 7, 1228. 785. 845. 853. 1229 sq.).

10. *S. Polycrat.* apud *Eus.* H. E. V. 24 (M. 20, 493); cfr. *S. Hier.* de vir. ill. 45 (M. 23, 687.)

11. *Euseb.* H. E. V. 18 (M. 20, 480).

12. *S. Iustin.* c. Tryph. 81 (M. 6, 669). Alia testimonia de Ioanne Apostolo Apocalypseos auctore afferre supersedemus, quum infra (236 sqq.) haec quaestio recurrat.

Cui testium nubi, quibuscum iuniores Patres omnes consentiunt, adversarii nostri alios eosque maioris auctoritatis opponere se posse arbitrati sunt. Quid, quod ex ipsa Scriptura demonstrare volunt, Ioannem mortuum esse, antequam Ephesum venire potuerit? Quum enim Apocalypsis scriberetur, *omnes* Apostolos iam vita functos esse ex eo colligunt, quod « coelum et Sancti, *Apostoli* et Prophetae exsultare iubeantur, quoniam magnam Babyloniam Deus iudicaverit », quodque in duodecim fundamentis novae Ierusalem scripta sint nomina duodecim Apostolorum [13]. Quis vi huius argumenti attonitus non stupuerit? At *Georgius Hamartolus*, inquiunt, saec. 9. chronographus, ex Papiae libris testimonium affert, Ioannem a Iudaeis esse occisum. Id quidem verum est; minime autem dicit, eum in Palaestina esse occisum, sed contrariam sententiam secutus eum post reditum ex insula Patmo Ephesi a Iudaeis martyrium perpessum esse tradit [14].

En omnes eorum testes loquentes; quibus, quum solos non sufficere viderent, tacentes addunt. S. Ignatius enim ad Ephesios scribens, quamquam Pauli, per quem eorum ecclesia gloriam assecutus sit, mentionem facit, Ioannem, qui tot annos inter eos vixisse dicitur, prorsus tacet; idemque in sua ad Trallianos epistola se non esse Apostolum, sicut Petrus et Paulus, confitens Ioannem iterum praetermittit. Item S. Polycarpus in sua ad Philippenses epistola Paulum, sed non Ioannem, nominat; Papiam quoque, Hegesippum, Iustinum nihil nobis de ephesina commoratione Ioannis tradere asserunt [15]. Singula paucis illustremus. Ad Ephesios haec scribit S. Ignatius : « Transitus estis eorum, qui ita interficiuntur, ut ad Deum veniant; Pauli consacerdotes, qui sanctificatus martyrium consecutus et digne beatus est, ad cuius vestigia contingat mihi, ut inveniar, quando Dei particeps fio » [16]. Luce clarius est, S. Martyrem ad ea, quae *Act.* 20, 17 sqq. narrantur, allusisse; at eo modo, quo Paulus, Ioannes per Ephesum non transivit, quapropter Ignatius, qui etiam per Ephesum ad martyrium properavit, Pauli quidem, sed non Ioannis mentionem facere potuit. Illa, quae ex epistola ad Trallianos afferuntur, in longiore dumtaxat recensione habentur, quam hodie omnes (atque imprimis rationalistae, nisi eorum testimonio veritatem aliquam destrui posse arbitrantur) spuriam esse concedunt [17]. S. Polycarpus in sua epistola Philippensibus in memoriam revocat, quod Paulus inter illos laboraverit; quis ibi Ioannis, qui Philippis nunquam fuit, nomen exspectaverit [18]? Ad Papiam quod attinet, adversarii nostri sub certo respectu Eusebii auctoritatem invocare queunt, quippe qui neget hierapolitanum episcopum auditorem Ioannis Apostoli fuisse; at non tantum Eusebius sibi ipse contradicit, quum alio in loco contrarium asserat, sed contra eum etiam testantur Irenaeus, Hieronymus, Anastasius Sinaita, Maximus Confessor; imo Papias ipse, si verba eius, quae Eusebius nobis conservavit, recte explicantur, se Ioannis auditorem prodit [19]. Hegesippi demum aliorumque, quotquot afferre volunt, silentium eo solo in casu aliquid demonstraret, si omnia eorum opera ad nos pervenissent illosque integram Ioannis vitam nobis tradere voluisse constaret.

13. *Apoc.* 18, 20; 21, 14; *Keim.* l. c. p. 156. 160; *Holtzmann* l. c. 334.

14. *Georgii Harmat.* testimonium primus publici iuris fecit *Nolte* in Tüb. Quar-

talschr. 1862. p. 453; illud recepit *Funk* Patres apost. II. p. 294. : « Post Domitianum regnavit unum annum Nerva, qui Ioannem ex insula revocatum Ephesi habitare permisit; solus tunc vita supererat ex duodecim discipulis et conscripto Evangelio, quod est secundum ipsum, martyrio dignus factus est. Papias enim Hierapolitanus, testis ocularis, in secundo Dominicorum oraculorum libro dicit eum a Iudaeis interfectum esse; ita ut profecto cum fratre praedictionem a Christo de ipsis factam compleret » etc. Utrum hoc Papiae testimonium sit genuinum et integrum necne, parum interest; si genuinum et integrum est, patet martyrium, cuius testis ocularis fuit Papias, in Palaestina non esse factum, sed Ephesi; unam autem testimonii partem admittere, alteram autem aeque claram reiicere arbitrarium est; Iudaeos extra fines quoque Palaestinae Christianos esse persecutos, docent *Act.* 13, 45. 50; 14, 2-5 etc. Cfr. alia testimonia penes *Funk* l. c.

15. *Holtzmann* l. c. p. 333.

16. *S. Ignat.* ad Ephes. 12.

17. *S. Ignat.* ad Trall. 5. (*Funk* Patr. Apost. II. p. 64; cfr. eundem locum in breviore recensione I. p. 206). Quid de longiore recensione censendum sit cfr. *Fessler* Patrolog. I. p. 170; *Funk* Tüb. Quartalschr. 1879. p. 610 sqq.; *Nirschl* Patrologie I. p. 100 etc. Ceterum si genuinus esset locus, difficultatem seriam non crearet; ita se habet : « Et possum quidem intelligere coelestia : angelorum scilicet et archangelorum ordines, militiarum diversitates.... Haec igitur ego cognoscens non omnino perfectus sum aut discipulus esse possum, qualis Paulus aut Petrus. Multum enim mihi restat, ne a Deo relinquar ».

18. *S. Polycarp.* ad Philipp. 11. « Ego autem nihil tale audivi de vobis vel cognovi, inter quos laboravit beatus Paulus, qui estis in principio epistolae eius ». — Aeque parum *S. Clem. R.* ad Corinthios scribens, quamvis Paulum nominaret, Ioannem nominare debuit.

19. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20, 296) : « Et Papias quidem ipse in prooemio librorum suorum auditorem et spectatorem se nequaquam fuisse innuit (ἐμφαίνει), docet autem se res fidei ab eorum familiaribus audivisse »; sed in Chron. ad a. 99 (M. 19, 552) « insignis auditor Ioannis » vocatur. — Cfr. *S. Iren.* c. haer V. 33 (M. 7, 1214); *S. Hier.* ad. Theodor. ep. 75, 3; de vir. ill. 18 (M. 22, 687; 23, 637); *Anastas. Sin.* Contempl. anagog. in Hexaem. (M. 89, 860); *Maxim. Conf.* in Schol. ad Dionys. Areop. Hierarch. 7 De S. Papiae verbis innumerae fere conscriptae sunt dissertationes, quum non pauci moderni interpretes Eusebium secuti demonstrare vellent, duplicem a Papia commemorari Ioannem, Apostolum scilicet et alterum, quem presbyterum appellaverit, atque alterius huius, sed non Apostoli, eum auditorem fuisse. Verba autem eius haec sunt :

Οὐκ ὀκνήσω δέ σοι καὶ ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, συγκατατάξαι ταῖς ἑρμηνείαις, διαβεβαιούμενος ὑπὲρ αὐτῶν ἀληθείαν. Οὐ γὰρ τοῖς τὰ πολλὰ λέγουσιν ἔχαιρον ὥσπερ οἱ πολλοί, ἀλλὰ τοῖς τἀληθῆ διδάσκουσιν, οὐδὲ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας ἐντολὰς μνημονεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς τὰς παρὰ τοῦ Κυρίου τῇ πίστει δεδομένας καὶ ἀπ' αὐτῆς παραγινομένας τῆς ἀληθείας. Εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν ἢ τί Φίλιππος ἢ

Non haesitabo ea quoque, quae quondam a *senioribus* bene didici et bene memoriae mandavi, interpretationibus inserere, illarum veritatem asseverans. Neque enim ut plerique, iis delectabar, qui multa loquuntur, sed iis, qui veritatem docent, neque iis, qui aliena praecepta, sed iis, qui mandata a Domino revera data et ab ipsa veritate profecta memorabant. Quod si autem etiam quis advenit interdum, qui cum *senioribus* versatus erat, dicta *seniorum* exquirebam; quid Andreas vel quid Petrus dixisset, vel quid Philippus,

τί Θωμᾶς ἢ Ἰάκωβος ἢ τί Ἰωάννης ἢ Μαθθαῖος, ἢ τίς ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν, ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί, λέγουσιν.

vel quid Thomas aut Iacobus, vel quid Ioannes aut Matthaeus, vel quis alius ex discipulis Domini (eadem dixisset), qualia Aristion et *senior* Ioannes, discipuli Domini, dicunt.

Ne longi simus, pauca de celeberrimo hoc loco adnotabimus, ut eius sensus clarior appareat.

a.) Duos fontes indicat Papias, ex quibus ea, quae traditurus est, hausit; primum constituunt ea, quae ipse « a senioribus bene didicit et bene memoriae mandavit », alterum ea, quae relate ad seniorum dicta ex iis, qui cum senioribus versati erant, exquisivit.

b.) Hinc iam elucet, vocem πρεσβυτέρου in hoc contextu non posse designare presbyterum, i. e. sacerdotem vel episcopum; Papias enim, quum ipse esset episcopus, cur tanta cum sollertia ab aliorum sacerdotum vel episcoporum *discipulis* exquisivisset ea, quae sacerdotes illi vel episcopi dixerant? Quosnam intelligat πρεσβυτέρους « seniores », ipse explicat, quum aliquos ex illis enumeret : Andreas, Petrus, Philippus, Thomas, Iacobus, Ioannes, Matthaeus : atqui hi omnes sunt Apostoli; ergo πρεσβύτερος Papiae est honorifica Apostolorum appellatio; atque fontes eius sunt dicta *Apostolorum*, sive immediate ab ipsis Apostolis, sive mediate ab Apostolorum discipulis ea audivit.

c.) Quae si recte sunt dicta, sequitur Papiam inter Domini discipulos latiore sensu interque Apostolos distinxisse; in fine enim duos discipulos Domini nominat, at uni tantum honorificam πρεσβυτέρου i. e. Apostoli appellationem attribuit : « Aristion et ὁ πρεσβύτερος Ioannes »; cur enim hanc significationem, quam in toto contextu vox habet, relinquamus, nulla prorsus est ratio. « Presbyter Ioannes » igitur, quem Eusebius quidem ab Apostolo Ioannes distinguere voluit, tota autem antiquitas ignoravit, prorsus disparet. Quae enim de duobus sepulcris apud Ephesum, quae utraque nomine Ioannis insignita erant, primus tradidit *Dionys. Alex.* (apud Euseb. H. E. VII. 25. M. 20, 701) et post eum *Eusebius* ipse (H. E. III. 39), ea de duabus memoriis eiusdem Evangelistae Ioannis intelligenda esse, iam Hieronymi tempore sententia fuit probabilior (*Hier.* de vir. ill. 9. M. 23, 625).

d.) Si moderni multi interpretes, ut Eusebii explicationem tueantur, Papiam de Apostolis ita loqui monent, ut eos iam mortuos esse appareat (τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν), de Aristione autem et de seniore Ioanne, ac si inter vivos agant (ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης λέγουσιν), nos contra monemus relativum ἅ τε (« qualia ») interrogativo τί non posse esse parallelum. Quare etiam cum edito textu non est legendum : ἤ τις ἕτερος, sed ἢ τίς ἕτερος; scilicet ab aliorum Apostolorum discipulis exquisivit Papias, non solum quid dixissent, sed etiam quis eorum eadem dixisset, quae suo tempore adhuc dixerunt Aristion et Apostolus Ioannes (Cfr. *Leimbach* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. p. 200), ut hac ratione ad maiorem certitudinem perveniret. Num igitur eo tempore, quo Papias suum librum scripsit, Ioannes Apostolus adhuc vivebat? Omnes illi, qui temporum a Papia adhibitorum (εἶπεν, λέγουσιν) distinctionem urgent, concedere debebunt, aliquos immediatos Domini discipulos illo tempore, quo scripsit Papias, vixisse; nulla igitur est ratio, cur Apostolum Ioannem tunc vivere non amplius potuisse dicamus. Chronicon Pasch. quidem Papiam eodem tempore, quo Polycarpum, martyrium passum esse refert; at Chronici auctorem hac in re fidem non mereri demonstravit *Funk* (Patr. apost. II. p. L sq.), Papiam autem Polycarpo seniorem fuisse, Irenaeus, qui eum ἄνδρα ἀρχαῖον appellat, videtur indicare.

Ultimos igitur vitae annos S. Ioannes in regendis ecclesiis asiaticis peregit;

praeter exsilium autem eius pauca tantum, sed pulcherrima facta ex illo tempore nobis tradunt Patres, quae quantum eius fuerit veritatis evangelicae studium quantusque zelus animarum demonstrant. Magistri sui Polycarpi auctoritate nixus *Irenaeus* refert Apostolum, quum Ephesi, ut lavaretur, in balneum intrasset ibique Cerinthum invenisset, ex eo non lotum statim exsiliisse, quia timeret ne balneum concideret, in quo Cerinthus esset, inimicus veritatis [20]. Alteram « fabulam, quae non est fabula, sed vera de Ioanne Apostolo tradita narratio », nobis conservavit *Clemens Alex.* [21] : Apostolus ex Patmo insula Ephesum reversus, quum vicinas ecclesias visitaret atque in una iuvenem optimae spei invenisset, illum coram tota ecclesia et Christo teste loci illius episcopo diligentissime commendavit. Qui adolescentem sibi traditum in domum recepit, eius educationi sollicitus invigilavit, ad baptismum demum admisit; deinde vero, ac si nihil amplius esset timendum, de pristina cura atque sollicitudine paullatim remisit. Qua praematura libertate usus iuvenis lascivire coepit, atque tandem latro latronumque dux factus est. Interea Apostolus ad ecclesiam illam denuo adscitus, postquam cuncta, quorum gratia venerat, ordinavit, ab episcopo depositum, quod ei commiserat, repetiit, iuvenem scilicet eius curae commendatum. Gemebundus autem et lacrymans confessus est episcopus, illum Deo esse mortuum atque cum latronum satellitio montes occupare. Quibus auditis Apostolus scissa veste equum sibi postulat itinerisque ductorem indeque ab ecclesia, ut erat, concito equo iter properat ad montem. A latronibus illis, qui excubias agebant, captus, ut ad ducem eorum adduceretur postulavit; qui ubi accedentem Apostolum agnovit prae pudore in fugam versus est. At Ioannes totis viribus concito cursu, aetatis oblitus, hominem persecutus est identidem clamans : « Quid me patrem tuum, fili, fugis inermem, seniculum? Miserere mei, fili, noli timere; adhuc tibi superest vitae ac salutis spes. Ego pro te Christo rationem reddam. Si sit opus, tuam ipse libens mortem sustinebo, quemadmodum Dominus pro nobis mortem sustulit. Animam meam pro tua vicariam dabo; sta modo et crede; a Christo missus sum ». Quibus verbis permotus iuvenis a fuga destitit, proiectis armis ad senem accessit, gemitu ac lamentis crimen confessus lacrymis velut altero baptismo illud abluit; Apostolus autem illum in ecclesiam reduxit, exinde partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis una cum iuvene ieiuniis simul decertans variisque sermonibus animum eius demulcens non prius destitit, quam illum firma constantia Ecclesiae gremio restituisset, boni pastoris imitatus exemplum, qui unam oviculam deperditam in deserto quaerit, donec eam invenerit, animamque suam ponit pro ovibus suis. Atque *Hieronymus* demum, qui frequenter in Ioanne virginitatis privilegium celebrat [22], de sene decrepito haec nobis tradidit : « Beatus Ioannes Evangelista, quum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud solebat per singulas proferre collectas, nisi hoc : Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres, qui aderant, taedio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt : Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam : Quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit » [23].

Usque ad Traiani aetatem S. Ioannem vixisse Patres plerique, ut vidimus, tradiderunt, atque communis quoque est sententia, eum naturali morte vita esse defunctum; nihilominus, ut habet *S. Augustinus*, « non impar meritum patientiae in Petro, qui passus est, et in Ioanne, qui passus non est », nam patientiae virtutem, quam Petrus opere exhibuit in suo martyrio, Ioannem in habitu habuisse tota eius vita probat [24].

20. *S. Iren.* c. haer. III. 3 (M. 7, 853); cfr. *Euseb.* H. E. III. 28 (M. 20, 276).

21. *Clem. Alex.* Quis dives salv. 42 (M. 9, 648 sq.).

22. *S. Hier.* ad Princip. ep. 127, 5 « Matrem Salvatoris in sua recepit et haereditatem virginis Domini, virginem matrem, filius virgo suscepit »; c. Iovin. I. 26 « Ioannes, unus ex discipulis, qui minimus (natu) traditur fuisse inter Apostolos, et quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, et ideo plus amatur a Domino et recumbit super pectus Iesu... Petrus Apostolus est et Ioannes Apostolus, maritus et virgo, sed Petrus Apostolus tantum, Ioannes et Apostolus et Evangelista et Propheta... Exposuit virginitas, quod nuptiae scire non poterant, et ut brevi sermone multa comprehendam doceamque cuius privilegii sit Ioannes, imo in Ioanne virginitas, a Domino virgine mater virgo virgini discipulo commendatur »; in Is. 56, 5 (M. 22, 1090; 23, 246 sqq.; 25, 541). Cfr. etiam *S. August.* in Ioan. tract. 124, 8; de bono coniug. 21; c. Faust. Manich. XXX. 4 (M. 35, 1976; 40, 391; 42, 493).

23. *S. Hier.* in Gal. 6, 10 (M. 26, 433).

24. *S. August.* de bono coniug. 21 (M. 40, 391).

Quaestio II. — De quarti Evangelii authentia et integritate.

58. — S. Ioannem Apostolum quarti Evangelii auctorem esse usque ad nostrum fere saeculum omnes, quotquot christiano nomine gloriabantur, firma fide tenebant, si paucos illos antiquos haereticos excipis, quos, quia τὸν Λόγον (Verbum) ab Ioanne praedicatum respuerunt Apostolique libros reiecerunt, *S. Epiphanius* nomine Ἀλόγων imposito « rationis expertes » declaravit [1]. Exeunte autem saeculo praecedente *Ed. Evanson*, anglicanae sectae assecla, primus, ut videtur, quartum Evangelium, quia synopticis et Apocalypsi contradiceret, Ioanni abiudicavit iuniorique cuidam neophyto, philosopho platonico, attribuit [2]. Quamvis, qui ipsi assentiret, vix quemquam invenisset, ab eo tamen tempore antiquorum « Irrationalium» error ab iis praesertim, qui rationalistae vocari solent, sub novis continuo formis recoquitur. Paucis iam annis post Evanson in Germania *E. F. Vogel* Evangelii nostri auctorem Iudaeochristianum alexandrinum, *G. Bretschneider* vero Ethnicochristianum esse declaraverunt [3]. Testimonia enim historica, quibus authentia probetur, aut iunioris esse originis aut dubia ac proinde certitudinem non dare censuit Bretschneider, internis autem argumentis constare, auctorem ne Palaestinensem quidem fuisse, nedum testem ocularem aut Apostolum, quum multi in libro inveniantur errores geographici et historici atque alius prorsus Christus praedicetur in quarto, alius in synopticis

Evangeliis. At nondum satis erant praeparati plerique interpretes protestantici, ut hisce argumentis caperentur; quare Bretschneider ipse confutatus assertionem suam retractare et irritam declarare coactus est. Ut melius igitur animi praepararentur, *Lützelberger* demonstrare conatus est, Ioannem Apostolum nunquam in Asia fuisse, originem autem asiaticam ab omnibus antiquis scriptoribus quarto Evangelio attribui; *I. D Strauss* vero integram historiam evangelicam mythis constare definivit atque hac ratione a priori, ut ita dicamus, authentiam omnium Evangeliorum impugnavit[4]. Tum demum *Neo-Tubingiani* eorumque sequaces in campum prosilierunt. Eorum parens, *F. Chr. Baur,* Evangelium nostrum circa a. 170 in Asia Minore vel Alexandriae illum in finem conscriptum esse docuit, ut iudaizantes Petrinos et Paulinos universalistas altiore quadam et sublimiore doctrina ad unionem adduceret; ideo in quarto Evangelio historiam non narrari, sed symbolico quodam modo doctrinas evolvi; omnia enim facta, quae nova in eo proponantur, ad doctrinam illam sublimiorem de Logo, qui caro factus est, stabiliendam et evolvendam ab auctore esse conficta; in Apocalypsi, quae Ioannem Ap. auctorem habeat, doctrinas iudaizantes tradi, Evangelium igitur eidem auctori non posse attribui[5]. Similes sententias discipuli eius et sequaces proposuerunt, quas omnes referre nullius prorsus utilitatis est; id unum monemus, nec in sententiis ipsis, nec in argumentandi modo, nec in tempore origini Evangelii assignando discipulos cum magistro aut inter se aut secum ipsis consentire[6].

1. *S. Epiph.* haer. 51, 3 (M. 41, 892); teste Epiphanio Alogi antiqui eodem fere modo, quo moderni, inter quartum Evangelium et inter synoptica contradictiones invenerunt.

2. *Edw. Evanson* The dissonance of the four generally received Evangelists etc. Ipswich 1792.

3. (*Erh. F. Vogel*) Der Evangelist Ioannes und seine Ausleger vor dem jüngsten Gericht. Leipz. 1802-1804. *C. G. Bretschneider* Probabilia de Evangelii et Epistolarum Ioannis Ap. indole et origine. Lipsiae 1820.

4. *Lützelberger* Die kirchl. Tradition etc. cfr. *supra* 57 n. 8 p. 211; *Strauss* Leben Iesu, Tübingen 1835. Ed. 4. 1840. Einl. § 13. p. 63 sqq.

5. *F. Chr. Baur* Die Composition u. der Char. des Iohannes Evang. (Zeller Theolog. Iahrbücher 1844); cfr. eiusdem Krit. Untersuchungen über die kanon. Evang., ihr Verhaeltniss zu einander, ihren Charact. u. Urspr. Tübingen 1847. p. 77-389. — Quum Baur externa argumenta neglexisset, eius discipulus *Zeller,* ut magistri sui sententiam confirmaret, historica testimonia saeculi 2. « critico » suo examini subiecit. Theolog. Iahrb. 1845. p. 579 sqq. 1847. p. 136 sqq. etc; eadem fere recoxit *Davidson* Introduction II. p. 367-426.

6. *Volkmar* (Religion Iesu. Zürich 1857. p. 432) c. a. 100, sed (Ursprung der Evang. Zürich. 1860 p. VIII) c. a. 155 Evangelium exortum dixit; *Schwegler* (Der Montanismus u. die christl. Kirche des 2. Iahrh. Tüb. 1841. p. 183 sqq.) et *Davidson* (l. c. p. 426) c. a. 150; *Scholten* (Het evangelie naar Iohannes. Leiden 1864.) c. a. 140; *Hilgenfeld* (multis aliis in libris et iterum in sua Einl. p. 738) inter 130 et 140; *Keim* (Gesch. Iesu

v. Nazara I. p. 167) inter 110 et 117. vel (iuxta II. p. 550) a. 130.; *Jülicher* (Einl. 1894. p. 259) in tertia generatione christiana, brevi post a. 100. Plura referre taedet; qui ea desiderat, adeat *Holtzmann* Einl. Ed. 2. 1886. p. 444 sqq. — Evangelium egregie vindicant *Schanz* Comm. 1885. p. 6-30, *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 506-524.

59. — Ioannem revera auctorem quarti nostri Evangelii esse demonstraturi pro more historica argumenta primo in loco afferemus, deinde quid liber ipse de suo auctore testetur examinabimus, atque demum « criticorum » obiectiones paucis expediemus.

I. Historica testimonia. 1.) A nemine negatur exeunte saec. 2. Evangelium nostrum in universa Ecclesia propagatum atque pro genuino Apostoli Ioannis opere agnitum esse; atqui fieri non potuit, ut liber, qui a falsario quodam intra a. 130. et 170. compositus est, in fine eiusdem saeculi in tota Ecclesia sit receptus, ac multo minus ceu apostolicus ab omnibus sit agnitus.

Quaenam huius argumenti sit vis, clarius apparebit, si testium, qui apostolicam Evangelii originem asserunt, auctoritatem perpenderimus. Primo in loco ponamus oportet *S. Irenaeum*, qui Polycarpi discipulum se esse gloriatur : « Postea, inquit, et Ioannes, discipulus Domini, qui supra pectus eius recubuit, et ipse edidit Evangelium, quum Ephesi in Asia commoraretur ». Quum tam accurate locum et tempus originis indicet, eum haec a Polycarpo, Ioannis Ap. discipulo, didicisse concludimus. Quam legitima vero sit haec conclusio facile apparet consideranti, quantopere lugdunensis Doctor omnibus in rebus principio traditionis inhaereat, et quoties certissimam suam aperiat persuasionem se id docere, quod ab Apostolis sit traditum et ab omnibus in Ecclesia sit receptum [1]. Ut aperte dicamus, quod sentimus : unicum hoc testimonium viri, qui tam prope ad apostolicam aetatem ascendit, tam arcto nexu per magistrum suum cum S. Ioanne Apostolo cohaeret, tam sollers fuit in apostolicis traditionibus conquirendis et conservandis, prudenti critico sufficere deberet, etsi alii antiqui testes omnes tacerent.

At non tacent; cum fide enim asianarum et gallicanarum ecclesiarum, quarum testis est Irenaeus, consentiunt reliquae. Romanam fidem nobis prodit auctor *fragmenti Muratoriani :* « Quarti Evangeliorum (auctor est) Ioannes ex discipulis. Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit : conieiunate mihi hodie triduum, et quid cuique fuerit revelatum alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctis Ioannes suo nomine cuncta describeret » [2]. Quidquid de huius narrationis veritate statuitur, illud testimonio Muratoriano extra controversiam positum est, circa a. 170. in ecclesia romana certam traditionem de Ioanne Evangelii quarti auctore adfuisse. Quibus testibus occidentalibus tertius africanae ecclesiae antiquissimus scriptor ecclesiasticus, *Tertullianus*, adstipulatur. Ete-

nim « auctoritas, inquit, ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis (sc. aeque atque Evangelio Lucae), quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei » etc; idemque « evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere » docet, « si et apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis et post Apostolos »; nam « nobis fidem ex Apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant »; atque demum quartum Evangelium auctoris nomine tacito contra Marcionem allegat formula, « sicut in Evangelio ante Marcionem edito continetur »[3].

Non minus clare, quam Occidentales, loquuntur Orientales. Alexandrinae ecclesiae persuasionem nobis exhibet *Clemens Alex.* : « Ioannes omnium (Evangelistarum) postremus, quum videret in aliorum Evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, divino Spiritu afflatus spirituale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit »; haec autem Clemens a magistris suis audierat, illa enim refert tamquam παράδοσιν τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων[4]. Antiochenae fidei insigne testimonium affert *S. Theophilus*, qui sextus post S. Petrum inde ab an. 169. illam ecclesiam gubernavit; prima enim Evangelii verba, expresso Ioannis nomine, pro auctoritate divina allegat : « Haec nos, inquit, docent Scripturae Sanctae et quotquot Spiritu S. afflati erant, inter quos Ioannes dicit : In principio erat verbum » etc; eundem vero, teste S. Hieronymo, « quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compegisse » iam saepius diximus[5].

Quae omnia testimonia tam diserta et clara sunt, ut ipsi moderni « critici » quid contradicant nulla ratione inveniant; eorum igitur nunc est explicare, quomodo liber, qui a nescio quo Iudaeochristiano aut Ethnicochristiano aut philosopho platonico circa medium saec. 2. scriptus dicitur, diu ante eiusdem saeculi finem in dissitissimis ecclesiis unanimi consensu et sine ulla haesitatione apostolicae originis sit creditus et Apostolo Ioanni attributus. Aliud afferant similis falsarii exemplum, qui tanta cum astutia librum fingere potuerit, ut vigilantia pastorum non obstante corruptae eius literae pro genuinis per decem et septem integra saecula ab omnibus sint habitae.

1. *S. Iren.* c. haer. III. 1 (M. 7, 845); cfr. etiam quae de quaternario numero Evangeliorum docet l. c. III. 11 (M. 7, 885 sqq.), *supra* 3. et 4 p. 9. 11. — De auctoritate autem, quam S. Irenaeus iure merito tribuat magistro suo Polycarpo cfr. c. haer. III. 3. (M. 7, 851) « et Polycarpus non solum ab Apostolis edoctus et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia in ea, quae est Smyrnis, ecclesia constitutus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate, haec docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae et ecclesiae tradidit, et sola sunt vera. Testimonium his perhibent, quae sunt in Asia ecclesiae omnes et qui usque adhuc successerunt Polycarpo, qui vir multo maioris est auctoritatis et fidelior veritatis est testis, quam Valentinus et Marcion, qui sunt perversae sententiae »; addamus

que : quamvis, *quia* sunt perversae sententiae, modernae « scholae criticae » maioris sint auctoritatis, quam Polycarpus eiusque discipuli. Cfr. quoque quae III. 3. 4; V. 20 etc (M. 7, 848. 855. 1177) de traditione apostolica sequenda statuit Irenaeus.

2. *Fragm. Murat.* lin. 9 sqq. (*Introd. gen.* Ed. 2. p. 182). — *Davids.* (Introd. II. p. 462) frustra testimonii auctoritatem elevare conatur : « Does not this story imply existing doubts of the gospel's apostolicity? The defence was intended to meet current hesitancy as to Iohn's autorship ». Qui verba fragmenti animo a praeiudiciis libero legere voluerit, nihil in iis inveniet nisi amplificationem ad popularem sensum accommodatam eorum, quae habent Clemens Alex. et S. Hier. (de vir. ill. 9. M. 23, 623), Ioannem rogatum a familiaribus suis vel « ab Asiae episcopis » Evangelium scripsisse. Quod si addit : « The ignorance and uncritical character of the fragmentist are well known. According to him, Paul followed the example of his predecessor Iohn in writing to seven churches, and took a journey into Spain », nescio annon ipse longe maiorem ignorantiam et longe maiorem critici iudicii defectum solis hisce verbis ostenderit, quam sagacissimus « criticus » unquam in integro fragmento deteget.

3. *Tertull.* c. Marc. IV. 5 et 2 (M. 2, 367. 363); de carne Christi 7 (M. 2, 767) : « Fratres Domini non crediderunt in eum, sicut et in Evangelio ante Marcionem edito continetur (cfr. Ioan. 7, 5).

4. *Clem. Alex.* apud Eus. H. E. VI. 14 (M. 20, 552).

5. *S. Theoph.* ad Autolyc. II. 22 (M. 6, 1088). Cfr. *S. Hier.* ad Algas. ep. 121, 6 etc (M. 22, 1020) *supra* 2. n. 6 p. 8.

2). Antiquiora testimonia *diserta* quidem desiderantur; at satis multa, quae vetustioribus saec. 2. apologetis Evangelium nostrum cognitum fuisse demonstrent, praesto sunt.

S. Iustino M. quartum Evangelium una cum reliquis cognitum fuisse, vel unum illud celeberrimum argumentum ostendit, quo in prima sua Apologia necessitatem baptismi adstruit : « Dixit enim Christus : nisi renati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum. Fieri autem non posse, ut semel nati in uteros matrum regrediantur, omnibus manifestum est ». Quae ex Ioan. 3, 3. 4 desumta esse omnes fatebuntur, qui ad eum dementiae gradum nondum pervenerunt, ut cum modernis quibusdam Ἀλόγοις aut Evangelii auctorem ex Iustini apologia aut utrumque ex deperdito fonte haec hausisse maluerint dicere [6]. Porro si dicit : « Unigenitum illum Patris universorum esse, proprie Verbum et virtutem ex eo genitum, atque postea hominem natum ex Virgine, uti ex commentariis discimus, iam antea demonstravi », merito interrogamus, quinam sint illi commentarii, « quae vocantur Evangelia », ex quibus haec didicerit; « Unigenitus Patris », « Verbum » Christus in solo Evangelio quarto vocatur [7]. Atque iterum, si Ioannem B. clamasse refert : « Non sum Christus, sed vox clamantis », undenam haec desumsit, nisi ex Ioann. 1, 20. 23, quum haec a Synopticis non referantur [8]? Praeterea animadvertendum, verba Zachariae (12, 10) a Iustino eodem prorsus modo referri, quo in Evangelio nostro leguntur [9]. Saepissime S. Iustinus de « Verbo » loquitur; suam autem de Verbo doctrinam non

ab Ioanne eum didicisse contendunt adversarii, quia Verbum ei non persona divina fuerit ante creationem exsistens, sed attributum quoddam divinum, quod personalitatem assumserit per creationem. At legantur ea, quae de Verbo ipse diserte et satis fuse exponit. Postquam enim ostendit Patri nullum nomen esse inditum, quod proprie ei conveniat, quum omnes appellationes Patris, Dei, Creatoris, Domini, Regis sint ex eius beneficiis et operibus derivatae, in hunc modum pergit : « Eius autem Filius, qui solus proprie (κυρίως) Filius dicitur, Verbum, quod, antequam creaturae fierent, et una cum eo aderat et genitum est (ὁ Λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος), quia ab initio per illud omnia condidit et ornavit, Christus vocatur, propterea quod unctus sit et Deus per illum omnia ornaverit (quod tamen nomen ipsum quoque significat rem incomprehensibilem, sicut et vox *Dei* non nomen est, sed rei inennarrabilis insita naturae hominum opinio); Iesus autem et hominis et Salvatoris nomen et significationem habet. Nam et homo factus est, ut antea diximus, secundum Dei et Patris voluntatem editus pro credentibus hominibus et ad daemonum eversionem » [10]. Quis his in verbis non videt Ioannis doctrinam de Verbo, quod in principio erat apud Deum, et per quod facta sunt omnia, et quod in tempore homo factus est, ut qui credant in eum (adoptivi) filii Dei fieri queant? Alii non pauci in S. Martyris operibus exstant textus, quibus idem demonstratur; sed cur omnes afferamus? Allati enim prudenti non relinquunt dubitationem, quin S. Martyr inter suos Apostolorum commentarios, « quae Evangelia vocantur », etiam quartum nostrum habuerit.

Tatianum, S. Iustini discipulum, Evangelium nostrum in suo Diatessaro habuisse omnes concedunt, et ex S. Ephraemi commentario constat [11]. S. Iustini autem coaevus fuit *S. Claudius Apollinaris,* hierapolitanus episcopus, ex cuius libro de paschate duo tantum fragmenta supersunt, sed utroque Evangelii nostri authentia confirmatur, quum illud cognitum aliisque aequiparatum supponant. In priore enim difficultatem de die mortis Domini commemorat, quae exoriri non potuit, nisi Ioannis Evangelium alia, atque synoptica, tradere putabatur. Alterum vero ita se habet : « Decima quarta dies est verum Domini pascha, magnum sacrificium, pro agno Filius Dei (mactatus), qui vinctus fortem vinxit, et qui iudicatus vivorum et mortuorum iudex est, et qui traditus est in manus peccatorum, ut crucifigeretur, qui exaltatus est super cornua unicornis, et cuius *latus percussum est,* et *qui ex latere suo effudit* duo purgatoria, *aquam et sanguinem,* et qui sepultus est in die paschatis, lapide imposito sepulturae » [12].

6. *S. Iustin.* Apol. I. 61 (M. 6, 420). Frustra tergiversantur adversarii, ut huius testimonii vim effugiant; deesse clamant duplex *Amen,* a quo dictum Domini apud Ioan-

nem incipit, positum esse *regnum coelorum*, dum Ioannes habeat *regnum Dei*, ἀναγεννηθῆτε pro γεννηθῇ ἄνωθεν, apud Matthaeum similem textum legi (sc. 18, 3 : « nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum »); unde demum concludunt, S. Iustinum haec desumsisse ex Evangelio secundum Hebraeos. (Cfr. *Davidson* Introd. II. p. 374 sqq., qui Neotubingianorum argumenta paucioribus verbis comprehendit et approbat). At S. Iustinum ipsa V. T. testimonia non semper verbotenus allegare, N. T. autem verba fere semper libero modo afferre, nemo ignorat; eadem autem prorsus idea in utroque textu exprimitur. Quis autem unquam in verbis Matthaei allegatis argumentum pro necessitate baptismi quaesivit? Quod demum verba illa ex Evangelio secundum Hebraeos sint desumta, tam gratuita et absurda est assertio, ut magis gratuita et absurdior excogitari non posse videatur. Admirabilis haec est rationalistarum argumentandi ratio, ut eo audacius asserant, quo absurdiora sunt asserta.

7. *S. Iustin.* c. Tryph. 105 (M. 6, 720 sq.) Iterum contendit *Davidson* (l. c. p. 378 sqq.) cum aliis « criticis » Evangelia synoptica allegari pro partu virgineo, ac si Iustinus non praecipue illud μονογενής urgere voluisset, de quo solo in versu (Ps. 21, 21 τὴν μονογενῆ μου), quem explicat, sermo est.

8. *S. Iustin.* c. Tryph. 88 (M. 6, 688). « Critici » (*Davidson* l. c. 377 sq.), qui Luc. 3, 15 allegari dicunt, afferant codices, in quibus haec lectio invenitur.

9. *S. Iustin.* Apol. I. 52 (M. 6, 405 cfr. c. Tryph. 64. M. 6, 625) et *Ioan.* 19, 37.

Zach. 12, 10 : καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο.	*Iust.* l. c. : καὶ τότε ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.	*Ioan.* l. c. : ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

Neotubingianos suos secutus *Davidson* (l. c. p. 388) Ioannem et Iustinum haec ex Apocalypsi 1, 7 desumsisse asserit : « καὶ ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμὸς καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν. Refutationi sufficit, ut textus legantur.

10. *S. Iustin.* Apol. II. 6 (M. 6, 453); cfr. c. Tryph. 100 (M. 6, 709) : « Nobis igitur revelavit omnia (Filius), quaecunque etiam ex Scripturis per eius gratiam intelleximus eum agnoscentes primogenitum Dei esse et *ante omnes res creatas*, et patriarcharum filium, quandoquidem ex Virgine ab eis orta *caro factus* (σαρκοποιηθείς) homo sine specie et inglorius et passibilis fieri voluerit... Et quum Filium Dei eum esse in commentariis Apostolorum legamus et Filium dicamus, intelligimus eum etiam *ante omnes creaturas* ex... Patre prodisse ».

11. Cfr *S. Ephr.* Evang. concord. exposit. (ed. Moesinger 1876.); Diatessari versiones *arab.* (ed. Ciasca 1888.) et *latin.* (in Cod. Fuld. ed. Ranke 1868.).

12. *S. Claud. Apollinaris* Fragm. (M. 5, 1297) De hoc inter Synopticos et Ioannem apparente contradictione infra (p. 269 sqq.) disseremus.

3.) A medii saec. 2. testibus ad *immediatos Apostolorum discipulos* veniamus; inter quos primo in loco *S. Ignatium M.* ponimus, cuius testimonia sunt certissima. Quod si enim scribit : « Spiritus enim, quum a Deo sit ortus, non decipitur; *scit enim, unde veniat et quo vadat* », et iterum : « *Panem Dei* volo, *qui est caro Iesu Christi*, qui ex semine David factus est, et *potum* volo *sanguinem ipsius* », vel si de « principe huius saeculi » loquitur, de « vivente in se et loquente aqua », vel si Iesum dicit « ante saecula apud Patrem fuisse « eumque vocat » Filium Dei, qui est Verbum eius e silentio progressum » i. e. qui ante saecula apud Patrem exsistens post longum quasi silentium in mundo apparuit,

Verbum Dei caro factum, procul dubio ex quarto Evangelio suas expressiones desumsit illudque eis, quibus scripsit, cognitum supposuit; ita enim verba eius sunt comparata, ut evangelicis verbis ipsis non cognitis non intelligantur [13].

Simili modo idem Evangelium ab auctore epistolae *ad Diognetum* adhibitum est. Quis verborum S. Ioannis (1, 1 « omnia per ipsum facta sunt ») pulcherrimam amplificationem non viderit in his epistolae verbis : « Invisibilis Deus veritatem et verbum sanctum et incomprehensibile inter homines locavit et cordibus eorum infixit; non quemadmodum aliquis coniicere possit, hominibus ministrum aliquem mittens, aut angelum, aut principem, aut aliquem eorum, qui terrena gubernant, aut aliquem eorum, quibus commissa est cura rerum in coelis administrandarum, sed *ipsum opificem et creatorem omnium,* per quem coelos condidit, per quem mare suis terminis inclusit, cuius mysteria fideliter observant omnia elementa, a quo mensuras diurnorum cursuum accepit sol observandas, cui obtemperat luna iubenti eam lucere nocti, cui obtemperant stellae lunae cursum sequentes, a quo omnia disposita sunt et limitibus circumscripta, cuique subdita sunt omnia : coeli et quae in coelis, terra et quae in terra, mare et quae in mari, ignis, aër, abyssus, quae in altis, quae in profundis, quae in mediis sunt. Hunc ad eos misit. Num forte, id quod aliquis hominum cogitare possit, ut tyrranidem exerceret et terrorem incuteret? Minime vero; sed in clementia et lenitate sicut rex mittens filium regis misit eum, sicut Deum misit, sicut hominem ad homines misit, *sicut salvans misit,* sicut persuadens, non sicut violentiam exercens; violentia enim non est in Deo. Misit sicut vocans, non sicut persequens, misit sicut amans, *non sicut iudicans* ». Cum ultimis his verbis confer, quae Dominus apud Ioannem (3, 16. 17) de fine suae missionis docet : « *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* ut omnis qui credit in eum habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, *ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* ». Eadem autem verba dominica alio in loco respexit auctor epistolae, quum diceret : « *Deus homines dilexit,* propter quos mundum creavit, quibus omnia subiecit..., *ad quos filium suum unigenitum misit* » [14].

Polycarpi et Papiae, S. Ioannis discipulorum, directa quidem testimonia pro quarto Evangelio non habemus, at indirecta. Quam maxima enim inter Evangelium nostrum et 1. Ioannis epistolam invenitur affinitas, sive stylus spectatur sive indoles characterque eorum integer; quare nisi quis cum Neotubingianis quibusdam falsarium quendam aut in epistola Evangelium, aut in Evangelio epistolam imitatum esse sine ullo fundamento statuerit, unum eundemque utriusque scripti esse auctorem fatebitur. Praeterea epistola Evangelium ubique supponit inti-

meque cum eo cohaeret atque eius, ut ita dicam, praefationem quandam constituit [15]; quapropter is qui epistolam agnovit, Evangelium agnovisse est dicendus. Iam vero *S. Papias*, teste Eusebio, in suo opere « testimoniis ex priore epistola Ioannis » usus est, *S. Polycarpum* autem, quum in sua ad Philippenses epistola scriberet : « Omnis qui non confessus fuerit Iesum Christum in carne venisse, antichristus est », verba haec a magistro suo Ioanne mutuatum esse, vix quisquam addubitabit [16].

13. *S. Ign. M.* ad Philadelph. 7 (*Ioan.* 3, 8); ad Rom. 7 (*Ioan.* 6, 35. 51); ad Ephes. 17 (*Ioan.* 16, 11); ad Rom. 7. (*Ioan.* 7, 38); ad Magnes. 8 (*Ioan.* 1, 1). Ut haec testimonia effugiant, moderni « critici » authentiam epistolarum S. Ignatii negant, et quum iam a Polycarpo collectae et Philippensibus transmissae dicantur, eius quoque epistolam spuriam et fictitiam declarant (*Davidson* l. c. p. 368. 370; *Baur* Tüb. Zeitschrift f. Theol. 1838. III. p. 148 sqq.; *Schwegler* Das nachapost. Zeitalter. Tüb. 1846. II. p. 159 sqq.). Neotubingianorum argumenta recoquit *Renan* Les Evangiles. Introd. p. X-XXXII. Nec huius loci nec nostri muneris est ignatianarum epistolarum authentiam *defendere*, quum multi id egregie praestiterint; cfr *Funk* Patres apost. I. p. XLIX. sqq.; LXXXVI. sqq.; *Nirschl* Patrologie I. p. 103 sqq.; *O. Bardenhewer* Patrologie. 1894. p. 66 sq. etc.

14. Ep. ad Diogn. 7. 10. — Utrum epistola ad Traiani tempus pertineat (cfr *Möhler* Patrologie, 1840. p. 165; *Alzog* Patrol. Ed. 3. 1876. p. 58, etc.), an ad medium saec. 2. (cfr *Funk* l. c. p. CII; *Nirschl.* l. c. p. 132; *Bardenh.* l. c. p. 81), non constat.

15. De relatione inter Evangelium et epistolam cfr infra n. 228.

16. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20, 300); *S. Polyc.* ad Philipp. 7 (1 *Ioan.* 4, 2. 3). Dissertum quoque Papiae testimonium hoc a nonnullis modernis interpretibus affertur : « Evangelium Ioannis manifestatum et datum est ecclesiis ab Ioanne adhuc in corpore constituto, sicut Papias nomine, Hierapolitanus, discipulus Ioannis in exotericis (i. e. extremis) quinque libris retulit. Descripsit vero Evangelium dictante Ioanne recte. Verum Marcion haereticus, quum ab eo fuisset improbatus eo quod contraria sentiebat, abiectus est ab Ioanne. Is vero scripta vel epistolas ad eum pertulerat a fratribus, qui in Ponto fuerunt ». Quod testimonium in codice quodam saec. 9 inventum urgere nolumus, quum difficultate satis gravi laboret. Marcion enim S. Ioannis Apostoli coaevus non fuit, et pro Marcionis nomine Cerinthum scribere nullo modo licet, quia haereticus ille a fratribus *Ponti* literas attulisse dicitur. Utrum nihilominus prior pars, quae Papiam Ioanne dictante Evangelium scripsisse refert idque ad Papiae ipsius testimonium reducit, sola pro genuina sit admittenda, an utraque potius reiicienda, difficile est dictu. Cfr. ex catholicis *Aberle* Tüb. Quartalschr. 1864. p. 8 sqq.; ex protestanticis *Tischendorf* Wann wurden unsere Evang. verfasst. Ed. 4. Leipz. 1880. p. 120 sq., qui testimonio illo utuntur. Quum vero iis, quae attulimus satis superque constet per integrum saec. 2. nostrum Evangelium a SS. Patribus pro apostolico esse adhibitum, quaestionem hanc omittere satius duximus.

4.) Catholicorum doctorum testimoniis iterum *incredulorum et haereticorum saec.* 2. testimonia addamus. Quorum agmen ducat *Celsus*, quem Evangelio nostro usum esse concedent omnes, qui viderint eum Christianis obiicere, quod « captiosis argutiis freti asserant Filium Dei esse eius ipsum Verbum » (Αὐτόλογον), et dein « pro Verbo illo puro et

sancto, quod Filium Dei esse praedicent, exhibeant despicatissimum hominem flagris caesum et in crucem actum », aut eum ridere « de sanguine, qui de corpore in crucem sublato fluxit » et interrogare, num forte similis fuerit ei « sacro qui manat corpore divum », aut eum vituperare Dominum, quod « quamvis *in templo* provocatus » signum nullum fecerit, aut eum loqui de signis supplicii et manibus perforatis, quas Iesus post resurrectionem discipulis exhibuerit etc [17].

Celsum excipiant omnes illius aetatis Gnostici, qui quartum Evangelium reliquis videntur praetulisse. *Basilides,* qui Hadriani et Antonini Pii aetate Alexandriae haeresin suam sparsit atque Matthiae Apostoli discipulum se fuisse finxit, teste auctore Philosophumenon non tantum textibus quarti Evangelii ad suos stabiliendos errores abusus est, sed etiam illos « in Evangeliis » legi asseruit [18]. Circa idem tempus *Valentinum* († c. 160) et eos « qui a Valentino sunt, Evangelium, quod est secundum Ioannem plenissime uti » testatur Irenaeus; ab auctore autem Philosophumenon discimus, Valentinum diabolum appellasse τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου, quam appellationem ex nostro Evangelio desumsit, atque dictum Domini : « Omnes qui venerunt ante me fures sunt et latrones » (*Ioan.* 10, 8) ad suum sensum traxisse [19]. *Ptolemaeus,* Valentini discipulus, allegavit Ioan. 1, 3 tamquam « verba Apostoli », *Heracleo* autem, alter eius discipulus, quartum Evangelium iam commentatus est, quo commentario non raro utitur Origenes [20]. *Naasseni,* una ex antiquissimis sectis ophiticis, magnum numerum textuum S. Ioannis adhibuerunt [21].

Argumentum, quod ex Gnosticorum testimoniis derivamus, duplici exceptione nobis eripere conantur adversarii nostri; alii enim praetendunt, a Patribus doctrinam et placita sectarum, prout decursu temporis paullatim efformata sunt, ipsis sectarum fundatoribus adscribi, alii autem ad eam usque vesaniam progrediuntur, ut Evangelium nostrum illis sectis posterius esse dicant, imo illi in haereseos huius evolutione suum locum attribuant. At quomodo probare velint, Patres, quibus haeresiarcharum istorum opera prae manibus fuerunt, Basilidi et Valentino sine ullo fundamento ea adscripsisse, quae Basilidianis et Valentinianis tantum competant, nemo facile dixerit, nisi somnia et commenta neotubingiana pro argumentis accipiat. Alterum autem assertum risum dumtaxat excitat; quis enim prudens unquam sibi persuadebit, Evangelium, quod post medium saec. 2. scriptum nihil nisi gnosticus foetus esse perhibetur, exeunte saec. 2. ab omnibus Patribus, qui tanta cum diligentia in traditionem apostolicarum ecclesiarum inquisiverunt, quam pro « canone veritatis » statuerunt, et in universa Ecclesia tamquam apostolicum et genuinum Ioannis Apostoli opus esse receptum?

17. *Orig.* c. Cels. II. 31. 36. 59; I. 67 etc (M. 11, 852. 857. 889. 785). Argumenta ex Celso dubia esse post *Bretschneider* (Probabilia p. 197) iterum asserunt « critici » (*Davidson* l. c. p. 398), et quia suo ipsi asserto fidem plenam non adhibent, contendunt Celsum c. a. 170 vixisse. « Celsus may have known the gospel, for he *seems* to have lived in the reign of Marcus Aurelius. He was not the epicurean Celsus, but a new Platonist of the same name ». At Origenes ipse Celsum, quem impugnat, antiquiorem fuisse asserit; duos nimirum fuisse huius nominis Epicuraeos, alterum Neronis, alterum « Hadriani (117-138) tempore et postea », atque hunc alterum libri quem impugnat auctorem esse insinuat (c. Cels. I. 8. M. 11, 669). Mirum autem esset, si Hadriani tempore eum scripsisse et floruisse dixisset, qui revera Marci Aurelii aetate (161-180) floruisset atque fere eius aequalis fuisset. Multo magis autem mirum, quod aliqui ex textu male intellecto (c. Cels. VIII. 76. M. 11, 1632) deducere volunt, eo tempore, quo Origenes contra eum scripsit, Celsum adhuc in vivis fuisse. Etenim aliud opus Celsum contra Christianos scribere voluisse asserit ibi Origenes, se autem ignorare, utrum promisso suo steterit necne. « Si illud incepit et perfecit, quaere et mitte illud, ut etiam ad illud respondeamus, quae nobis Pater veritatis dederit » (εἰ δὲ κακεῖνον ἀρξάμενος συνετέλεσε, ζήτησον καὶ πέμψον τὸ σύγγραμα). Num forte inde sequitur, Origenem Celsum in eo opere scribendo occupatum credidisse? Quis sibi persuadebit Origenem, qui teste Eusebio (H. E. VI. 36. M. 20, 596) sexagenario maior, ergo post a. 245, libros suos contra Celsum scripsit, credidisse illum auctorem, quem ipse Hadriani tempore floruisse dixerat, adhuc in operibus scribendis occupatum esse? Quae quum ita sint, Celsi opus necessario ante a. 150 ponendum est. Neque obstat, quod in eo Marcionis et Marcionitarum mentionem fecerit (c. Cels. V. 62. M. 11, 1284); etsi enim de Marcionis aetate cum omnimoda certitudine non constet, illum tamen iam satis diu ante a. 150 prodisse certum est; S. Iustinus, qui a. 167 martyrium subiit, Marcionem iam diu ante suam mortem impugnaverat.

18. *Philosoph.* VII. 22. 27 (M. 16, 3306. 3318). Arbitrario porsus modo et sine ullo fundamento citationes, quas antiqui haeresiologi ipsis sectarum capitibus adscribunt, a modernis « criticis », ut Evangelia facilius impugnent, discipulis attribui iam saepius diximus.

19. *S. Iren.* c. haer. III. 11 (M. 7, 884); *Philosoph.* VI. 34. 35 (M. 16, 3216 sq.).

20. *S. Epiph.* haer. 33, 3 (M. 41, 557); *Orig.* in Ioan. VI. 8. 12. 23 etc (M. 14, 229. 233 sqq. 266). Ex Philos. VI. 35 (M. 16, 3250) (quo in loco de duabus Valentinianorum scholis sermo est, quarum una sit italica « cuius *sunt* Heracleon et Ptolemaeus ») nonnulli concludunt Heracleonem eo tempore, quo scripta sunt Philosophumena, i. e. c. a. 220, floruisse; at antiquior est. *Origenes* (in Ioan. tom. II. 8. M. 14, 137) enim cum Valentini familiarem » (Οὐαλεντίνου γνώριμον) nuncupat et *S. Irenaeus* (c. haer. II. 4. M. 7, 719) iam « Ptolemaeum et Heracleonem, Valentini sectatores » commemorat.

21. *Philosoph.* V. 7-9 a Naassenis adhibentur Ioan. 3, 6 et 1, 3. 4 (M. 16, 3139); 2, 1 sqq.; 6, 53 (M. 16, 3142); 3, 8 et 5, 37 (M. 16, 3143); 6, 44 (M. 16, 3147 etc.

60. — II. Historicis igitur testimoniis authentia quarti Evangelii extra omne dubium prudens ponitur; ARGUMENTIS INTERNIS autem non parum confirmatur.

1.) Ipsius enim auctoris habemus testimonium, quo se librum hunc scripsisse asserit. Etenim « discipulus, quem Iesus diligebat » Evangelium hoc scripsisse in eius fine asseritur[1]. Atqui nomine « discipuli, quem diligebat Iesus « neminem nisi Ioannem Apostolum designari, non tantum integer Patrum chorus tradit, sed ex libro ipso apparet.

Tres enim Apostolos, Petrum, Iacobum Mai., Ioannem, a Domino singulari modo reliquis esse praelatos, Synoptici testantur; eos enim solos quemadmodum transfigurationis, ita agoniae suae testes esse voluit. At nec Petrus Evangelii auctor est, quia « discipulus, quem diligebat Iesus » diserte ab eo distinguitur[2]; nec Iacobus Mai., quia iam a. 15. post Christi assumtionem ab Herode occisus est, quo tempore quartum Evangelium iam exstitisse nemo unquam dixit. Si quis vero hunc textum ab Ioanne ipso scriptum negaret, argumentum vi sua et auctoritate non privaretur; quoniam enim illum Evangelio semper fuisse additum certissime constat (nam nec in ullo antiquo codice nec in ulla versione desideratur), testimonium semper erit externum, quod ad ipsam Evangelii originem ascendit[3].

2.) Ne semel quidem in toto Evangelio nec Ioannis Apostoli ipsius nec Iacobi, fratris eius, nomina occurrunt, semel tantum « filii Zebedaei » commemorantur, quamquam fere omnium aliorum nomina aliquoties invenimus[4]; atqui ex Evangeliis synopticis et ex Actibus Apost. scimus una cum Petro, qui in quarto Evangelio frequentissime nominatur, Iacobum Mai. et praesertim Ioannem in Apostolorum collegio primas partes egisse; singularis igitur ratio adsit oportet, cur duo illa nomina silentio premantur, nec alia videtur aptior excogitari, quam scriptoris modestia. Utique non defuerunt inter rationalistas, qui falsarium consulto nomen Ioannis Apostoli omisisse statuerent, ut ita lectoribus facilius persuaderet Ioannem libri esse auctorem : at talem tamque foedam calliditatem solus rationalista in quarti Evangelii auctore suspicari potest. — Accedit quod alii Evangelistae, quotiescunque de Ioanne Bapt. loquuntur, illum addito quodam epitheto ab Apostolo distinguere soleant; atqui quarti Evangelii auctor, quamvis ipse quoque duos Apostolos homonymos altero nomine addito distinguat[5], undevigesies Baptistam vocat Ioannem nullo addito epitheto.

3.) Integrum Evangelium auctorem suum Iudaeum palaestinensem esse prodit, qui testis ocularis fuit rerum earum, quae narrantur; quare libri indole testimonia historica tantum abest, ut convellantur aut labefactentur, ut maiore firmitate auctoritateque communiantur. Namque

a.) *S. Dionysius Alex.* quidem quartum Evangelium « non modo emendate, quod ad graecum sermonem attinet, sed etiam elegantissime tum in verbis tum in argumentationibus tum in constructionibus scriptum esse » asserit[6]; at nescimus an ab omni partium studio vacuum sit magni huius Doctoris iudicium, qui totus in eo fuit, ut Apocalypsin Ioanni Apostolo abiudicaret ideoque rationes conquireret, quibus Evangelium et Apocalypsin diversis auctoribus adscribenda esse demonstraret. Quare arrogantiae notam nobis non videmur incurrere, si laudem hanc graecae Evangelii dictioni a S. Dionysio attributam aliquantum esse

exaggeratam dicimus. Vocabula enim procul dubio omnia graeca sunt et grammatica quoque praecepta sunt observata; sed phrasium structura hebraica potius quam graeca est dicenda, quum longiores illae periodi, quas Graeci amant, prorsus desiderentur, et phrases simplices particulis καὶ et οὖν (rarius δέ) iuxta compositae sunt magis, quam inter se coniunctae et connexae. Neque desunt hebraismi satis frequentes, qui ostendunt auctorem non Graecum sed Iudaeum esse genere [7].

b.) Accuratam dein locorum palaestinensium rerumque iudaicarum auctor prodit scientiam, ut eum haec omnia a puero cognovisse appareat. A Cana, quod Galilaeae nominat, ut illud ab altero Cana in tribu Aser prope Tyrum sito distinguat, descendendum esse scit ad civitatem Capharnaum, hanc ipsam in ora occidentali maris Galilaeae (lacus Genesareth) esse sitam, et prope oram orientalem eiusdem maris statim ascendere montes, mare autem illud non tam late sese extendere, ut non pedites quoque una nocte ab orientali eius ora Capharnaum pervenire possint [8]. Ierosolymis cognoscit natatoriam Siloam (cuius hebraicum quoque nomen explicat), probaticam piscinam Bethsaida, gazophylacium intra templi limites situm, porticum Salomonis in templo, vallem Cedron et montem Oliveti; quantum distet Bethania a civitate sancta, indicat etc [9]. Iudaeos inter et Samaritanos non esse commercium, apud Iudaeos doctoribus non licere publice cum mulieribus agere scivit, festa Iudaeorum non tantum enumerat, sed etiam octavam diem festi tabernaculorum magnam esse, festum autem encaeniorum in hieme celebrari adnotavit [10].

c.) Quod si statim a principio dicit : « vidimus (ἐθεασάμεθα) gloriam Verbi incarnati, quod habitavit in nobis » non minus clare se testem oculatem fuisse asserit, ac si in fine ait : « Et qui vidit, testimonium perhibuit et verum est testimonium eius » [11]. Quot deinde singulares circumstantiae virum manifestant, qui rebus narratis interfuit! Quam accurate dies indicat, quibus post reditum Domini ex deserto singula quae narrat acciderunt, diei tempus quo Nicodemus ad Dominum accessit, horam qua primi discipuli ad eum venerunt et qua ad fontem Iacob resedit [12].

4.) Addamus ultimum argumentum ex prima epistola desumtum, quam omnes Patres, etsi eius nomen in fronte non gerat, Apostolo attribuunt. In ea enim loquitur de scripto aliquo suo, quod earum rerum, quibus testis auritus et oculatus interfuit, narrationem contineat [13]; atqui ibi non loquitur de hac sua epistola, siquidem alterum librum iam terminatum supponit, neque epistola res tradit, quae oculis videntur, perspiciuntur, manibus pertrectantur. Optime vero libri illius descriptio Evangelio convenit eique soli inter omnes libros, qui Ioanni adscribi solent. Quare ipse authentiae Evangelii sui est testis.

1. *Ioan.* 21, 24. Hic (sc. discipulus, quem diligebat Iesus) est discipulus, qui testimonium perhibet de his *et scripsit haec;* et scimus, quia verum est testimonium eius.

2. *Ioan.* 13, 23; 21, 7. 20 etc.

3. Cfr. *infra* 62. 3. p. 235 sqq.

4. Nominantur *Andreas* (1, 41. 45 etc.; quater), *Simon Petrus* vel *Petrus* (1, 41 etc.; tricies et quater), *Philippus* (1, 44 etc.; duodecies), *Nathanael* i. e. Bartholomaeus (1, 46 etc.; sexies), *Thomas* (11, 16 etc.; octies), *Iudas* Thaddaeus (14, 22), *Iacobus Min.*, *Simon Chan.* = fratres Domini (2, 12; 7, 3 etc.), *Iudas Iscariotes* (6, 71 etc.; septies).

5. *Ioan.* 14, 22 « Iudas, non ille Iscariotes »; simili modo nunquam invenitur nudum nomen Simon, sed semper Simon Petrus, ut eum a Simone Chan. distinguat.

6. *S. Dionys Alex.* apud Eus. H. E. VII. 25 (M. 20, 704); cfr. *infra* Diss. III. § 1. II.

7. Frequenter adhibetur ἴδε vel ἰδού (1, 29. 36. 48) etc.; ἀμήν, ἀμήν, λέγω ὑμῖν (3, 3. 5. 11. 19, etc.); υἱοὶ φωτός, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας et similia. — Recte *Tolet.* (Comm. in Ioan. — Argum.) Ioannem « minus quam ceteros Evangelistas graece locutum esse », et *Maldon.* (in Ioan. 6, 58) « eum maxime omnium Evangelistarum hebraismis delectari » monent. Haud aliter iudicant *Aberle* (Einl. 1877. p. 89), *Schanz* (Comm. z. Ioan. 1885. p. 17), *Kaulen* (Einl. Ed 3. 1893. p. 513 sqq.) aliique cath.

8. *Ioan.* 2, 1 (cfr. *Ios.* 19, 28); 4, 46. 51; 6, 1 sqq.

9. *Ioan.* 9, 7; 5, 2 sqq.; 8, 20; 10, 23; 8, 1; 18, 1; 11, 18 etc.

10. *Ioan.* 4, 9. 27; 7, 2. 14. 37; 10, 22 etc.

11. *Ioan.* 1, 14; 19, 35.

12. *Ioan.* 1, 29. 35. 43; 2, 1 etc.; 3, 2; 1, 39; 4, 6 etc.; attendatur quoque, quam accurate passio Domini eiusque post resurrectionem apparitiones referantur.

13. 1. *Ioan.* 1, 1-3 Cfr. 2, 12-14 γράφω... γράφω... γράφω..; ἔγραψα... ἔγραψα... ἔγραψα.... Cfr. *infra* 228.

61. — III. Evangelii nostri authentiam quum internis rationibus tum historicis praesertim testimoniis stabilitam iam ab ADVERSARIORUM OBIECTIONIBUS vindicemus oportet. Quarum duplex examinanda restat classis; illas enim, quibus testimonia nostra historica labefactare conantur moderni Ἄλογοι, supra iam refellimus. Aliae scilicet quarti Evangelii cum synopticis comparationi innituntur, aliae ex solo nostro libro desumuntur; priores ad paragraphum sequentem reiicimus, in qua de tota, quae Ioannem inter et Synopticos intercedit, relatione erit agendum; alteras, quae pleraeque satis futiles sunt, hoc loco paucis refutabimus.

1.) Primo in loco ponemus illas, quae quum soli malitiae innitantur, calumniae potius quam obiectiones sunt appellandae, quasque recitasse sufficiet, quum seria refutatione nec indigeant nec sint dignae. Quid enim dicemus, si Evangelium quartum Veteri Testamento repugnare edocemur, quia a Moyse omnium rerum creatio ex nihilo asseratur, Ioannes autem omnes res per Verbum ex materia praeexsistente esse productas tradat? quia V. T. duo saecula (αἰῶνας), Ioannes autem duos mundos (κόσμους) alterum bonum, alterum malum statuat? quia V. T. de inferis et de iudicio post mortem subeundo, Ioannes autem de coelo, de aeterna vita in hoc mundo peragenda, de iudicio in hac terra subeundo loquatur? quia V. T. Messiam filium esse Davidis, regem Israel asserat, Ioannes autem eum Filium unigenitum Patris, regem veritatis, filium hominis appellet, qui ad totum genus humanum, minime vero ad solum Israel pertineat[1]? — Huc quoque illa sententia a Baur excogi-

tata, a Strauss aliisque accepta spectat, quae Evangelii auctorem id intendisse docet, ut Petri auctoritate diminuta iudaizantem doctrinam, quam ab Apostolorum principe praedicatam fingunt, efficacius impugnaret. Ideo Petrum Ioanni ubique postponi dicunt : nomen traditoris, de quo Petrus interrogare non audet, exquirit Ioannes (13, 24); Ioannes, sed non Petrus, notus erat pontifici (19, 26); quum ambo ad sepulcrum currunt, Ioannes praecucurrit citius Petro (20, 4); Ioannes, sed non Petrus, primus cognovit Dominum (21, 7); Ioanni sed non Petro promittitur, fore ut maneat usque ad secundum Domini adventum (21, 22). Ideo etiam Petrus narratur Domino sese opposuisse, quum pedes eius lavare vellet, in horto gladio auriculam Malchi amputasse etc. [2] Quis hisce immorari voluerit stultitiis et ineptiis?

2.) Nescio quoque annon calumnia potius quam obiectio dici debeat, si dualismum quendam gnosticum, Philonis doctrinam de Verbo, Docetismum in Evangelio quarto inveniri asserunt [3]. Si illis enim fidem adhiberemus, duo hominum esse genera doceret Ioannes, quorum priores, quia ex carne sunt nati, Dei sunt inimici, alteri autem, etsi ipsi quoque ex carne nati, altioris tamen vitae principium a Deo acceperunt, quare priores a Patre non trahantur, alteri autem trahantur. At nunquam legisse videntur, Verbum apud Ioannem esse veram lucem, quae « illuminat *omnem* hominem venientem in hunc mundum », Deum misisse Filium suum, « ut salvetur *mundus* per ipsum »; qui igitur a Patre non trahuntur, ideo non trahuntur, quia ipsi trahi nolunt : « non *vultis*, inquit Christus, ad me venire, ut vitam habeatis » [4]. Quantopere autem Philonis λόγος a Sapientia, quam iuniores V. T. libri nos docent, et a Verbo divino, quod Ioannes nobis praedicat, sub omni respectu differat, sive eius originem, sive eius naturam, sive eius actiones spectas, docent theologi [5]. Ad Docetismum demum quod attinet, nemo facile dixerit, quomodo in Evangelio nostro doceatur, quod tam fuse, ut alia argumenta omittamus, de Christi passione agit.

3.) At auctorem, inquiunt, non fuisse Iudaeum genere evidentissime docet modus, quo de « Iudaeis » loquitur; nam nomen hoc ita ubique adhibet, ut se ipse ab illis discernat, imo illis opponat : « positae erant hydriae secundum purificationem Iudaeorum », Nicodemus erat « princeps Iudaeorum », « prope erat pascha Iudaeorum », « post haec erat dies festus Iudaeorum »; in ipsa Galilaea adversarii Christi vocantur « Iudaei » [6].

Ad quam difficultatem removendam duo sunt consideranda : a.) Iudaei nomen non tantum omnem Israelitam designare potest (*Ioan.* 4, 9 etc.), sed etiam interdum adhibetur ad Iudaeae incolas a Galilaeis discernendos (Ioan, 7, 1, 11); deinde b.) Evangelium nostrum eo tempore est scriptum, quo destructis Ierosolymis, diruto templo, populo israelitico in omnes terras disperso non amplius natio quaedam iudaica exstitit, sed societas religiosa iudaica. Quemadmodum Apostoli, ita primi quoque Christiani, qui ex circumcisione venerant, eo quod Iesum Nazarenum Messiam suum agnoverant patrum suorum religionem sese deserere non putaverant; idque rectissime; Messias enim non venerat, ut Legem tolleret, sed perficeret, omnesque, qui ei adhaeserunt, verum constituebant Israel, illique, qui Ierosolymis degebant, omnes manebant « aemulatores Legis »; ideo etiam in synopticis, quae omnia

ante Ierosolymorum templique eversionem conscripta sunt, nulla inter Legem antiquam Legemque novam apparet oppositio. Exeunte autem saec. 1. alius fuit rerum status; maior Israelitarum pars Messiam suum respuerat, ideoque ipsi patrum suorum religione relicta novam iam formaverant sectam religiosam, quae cum antiquis nudis ritibus antiquo Iudaeorum nomine retento ubique terrarum vero populo electo sese opponebat. Istius igitur sectae asseclas eorumque antecessores, qui Christo praedicanti iam restiterant, S. Ioannes vocat Iudaeos, a quibus « veros Israelitas » (Ioan. 1, 44) discernit quibusque se ipse opponit. Ob similem rationem Evangelista interdum de Lege loquitur, ac si ad ipsum nec pertineret nec pertinuisset [7]; re enim vera illo sensu, quo Iudaei infideles eorumque patres infideles Legem intelligebant, nec ad Apostolum pertinuit nec ad Christianos illius aetatis, qui iam plerique ex ethnicis venerant.

4.) Demum Evangelii auctorem nec Iudaeum nec Palaestinensem fuisse, quibusdam mendis historicis et geographicis ostendere volunt, quae deprehendisse sibi videntur. Caipham enim dicunt vocari « pontificem illius anni », Ioannem autem, qui « notus erat pontifici » scire debuisse, pontifices iudaicos ad annum non assumi; Ioannem Bapt. referri « Bethaniae trans Iordanem » baptizasse, ignorasse igitur Evangelii auctorem, Bethaniam prope Ierosolyma esse sitam; item eum commemorare oppidum quoddam Sychar, quod aeque parum sit cognitum atque eius Aenon prope Salim; item quantum distet Cana a Capharnaum eum nescivisse [8] etc.

Menda autem haec Evangelii auctori non sunt attribuenda, quem topographiam Palaestinae optime cognovisse exempla supra allata abunde demonstrant, sed rationalisticis eius interpretibus, qui veteratorum in modum omnia eius verba distorquent, ut quod vituperent sibi adornent. Annon etiam PseudoIoannes ille, quem sibi fingunt moderni Ἄλογοι, scire debuit, pontifices iudaicos ad annum non esse constitutos, quum alias res religiosas Iudaeorum optime se cognoscere per totum librum ostendat? S. Ioannes autem, quum Caipham pontificem *illius* anni fuisse referat, minime curat, utrum ante illum annum et post illum eodem munere functus sit, sed id unum enuntiare vult, anno illo ob Iesu passionem tam insigni Caipham summum sacerdotium tenuisse. Quod si omnes illas civitates, quae in antiquis libris nominantur, hodie autem non amplius inveniuntur, nunquam exstitisse dicemus, scriptoresque, qui illarum nomina afferunt, ignorantiae accusabimus, pauci remanebunt, quibus fidem adhibere poterimus. S. Ioannes duas Bethanias clarissime distinguit, quarum alteram trans Iordanem sitam diserte testatur, alteram vocat « castellum Mariae et Marthae sororis eius » « iuxta Ierusalem stadiis quasi quindecim » [9]. Num Sichar sit nomen vulgare et pronuntiatione corruptum urbis Sichem, an nomen proprium illius agri, quem prope Sichem Iacob emerat (סוכר vel שוכר « emtum »), parum interest; in neutro enim casu nomen difficultatem seriam creat. Multo minorem autem, si fieri potest, difficultatem creat nomen Aenon; quid enim mirum, quod fontis alicuius vel rivuli, in quo Ioannes baptizabat, nomen post tot saecula, quibus omnia in Palaestina permutata sunt, nobis non sit conservatum. Sed hisce cavillationibus iam nimium nobis videmur tribuisse spatium [10].

1. *Davidson* Introd. II. p. 427. haec obiicere non erubuit.

2. *Strauss* Leben Iesu für das deutsche Volk. 1864. p. 420 sq.; *Davidson* l. c. p. 442 sq.

3. Cfr. praesertim. *Baur*, Krit. Untersuchungen etc. p. 87 sqq. *Scholten* Das Evang. Iohannes. Cap. III.; *Keim*, Iesu v. Nazara I. p. 124 etc.

4. *Ioan.* 1, 9; 3, 16 etc.

5. Cfr. *Klassen* Die alttestamentl. Weisheit und der Logos der jüd. alex. Philosophie. Freib. 1878. p. 60-84.

6. *Davidson* l. c. p. 432 sq.

7. Ioan. 8, 17; 10, 34; 15, 25. Cfr. *Aberle* Exeget. Studien. Tüb. Quartalschr. 1868. p. 24 sq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 519 sq. etc.

8. *Davidson* l. c. p. 427 hisce, quos indicavimus, « erroribus » Evangelistae multos alios eiusdem valoris addit.

9. *Davidson* l. c. audacter quidem asserit : « The existence of two Bethanys is improbable » ; asserti autem rationem non affert. Num forte etiam improbabile est, duas exstitisse Bethdagon (*Ios.* 15, 41; 19, 27), Bethlehem (*Gen.* 35, 16 etc.; *Ios.* 19, 15), Bethsemes (*Ios.* 21, 16; 19, 38; imo tertia *Ios.* 19, 22, et quarta *Ierem.* 43, 13) etc?

10. *Keim* Iesu v. Nazara I. p. 133 ipse fatetur, omnia haec, quae de Evangelistae ignorantia asseruntur, fundamento carere.

62. — A non paucis acatholicis interpretibus, quamvis quarti Evangelii authentia agnoscatur, INTEGRITAS negatur; tres praesertim sunt pericopae, quae in dubium vocantur.

1.) *Ioan.* 5, 4, quo in versu Angelus in piscinam Bethesda descendere aquamque movere narratur, in antiquissimis graecis codicibus (B. ℵ. C.) aliisque paucis omittitur, in aliis quibusdam bonae notae (S. Π. Λ. et minusculis nonnullis) obelo vel asterisco notatur; in antiquissima quoque versione syriaca (Syr. Cur.) atque multis codicibus armeniacis et copticis desideratur. Quare praecipui editores moderni illum e textu suo eiecerunt (Griesb., Tischend., Westc. et Hort), multique interpretes acatholici illum pro fabulosa glossa habent[1].

Codicum autem illorum auctoritas, quamvis magna sit, sola rem non decidit, quum longe maior saltem aliorum numerus, inter quos non pauci eximii (A. E. F. G. H. I. K. etc), et versiones tantum non omnes versum nostrum tueantur. Codicibus autem nostris superstitibus antiquiores sunt Patres nonnulli, qui versum pro genuino adhibent; exeunte iam saec. 2. *Tertullianus* « piscinam Bethsaidam angelum interventem commovisse dicit », medio saec. 4. eum inter Graecos agnoscit *Didymus Alex.*, uti paulo post *SS. Chrysostomus* et *Cyrillus Alex.*, inter Latinos *S. Ambrosius*[2]. Historicis hisce documentis, quae adversariorum testimoniis saltem aequivalent, accedit quod versu nostro omisso iam non amplius responsum aegroti intelligatur (4, 7), nec etiam nomen ipsum piscinae illius probaticae explicetur[3].

2.) Maioribus, quam praecedens, altera pericope videtur laborare difficultatibus, historia scilicet mulieris adulterae (*Ioan.* 7, 53-8, 11),

quare etiam ab illis protestanticis interpretibus, qui veram eam esse censent, Ioanni abiudicatur[4]. Etenim non tantum in codicibus graecis quatuor antiquissimis (B. ℵ. A. C.), in nonnullis aliis uncialibus (L. T. X. Δ), in multis minusculis et plerisque Evangelistariis desideratur et in non paucioribus obelo notatur, sed etiam deest in antiquioribus codicibus Italae, in plerisque codicibus versionum syriacae, copticae, armeniacae, in versione gothica, nec unquam ab interprete antiquo graeco explicata legitur; imo eius stylus quoque a reliquo Evangelio differre dicitur[5].

Quibus argumentis, etsi Ecclesiae auctoritatem omittamus, alia opponimus, quibus pericopes istius authentia satis vindicatur. Namque

a.) versus illi, si in bonis graecis codicibus desiderantur, in aliis bonis, iisque numero pluribus leguntur; inter quos eminet Cantabrigiensis (D.), qui haud raro in Evangeliis optimas lectiones tuetur; inter minusculos autem fere trecenti pericopen habent. Accedit, quod *S. Hieronymus* historiam adulterae « in *multis* graecis et latinis codicibus » inveniri ait; cui testimonio consentiunt codicum quorundam subscriptiones, quae ἐν ταῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις eam legi testantur[6]. Versionibus autem, quae eam omittunt, opponimus alias, quae eam exhibent; praeter multos enim versionum italae, syriacae, armeniacae codices pro eius authentia omnia militant Vulgatae, aethiopicae, arabicae, slavicae exemplaria. — Item Patribus graecis opponimus latinos, idque eo magis, quia graecorum interpretum testimonium minime est certum; in Origenis enim commentariis desunt tomus XIV. et sequentes usque ad medium fere tomum XIX, in quibus *Ioan.* 5, 1-8, 19 explicabantur; S. Chrysostomus quoque in suis in Ioannem homiliis non eodem modo, quo in aliis plerisque, procedit, quum pericopas potius selectas, quam integrum librum, explicet; nec S. Cyrilli Alex. commentarii integri ad nos pervenerunt[7]. Ceterum Constitutiones Ap. pericopen nostram pro genuina agnoverunt[8].

b.) Cur narratio haec, si genuina non esset, hoc loco a tot codicibus et versionibus sit inserta, nullo prorsus argumento explicatur; optimam autem rationem, cur in multis sit omissa, et latini Patres et iuniores graeci scriptores iam indicant. Namque *S. Ambrosius* rectissime monet, « si quis auribus otiosis hanc historiam accipiat, eum erroris incentivum incurrere posse »; quibus consentiens *S. Augustinus* : « Hoc infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicae fidei, vel potius inimici verae fidei metuentes, credo, peccandi immunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis »; atque *S. Nicon* ob hanc rationem ab Armenis narrationem ex libris sacris expunctam esse disertis verbis tradit[9]. Revera, ne a simplicioribus male intelligeretur vel a malevolis ad ma-

litiam suam excusandam perverteretur, multi ecclesiarum pastores satius videntur duxisse pericopen illam a lectione publica excludere; id quod clare apparet ex eo, quod in plerisque Evangelistariis (plus triginta) omittitur, in paucissimis (sex tantum) invenitur; quare etiam in integris Scripturarum exemplaribus illis, quae publicae lectioni erant destinata, eius omissio facillime explicatur.

c.) Ad eius stylum quod attinet, nonnulla reperiri, quae in reliquo Evangelio minus sunt consueta, non negamus; at vix ulla est quarti Evangelii pericope, quae omnibus omnino styli singularitatibus careat. Praeterea tanta est hac in narratione variantium lectionum silva, ut quaenam ex illis sit primitiva saepissime definiri nequeat; quare etiam de eius stylo certum iudicium nemo prudens sibi arrogaverit [10].

Contextum autem admissa narrationis authentia concinniorem fieri fatendum est; attento enim vaticinio Ieremiae (**17, 12. 13**) intime eam cum iis, quae Dominus in praecedenti die docuerat, cohaerere apparet. Etenim « in novissimo die magnae festivitatis stabat Iesus et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me et bibat »; se ipse igitur fontem aquarum viventium esse docuit, ex quo solo haurire salutem possent Iudaei eorumque doctores. At hi audire eum noluerant, sed postero die adducunt Scribae et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam, et Dominus interrogatus, quid de ea esset agendum, « inclinans se deorsum digito scribebat in terra »; qua re visa accusatores unus post unum exibant incipientes a senioribus. Iam conferatur Ieremias, et nexum intimum utriusque pericopes nemo non perspiciet : « Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae; exspectatio Israel, Domine! omnes, qui te derelinquunt, confundentur; *recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum* » [11].

1. Praeter cunctos « criticos » modernos cfr etiam *Keil* (Comm. ü. d. Evang. Ioan. 1881. p. 217), *Meyer-Weiss* (Exeg. Comm. II. Ed. 8. 1893. p. 196) etc. — Mirum est, quod etiam *Schanz* (Comm. 1885. p. 234) sententiam pro interpolata habeat, quamvis pericopen de adultera velut genuinam agnoscat.

2. *Tertull.* De baptism. 5. (M. 1, 1205); *Didym. Alex.* de Trin. II. 14 (M. 39, 708), *S. Chrys.* in Ioan. hom. 36, 1 (M. 59, 204); *S. Cyr. Alex.* in Ioan. 5, 7 (M. 73, 340); *S. Ambros.* etc.

3. *Bethsaida* vel potius Bethesda בּיתחסדא (syr.) « domus gratiarum ».

4. Post *Erasmum* Annot. in h. l. longe maior interpretum acatholicorum numerus pericopen ex Evangelio eiicit, atque ipse *Keil* (l. c. p. 318), quamvis narrationem ex apostolica traditione derivat, cam Apostolo Ioanni abiudicat. *Corn. Iansen. Gand.* (Comment. in conc. evang. c. 76) eam Evangelio terminato ab Ioanne adiectam aut ex Evang. apocrypho derivatam censet, addit autem : « quamquam autem aliquando de historiae huius firmitate dubitare licuerit, nunc tamen propter Ecclesiae consensum dubitare non licet, sicut nec de historia Susannae ».

5. Cfr. *Scrivener* Introd. to the criticism of the N. T. Ed. 3. p. 610-614, qui auctoritates, quae contra pericopen militant, accurate enumerat. — Relate ad stylum haec praesertim notantur; pro particula οὖν, quam amat Ioannes, semper adhibetur δὲ; deinde occurrunt vocabula, quibus Ioannes nullibi utitur : ὄρθρου, πᾶς ὁ λαός, καθίσας ἐδίδασκεν αὐτούς, οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, ἐπιμένειν, ἀναμάρτητος, καταλείπεσθαι, κατακρίνειν et πλήν; cfr *Meyer-Weiss* l. c. p. 315.

6. *S. Hier.* c. Pelag. II. 17 (M. 23, 553); ***Euthym*** i. h. l. (M. 129, 1280) quidem asserit : παρὰ τοῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις ἢ οὐχ εὕρηται ἢ ὠθέλισται, sed haec non satis accurate esse asserta docent non pauci codices ἀκριβεῖς, qui adhuc exstant.

7. Ceterum *S. Chrysostomus* etiam in suis homiliis in Matth. interdum nonnulla non explicata relinquit; cfr. in Matth. hom. 73, 2 (M. 58, 675), ubi octo integros versus silentio premit (Matth. 23, 16-24), qui tamen in illius codice defuisse non sunt dicendi.

8. *Constit. Apost.* II. 24 (M. 1, 653). Immerito nonnulli a ***S. Papia*** (apud Eus. H. E. III. 39. M. 20, 300) hanc pericopen commemoratam censent; loquitur enim de muliere, quae « ***multorum*** criminum coram Domino accusata est ».

9. *S. Ambros.* Apolog. Dav. II. 1 (M. 14, 887); *S. Aug.* de coniug. adult. II. 7 (M. 40, 474); ***S. Nicon.*** de impia Armen. relig. 2 (M. 1, 655).

10. Nota particulam δὲ aliis quoque in locis satis esse frequentem cfr. ex. gr. 7, 2. 6. 7. 9. 10 etc.; πᾶς ὁ λαός est integer populus, qui ad festum convenerat, quare expressio alibi adhibita ὄχλος vel ὄχλος πολύς parum erat apta; plena formula καθ. ἐδίδασκεν αὐτούς hoc quidem loco solo adhibetur, sed verba καθίζειν et διδάσκειν τινά satis frequentia in Evangelio sunt; οἱ γραμματεῖς hoc loco commemorantur, quia agebatur de quaestione Legis; ἐπιμένειν adhibetur ad interrogantium importunitatem exprimendam etc. Cfr. *A. Maier* Einl. p. 150 sq. Ipse ***Renan*** (Vie de Jésus. Ed. 18. p. 500) fatetur : « Rien dans le morceau ne fait disparate avec le style du quatrième Évangile ». — Cfr. quae de hac pericope egregie disputat *Corluy* Comment. in Ioan. Lovanii 1878. p. 194-199. — *Scrivener* l. c. p. 610 non improbabile putat, S. Ioannem ipsum, postquam eius Evangelium iam spargi coeperat, eidem 5, 3. 4 et 7, 53-8, 11 et 21, 1-23 addidisse : « The appended chapter (21) would thus be added at once to all copies of the Gospels then in circulation, though a portion of them might well overlook the minuter change in 5, 3. 4, or, from obvious though mistaken motives, might hesitate to receive for general use or public reading the history of the woman taken in adultery ».

11. De hoc contextu cfr *Grimm* Einh. d. Evang. p. 658 sq. Ipse quoque *Hilgenf.* (Einl. p. 707) pericopen ob contextum retinendam censet : « Streicht man dieselbe, so hat man nicht bloss für den Ausspruch 8,15 keine rechte Veranlassg, tür 8,20 keine rechte Vermittlg, sondern man kommt auch aus dem letzten Festtage gar nicht heraus, wie doch das Folgende verlangt ». — Cfr etiam *C. Vercellone* La storia dell' adultera. Roma 1867.

3.) Tertius locus, qui ab aliquibus impugnatur, est ultimum caput; quum vero omnes omnino codices omnesque versiones illud exhibeant, in Patrum quoque operibus nullum adsit vestigium, quod dubitationem de eius authentia innuat, historicis saltem testimoniis adversarii prorsus destituuntur; at internas rationes, quibus illud ab Ioanne non esse scriptum ostendant, se invenisse arbitrantur. Sunt autem hae. Ultimi versus capitis 20. ita sunt comparati, ut integri Evangelii clausula esse videantur; in versu autem 23. nostri capitis haud obscure innuitur, eo tempore, quo illa scripta sunt, Ioannem iam esse mortuum; praeterea 21,

22 sermo est de secundo Christi adventu, quem Ioannes ignoravit; 21, 24 inter scriptorem Evangelii et illos, qui ultima haec adiecerunt, clare distinguitur; hyperbole demum, quae 21, 25 legitur, Ioanne est indigna[12].

Quibus in dubitandi rationibus pauca vera multis erroneis sunt permixta. Etenim revera verba, quae 20, 30. 31 legimus, suspicionem quidem iniicere possunt, S. Ioannem ab illis Evangelium suum terminare voluisse; quare illis catholicis interpretibus, qui ultimum caput appendicem quandam libro terminato ab Evangelista adiectam habent, facile assentirer, nisi illud obstaret, quod narratio haec complementum quasi necessarium praecedentis cuiusdam pericopes constituat. S. Ioannes enim, uti statim dicemus, quemadmodum in toto Evangelio, ita etiam in historia passionis et resurrectionis inter alia illud quoque intendit, ut Synopticorum narrationem suppleat; quare pleraque a Synopticis tradita omittit, nisi singularis ratio, ut illa attingat, eum permoverit. Iam vero trinam Petri negationem omnes Synoptici satis fuse retulerant, nec quidquam novi eorum narrationi adiicit Ioannes; quod si eam nihilominus accurate referre voluerit, omnino videtur dicendum, eum iam tum trinam hanc Petri professionem narrare voluisse, ut negationi trinae trinam professionem opponeret. Quare verba illa « *multa et alia signa fecit Iesus* » etc rectius cum S. Chrysostomo de illis solis signis intelligenda censemus, quibus Dominus post resurrectionem suam discipulis suis (« *in conspectu discipulorum fecit* ») sese manifestavit, quam de omnibus signis, quae in toto libro relata sunt[13].

Etsi quis vero narrationem hanc non nisi finito et terminato Evangelio adiectam esse admittere velit, ab alio tamen, quam ab ipso Evangelista illam adiectam esse nunquam erit concedendum; futilissimae enim sunt rationes, quibus id demonstrare conantur aliqui. Illo enim tempore, quo haec scripta sunt, Ioannem iam mortuum esse, nequaquam ex 21, 23 sequitur; sed Apostolus ipse explicatione addita erroneam dicti dominici interpretationem praecavere aut falso rumori, qui de longaevo sene forte tum iam spargi coeperat, occurrere voluit. Quod deinde Ioannes secundum Christi adventum ignorasse asseritur, id plane absurdum est; etsi nihil omnino de eo retulisset, nemo prudens asserere auderet Apostolo alterum Christi adventum ignotum fuisse; quid vero, quod disertis verbis de illo loquatur (14, 3), etsi eum non fuse, sicut Synoptici, describat?

Nulla igitur est dubitandi ratio, quin maior saltem huius clausulae pars (21,1-23) ab Apostolo sit scripta; difficilior autem est quaestio, quae de duobus ultimis versibus agitatur. Nullius quidem est momenti hyperbola, quae in ultimo versu legitur; est enim dictio quaedam proverbialis, quae inexhauribilem vitae Christi thesaurum rectissime exag-

gerat; si autem Dominum proverbialibus eiusmodi locutionibus usum esse constat, cur indignam dicemus Ioanne hyperbolam hanc aptissimam[14]? At in paenultimo versu vocabulis : « *scimus,* quia verum est testimonium *eius* » inter Ioannem testantem interque eos, qui testimonium confirmant, apertissime videtur distingui, idque eo magis, quia nunquam primam personam de se ipso loquens Evangelista in toto Evangelio adhibere dicitur. Quare inter catholicos quoque interpretes non desunt, qui hos duos versus ab illis, quorum exhortatione, ut librum suum conscriberet, Evangelista permotus esse perhibetur, eodem fere modo adiectos esse dicant, quo narratio de Moysis morte ultimo Deuteronomii capiti ab aliena manu addita sit. Quae sententia, dummodo versuum horum inspirationem, quam Ecclesiae auctoritas nobis testatur, simul tueatur, probabilitate sua non caret; praeplacet autem antiquorum interpretum opinio, quae ipsi Ioanni hos quoque versus adscribit. Etenim ultimis duobus versibus abscissis nemo non videt Evangelium apta clausula privari; interrogatione enim : Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ; aeque parum Ioannes librum suum terminare potuit, atque Marcus phrasi illa : ἐφοβοῦντο γάρ. Difficultatem autem, quam creat apparens oppositio inter *scimus* et *eius,* antiquiores iam viderunt interpretes solveruntque monentes Evangelistam suum ipsius testimonium aliorum Domini discipulorum, qui tum temporis nondum obierant, testimonio corroborare voluisse[15]; ceterum etiam 1, 14 se suosque coapostolos pronomine « nos » comprehendit.

12. *Maldonat.* in Ioan. 20, 30 iam monet « *leves quosdam homines* » sequens caput aut Ioanni abiudicasse et ab altero additum dixisse, aut Ioanni quidem attribuisse sed postea, quum eorum, quae ibi narrantur, recordatus esset, ab eo adiectum putasse. Inter modernos plerique rationalistae illud spurium habent (*Credner* Einl. p. 223 sqq.; *De Wette* Einl. Ed. 6. p. 238 sqq.; *Davidson* Introd. II. p. 454 sqq. etc.); alii acatholici plerique aut duos ultimos versus aut ultimum saltem reiiciunt (*Keil* l. c. p. 601 sqq.; *Meyer-Weiss* l. c. Ed. 8. p. 633 etc.). Ex catholicis quoque nonnulli (*Hug* Einl. II. p. 292; *A Maier* Einl. p. 147 etc.) duos istos versus vel ultimum Ioanni abiudicant aut de iis dubitant (*Reithm.* Einl. p. 443; *Valroger* Introd. II. p. 125; *Schanz* Comm. p. 591 etc.), sed eos pro inspiratis habent.

13. Cfr. *Aberle* Einl. p. 113 sq. *S. Chrys.* in Ioan. hom. 87, 2 (M. 59, 474). *Tolet.* i. h. l. « Accommodatior (quam SS. Cyrilli i. h. l. et August. tract. 122 in Ioan. explicatio) est expositio Chrysostomi, primo quia in capitis sequentis fine eandem ponit conclusionem generalem, essetque haec superflua et ante tempus posita; secundo quia dicit : *in conspectu discipulorum,* at miracula cetera in conspectu aliorum multorum facta sunt; tertio quia in hoc contextu non loquitur de miraculis, sed de signis, quibus resurrectionem suam Christus manifestabat. Obiiciet aliquis : Quare hanc clausulam nunc adhibet Evangelista, quum statim de alia manifestatione resurrectionis loquatur? Respondeo id factum propter confessionem Thomae, qui visu et tactu credidit; ut doceat, etiamsi propter haec duo crediderit Thomas, plura tamen alia exhibita a Domino illi esse resurrectionis argumenta ». Adnotat praeterea *Maldon.* (i. h. l.) Ioannem, si

verba haec de toto libro suo intellexisset, non dixisse : *multa et alia signa fecit Iesus*, sed « multa alia fecit et docuit »; non enim de solis miraculis eum agere. Sermones Domini quidem intime cum eius miraculis cohaerere aiunt, ita ut eorum commentarius quidam sint. Quae omnino recte non dicuntur; nec enim Domini cum Nicodemo et cum Samaritana colloquia, nec eius sermones in encaeniis et in ultima coena, qui satis magnam Evangelii partem constituunt (*Ioan.* 3. 4. 11. 13-17.) ullum habent cum ullo miraculo nexum.

14. Cfr. ex. gr. *Matth.* 7, 3; 19, 24; 23, 24 etc. — Patres, qui hoc loco hyperbolen agnoscunt, nihil indigni in eius usu deprehenderunt. « Hunc loquendi modum, inquit *S. Aug.* (in Ioan. tract. 124, 8. M. 35, 1974), graeco nomine hyperbolen vocant; qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis Literis invenitur »; et paucis adductis exemplis addit « et multa huiusmodi, sicut alii tropi, Scripturis S. non desunt ».

15. *Tolet.* et *Maldon.* i. h. l. etc. Quod si qui eo tempore, quo Evangelium sit scriptum, praeter Ioannem alios immediatos Domini discipulos non amplius superstites fuisse dicunt, qui testimonium confirmarent, plus asserunt, quam historia testatur. *Clem. Alex., fragm. Murator.* etc illo etiam tempore alios Apostolos vel discipulos Domini vixisse supponunt.

Quaestio III. — Quem in finem et quibusnam quartum Evangelium sit scriptum.

63. — De fine, quem in suo Evangelio conscribendo S. Ioannes prae oculis habet, fere omnes interpretes catholici consentiunt; nec immerito plerique eum ab ipso Evangelista illis verbis expressum vident, quibus narrationem suam de secunda Domini resuscitati apparitione terminat: « Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus (Messias), filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius ». Quae, etsi proxime tantum de signis post resurrectionem factis intelligenda esse videantur, integri tamen libri simul finem comprehendere, non est ambigendum. Etenim *S. Ioannem praeprimis Iesu messianitatem et divinitatem demonstrare et fidem in Iesum tamquam in Christum et Dei Filium necessariam praedicare voluisse*

1.) ex tota eius narratione manifestissime apparet. Argumentum enim suum post sublimem illam de Verbo Dei, quod caro factum est, introductionem quodam modo proponit : « vidimus gloriam eius, quasi Unigeniti a Patre » (1, 14), atque statim transit ad argumenta huius theseos afferenda. Prae omnibus Ioannis Bapt. affert testimonium, « quia hic est Filius Dei » (1, 34), quibus adiungit testimonia primorum discipulorum, qui eum « Messiam », « quem scripsit Moyses in Lege et Prophetae », « Filium Dei, regem Israel » agnoverunt (1, 41. 45. 49). Sequitur primum miraculum in Cana Galilaeae, quo Iesus « manifestavit gloriam suam » (2, 11), atque postquam vendentes et ementes eiecit « e domo Patris sui », ad futuram suam resurrectionem tamquam ad maximum signum provocat, quo divinam suam missionem sit probaturus (2, 16. 18. 22). Coram Nicodemo se ipse declarat Filium Dei uni-

genitum, a Patre in mundum missum, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat (3,16 sqq.), atque hanc declarationem confirmat Evangelista altero Baptistae testimonio, Iesum desursum venisse et super omnes esse (3, 31). Quemadmodum apud Iudaeos, ita apud Samaritanos suam messianitatem affirmat, atque ita gloriam suam manifestat, ut ab illis agnitus sit « Salvator mundi » (4, 26. 42.). Ierosolyma reversum persequuntur Pharisaei, « quia non solum (aegrotis sanatis) solvebat sabbathum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo » (5, 18); sollemni autem oratione se et Dei Filium et futurum iudicem mundi proclamat, atque ad testimonium Baptistae provocat et ad testimonium maius Ioanne, ad ipsa videlicet opera, quae dedit ei Pater, ut perficeret ea (5, 20. 22. 33. 36 etc). Post multiplicationem panum in magnifico sermone voluntatem Patris, a quo missus est, annunciat : « ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam » (6, 40); quumque Iudaei hunc sermonem non ferrent atque discipuli quoque illis, quae de se « pane vitae » pronuntiaverat, scandalizati eum derelinquerent, duodecim per Petrum professi sunt : « nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei » (6, 70). Sed opus non est, ut singula capita eodem modo percurramus; nullum enim esse puto, in quo aut ab Iesu ipso aut ab aliis eius messianitas et divinitas non asseratur fidesque in eum velut in Messiam et Filium Dei necessaria non proclametur. In passionis autem historia non tantum antiquis vaticiniis respondere mortem Domini ostendit (12, 15. 38. 40; 13, 18; 19, 24. 28. 36. 37), sed totus quoque in eo est, ut Iesum non necessitate coactum, sed liberum mortem subisse demonstret (18, 4 sqq. 32 sqq.; 19, 10 sq. 28 sqq.)

2.) Quae autem ex Evangelio de eius fine colligimus, eadem nobis tradunt Patres. Inter quos alii quidem finem, quem diximus, Ioanni prae oculis versatum esse disertis verbis asserunt, alii indirecte indicant. Ex prioribus *Origenes :* « Nullus, inquit, Evangelistarum adeo pure manifestavit Iesu divinitatem, ut Ioannes, quippe qui illum inducat dicentem : Ego sum lux mundi; Ego sum via, veritas et vita; Ego sum resurrectio; Ego sum ostium; Ego sum pastor bonus... Audeamus igitur dicere, primitias Scripturarum omnium Evangelium esse, Evangeliorum autem primitias esse Evangelium a Ioanne traditum, cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Iesu recubuerit, nec acceperit a Iesu Mariam, ut ipsius quoque mater fiat »[1]; item *Eusebius* Ioannem a divinitate initium sumpsisse docet, « quippe quae a Spiritu S. ipsi tamquam digniori fuerit reservata »[2]. Quibuscum consentientes ex latinis *S. Hieronymus* testatur Ioannem « de divinitate Salvatoris altius scribere et ad ipsum Dei verbum, non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere »[3], *S. Augustinus* autem : « ceteri, inquit, tres Evangelistae, tam-

quam cum homine Domino in terra ambulabant, de divinitate eius pauca dixerunt : istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se, non solum super terram et super omnem ambitum aeris et coeli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum omnemque constitutionem invisibilium potestatum, et pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia, dicendo : In principio erat Verbum... Cui tantae sublimitati principii etiam cetera congrua praedicavit, et de Domini divinitate, quomodo nullus alius, est locutus »[4]. Quo omnes illi quoque spectant[5], qui aquilae symbolum S. Ioanni adaptaverunt, eo quod « assumtis pennis aquilae ad altiora festinans de Verbo Dei disputaverit », aut etiam leonis symbolum, quia « similis rugienti intonat aeternae pandens mysteria vitae »[6].

Praeter illos deinde Patres, qui haereticis divinitatis Domini impugnatoribus Ioannem suum librum opposuisse tradunt, quosque mox afferemus, indirecte eundem quarti Evangelii finem innuunt, qui post *Clementem Alex.* Ioannem tribus prioribus Evangeliis, quae humanam magis Christi naturam efferunt, « spirituale Evangelium » adiecisse tradunt. Quum infra (65) de hisce recurrat sermo, hoc loco solius *Epiphanii* verba afferemus : « Ioannes postremus accedens altius ascendens ea, quae incarnationem ipsam praecedunt, stabilivit. Spiritualia enim pleraque ab ipso dicta sunt, quum ea quae ad carnem pertinent (τὰ σαρκικά) ab aliis iam essent asserta. Quamobrem spiritualem de illo dono narrationem aggreditur, quod omni initio carens a Patre nobis advenit, et secundum Patris beneplacitum in sanctissima Virgine, in virgineo utero, cum carne est coniunctum. Ceteri autem, quum his consentanea dicerent, id quod necessarium erat, spectarunt, Ioannes vero eius, quod sibi proposuerat, rationem habuit, ut per quatuor Evangelistas eorum, quae ad Christi carnem et divinitatem pertinent, accuratam scientiam teneremus »[6]. Quin nomine « spiritualis Evangelii » Clemens Alex. et Epiphanius librum nostrum ideo insigniverint, quia *magis*, quam reliqua Evangelia, divinitatem Iesu demonstret atque sublime suum argumentum sublimiori quodam modo evolvat, dubium non est, quum ex eorum verbis satis clare eruatur[7].

1. *Orig.* in Ioan. tom. I. 6 (M. 14, 29).
2. *Euseb.* H. E. III. 24 (M. 20, 268).
3. *S. Hier.* in Matth. Prol. (M. 26, 19).
4. *S. August.* in Ioan. tract. 36, 1 (M. 35. 1662); cfr. de cons. Evang. I. 4 (M. 34, 1045) : « Tres tamen isti Evangelistae in his rebus maxime diversati sunt, quae Christus per humanam carnem temporaliter gessit : porro autem Ioannes ipsam maxime divinitatem Domini, qua Patri est aequalis, intendit, eamque praecipue suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longe ab istis tribus superius fertur, ita ut hos videas quodam modo in terra cum Christo homine versari; illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, et pervenisse ad liqui-

dum coelum, unde acie mentis acutissima atque firmissima videret in principio Verbum Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia » etc.

5. Cfr. *Supra* 3. p. 9 sqq.

6. *Clem. Alex.* ap. Eus. H. E. VI. 14 (M. 20, 552); *S. Epiph.* haer. 51, 19 (M. 41, 924). Cfr. *S. Ephr.* Evang. concord. exposit. ed. Moesinger. p. 286.

7. Cfr. *Keppler* Die Composition des Ioannes Evang. Tübingen 1884. p. 4 : « (Der Gegensatz von pneumatisch und somatisch) kann nur heissen, dass Iohannes die Gottheit Christi, worin in Einklang mit den Vaetern allerdings in erster Linie das Pneumatische des Evangelienstoffes zu erblicken sein wird, mehr in den Vordergrund seiner Evangeliendarstellung gerückt, dass sein Evangelium mehr den dogmatisch-christologischen Character angenommen habe, als die drei synoptischen, und dass bei ihm dieser geistige Stoff auch in vergeistigte Formen gegossen sei ».

64. — Accuratioribus autem limitibus hunc quarti Evangelii finem circumscribere poterimus, si ad eos, QUIBUS PROXIME LIBER EST DESTINATUS, animum adverterimus. Si enim in eo messianitatem et divinitatem Iesu demonstrari dicimus, videtur sequi S. Ioannem illum finem, quem S. Matthaeum in suo libro prosecutum esse ostendimus, illumque, quem Marcus prae oculis habuit, quasi in unum coniunxisse. Attamen non ita se res habet; tota enim argumentandi methodo, quam tenet, se nec iudaicis nec ethnicis neophytis librum suum scripsisse luculenter testatur. Namque dum S. Matthaeus, ut Iudaeis Iesum esse Messiam in Lege promissum ostendat, fere continuo ad vaticinia messianica recurrit eaque in Iesu Nazareno impleta demonstrat, S. Ioannes, quamvis in sermonibus ab ipso relatis frequentissime Veteres Scripturas adhibeat, imo ubique cognitas supponat, ipse in suis argumentationibus, si passionis historiam excipis, rarissime antiqua vaticinia in medium adducit; unde nec ad Iudaeos recenter conversos librum suum se direxisse nec illis Iesum esse Messiam persuadere voluisse evidenter manifestat. S. Marcum autem, ut ethnicos in fide recepta confirmaret, semper miracula Domini retulisse illisque veluti unico argumento usum esse vidimus, quo Iesum esse Filium Dei demonstraret. Verum S. Ioannes, quamquam ipse quoque miracula nonnulla (pauciora tamen, quam ullus ex reliquis Evangelistis) narrat atque Dominum quoque ad haec sua opera, ceu ad divinitatis argumentum, provocasse testatur, pro praecipuis tamen argumentis, quibus divinitatem Iesu demonstret, Domini ipsius de divina sua natura testimonia fideique professiones affert, quibus Ioannes Bapt., Apostoli, integer populus messianitatem ipsius et divinitatem agnoscunt. Prae oculis igitur lectores habuit, quibus verba Domini, Ioannis Bapt., Apostolorum maioris erant auctoritatis, quam ipsa eius miracula, i. e. Christianos non neophytos, qui in fide recenter recepta confirmandi erant, sed adultos, qui contra errores in eorum medio exortos erant praemuniendi. Ut imagine a S. Paulo adhibita utamur, Synoptici parvulis in Christo lac dederunt, Ioannes

autem adultis et perfectis solidam escam; priores ad Christum catechumenos adduxerunt, quartus velut mystagogus in intima eius mysteria Christianos introducens veramque illis scientiam (γνῶσιν) praebens illos a falsa, quae eo tempore spargi coepta est, Gnosi avertit.

Revera ita se rem habere confirmant Patres. Brevissime *S. Hieronymus :* « Ioannes, inquit, novissime omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum aliosque haereticos et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Unde et compulsus est divinam eius nativitatem edicere »[1]. Quibus consentanea iam duobus saeculis antea docuerat *S. Irenaeus :* « Hanc fidem annuntians Ioannes Domini discipulus, volens per Evangelii annunciationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus est hominibus, errorem, et multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitae, qui sunt vulsio (ἀπόσπασμα, surculus) eius, quae falso cognominatur scientia (γνῶσις), ut confunderet eos et suaderet, quoniam unus (est) Deus, qui omnia fecit per Verbum suum, et non quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alterum autem Patrem Domini : et alterum quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus Christum, quem et impassibilem perseverasse, descendentem in Iesum filium fabricatoris, et iterum revolasse in suum Pleroma : et initium quidem esse Monogenem, Logon autem verum filium Unigeniti : et eam conditionem (κτίσιν, creationem), quae est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a virtute quadam valde deorsum subiecta et abscissa ab eorum communicatione, quae sunt invisibilia et innominabilia. Omnia igitur talia circumscribere (περιγράφειν i. e. e medio tollere) volens discipulus Domini et regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens, qui per Verbum suum fecit omnia, visibilia et invisibilia, significans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem (creationem), in hoc et salutem his, qui in conditione (creatione i. e. mundo) sunt, praestitit hominibus, sic inchoavit : In principio erat Verbum » etc[2].

Contra Cerinthi igitur, Ebionitarum et Nicolaitarum errores praemunire Ioannem voluisse lectores suos tradunt Patres; quinam vero illi errores fuerint, iidem nos docent. *Cerinthus,* unus ex primis, qui gnosticas doctrinas in systema aliquod compegerunt, ex Aegypto in Asiam Min. advectus docuit « non a primo Deo factum esse mundum, sed a virtute quadam, quae separata sit ab illa potestate, quae est super omnia, ignoretque Deum, qui est super omnia. Iesum autem statuit non ex Virgine natum esse, sed ex Iosepho et Maria consimiliter reliquis hominibus omnibus, iustiorem tamen omnibus fuisse et sapientiorem. Et post baptismum devenisse in eum ab ea principalitate, quae est super omnia (ἐκ τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα αὐθεντίας) Christum in figura columbae,

et tunc annuntiavisse incognitum Patrem et virtutes perfecisse; sub finem autem avolasse Christum a Iesu Iesumque passum esse et resurrexisse, Christum autem a patiendo liberum mansisse, quum esset spiritualis. *Ebionaei* autem consentiunt quidem mundum ab eo, qui revera Deus est, factum esse; quae autem ad Christum pertinent, consimiliter Cerintho fabulantur. Moribus iudaicis utuntur secundum Legem dictitantes sese iustificari, et Iesum dicunt iustificatum esse, quum observasset Legem; quapropter et Christum Dei vocatum esse (eum et) Iesum, quum nemo ex reliquis observasset Legem. Etenim si quis alius fecisset, quae in Lege praescripta sunt, ille evasisset Christus. Posse autem etiam ipsos, si similiter egerint, Christos evadere; etenim illum quoque hominem aeque ac reliquos fuisse dicunt »[3]. De Nicolaitarum doctrina nihil definiti quidem nobis traditum est; ex Patrum autem relationibus videtur constare, illos quoque similibus doctrinis gnosticis inhaesisse, imo eorum sectam matrem foecundam reliquarum gnosticarum fuisse[4].

Omnes igitur haeretici illi, quum Iesum inter et Christum Filiumque Dei distinguerent Iesumque merum esse hominem dicerent, Verbum incarnatum esse Filiumque Dei in carne venisse negarunt. S. Ioannis tempore haeresin hanc in Asia Min. satis late sparsam esse non tantum Patres, sed prima quoque Apostoli Epistola et Apocalypsis docent. In qua priore vehementer in quosdam, quos antichristos vocat, invehitur, « qui ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum ». Mendaces eos appellat, quia « negant, quoniam Iesus est Christus », et ideo etiam « negant Patrem et Filium »; exhortatur autem Christianos, ut probent « spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei : omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, et omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est; hic est antichristus, de quo audistis ». « Et nos vidimus et testamur, quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo », nec quisquam mundum vincit, nisi « qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei »[5]. Quam late autem sparsae doctrinae similes haereticae fuerint, ex Apocalypsi elucet, quum Ephesii, Smyrnenses, Pergameni, Thyatirenses et Sardenses monendi essent, ut a Nicolaitis, Balaamitis et Iudaeis (Ebionaeis), qui « sunt synagoga satanae », caverent[6]. Ceterum omnes iuniores Apostolorum Epistolae gnosticorum errorum initia in ipso apostolico tempore quaerenda esse docent[7].

Iam vero quin iteratae illae assertiones « Iesum esse Christum », « Iesum esse Filium Dei » contra eos sint directae, qui hoc dogma ne-

garunt, non est dubium; singulari autem attentione digna est expressio : *qui solvit Iesum*, quae directe opponitur Cerinthi haeresi qui, quum Iesum inter et Christum distingueret atque alterum ab altero separaret, revera Iesum *solvit* atque destruxit[8]. Quod si nunc easdem assertiones in quarto Evangelio adhibitas videmus, quod totum in eo est, ut Iesum esse Christum Filium Dei demonstret, Verbumque aeternum incarnatum esse et in nobis inhabitasse doceat, nonne fateri cogimur, S. Ioannem contra hosce haereticos librum suum scripsisse, non eum quidem in finem, ut directe eos impugnaret et refutaret, sed ut Christianos contra eorum errores praemuniret? Hinc Evangelista Verbum illud, quod ab aeterno apud Patrem fuit et per quod facta sunt omnia, carnem esse factum docet atque ante baptismum iam, in quo Iesum et Christum unitos esse docuit Cerinthus, Iesum tamquam Filium Dei a Ioanne Bapt. agnitum esse tradit (1, 15.29-34). Hinc, quia Christianis iam in fide confirmatis, non vero recenter ad fidem adductis, Evangelium suum destinavit, argumenta sua praesertim ex ipsius Christi verbis et ex Apostolorum aliorumque fidei professionibus desumsit. Hinc totum Evangelium de sola fere Christi persona agit et vix quidquam de eius regno attingit, nec aliud debitum officium inculcat, nisi intimum cum Christo nexum per fidem in Iesum Christum Filium Dei, « ut credentes vitam habeant in nomine eius ». Hinc ratio redditur, cur S. Ioannes, qui in maxima Evangelii parte vaticinia messianica fere neglexit, in passionis historia frequentius, quam ipse S. Matthaeus, ea allegaverit[9]; *ante* passionem enim Christum a Iesu avolasse asseruerat Cerinthus, *in* passione Iesu autem ea, quae de Christo praedicta erant, impleta esse ac proin Iesum patientem esse Christum ostendit Evangelista. Hinc demum etiam illud explicatur, cur quemadmodum in Epistola, ita in Evangelio « Christus » et « Filius Dei » unum idemque sonent atque nomina haec inter se permutentur; messianitatem enim Iesu Nazareni eo sensu, quo eam intellexerant antiqui Iudaei eamque demonstraverat S. Matthaeus, demonstrare noluit S. Ioannes, sed primarius eius finis fuit, ut ostenderet Iesum esse verum et proprium Dei Filium, qui caro factus habitavit in nobis[10].

1. *S. Hier.* de vir. ill. 9; cfr. in Matth. Prol. (M. 23, 623; 26, 18 sq.).

2. *S. Iren.* c. haer. III. 11 (M. 7, 879 sq.); *S. Epiph.* haer. 51, 12; 69, 23 (M. 41, 909; 42, 237).

3. *Philosoph.* VII. 33. 34 (M. 16, 3342); cfr. *S. Iren.* c. haer. I. 26 (M. 7, 685); *S. Epiph.* haer. 28, 1 (M. 41, 377); *Theodoret.* Fab. haeret. II. 3 (M. 83, 389).

4. *Philosoph.* VII. 36 (M. 16, 3443) : « Gnosticorum diversae sunt sententiae, quorum opiniones indignas, quas referremus, arbitrati sumus... Multifariae autem catervae malorum auctor illis exstitit Nicolaus,... cuius discipulos sancto Spiritui illudentes per Apocalypsin Ioannes coarguit scortantes et idolothytis vescentes » . Cfr. *S. Iren.* c haer. I. 26 (M. 7, 687) etc.

5. 1 *Ioan.* 2, 19. 22; 4, 1-3. 14. 15; 5, 5.

6. *Apoc.* 2, 2. 6. 9. 14 sq. 20; 3, 9.

7. Cfr. *infra* 114. 219. 224; *Hundhausen* Das zweite Pontificalschr. des h. Petrus. Mainz 1878. p. 1 sqq.; *Rampf* Der Brief Iudae. Sulzbach 1854. p. 54 sqq.; *Haneberg* Gesch. der Offenb. Ed. 4. Regensb. 1876. p. 680 sqq.; *A. Maier* Einl. p. 131 sqq.; *Reithmayr* Einl. p. 426 sqq. 614. 626 sq. etc.; *Valroger* Introd. II. p. 278. 286. 388 sqq. etc.

8. Pro eo, quod legit Vulg. cum omnibus Patribus latinis : « omnis spiritus, *qui solvit Iesum*, ex Deo non est, « graeci quidem codices omnes habent : πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν, ἐκ Θεοῦ οὐκ ἔστιν. At graeci Patres antiquiores in suis codicibus idem, quod Vulg., habuerunt : ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν. Cfr. *S. Iren.* c. haer. III. 16 (M. 7. 927); *Orig.* in Matth. Ser. interpret. 65 (M. 13, 1704). *Socrates* (Hist. eccl. VII. 32. M. 67, 809 sq.) contra Nestorium haec « in veteribus exemplaribus » inveniri testatur; « hanc vero sententiam e vetustis exemplaribus sustulerunt illi, qui ab hominis dispensatione divinitatem separare studebant. Quamobrem et prisci interpretes idipsum observaverunt, fuisse nimirum quosdam, qui hanc epistolam depravarunt, hominem a Deo seiungere cupientes ».

9. *Ioan.* 19, 24. 28. 36. 37.

10. Nonnulli (*Hug.* Einl. II. p. 180 sqq.; *A. Maier* Einl. p. 130 sq.) etiam discipulos Ioannis Bapt. in quarto Evangelio impugnari putant, quia toties illius testimonium, « quod non sit Christus » afferat; at de hac polemica ratione Patres prorsus tacent, nec ullum invenitur vestigium, eiusmodi sectam unquam exstitisse. Quae enim *Act.* 19, 1 sqq. referuntur, illa de *secta* tunc exsistente immerito explicantur; qui vero hodie quoque illam sectam in Mendaeis vel Sabiis continuari opinantur, gravissime errant, quoniam Mendaei vel Sabii cum Ioannis B. discipulis nihil habent commune, sed doctrinas suas a Gnosticis, Iudaeis, Parsis acceperunt (Chwolson Die Ssabier u. der Ssabismus. Petersburg 1856). Quod autem toties Baptistae testimonium affertur (*Ioan.* 1, 6. 15 sqq. 26-36; 3, 24 sqq.; 5, 33 sqq.; 10, 40 sqq.), id facile explicatur; nam Baptista, qui Iesu divinitatem ante baptismum agnoverat, testis erat contra Cerinthi haeresin quam maxime idoneus. — Cfr quae de Evangelii nostri fine disserunt *Schanz* (Comm. z. Ioann. 1885. p. 30 sqq.) et *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 507 sqq.).

65. — Sed forsitan aliquis dixerit, si ita se res haberet, ut Iesu divinitatem demonstrare vellet quartus Evangelista, non satis intelligi, cur tot praeclara divinitatis testimonia, quae in synopticis Evangeliis leguntur, prorsus omiserit. Namque de daemoniorum testimonio, quod tam frequenter allegat S. Marcus, ne verbulum quidem affert; transfigurationem, qua suae divinitatis radium quendam discipulis manifestavit Dominus, prorsus tacet; multo pauciora miracula, quam reliqui omnes, narrat; atque ipsam sollemnem illam professionem, qua Iesus a Caipha adiuratus se Christum Filium Dei coram toto synedrio declaravit silentio praetermittit. Cui difficultati solvendae inserviunt ea, quae de occasione, qua Apostolus ad scribendum permotus sit, deque secundario fine, quem sit prosecutus, tradunt Patres.

Unanimis enim eorum est sententia, quae quarti Evangelii indole confirmatur, S. Ioannem tria priora Evangelia cognovisse illaque lectoribus suis cognita supposuisse, atque rogatum a discipulis libro suo

tres priores complevisse. Inter Syros *S. Ephraem* : « Postremus venit Ioannes et reperiens verba eorum, quae de genealogia et natura humana Domini scripserunt, varias opiniones excitasse, ipse scripsit, quod non tantum homo erat, sed quod a principio erat Verbum »[1]. Simili modo inter Alexandrinos *Clemens Alex.* : « Ioannes omnium postremus, quum videret in aliorum Evangeliis ea, quae ad corpus pertinent, tradita esse, a familiaribus rogatus afflatus Spiritu S. spirituale Evangelium conscripsit »[2]. Atque iuniorum Graecorum sententiam exprimit *S. Epiphanius* : « Quum Lucas, inquit, ab inferioribus ad superiores perduxisset generationes ac divinum Verbum e coelo delapsum esse insinuasset simulque carnis ab eodem susceptae mysterium attigisset, ut caecos homines ab errore revocaret, hoc illi assequi tamen nequiverunt. Ideo postea Spiritus S. Ioannem ad scribendum Evangelium impulit... In quo nihil opus habuit accuratius ea mandare literis, quae Christus, quatenus carne erat praeditus, edidisset. Sed ita egit, sicut ille qui post alios incedit eosque ante se videt; per confragosa enim ac spinis obsita loca et diverticula eos gradientes conspiciens, ut eos in tutam viam reducat, post eos clamat : Quid erratis? quo vos convertitis? quos anfractus quaeritis, tu, Cerinthe, tu, Ebion, vosque ceteri? Non ita se res habet, sicut vos creditis. Christus utique secundum carnem natus est; clarum hoc est, ecce enim ego ipse illud assero : Et Verbum caro factum est. At nolite credere eum ab illo dumtaxat tempore esse, quo caro factus est » etc[3]. Mentione haerescon exortarum praemissa in eandem fere sententiam post *Eusebium* ex Latinis *S. Hieronymus* : « Sed et aliam causam huius Scripturae ferunt, quod (Ioannes), quum legisset Matthaei, Marci et Lucae volumina, probaverit quidem textum historiae et vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo et passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Praetermisso itaque anno, cuius acta a tribus prioribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narravit; sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor volumina perlegerint »[4].

Quibus Patrum testimoniis, quae si necesse esset aliis facile augerentur, S. Ioannem constat a familiaribus rogatum suo libro scribendo manum admovisse, quum antecessorum suorum Evangelia iam cognita haberet, illisque suum velut supplementum adiecisse. Quemadmodum infra ostendemus, errat quidem S. Hieronymus cum Eusebio, si quarto Evangelio historiam duorum priorum annorum vitae publicae, tribus reliquis ultimi anni narrationem contineri putant; at quin in quarto aliorum supplementum quoddam habeamus, non est dubitandum. Multa enim cognita supponuntur, quae ex synopticis solis lectores discere debuerunt, imo interdum vix non diserte ad illa eos re-

vocat. Quod assertum pauca exempla explicabunt demonstrabuntque. Iesus a Philippo et ab Iudaeis « filius Ioseph » vocatur et mater eius, ac si lectores eam cognitam haberent, introducitur; S. Ioannes ipse autem, qui fuerint parentes Iesu, nullibi tradit. De miraculis in Cana Galilaeae factis loquens « hoc, inquit, fecit *initium* signorum in Cana Galilaeae », « hoc iterum *secundum* signum fecit Iesus, quum venisset a Iudaea in Galilaeam »; quae verba, ni fallor, indicant lectores eius aut antea putasse aut facile putare potuisse, Dominum ab aliis miraculis ministerium suum galilaicum inchoasse. Baptistam, quum Dominus secunda vice in Galilaeam reverteretur, nondum in carcerem esse missum affirmat, at nihil de hac captivitate refert, quam a Synopticis discere debent lectores. Iesus Apostolos alloquens ait : « Nonne ego vos duodecim elegi? » et in toto Evangelio de duodecim sermo est, quamvis nec de electione eorum, nec de eorum munere quidquam tradat, nec quinam fuerint indicet. Item ut quis fuerit Lazarus lectoribus suis explicet, eum de castello Mariae et Marthae sororis eius fuisse dicit; sorores autem has ex Lucae Evangelio cognitas supponit[5] etc.

Sed de relatione, quae quartum inter et tria priora Evangelia intercedit, in sequenti paragrapho disseremus; quae autem attulimus exempla plane sufficiunt, ut Patrum sententiam supra relatam explanent utque argumenta ad Iesu divinitatem demonstrandam a Synopticis proposita ideo ab Ioanne omissa esse dicamus, quia haec lectoribus iam abunde cognita esse scivit.

1. *S. Ephraem* Evang. concord. expositio ed. Moesinger p. 286.

2. *Clem. Alex.* Hypotyp. apud Euseb. H. E. VI. 14 (M. 20, 552).

3. *S. Epiphan.* haer. 51, 12; cfr. haer. 69, 23 (M. 41, 909; 42, 237).

4. Euseb. H. E. III. 24 (M. 20, 265.) : « Perlatis iam in omnium ipsiusque doae Ioannis notitiam prioribus tribus Evangeliis, approbavisse ea Ioannes et veritatem eorum suo testimonio confirmasse; solam vero narrationem earum rerum, quas Christus circa initium praedicationis gesserat desiderasse. Atque id verum est; nam priores tres Evangelistae ea dumtaxat, quae post coniectum in vincula Ioannem Bapt. unius anni curriculo a Servatore nostro gesta sunt, literis mandasse est perspicuum, id quod ipsi quoque in principio operum suorum testificati sunt.... Rogatus igitur ab amicis Ioannes et tempus a prioribus Evangelistis silentio praetermissum resque eo tempore a Salvatore gestas in suo libro tradidisse dicitur, quemadmodum id indicat, ubi dicit : hoc initium fecit miraculorum Iesus » etc. *S. Hier.* de vir. ill. 9. (M. 23, 623).

5. *Ioan.* 1, 46; 6, 42; 2, 1; — 2, 11; 4, 54; — 3, 24; — 6, 67 sqq.; 20, 24; — 11, 1 etc.

Quæstio IV. — De quarti Evangelii ordine.

66. — Postquam quarti Evangelii authentiam supra vindicavimus atque discipulum, quem diligebat Iesum, i. e. Apostolum Ioannem eius

auctorem esse ostendimus, opus non esse arbitramur, ut historicam eius auctoritatem demonstremus; quis enim tam praeclari testis ocularis relationem in dubium vocare audeat? Inter modernos quidem rationalistas aliqui sunt, qui integrum Evangelium historico eius charactere negato allegoricam quandam narrationem esse contendant, qua nescio quis iunior scriptor sententias suas (gnosticas) proponere illasque, ut maiorem illis conciliaret fidem, ipsi Christo attribuere eiusque sermonibus operibusque fictis probare voluerit[1]. Quae sententia, quum aeque arbitraria sit atque absurda, eo minus videtur esse refutatione digna, quo magis eius propugnatores gratuitas suas assertiones loco argumentorum esse volunt.

Revera autem historico modo Ioannem in sua narratione procedere, temporis, quo omnia gesta esse tradit, accurata indicatio prodit. Statim post prooemium in primo capite singula facta secundum dies, quibus acciderunt, ita distribuit, ut a die, a quo historiam suam inchoat, usque ad nuptias in Cana Galilaeae factas per integram hebdomadem Dominum sequamur; post primum autem, quod ibi patravit, miraculum Dominus in Capharnaum profectus ibi mansit « non multis diebus »[2]. Ab hoc deinde tempore Evangelista omnia, quae narrat, secundum Iudaeorum festa disponit : 2, 13 « prope erat *pascha* Iudaeorum et ascendit Iesus Ierosolymam »; 5, 1 « erat *dies festus* Iudaeorum et ascendit Iesus Ierosolymam »; 6, 4 « erat autem proximum *pascha*, dies festus Iudaeorum »; 7, 2. 14 « erat autem in proximo dies festus Iudaeorum, *scenopegia*... die festo mediante ascendit Iesus in templum »; 11, 53 quum Lazarus suscitasset, « proximum erat *pascha* Iudaeorum » et 12, 1 « ante sex dies *paschae* venit Bethaniam ». Quod pascha ultimum fuit, in quo est passus Dominus, adeo ut omnia, quae ad finem libri usque sequuntur, hac temporis indicatione sint definita. Publicae igitur vitae Domini chronotaxin quandam nobis quartus Evangelista exhibet atque chronologicum ordinem sequi voluisse dicendus est, nisi quis omnes illas temporis descriptiones temere omnino atque inconsulto additas esse contenderit.

1. Post *Baur* (Kritische Untersuchungen über die kanon. Evangelien Tüb. 1847) omnes fere eius discipuli cum authentia historicam quoque auctoritatem quarti Evangelii negant; Pseudo Ioannem illum, quem sibi fingunt, nihil cognovisse nisi facta a Synopticis relata iisque esse abusum, ut gnosticas suas ideas venditaret. Inter alios cfr. *Hilgenfeld* Einleitung p. 719-730; *Keim* Geschichte Iesu v. Nazara I. p. 101 sqq.; *Thoma* Die Genesis des Iohannes Evangeliums 1882. p. 310 asserere non erubuit Christum quarti Evangelii nihil esse nisi « magnam metaphoram »; « seine ganze Lebensentwicklung ist nichts als die Entwicklung der Einen grossen Metapher, d. h. eine fortgesetzte, den Grundbegriff variirende Allegorie. So ist's mit seinen Reden, so mit seinen Werken ». Quis eiusmodi insaniis refutandis tempus suum impendere volue-

rit? Ceterum Evangelii authentia demonstrata integrum istud allegoriarum aedificium, quod magno cum labore exstruunt, funditus evertit.

2. *Ioann.* 1, 29 τῇ ἐπαύριον; 1, 35 τῇ ἐπαύριον; 1, 43 τῇ ἐπαύριον; 2, 1 τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ; 2, 12 καὶ ἐκεῖ ἔμειναν οὐ πολλὰς ἡμέρας.

In tota hac serie solus dies festus Iudaeorum, qui 5, 1 commemoratur, nomine suo caret [3]; quare magnus interpretum, qui vitam Domini publicam chronologice disponere student, est dissensus; alii enim, quum diem illum censeant esse pascha secundum, cui post baptismum Christus interfuit, omnes eius res gestas per tres annos et aliquot menses distribuunt; alii vero aliud festum indicatum censentes duos dumtaxat annos cum aliquot mensibus vitae publicae assignant. Quia ab hac quaestione tota fere vitae publicae chronologia atque adeo ipsa Evangeliorum harmonia dependent [a], eam hoc iam loco paucis exponendam esse arbitrati sumus.

Tria festa maiora, quibus omnes Israelitae adulti ad sanctuarium convenire lege tenebantur, per Moysen instituta esse nemo ignorat; in primo anni mense (Nisan) medio pascha celebrabant, in quo exitus ex Aegypto memoria recolebatur primitiaeque messis offerebantur; quinquaginta diebus post ineunte mense tertio (Sivan) in festo pentecostes de Lege in monte Sinai data et de frugum messe terminata gratias agebant; medio mense septimo (Tisri) festum tabernaculorum (scenopegia) transitum per desertum in memoriam revocabat monebatque de integra messe terminata grates esse agendas. Quibus tribus festis tempore machabaico quartum etiam in templo celebrandum accessit in commemorationem altaris holocaustorum dedicati (encaenia) quod a die 25. mensis noni (Chislev) per octo dies agebatur. Praeterea aliud festum praediligebant Iudaei, quod post exsilium ad liberationem a persecutione Aman commemorandam institutum purim vel sortium festum appellabant; medio ultimo mense (Adar) non in templo, sed lectione libri Esdrae in synagogis et domi conviviis epulisque peragebatur. Unum ex quinque his festis ab Ioanne indicari omnes consentiunt [4], sed suos quodque habet patronos; ut autem brevitati studeamus, eam solam sententiam proponemus et vindicabimus, quae nobis magis probatur, videlicet *a S. Joanne* 5, 1 *designari festum paschatis.*

1.) Cui sententiae ipsa verba favere censemus; probabilior enim lectio habet : μετὰ ταῦτα ἦν ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων [5]; atqui ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων i. e. festum Iudaeorum κατ' ἐξοχήν aliud esse nequit, quam pascha, quod etiam paucis versibus antea (4, 45) bis vocatur ἡ ἑορτή (id quod omnes interpretes concedunt, quamvis paschatis nomen non sit expressum nisi 2, 23), quodque eodem modo a Synopticis designatur [6].

2.) Ad Patrum quidem, quum inter se dissentiant, auctoritatem cum cer-

a. Infra (74) Lucae ordinem cum Ioanne consentire ostendemus atque in tertio quoque Evangelio complura paschata a Domino celebrata et varia eius itinera hierosolymitana indicari. At nisi Ioannes nobis viam monstraret, *certam* chronotaxin vitae publicae Domini non inveniremus. — De secundo paschate, quod *Ioan.* 5, 1 indicatur, cfr *infra* n. 74. p. 281; *Knabenbauer* in Stimmen aus M. L. 1878. XV. p. 211 sq.; *Riess* Nochmals das Geburtsjahr Christi. 1883; *Méchineau*, Vita Iesu Christi D. N. 1896. p. 30 sq. etc.

titudine provocare nobis non licet; magni autem ponderis esse opinamur, quod *S. Irenaeus*, mediatus Ioannis discipulus, nostram sententiam tueatur. « Est autem valde admirari, inquit contra Gnosticos quosdam, quomodo... non scrutati sunt in Evangeliis, quoties secundum tempus paschae Dominus post baptisma ascenderit in Ierusalem. Et primum quidem ascendit in diem festum paschae, quando scriptum est : Quia multi crediderunt in eum, sicut Ioannes (2, 23) Domini discipulus meminit... Et post haec iterum secunda vice ascendit in diem festum paschae in Ierusalem, quando paralyticum, qui iuxta natatoriam iacebat triginta octo annos, curavit (5, 1) » etc [7]. Cui consentit *Chronicon Paschale :* « Quia Iudaei pascha festum celebre et singulare et primarium habebant, ideo Evangelista interdum nominatim illius meminit, interdum autem generatim, uti quando scribit : erat festum Iudaeorum. Heic ergo secundum pascha commemorare mihi videtur; nam ubi alterius Iudaeorum festi meminit, semper illud nominatim designat » [8]. Huc quoque illi Patres, opinor, trahendi sunt, qui Domini vitam publicam plus quam tres annos durasse censeant, imo etiam aliqui saltem ex iis, qui illam ad duos annos et menses aliquot coarctant, quum ad eum fere modum, quo S. Irenaeus, festum paschatis, quod 6, 4 proximum esse dicitur, cum nostro confudisse atque pro uno eodemque habuisse videantur [9].

3.) Aliorum demum festorum exclusione sententia nostra confirmatur.

Nam a.) omni veri similitudine carere arbitramur eam opinionem, quae a Petavio invecta atque hodie a paucis cath. (*Hug, A. Maier, Schanz*, etc.) et plurimis acath. recepta festum Purim designari tenet. Quia enim civile potius quam religiosum erat, nomen ἑορτή, quo Alexandrini hebraicum הג aut מועד reddunt quodque fere ubique aut sabbathum aut tria festa maiora Iudaeorum designat, vix adhiberi potuit. Deinde ad illud peragendum Iudaei Ierosolyma non convenerunt. Demum Purim ultimo anni mense medio celebrabatur, illa autem, quae *Ioan.* 6, 1 sqq. narrantur, ante medium mensem primum acciderunt; unde omnia, quae *Luc.* 6, 1-9, 11 referuntur, quum inter *Ioan.* 5, 47 et 6, 1 sint inserenda, unius vix mensis spatio gesta essent dicenda; id quod nemo facile sibi persuaserit.

b.) Neque festum pentecostes, licet iam a Cyrillo Alex. et Chrysostomo propositum, a S. Thoma Aquin., Maldonato multisque aliis catholicis interpretibus sit acceptum [10], nostro loco videtur convenire. Illam enim pentecosten intelligunt, quae primum pascha, in quo Christus vendentes et ementes e templo eiecit, est secuta; iam vero *octavo* illius anni mense et quidem *ante* festum, de quo quaestio agitatur, Dominus per Samariam in Galilaeam iter fecit [11]. Quod si quis vero pentecosten anni insequentis intelligendam esse contenderet, nobiscum quatuor paschata admittere cogeretur, insuper autem explicare deberet, cur ad secundum pascha Dominus Ierosolyma non ascenderit; rationem enim, ob quam ad tertium pascha non ascendit, indicat Evangelista [12].

c.) Eadem argumentatione excluditur scenopegia, quae septimo mense peragebatur; de encaeniis autem vel ideo sermo esse nequit, quia maioribus festis vix adnumeratur nec ἡ ἑορτή appellari potuit.

4.) Unica fere, quae nostrae sententiae opponitur, difficultas desumitur ex

eo, quod in initio capitis insequentis iterum proximum dicitur pascha Iudaeorum, ac proin concedendum est, integri anni historiam a S. Ioanne esse omissam. Quae difficultas S. Irenaeum videtur permovisse, ut verba illa « erat autem proximum pascha Iudaeorum » de festo proxime praeterito intelligeret. At difficultas tanta non est, ut ad explicationem, quam graecus textus vix ac ne vix quidem permittit, refugiamus. Totum enim illum annum Dominus in Galilaea peregit; S. Ioanni autem propositum non erat galilaicum Domini ministerium narrare, quippe quod ab antecessoribus eius satis fuse descriptum lectoribus suis cognitum esset. Eodem prorsus modo a paschate, de quo cap. 6. agitur, ad scenopegiam, a scenopegia ad encaenia transiliit, omnibus, quae sex et duobus mensibus intermediis gesta sunt, prorsus relictis [13]. In magnis enim illis festis, maxime vero in paschatis, quae celebravit, Dominus gloriam suam singulari modo manifestavit divinamque suam missionem et naturam sollemnius et apertius coram discipulis suis et Iudaeis asseruit: in primo paschate eiectione vendentium e templo et colloquio suo cum Nicodemo, in altero sanatione aegroti, qui triginta octo annos habuit in infirmitate, et disputatione sua cum Iudaeis, in tertio multiplicatione panum et sermone suo de pane vitae, quartum praeparavit resuscitatione Lazari et orationem paschalem ad discipulos habuit in ultima coena. Item in scenopegia et in encaeniis Iesus gloriam suam magnis miraculis (sanatione caeci nati et conatibus Iudaeorum, ut eum lapidarent, ad irritum redactis) manifestavit et divinitatem suam aperte asseruit [14]. Ideo S. Ioannes, ut primarium suum finem attingeret, Dominum nobis ostendit tantum non in magnis illis festis, reliqua autem, utpote quae ab aliis Evangelistis narrata et satis cognita essent, aut fini eius non inservirent, praetereunda duxit [15].

3. *Westcot-Hort* (The N. T. App. p. 71-81) etiam Ioan. 6, 4 nomen « pascha » delendum dicunt, quamvis lectio haec unanimi omnium omnino codicum graecorum omniumque versionum auctoritati innitatur. Ut autem tantae testium nubi contradicatur, indirecta illa, quae afferunt, argumenta non sufficiunt; vix enim non omnia ex temporis spatio desumuntur, quod Patres publicae Christi vitae attribuunt; at in hac quaestione inter se non consentiunt nec potuerunt consentire. Una enim ex parte ex Lucae Evangelio sciverunt, Dominum anno 15. Tiberii praedicare coepisse, altera ex parte traditio docebat eum Rubellione Gem. et Fufio Gem. Coss., i. e. anno 15. Tiberii (29 p. Chr.) passum esse; ideo multi adducti sunt, ut publicae vitae unum solum annum attribuerent; Lucam enim non animadverterunt annos imperii Tiberii ab a. 11. p. Chr. numerare, quo Tiberius testibus Suetonio (Tiber. 21) et Velleio (II. 21) per Senatum populumque dignitatem proconsularem et imperatoriam in omnibus provinciis obtinuit, ita ut Augusto verus esset imperii socius. Quare haec Patrum testimonia nihil nos docent de iis, quae in Scripturarum codicibus suis legerunt, nisi disertis verbis lectiones illas afferunt. Externa igitur argumenta minimi sunt ponderis; minoris autem est internum, quod adducunt, sc. scenopegiam Iudaeis fuisse festum κατ' ἐξοχήν (« not only the last, but the greatest of the primary series of feasts »); pascha enim illis maximum fuisse omnino constat (cfr. Haneberg Religiöse Alterthümer. Ed. 2. Regensb. 1869. p. 621) ideoque etiam solo hoc festo a Romanis libertatem vincti alicuius obtinere solebant.

4. Memoriam vix meretur paucissimorum opinio, qui unum ex minoribus Iudaeo-

rum festis indicatum vident, sive festum tubarum, i. e. initium anni profani die 1. mensis Tisri celebratum, sive festum ligniferii medio mense Ab (Augusto), quando ligna ad servitium altaris in templum afferebantur, celebratum; prius praefert Westcott, alterum Edersheim (*Edersh.* The life and times of Iesus. Ed. 2. London 1884. I. p. 460; II. p. 768 sq.). Ut taceamus, minora illa festa non posse appellari ἡ ἑορτὴ κατ' ἐξοχήν, neutrum ex illis defendi potest nisi contorta explicatione verborum Domini Ioan. 4, 35.

5. Lectionem ἡ ἑορτή tuentur ex codicibus graecis ℵ. C. E. F. H. L. M. Δ. Π et multi minusculi; ex versionibus utraque coptica (aliarum autem linguarum, quum articulum non habeant, versiones non contradicunt); ex Patribus articulum agnoscunt *Cyrill. Alex.* (in Ioan. 5, 1. M. 72, 385) et *Theophylactus* (in Ioan. 5, 1. M. 123, 1275), quamvis diem festum pascha esse negent. Cur articulus a multis codicibus (inter quos praecipui B. A. D.) et ab *Origene* (in Ioan. XIII. 39. M. 14, 463), *Chrysostomo* (in Ioan. hom. 36, 1. M. 59, 203) aliisque sit omissus, facile explicatur; a sciolis enim librariis ob hiatum vitandum, a negligentibus ob soni similitudinem (ἡ ἑορτή) videtur esse neglectus; cur autem, si non adfuit, a librariis sit additus, ratio probabilis non affertur.

6. *Matth.* 27, 15; *Marc.* 15, 6. Festum autem illud, in quo Romani vinctum Iudaeis dimiserunt, fuisse pascha testatur *Ioan.* 18, 39.

7. *S. Iren.* c. haer. II. 22 (M. 7, 782 sq.).

8. *Chron. Pasch.* ad a. 5537 (M. 92, 528).

9. *Euseb.* Chron. ad a. 18. vel 19. Tiberii (M. 19, 535) et H. E. I. 10 (M. 20, 109 sqq.). Cfr. etiam *S. Hier.* in eodem Chron. ad a. 18. Tiberii (M. 27, 571).

10. *S. Cyr. Alex.* in Ioan. 5, 5; *S. Chrys.* in Ioan. hom. 36, 1; *S. Thom., Maldon.* etc in comm.

11. *Ioan.* 4, 35 « Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt et messis venit? » Frugum messis immediate post pascha, in cuius secunda die offerebantur primitiae, incepit. Ex hoc textu contra SS. Cyrill. et Chrysost. iam argumentantur *Rupert. Tuit., Iansen. Gand.* aliique. Recte quoque monet *Tolet.* illis, quae solus Ioannes narrat, tempus inter pascha et pentecosten proxime sequentem intermedium non sufficere.

12. *Ioan.* 6, 4; 7, 1. 2.

13. *Ioan.* 7, 1. 2; 10, 22.

14. *Ioan.* 2, 13-3, 22; — 5, 1-47; — 6, 1-72; — 11, 1 sqq.; 13, 12-17, 26; — 7, 14-10, 42.

15. Cfr. *Grimm.* Die Einheit der Evang. p. 34-86.

67. — Ad temporis igitur, quo singula facta narrata acciderunt, rationem S. Ioannem magna cum diligentia attendisse integer eius liber docet; nihilominus illos errare arbitramur, qui ordinem mere chronologicum in quarto Evangelio observatum vident. Tanta enim eius est unitas, quae solo externo illo temporis vinculo effici non possit; ad manifestationem enim gloriae divinae, quae in Christo apparuit quamque suis oculis Evangelista spectaverat (1, 14), omnia, quae narrat, ita referuntur, ut interno quoque nexu arctissime copulentur. Quare rectissime illi nobis videntur iudicare, qui praeter ordinem chronologicum etiam logicum adesse statuunt et in nostro Evangelio perfectissimae artis opus admirantur. Ex singulis scilicet vitae publicae Domini perio-

dis S. Ioannes res narrandas tanta cum arte elegit, ut temporis ordine plane observato aptissimam quandam singularum partium descriptionem et distributionem efficeret, quae fini primario, quem sibi proposuerat, quam maxime esset adaptata.

Logicam rerum distributionem in quarto Evangelio iam vidit et evolvere conatus est *S. Thomas*[1]; at qui eum secuti sunt interpretes singulorum versuum explicatione contenti ad totius libri unitatem et dispositionem parum attenderunt, usque dum hoc nostro tempore magna cum diligentia nec minore cum sagacitate in logicum eius ordinem inquirere coeperint. Quamvis autem plerique eum agnoscant, in eo tamen definiendo et describendo in diversissimas abeunt sententias[2]. Quas omnes referre et diiudicare superfluum esse arbitrati eam solam partitionem proponemus, quae nobis probatur.

Idea igitur, qua totum Evangelium ad unitatem redigitur, est *manifestatio gloriae divinae in Christo, Deo et homine*. Quam ideam in prologo (1, 1-18) dogmatice, ut ita dicam, explanans veluti thema narrationis suae sibi proponit, historice autem in duabus libri partibus ita evolvit, ut trinas sectiones distinguat, quae sibi quodam modo correspondent. Quin duae partes sint distinguendae, nemini dubium est, qui attenderit Evangelistam ultimo capite 12. ad ea, quae Dominus signis et praedicationibus effecit, respicientem explicare cur maiorem fidem haec eius gloriae manifestatio non invenerit, atque primis versibus cap. 13. ad passionem transire. Cum S. Thoma igitur duas partes praecipuas distinguimus : gloriam suam manifestavit Dominus in vita sua publica (1, 19-12, 50) et in morte sua (13, 1-21, 23). In prima autem utriusque partis sectione manifestatio haec gloriae describitur fide accepta ab iis, qui bonae erant voluntatis (1, 19-4, 54 et 13, 1-17 26), in altera impugnata et reiecta a Domini adversariis (5, 1-11, 56 et 18, 1-19, 37), in tertia triumphum agens de obstaculis oppositis (12, 1-36 et 19, 38-21, 23). Duo ultimi versus Evangelii totius epilogum exhibent.

1. *S. Thom. Aq.* (Comm. in Ioan. 2. Lect. 1.) duas distinguit partes : « Primo narrat ea, quae Christus fecit in mundo vivendo ad manifestationem suae divinitatis (2-11), secundo quomodo Christus suam divinitatem monstravit moriendo (12-21) ». Priorem deinde partem in varias sectiones distribuit : Evangelista demonstrat Christi divinitatem 1.) quantum ad dominium, quod habuit supra naturam (2.); 2.) quantum ad reformationem gratiae a.) per spiritualem regenerationem (3. 4.) b.) per beneficiorum regeneratis collationem, quae beneficia sunt vita spiritualis (5.), cibus spiritualis (6.), doctrina spiritualis (7) etc.

2. Catholici interpretes nonnulli (*Goldhagen* Introd. III. p. 102; *Hug* Einl. II. p. 228 sq.; *A. Maier* Einl. p. 136 etc) solum chronologicum ordinem sequuntur; alii simul realem statuunt, inter quos *Bacuez* (Manuel bibl. III. p. 112) quatuor partes distinguit (1-12 Jésus se révèle à ses compatriotes comme la vraie source de la lu-

mière et de la vie; 13-17 il découvre à ses disciples les secrets de son âme, les sentiments de son cœur et l'esprit du Christianisme; 18. 19. Tableau de sa passion et de sa mort; 20. 21. Récit de sa resurrection); *Bisping* tres (1-12 Iesu öffentliche Wirksamkeit und Kampf mit der Welt; 13-17 Iesus im Kreise seiner Jünger; 18-20 Sein Leiden, Sterben, Auferstehung); *Messmer* (Introd. p. 49) duas (1-12 Christi in terra revelatio : a.) Christus occultus 1-3; b.) Christus revelatus 4-6; c.) Christus impugnatus 7-10; d.) Christus reiectus 11. 12; — 13-20 Transitus ad Patrem a.) idea huius transitus explicata per sermones ad discipulos 13-17; b.) transitus per passionem et glorificationem 18-20); *Keppler* (Composition des Iohannes Evangelium's) iterum tres praeter Prologum. (Prolog 1, 1-18; I. 1, 19-4, 54 : Erster Kreis der Offenbarung Iesu, vor den Jüngern, in Iudaea, Samaria, Galilaea; die ersten Glaubensfrüchte, die ersten Anzeichen des Unglaubens; II. 5-12. Zweiter Kreis der Selbstoffenbarung Iesu; das Licht im Kampf mit der Finsterniss; des Unglaubens Wachsthum und Ausbreitung; III. 13-20 Abschluss der Selbstoffenbarung im Wort: Vollendung des Unglaubens im Mord; Sieg des Gottessohnes im Tod; Vollendung des Glaubens in der Auferstehung); quam divisionem *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 509) approbat; attamen *Schanz* (Comm. p. 52 sqq.) ad communiorem bipartitionem revertitur (1. Manifestatio Iesu tamquam Filii Dei coram discipulis et Iudaeis 1,18-12, 50; Consummatio redemtionis per passionem et resurrectionem 13, 1-20, 31). *Bisping*, *Messmer*, *Keppler*, *Schanz* ultimum caput velut appendicem terminato libro additam considerant. — Inter acatholicos alii duas, alii tres, alii quinque, alii septem partes faciunt; de quibus cfr *Keppler* l. c. p. 7 sqq.

68. — Accuratiorem idearum nexum haec ANALYSIS exhibet.

PROLOGUS (1, 1-18) dogmaticum quoddam totius Evangelii fundamentum est. Verbum Dei, quod est aeternum et Deo consubstantiale, quamvis per creationem et supranaturalem revelationem sese manifestasset, ab hominibus peccato (tenebris) obnoxiis non cognoscebatur (1, 1-5), atque ne tunc quidem, quum a praecursore annuntiatum in mundum, imo in propria, venisset, a suis recipiebatur, illis autem, a quibus recipiebatur, summam dignitatem tribuebat (1, 6-13). Et tamen Verbum caro factum et inter homines habitans *gloriam suam manifestabat gratia et veritate, quam distribuit* (1, 14-18).

PARS PRIOR (1, 19-12, 50). *Manifestatio divinae gloriae* D. N. IESU CHRISTI PUBLICE AGENTIS AC DOCENTIS.

I. *Ab illis, qui bonae sunt voluntatis, fide recipitur, sed non ab omnibus fide perfecta et sufficienti* (1, 19-4, 54).

1. Fide perfecta recipitur

a.) ab Ioanne B., qui gloriam hanc, quam divinitus cognoverat, profitetur coram legatis synedrii hierosolymitani (1, 19-28) et apertissime coram discipulis suis (1, 29-34);

b.) a primis Domini discipulis, qui partim altero Baptistae testimonio ad eum adducti vix cognitum proclamant Messiam (1, 35-42), partim ab ipso vocati radio omniscientiae manifestato eum Filium Dei profitentur (1, 43-51), atque prima omnipotentiae manifestatione (miraculo in nuptiis Canae) in fide confirmantur (2, 1-12).

2. Fidem quidem, sed non perfectam

a.) Ierosolymis invenit, quum in *primo paschate* coram synedrio et toto

populo gloriam suam manifestavit purificata domo Patris sui (1,13-17); namque

α.) alii signum postulant, quo cognoscant, qua potestate agat, quibus non promittitur nisi signum futurae resurrectionis, cui etiam fidem non adhibituri sint (2,18-22); aliis signa non petentibus signa dantur, sed ad plenam fidem non perveniunt, ita ut Dominus se illis credere nolit (2,23-25).

β.) Nicodemo demum, quamvis eius fides sit debilis et timida, sese credit; ei enim necessitatem renascentiae spiritualis praedicat eidemque, ut illam possibilem esse cognoscat, aperte divinitatem suam revelat et necessitatem fidei in ipsum, tamquam in Filium Dei, inculcat (3,1-21).

b.) Item in Iudaea, ubi Iesus per aliquot menses baptizabat, fidem quidem inveniebat, quum « omnes venirent ad eum », at non perfectam, quum ipsi Ioannis B. discipuli a magistro suo testimonio novo de divinitate Domini atque fidei in illum necessitate essent convincendi (3,22-36).

3. Plenam autem hanc fidem iterum invenit

a.) in Samaria (4,1-42). Dominus, quum populi ad eum concursus insidias Pharisaeorum provocasset, relicta Iudaea per Samariam profectus est in Galilaeam (4,1-4); in itinere Samaritanam omniscientia sua paullatim ad fidem adducit eidemque se Messiam esse revelat (4,5-26). Dum mulier contribules suos ad Iesum advocat, ipse discipulis suis magnam messem, quam aliquando (reiectis Iudaeis ex ethnicis) collecturi sint, praedicit (4,27-38). Ex Samaritanis autem multi iam non propter verbum mulieris, sed propter sermones Domini in eum crediderunt tamquam in Salvatorem mundi (4, 39-42).

b.) Similem fidem invenit apud Galilaeos, qui quum ad festum paschatis venissent, eius signa viderant; regulus autem capharnaumitanus secundo miraculo, quod in Cana Galilaeae patravit Dominus, sanato nimirum filio ipsius, adductus est, ut crederet cum tota domo sua (4,43-54).

II. *Manifestatio gloriae Christi impugnata et reiecta a Pharisaeis* (5,1-11,56).

1. In *secundo paschate* aperte prorumpit infidelitas illa Iudaeorum hierosolymitanorum, quae in primo iam aliquatenus sese ostenderat (5,1-47).

a.) Iesus, quum sabbatho aegrotum, qui triginta octo annos habuerat in infirmitate, solo verbo suo sanasset, accusatur a Iudaeis, quod sabbathum violasset, quumque ad sese defendendum ad Patrem suum provocaret, qui etiam continuo operatur, maioris criminis reus habetur, quia aequalem se faceret Deo (5,1-18).

b.) Qua occasione usus exponit Dominus, quomodo operatio sua, quamvis eam, uti vitam suam, a Patre habeat, eadem sit, quae Patris (5,19-30), suoque testimonio adiungit testimonia Baptistae (5,31-35), Patris sui (5,36-38), Moysis ipsius, in cuius libris putent vitam

se habere Iudaei et qui eos accusaturus sit, quia verbis ipsius fidem non adhibuerint (5,39-47).

2. In *tertio paschate* etiam inter discipulos eius galilaicos infidelitas sese manifestat (6,1-72).

a.) Gloriam suam duobus miraculis manifestavit Dominus, quae apta videbantur ad omnium fidem provocandam, multiplicatione panum et ambulatione supra mare (6,1-21).

b.) Iudaei autem, qui eum Capharnaum secuti erant, maiora signa, ut in eum crederent, postularunt atque praesertim panem de coelo, sicut Moyses dederat in deserto (6,22-31). Quibus ita respondet, ut praeprimis se ipsum, tamquam panem vitae per fidem manducandum proponat (6,32-42); quae quum non intelligerent, altius animos eorum elevans sese ipsum, carnem suam et sanguinem suum, tamquam verum cibum et potum promittit, quocum manna comparari non possit (6,43-60).

c.) Carnalibus vero Iudaeis nimis durus videbatur hic sermo, atque multi quoque discipulorum eius abierunt retro; duodecim autem Apostoli crediderunt et confessi sunt, quia ipse esset Christus, Filius Dei. Attamen unus quoque ex illis veram fidem non habuit (6, 61-72).

3.) Eodem anno *in scenopegia* Iudaeorum hierosolymitanorum infidelitas apertis inimicitiis Dominum persequitur (7,1-10, 21).

a.) Odio Iudaeorum non obstante Dominus, postquam per annum et dimidium fere in Galilaea praedicavit, iterum ad festum Ierosolymis celebrandum ascendit, sed non manifeste, quemadmodum fratres eius volebant, sed occulte, ne odium adversariorum suorum magis provocaret (7,1-13).

b.) *Mediante festo* ascendit in templum, ibique et divinam suam missionem asserit, quae tota sua agendi ratione confirmetur, et accusationem, quod sabbatho aegrotum sanaverit, iniustam esse ostendit (7,14-24). Inter fidem et infidelitatem fluctuant auditorum animi; cui incertitudini ut finem faciant, mittunt Pharisaei ministros, qui eum apprehendant; Iesus autem morte sua praedicta abiit e templo (7,25-36).

c.) *Ultimo festi die* Dominus se proclamat fontem vitae; turbae incertae haerent, Pharisaeorum ministri eum apprehendere non audent, in synedrio ipso Nicodemus eum defendit (7,37-53).

d.) *Postridie*, postquam accusatores adulterae confudit (8,1-11), Dominus, quum se lumen mundi proclamasset, testimonium suum verax esse ostendit (8,12-20). Secuta est vehemens altercatio. Dominus mortem suam, quam ab adversariis suis passurus sit, praedicit, sed etiam adversarios suos in peccatis esse morituros; ad sanguinem autem suum abrahamiticum provocantes monet, verum eorum patrem, quum veritati cum obstinatione resistant, esse diabolum (8, 21-47). Ad iram inflammati adversarii eum daemonium habere blasphemant; contra quam blasphemiam quum sese defendisset

Dominus atque se maiorem et priorem Abrahamo proclamasset, exacerbati Pharisaei lapidare eum voluerunt (8, 48-59).

e.) *Insequente sabbatho* novo Domini miraculo (caeco sanato) nova ira incenduntur Pharisaei. Apertissimum miraculum agnoscere nolunt, sanatoque e synagoga ejecto ostendunt se lumen videre nolle (9, 1-41), at etiam se bonos non esse pastores (10, 1-6). Qua occasione adducitur Dominus, ut sese proclamet bonum pastorem, ad cuius ovile etiam pertinent aliae oves (sc. gentiles), quae vocem ipsius sint auditurae et ad unicum ovile, cuius ipse est pastor, sint perventurae (10, 7-21).

4.) Duobus mensibus postea *in encaeniis* Dominus directe interrogatus a Pharisaeis num sit Christus, suam cum Patre aequalitatem asserit; et quum eum ideo lapidare vellent, ad opera sua provocat, quae sunt eadem atque opera Patris. Insidiis autem eorum se subtrahit in Peraeam secedens, quo multi ad eum veniunt credentes in eum (10, 22-42).

5.) Ex Peraea Bethaniam ab aegroti Lazari sororibus advocatus non ivit, nisi postquam Lazarus iam mortuus est; magno enim signo voluit discipulorum suorum fidem confirmare (11, 1-15), sese revelare « resurrectionem et vitam » (11, 16-27), gloriamque Dei manifestare (11, 28-40). In divinae igitur suae missionis demonstrationem quatriduanum mortuum ex sepulcro ad vitam revocat, adstantesque quidem in eum credunt (11, 41-45);

At aliquorum fides mox exaruit; abierunt ut signum hoc denuntiarent synedrio. Miraculo autem audito, quoniam signa negare non potuerunt, Pharisaei et Pontifices, instigante Caipha et monente expedire, ut unus homo moriatur pro populo et non tota gens pereat, eum occidere statuunt. Quare mandant, ut omnes indicent, ubi sit Iesus, qui interim in civitatem Ephrem se receperat (11, 46-56).

III. Antequam autem hoc consilium exsequi potuerunt, voluit Pater, ut *manifestatio gloriae Christi triumphum ageret de adversariis*, incompletum quidem, sed praesagium completi mox agendi (12, 1-36).

1. *Sex diebus ante quartum pascha* Dominus Bethaniam reversus pretioso unguento ungitur a Maria approbantibus omnibus uno traditore excepto (12, 1-8); multi autem Iudaei, qui eum ibi esse audierunt, veniunt ad eum et credunt in eum (12, 9-11).

2. *Sequente die* rex pacificus, quemadmodum Zacharias praedixerat, sed triumphans acclamante populo in civitatem suam ingreditur, et adversarii eius fateri coguntur, mundum totum post eum abire (12, 12-19).

3. Etiam gentiles eum videre volunt; quem ethnicorum accessum Iesus ipse initium suae clarificationis esse explicat, simul insinuans plenam clarificationem suam non nisi post vicinam mortem suam esse venturam. Illam autem vox de coelo delapsa promittit; quam vocem populo interpretatus instantem iam mortem eiusque fructus praedicit. Quo vaticinio, cui exhortationem ad fidem adiungit, publicum suum ministerium terminat (12, 20-36).

In huius partis epilogo (12, 37-50) Evangelista monet omnibus Christi

signis non obstantibus multos in eum non credidisse, quia corda eorum erant obdurata, alios, quia gloriam ab hominibus quaerebant, fidem profiteri non esse ausos (12, 37-43); Iesum autem veram fidem, quae operibus quoque se manifestet, postulasse, quia haec in eum fides simul sit fides in Patrem et salutem det credenti (12, 44-54).

PARS ALTERA (13, 1-21, 23). *Manifestatio gloriae* CHRISTI MORIENTIS.

I. *Manifestatio haec in ultima coena fide accipitur a discipulis* (13, 1-17, 26).

1. Pro huius sectionis introductione narrat Evangelista, Dominum, quum in ultima coena summae suae dilectionis pignus institueret, lotione pedum et humilitate commendata ad illud discipulos praeparasse (13, 1-17) ex eorumque medio traditorem eiecisse (13, 18-32). Post cuius egressum Dominus de instante sua morte loqui incipiens discipulos ad dilectionem mutuam exhortatur Petroque interrumpenti trinam negationem praedicit (13, 33-38).
2. Ad thema suum reversus primum *consolatur* discipulos suos (14, 1-31).
   a.) promittens se illis locum paraturum venturumque, ut illos recipiat ad se (14, 1-3);
   b.) confirmans illorum fidem in suam cum Patre consubstantialitatem, quam operibus ipse manifestaverit, quamque omnes credentes iisdem et maioribus operibus sint manifestaturi (14, 4-14);
   c.) promittens se illis missurum esse Spiritum atque se ipsum quoque illis omnibusque mandata sua observantibus esse manifestaturum et cum Patre in eis mansurum (14, 15-27);
   d.) relinquens illis veram pacem, ut de suo discessu gaudeant potius quam tristentur (14, 28-31).
3. Dein eosdem *exhortatur* (15, 1-16, 4)
   a.) ad intimam cum se, viti vera, unionem, ut divites fructus ferre possint (15, 1-11);
   b.) ad mutuam dilectionem, qua ipsum imitentur (15, 12-17);
   c.) ad mundi odium non timendum, quum ipse prior idem odium sustinuerit, quamvis operibus suis suam divinam missionem probaverit, ita ut odium hoc in se et in Patrem suum sit inexcusabile (15, 18-27). Persecutionibus autem, quibus odium contra eos sese manifestabit, enumeratis (16, 1-4)
4. ad *consolationem* reversus (16, 5-33)
   a.) suum discessum necessarium esse docet, ut mittere possit Spiritum S., qui venturus sit, ut arguat mundum (16, 5-11) et discipulos docens clarificet Filium (16, 11-15);
   b.) eundem autem discessum non diu duraturum esse monet, sed post modicum se reversurum, ut corda eorum gaudio repleat (16, 16-24).
   c.) Sermoni suo finem imponit exitum suum a Patre tam clare pronuntians, ut discipuli gaudentes se intelligere et credere profiteantur; ipse autem monet in passione sua hanc fidem fore instabilem; confidant autem, quia per ipsum victoriam sint reportaturi (16, 25-33).
5. Sequitur sollemnis oratio, qua Christus (ut homo) a Patre precatur (17, 1-26)

a.) ut se ipsum clarificet claritate, quam habuit (ut Deus), priusquam mundus esset (17, 1-5);

b.) ut discipulis suis det perseverantiam in fide eosque servet a malo et sanctificet (17, 6-19);

c.) ut omnes quoque, qui per eos crediturі sint, unum sint inter se, unum quoque secum et cum Patre, et secum uniantur in beatitudine (17, 20-26).

II. *Manifestatio gloriae Christi morientis ab inimicis eius impugnatur et reiicitur* (18, 1-19, 37). Passionis historiae analysin non tradimus; monemus autem Dominum et in horto (18, 6 sqq.) et coram summo sacerdote (18, 20 sqq.), et coram Pilato (18, 36 sqq.; 19, 9 sqq.), et in morte (19, 30), et post mortem (19, 33 sqq.) gloriam suam manifestasse, atque Evangelistam in tota hac narratione ostendere, Dominum mortem obisse, quia ipse voluerit.

III. *Manifestatio gloriae Christi triumphum agit de adversariis* (19, 38-21, 23).

1. Immediate post mortem Ioseph ab Arimathaeo et Nicodemus, qui eousque ob metum Iudaeorum fidem profiteri ausi non erant, aperte iam Domini discipulos se profitentes eius corpus magno cum honore in novo monumento reponunt (19, 38-42).

2. Tertio die a morte resurgens apparet Mariae Magdalenae, discipulis, et quum Thomas adhuc dubitaret, ostendit ei fixuram clavorum et lateris vulnus, ut ita omnes credant, quia ipse sit Christus Filius Dei et credentes habeant vitam in nomine ipsius (20, 1-31).

3.) Postea manifestavit se discipulis ad mare Tiberiadis et constituit Petrum pastorem supremum totius sui gregis (21, 1-23).

Epilogus veram esse narrationem testatur sed simul incompletam eam esse fatetur (21, 24. 25).

Quaestio V. — Quo tempore et loco Evangelium sit scriptum.

69. — Quartum Evangelium, quemadmodum ultimum locum in Evangeliorum serie occupat, ita etiam post tria alia in lucem prodisse longa demonstratione non indiget; Patrum enim testimonia, quae iam attulimus, librique ipsius ratio atque indoles, quam descripsimus, abunde id probant. Ut autem editionis tempus exactum definiatur, desunt argumenta certa.

Satis magna cum verisimilitudine ex eo, quod Ioannes verbis Petro a Domino dictis significari dixit, qua morte princeps Apostolorum Deum esset clarificaturus, multi deducunt, librum hunc post mortem S. Petri esse conscriptum; rectissime enim monet *Patrizi* « nunquam alias Ioannem sive Prophetarum sive Christi praedictiones interpretari, nisi quum res praedictae iam evenissent; imo unicum istud fore, non in Novo Testamento solummodo, sed in integris Bibliis oraculum, quod historicus ipse, qui illud refert, ante eventum esset interpretatus » [1].

Neque probabilitate sua caret argumentum, quo alii post Ierosolymorum tandem eversionem Evangelium conscriptum docent; animadverterunt enim Evangelistam ubique, ubi de rebus hierosolymitanis loquitur, praeteritum adhibere tempus, ac si suo tempore iam non amplius superessent[2].

Quia in fragmento Muratoriano Andreas Apostolus inter eos nominatur, quibus exhortantibus et approbantibus Ioannes librum suum edidisse dicitur, sunt qui non diu post. a. 70. illum prodisse censeant[3]; nescio vero an tanti faciendum sit unum hoc testimonium, quum plerique Patres ultimo potius primi saeculi decennio quartum Evangelium attribuere videantur. Quo pertinent omnes illi, qui Ioannem illud aut in insula Patmo exsulantem, aut Ephesi post reditum ex exsilio aut in extrema senectute composuisse tradunt[4].

Quibus argumentis et testimoniis magis minusve incertis maioris ponderis esse censemus illud, quod Evangelii ipsius finis et indoles nobis exhibent. Etsi enim iam ante SS. Petri et Pauli mortem gnostici errores ecclesiam asiaticam perturbassent, illa tamen earum forma, quam quartum Evangelium destruit, exeunte dumtaxat saeculo 1. ibi propagari coepta est. Illo enim tempore Cerinthum ex Aegypto Ephesum venisse tradunt Patres; atque circa idem fere tempus Ebionitae, quorum origo palaestinensis ante 7. vel 8. decadem saec. 1. quaerenda non est, alias Ecclesiae partes invaserunt. Indolem quoque Evangelii integram argumentandique rationem, qua utitur Ioannes, lectores supponere, qui in fide evangelica iam diu vixerint ac pro lacte solido cibo indiguerint, supra iam monuimus. Quare omnia conspirant, ut ultimis Domitiani annis aut Nervae tempore quartum Evangelium editum dicamus.

Utrum vero Ephesi sit scriptum an in Patmo insula, quum inter se dissentiant Patres, nemo cum certitudine definiverit. Gravissimus quidem testis, *S. Irenaeus*, Ephesi illud editum esse directe asserit, cum eoque consentiunt non pauci illi, qui ex exsilio reversum scripsisse librum suum referunt[5]. *Ps. Hippolytus* vero, quem iuniores satis multi sequuntur, Ioannem una cum Apocalypsi etiam Evangelium in Patmo composuisse videtur asserere; *Ps. Athanasius* utramque relationem coniungere conatur : « Evangelium, inquit, secundum Ioannem dictatum est ab Ioanne Apostolo dilecto, quum exsul esset in Patmo insula, et postea ab eodem Ephesi editum per Gaium dilectum Apostolorum hospitem, de quo et Paulus Romanis scribens ait : Salutat vos Gaius hospes meus et totius Ecclesiae »[6]. Sed quaestioni huic immorari opus non est, quum ad librum intelligendum nihil conferat.

1. *Patrizi* De Evang. I. p. 103. Minoris momenti est, quod addat reliquos Evangelistas « observantia quadam usos in Petrum adhuc viventem » eius nomen non po-

suisse, quum servo pontificis auriculam in horto abscissam referrent, Ioanem autem Petri iam defuncti nomen indicasse.

2. *Ioan.* 11, 18 « *erat* Bethania iuxta Ierusalem »; 18, 1 « trans Cedron *erat* hortus »; 19, 41 « *erat* autem hortus ». Sed 5, 2 « *est* autem Ierosolymis probatica piscina », reliqua tamen de hac piscina, quae deletis Ierosolymis forte remansit, praeterito tempore narrantur. Cfr. *Hug* Einl. p. 262 sq.; *Patrizi* l. c. p. 104.

3. *Reithmayr* Einl. p. 421; *Valroger* Introd. II. p. 99. — Aliquos ex immediatis discipulis Domini, quum Ioannes Evangelium scriberet, in vivis egisse etiam alii antiqui scriptores testantur; num vero Andreas inter eos fuerit, incertissimum est.

4. Testimonia Patrum de loco et tempore originis nostri Evangelii diligentissime collegit *Patrizi* De Evang. I. p. 112 sqq.; illa, quae maioris sunt auctoritatis, supra iam attulimus.

5. *S. Iren.* c. haer. III. 1 (M. 7, 845).

6. *Ps. Hippol.* De duodecim Apost. (M. 10, 952); *Ps. Athanas.* Synops. 76 (M. 28, 435). Maiorem testium numerum pro Patmo stare asserit *Patrizi* l. c. p. 117; at, nisi fallor, illorum testium praevalet auctoritas, qui Ephesum locum originis nominant; ergo Nerva imperatore (96-98) Evangelium editum recte dicitur. Cfr de his quaestionibus *Schanz* Comm. p. 48 sq., *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 524.

§ 8. — *De quarti Evangelii ad synoptica relatione.*

70. — Magnam differentiam quartum inter et tria priora Evangelia intercedere tam perspicuum est, ut neminem, qui vel obiter ea unquam legerit, illa effugiat. Synoptici enim eadem fere facta eosdemque sermones Domini eodem plerumque modo referunt; Ioannes autem non solum alia facta enarrat, sed vix non aliam Domini imaginem nobis depingit. *Clemens Alex.* differentiam hanc iam ita expressit, ut tres priores ea, quae ad corpus Christi pertinent, retulisse, Ioannem autem spirituale Evangelium nobis dedisse affirmaret[1]. Accuratius eandem fere ideam *S. Augustinus* ita descripsit : « Quum duae virtutes propositae sint animae humanae, una activa, altera contemplativa, illa qua itur, ista qua pervenitur, illa qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum, ista qua vacatur et videtur Deus : illa est in praeceptis exercendae vitae huius temporalis, ista in doctrina vitae illius sempiternae, ac per hoc illa operatur, ista requiescit, quia illa est in purgatione peccatorum, ista in lumine purgatorum; ac per hoc in hac vita mortali, illa est in opere bonae conversationis, ista vero magis in fide et apud perpaucos per speculum in aenigmate et ex parte in aliqua visione incommutabilis veritatis... Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres Evangelistas temporalia facta Domini et dicta, quae ad informandos mores vitae praesentis maxime valerent, copiosius persecutos circa illam activam virtutem fuisse versatos, Ioannem vero facta Domini multo pauciora narrantem, dicta vero eius ea praesertim, quae Trinitatis unitatem et vitae aeternae felicitatem insinuarent, diligentius

et uberius conscribentem in virtute contemplativa commendanda suam intentionem praedicationemque tenuisse »[2].

Quum sive ad Synopticorum auctoritatem minuendam et elevandam, sive ad quarti Evangelii authentiam impugnandam non pauci differentia hac abutantur, quaestionem hanc omittere non licet; contra illos enim, qui alterutram relationem fidem non mereri arbitrantur, demonstremus oportet, undenam diversitas haec exorta sit et quomodo apte explicetur. In duobus autem maxime apparet 1.) in rebus videlicet, quae narrantur, et 2.) in docendi methodo, quae Domino attribuitur. Quod si duplicem hanc differentiam adesse libentissimi concedimus, 3.) omnem tamen oppositionem vel contradictionem, quam quartum inter et tria priora Evangelia rationalistae invenire volunt, prorsus negamus.

1. *Clem. Alex.* apud Eus. H. E. VI. 14 (M. 20, 552); *S. Epiph.* haer. 51, 12 (M. 41, 909); cfr. *supra* 65 p. 245 sqq.

2. *S. August.* De cons. Evang. I. 5 (M. 34, 1045 sq.).

71. — SS. Patrum testimoniis atque exemplis ex quarto Evangelio desumtis supra (65.) iam demonstravimus illud quoque S. Ioannem in libro suo scribendo sibi proposuisse, ut antecessorum suorum narrationem, quam cognitam habuit, additis illis, quae Synoptici utpote finibus suis minus apta omittenda duxerant, compleret. Unde iam minime est mirum, quod tanta inter eos sit RERUM NARRATARUM DIFFERENTIA; ad quid enim illa repetiisset, quae a tribus iam narrata omnibus fidelibus eo tempore, quo ipse scripsit, diu innotuerant? Quod si duo miracula ab illis relata (multiplicationem panum et deambulationem Domini super mare) ipse quoque refert, ratio, cur ita egerit, in comperto est; occasionem enim sermonis dominici de pane vitae indicare voluit. Passionem vero narrat, ut circumstantias quasdam ab aliis omissas, sed fini eius quam maxime adaptatas adderet.

Si Eusebio et S. Hieronymo crederemus, Synoptici ea dumtaxat, quae ultimo vitae suae publicae anno Christus egerat, nobis enarrassent, Ioannes vero « superioris temporis, antequam Baptista in carcerem clauderetur, historiam » texuisset[1]. At non satis accurate haec dicta esse facile apparet. Etenim procul dubio Synoptici vitae publicae historiam a Baptistae captivitate incipiunt atque captivitatem hanc ita referunt, ut illam mox post Domini baptismum et tentationem accidisse lector imprudens putare possit[2]. Quem errorem ut praecaveret, S. Ioannes non tantum ea, quae ante Baptistae vincula Dominus sive in Iudaea, sive in Samaria et Galilaea gesserat, satis fuse narravit, sed disertis quoque verbis ea antea accidisse monuit, atque ante illa miracula, quae Synoptici in Galilaea patrata referunt, duo alia iam facta esse

docuit[3]. Re igitur vera « superioris temporis, antequam Baptista in carcerem clauderetur, historia » quarto Evangelio texitur. Attamen narratio haec pars minima est quarti Evangelii, quum quatuor tantum capita, eaque non integra (Ioan. 1,19-4,45) complectatur; reliqua vero eius pars de eodem, quod Synoptici respiciunt, tempore agit.

Accuratius, opinor, illi loquuntur, qui ita inter se Evangelistas Christi historiam partitos esse dicunt, ut priores tres galilaicum Domini ministerium narrarent, quartus ea, quae in Iudaea gesta sunt, suppleret. Etenim si quis solos synopticos libros legeret, Dominum relicto deserto, in quo per quadraginta dies ieiunavit, in Galilaeam secessisse nec ante ultimum pascha, in quo passus est, Ierosolyma ascendisse aut in Iudaeam reversum esse facile putaret[4]. Ex quarto autem Evangelio, si quis illud solum haberet, vix non concluderet, Christum admodum pauca, quae memoria digna erant, in Galilaea gessisse; tria enim miracula, quae in Cana et trans mare galilaicum patravit, et unum sermonem in synagoga capharnaumitana habitum dumtaxat Ioannes refert[5]; reliqua omnia, si colloquium cum Samaritana excipis, aut Ierosolymis aut saltem in Iudaea gesta et dicta sunt.

Attamen ut differentiam in rebus narratis omni ex parte explicemus, ad secundarium quarti Evangelistae finem solum attendere non licet; primarium quoque perpendamus necesse est. Dubitandum quidem non est, quin *nonnulla* a Synopticis omissa supplere voluerit, sed omnia suppleri non potuisse ipse in libri fine asserit[6]; quare ea supplesse dicendus est, quae aptiora iudicavit, ut lectoribus suis magis magisque persuaderet, « quia Iesus est Christus Filius Dei », ut haec credentes vitam haberent in nomine eius. Itaque Dominum sequitur illis in locis atque occasionibus, in quibus gloriam suam magis manifestavit divinitatemque suam apertius asseruit. Atqui hoc in festis diebus, quando Ierosolyma ad domum Patris sui Christus ascendit, maxime accidit. Unde illud quoque explicatur, cur solus Ioannes de itineribus festivis Domini scripserit.

In templo enim tempore messianico « gloriam Dei » singulari modo sese esse manifestaturam, ut secundi templi gloria magnificentiam primi sit superatura, Prophetae annuntiaverant : « Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum et *gloria Domini* supra te orta est. Quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos; super te autem orietur *Dominus* et *gloria eius* in te videbitur ». Quae Isaiae verba a tribus ultimis Prophetis quodam modo explicantur et evolvuntur. « Adhuc unum modicum est, inquit Dominus per Aggaeum, et ego commovebo coelum et terram et mare et aridam et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus (hebr. et gr. : venient pretiosa omnium gentium) et *implebo domum istam gloria*...; magna erit *gloria domus istius novissimae* plus quam primae, dicit Dominus exercituum, et *in*

loco isto dabo pacem ». Eodem modo per Zachariam Dominus fore promisit, « ut consolaretur adhuc Sion et eligeret Ierusalem », quae deserta iacebat. « *Lauda et laetare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui* »; « reversus ad Sion habitabo in medio Ierusalem, et *vocabitur Ierusalem civitas veritatis et mons Domini exercituum,* mons amplificatus »; « *in die illa erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae* », et « in die illa exibunt *aquae vivae de Ierusalem,* medium earum ad mare orientale et medium earum ad mare novissimum ». Atque tandem per Malachiam, Prophetarum ultimum, clamaverat : « Ecce, ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet *ad templum suum dominator, quem vos quaeritis,* et Angelus testamenti, quem vos vultis : ecce venit, dicit Dominus exercituum »[7].

Quomodo vaticinia haec impleta sint, nos docet S. Ioannes. Ex parte quidem eorum adimpletionem ex Synopticis demonstrare possumus; Lucas enim nobis narrat, Dominum, quum in templo a parentibus praesentaretur, a Simeone salutatum esse « lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis Israel »; idem quoque nobis Iesum duodecimo aetatis anno in domo Patris sui sapientia sua et responsis suis omnium doctorum admirationem excitasse refert; omnes demum in unico itinere hierosolymitano, quod ex eius vita publica commemorarunt, eum templum ingressum esse docent acclamante toto populo : « Hosanna filio David! Benedictus, qui venit rex in nomine Domini : pax in coelo et gloria in excelsis. Benedictum, quod venit, regnum patris nostri David »[8]. Attamen nec querelam Domini de Ierosolymitanis, quos *toties* congregare voluerit, quemadmodum gallina congreget pullos sub alas[9], plene intelligeremus, nec omnimodam vaticiniorum illorum adimpletionem ostendere possemus, nisi Ioannes libro suo aliorum narrationes complevisset. Qui, quum manifestationem gloriae Christi describendam sibi proposuisset, Dominum in eius ministerio galilaico sequi non potuit, quamvis ibi quoque miraculis divinam suam potentiam atque infinitam suam sapientiam sermonibus suis manifestasset; sed ut superbos gnosticos, qui absconditam quandam sapientiam se possidere gloriabantur, prorsus confunderet, Christum coram principibus et doctoribus Israel divinitatem suam revelantem et asserentem ostendit : qua ratione omnibus, qui oculos suos luci claudere noluerunt, persuasit, quia Iesus est Christus Filius Dei.

Ex finibus igitur diversis, quos Evangelistae tres priores et quartus in narrationibus suis persecuti sunt, rerum narratarum diversitas abunde explicatur.

1. *Euseb.* H. E. III. 24 (M. 20, 265); *S. Hier.* De vir. ill. 9. (M. 23, 623) Cfr. *supra* 65.
2. *Matth.* 4, 12; *Marc.* 1, 14; *Luc.* 3, 20; 4, 14.

3. *Ioan.* 3, 24; 2, 1-11; 4, 46-54.

4. Immerito quidem, nam Domini verba a Synopticis relata : « Quoties volui congregare filios tuos » etc (*Matth.* 23, 37; *Luc.* 13, 34) Dominum *saepius* Ierosolymis commoratum esse insinuant.

5. *Ioan.* 1, 43-2, 12; 4, 43-54; 6, 1-7, 13.

6. *Ioan.* 21, 25; 20, 30.

7. *Is.* 60, 1. 2; *Agg.* 2, 6 sqq.; *Zach.* 1, 17; 2, 14; 8, 3; 13, 1; 14, 8; *Mal.* 3, 1.

8. *Luc.* 3, 32; 2, 47; — *Matth.* 21, 9; *Marc.* 11, 10; *Luc.* 19, 38.

9. *Matth.* 23, 37; *Luc.* 13, 34.

72. — Ex diversis autem finibus etiam DIVERSA DOCENDI METHODUS explicatur, quam in Evangeliis adhibitam videmus. Sermones Domini, quos Synoptici referunt, ab iis, quos in quarto Evangelio legimus, quum argumento tum stylo quam maxime differre, nemo negat. Priores enim plerique de rebus moralibus praeceptisque vitae tractant; res autem fidei, quae in eis proponuntur, magis obviae sunt et intellectu faciliores. Stylus quoque eorum est facilis populique captui accommodatus; gnomis enim, similitudinibus, parabolis abundant, quae attentionem excitant et memoriae sponte sua sese infigunt. In quarto autem Evangelio rebus moralibus quodam modo posthabitis Dominus vix non semper dogmata, eaque sublimia, atque altissima fidei nostrae mysteria proponit; de suis enim divina et humana naturis, de sua cum Patre unitate, de Trinitatis mysterio agit; « nihil humanum, inquit *S. Chrysostomus*, dicit, sed quidquid loquitur, ex spiritualibus abyssis haustum est, ex arcanis illis, quae antequam fierent, ne angeli quidem noverant »[1]. Argumenti autem sublimitati respondet stylus, qui haud raro abstractus ideoque obscurior, saepe etiam augustus est et magnificus; parabolae et similitudines rariores sunt, eae autem, quae proferuntur, sublimiores sunt et dogmatis potius docendis, quam vitae praeceptis tradendis, adaptatae.

Quam differentiam adesse libentissimi fatemur; at immerito illam a modernis quibusdam « criticis » pro argumento nobis obtrudi contendimus, quo aut Synopticorum aut quarti Evangelistae fidelitatem et veracitatem destruant. Alteram aiunt a Synopticis, alteram ab Ioanne nobis depingi imaginem, ac si utraque ad personae similitudinem expressa non esset. Cui obiectioni ut occurrerent, iam dudum monuerunt aliqui interpretes, imaginem Socratis, quam Xenophon in suis Memorabilibus nobis exhibet, plane esse diversam ab illa, quam Plato in suis Dialogis depinxit, nec tamen prudentem dubitare, quin utraque veritati sit similis; utramque enim esse coniungendam, ut Socratem plene et perfecte cognoscamus. Quod si merus homo a suis discipulis tam diverso modo depingatur, ut eorum descriptiones, quamvis verae, vix eandem personam reddere videantur, quid mirum, quod Christi discipuli varias nobis

magistri sui imagines exhibeant? — Illae enim non ita sunt comparatae, ut inter se pugnent, sed ut altera alteram compleat perficiatque; quare etiam si sermones dominicos spectamus, Ioannes Synopticorum narrationem complesse dicendus est. Illi enim ipsi nobis asserunt alio modo verba fecisse Dominum ad populum, alio modo ad discipulos, ad istum quidem plerumque in parabolis, ad illos autem, quibus datum erat nosse mysteria regni coelorum, sine parabolarum involucris[2]. Quare S. Ioannes, postquam multas parabolas a tribus prioribus iam relatas vidit, alios sermones non parabolicos eligere maluit, quos Dominus sive ad populum sive ad discipulos habuit. Alterum quoque dicendi modum adhibuisse Christum manifestum est, quoties ad simplices piscatores et agricolas galilaicos verba fecit, ut eos regnum coelorum advenisse doceret, alterum autem, quoties contra doctos Pharisaeos superbosque Scribas hierosolymitanos disputavit eorumque quaestiones captiosas et insidiosas refutavit. Ad *formam* igitur sermonum dominicorum quod attinet, nihil est, quod admirationem moveat; ex auditorum enim diversa indole satis explicatur. Annon apud ipsum Ioannem Dominus prorsus aliam docendi methodum adhibet, ubi Nicodemum, « hominem ex Pharisaeis, principem Iudaeorum », renascentiae spiritualis necessitatem docet, aliamque, ubi Samaritanam ad fidem adducit? Accedit autem, quod doctores iudaici suam habebant disputandi methodum suamque, ut ita dicam, linguam scholasticam, qua haud raro veritates, quas docere volebant, abscondebant potius quam revelabant. Cum illis vero disputans Dominus methodo eorum linguaeque suam quodam modo accommodavit, ut confusa eorum superbia fastidioque represso, quum ea, quae proponebantur, non intelligerent, ad divinam suam sapientiam agnoscendam eos adduceret. « Tu es magister in Israel et haec non intelligis »[3]?

Quemadmodum autem ex auditorum diversitate maior sermonum dominicorum obscuritas in quarto Evangelio satis explicatur, ita ex argumento, quod tractant, et ex occasionibus, in quibus habiti sunt, *sublimitas* eorum sufficientem explicationem habet. Synoptici quidem ipsi quoque de divina Christi natura eiusque intima cum Patre unione loquuntur; at pro fine, quem sibi proposuerant, et pro lectoribus, quibus libros suos destinarunt, pauca tantum Domini verba de hoc mysterio retulerunt[4]; « cum homine Domino, inquit *S. Augustinus,* in terra ambulabant, de divinitate eius pauca dixerunt. Ioannes vero, quasi cum piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram et super omnem ambitum aeris et coeli, sed super omnem etiam exercitum angelorum omnemque constitutionem invisibilium potestatum et pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia, dicendo : In principio erat Verbum... Huic tantae sublimi-

tati principii etiam cetera congrua praedicavit et de Domini divinitate, quomodo nullus alius, est locutus »[5]. Ut primarium suum finem attingeret, Ioannes illos sermones, in quibus sublimia haec mysteria accuratius fusiusque tractata sunt, non referre non potuit; quod autem sublimia haec dogmata sublimiori dicendi modo sint proposita, quid miri habet? Quid, quod orationes illae pleraeque in sollemnioribus festis sint habitae, quae ipsis suis ceremoniis ritibusque Israelitis omnibus praeclare illa de Messia vaticinia in memoriam revocabant? Dominus igitur sublimibus Prophetarum imaginibus usus facilius auditorum mentes captivavit, quam si eas neglexisset. Quid mirum tandem, quod iis in occasionibus, in quibus Christus gloriam suam apertius manifestavit et coram populi principibus asseruit, sermones eius sublimiores ipsae quoque infinitam loquentis maiestatem manifestaverint?

At Ioannes in reliquo Evangelio, in quo ipse loquitur, uti etiam in prima epistola, eodem fere loquendi modo utitur, quem in sermonibus dominicis ab eo relatis deprehendimus. Ita rationalistae nonnulli, ut sermones illos ab Ioanne confictos esse demonstrent. Boni autem illi viri animadvertere noluerunt, discipulo vituperationi non esse, si in loquendi modo docendique methodo magistrum suum imitetur, maxime quando idem argumentum evolvit et per longam vitam magistri sui dicta frequentissime meditatus est. Procul dubio Ioannes sermones, quos hebraice vel potius syrochaldaice Dominus habuerat, non ita memoriae mandasse credendus est, ut postea graece scribens verbum verbo redderet; sed accuratissime eorum sensum retinuerat, atque Spiritu S. assistente ita eos retulit, ut de suo adderet nihil, nihilque quod ad finem suum assequendum utile duxit, omitteret. Si quis vero meram formam externam, i. e. graecas dictiones constructionesque aliaque id generis, spectare voluerit, nihil obest, quominus in ea Ioannis ipsius stylum apparere dicamus; ceterum quam accurate verba magistri sui memoria retinuerit et literis mandaverit, non uno in loco demonstrant explicationes ab ipso additae[6].

1. *S. Chrysost.* in Ioan. hom. 1, 2 (M. 59, 26).

2. *Matth.* 13, 10 sqq.; *Marc.* 4, 11 sqq.; *Luc.* 8, 10 sqq. Si Dominus (*Math.* 13, 34; *Marc.* 4, 34) se sine parabolis ad populum non loqui asserit, id per se patet ad certum tempus esse restringendum : « multa sine parabolis dixit, sed tunc temporis nihil » (*S. Chrys.* in Matth. hom. 47, 1. M. 58, 481). Absurdum igitur est, si verbis illis Crusius, Hilgenfeld aliique abutuntur, ut contradictionem Synopticos inter et Ioannem inveniant. Annon tres priores Evangelistae ipsi sermones Domini ad populum habitos referunt, in quibus parabolae frustra quaeruntur?

3. *Ioan.* 3, 10. Cfr. *Aberle* Ueber den Darstellungscharakter des Iohannesevang. Tüb. Quartalschr. 1868. p. 11 sqq.; praesertim p. 20 sqq., qui egregie haec evolvit.

4. Cfr. *Matth.* 9, 4 sqq., 11, 27; 22, 41 sqq.; 25, 31 sqq. et parall. apud Marc. et Luc.

5. *S. August.* in Ioan. tract. 36, 1 (M. 35, 1662).

6. *Ioan.* 2, 19 sqq.; 4, 32 sq.; 7, 33 sqq.; 11, 11 sqq.; 12, 16; 12, 32 sq.; 14, 4 sqq.; 16, 17 sqq. etc.

73. — Differentiae hae, quas inter quartum et inter tria priora Evangelia adesse fatemur, completam perfectamque eorum concordiam non tollunt; *ullam enim inter illa* VERAM CONTRADICTIONEM *inveniri negamus.* Non desunt interpretes protestantici, qui ad rationalismum magis minusve inclinantes Ioannem antecessorum suorum errores corrigere voluisse asserant. Quod falsissime asseri demonstratione vix indiget. Quae enim ad assertum illud stabiliendum afferuntur, pleraque nihil aliud probant, nisi accuratiore sua narratione quartum Evangelistam praecavisse, ne priorum relatio ab incautis lectoribus male intelligeretur. Quaenam primum et secundum miracula fuerint a Domino in Galilaea patrata, S. Ioannes disertis verbis docet, non ut Synopticos corrigat, sed ut eorum lectores moneat, ne aut a sermone montano aut a vocatione Apostolorum aut a praedicatione in synagoga nazarethana ministerium suum Dominum inchoasse opinentur. Eodem modo narrat, quaenam ante Baptistae captivitatem gesta sint, ut Christiani scirent, quo vitae suae publicae tempore Christus praedicare in Galilaea coeperit[1]. Quod si occasionem indicat, in qua Andreas, Petrus aliique prima vice Dominum viderunt, Synopticis non contradicit, quippe qui nullibi asserant, eum prorsus incognitum primis Apostolis fuisse, quando illos ad continuam suam sequelam vocavit[2]. At omnes, quae enumerantur, contradictiones afferre operae pretium non est; inter Evangelistas enim non sunt, sed inter eorum interpretes, qui aut in tribus prioribus vel in quarto Evangelio vident, quae nec Synoptici nec Ioannes dixerunt, aut ad sacrorum scriptorum fines non attendentes velut principium statuunt, Evangelistas omnia illa ignorasse, quae non narrant. In historia tamen passionis dominicae quaedam sunt, quae, quum frequentius ad Evangeliorum auctoritatem labefactandam adhibentur, explicatione indigent.

1. *Ioan.* 2, 11; 3, 54; *Matth.* 5, 1; *Marc.* 1, 16; *Luc.* 4, 16. Cfr. *S. Aug.* de cons. Evang. II. 18 (M. 34, 1097) : « Unde intelligitur hos tres Evangelistas non Ioannis Evangelistae contraria narrasse, sed praetermisisse primum Domini adventum in Galilaeam posteaquam baptizatus est, quando illic aquam convertit in vinum; tunc enim nondum traditus erat Ioannes, eum vero adventum eius in Galilaeam connexuisse narrationibus suis, qui post Ioannem traditum factus est; de quo eius reditu in Galilaeam ipse Ioannes Evangelista sic loquitur : Ut ergo cognovit Iesus » etc. (*Ioan.* 4, 1-3).

2. *Ioan.* 1, 35 sqq.; *Matth.* 4, 18 et parall. Cfr. *S. Chrys.* in Matth. hom. 14, 2 (M. 57, 219) : « Atqui Ioannes ait eos alio modo esse vocatos; unde palam est, hanc (apud Matth.) secundam fuisse vocationem; et similia aliis in locis frequenter videmus » etc; *S. August.* de cons. Evang. II. 17.

1.) Gravissima difficultas a multis in eo invenitur, quod ultimae coenae alium diem Synoptici alium Ioannes assignare videantur; moderni autem interpretes protestantici plerique apertam in eorum relationibus inveniunt pugnam [3]. Etenim « prima die azymorum » Dominum ultimam coenam celebrasse et pascha manducasse, tradunt Synoptici; Ioannes autem diem priorem videtur indicare, ita ut prima azymorum die Dominus sit cruci affixus; namque eum coenasse refert cum discipulis « ante diem festum paschae », postridie autem Iudaeos praetorium intrare noluisse, « ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha », et Pilatum pro tribunali sedisse illo die, « qui erat parasceve paschae » [4].

Synopticos et Ioannem de die, qua mortuus est Dominus, ac proin etiam de die, qua ultimam coenam celebravit, inter se pugnare, nemo prudens unquam sibi persuadebit. Etsi enim ad Evangelistarum inspirationem non attendamus, quomodo fieri potuit, ut in re tanti momenti aut S. Matthaeus et S. Petrus, Marci magister, aut S. Ioannes erraverint? Quis crediderit, eos ignorasse, utrum in festo illo die, quem celeberrimum omnes Iudaei habebant, an in altero quodam die eorum Dominus et magister, pro quo ipsi omnia supplicia subire non detrectaverunt, a populo suo sit reiectus, Romanis traditus, turpissimae morti addictus? Imo si concederemus, quod concedi tamen nullo pacto licet, Evangelia non eorum esse, quibus inscribuntur, pugnam in hac quaestione inter ea non admitteremus. Totum enim christianae religionis fundamentum est mors et resurrectio Christi. « Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est fides vestra... adhuc enim estis in peccatis vestris » [5]. Et de hoc fidei suae fundamento primos Christianos certam traditionem non habuisse dicemus? Credat Iudaeus Apella! A priori igitur pugnam de die mortis dominicae inter Evangelistas adesse, imo adesse posse negamus et pernegamus.

Qua persuasione commoti quum iam antiquitus interpretes plurimi apparentem illam contradictionem enucleare studerent, multos et varios solutionis modos proposuerunt, qui in tres classes apte distribuuntur. Alii enim Ioannis relationem ita interpretantur, ut Dominum die 13. Nisan coenam paschalem anticipasse, die autem 14, quo Iudaei secundum Legem agnos suos paschales mactabant, mortem obisse dicant, atque Synopticorum relationes in eandem sententiam interpretari conantur. Alii autem pro fundamento synopticis narrationibus usi Dominum die 14. Nisan una cum Iudaeis pascha manducasse et die 15., in primo paschatis die, cruci affixum esse censent, atque Ioannem in suas partes trahere student. Alii demum tenent, Dominum die quidem 14. Nisan, qui erat dies a Lege praescriptus, coenam paschalem celebrasse, Iudaeos vero paschale suum convivium illo anno in diem sequentem transtulisse, ita ut Dominus eadem hora sit mortuus, qua Iudaei agnos suos mactarunt. Omnium istarum sententiarum argumenta diiudicare interpretis est; ut difficultatem, quae ex variis Evangelistarum relationibus contra eorum fidem et concordiam desumitur, solvamus, tertiam, quae sola nobis probatur, paucis explicabimus et vindicabimus.

Duo autem necessario esse admittenda censemus, nisi Evangelistarum verbis vim inferre velimus : 1.) verum et proprium pascha Dominum cum

discipulis suis manducasse; 2.) Iudaeos autem illo anno pascha suum non eodem die, quo Dominus, comedisse; prius enim diserte tradunt Synoptici, alterum non minus diserte Ioannes.

Etenim secundum Matthaeum discipuli « *prima die azymorum* » Iesum interrogant : « *ubi vis, paremus tibi comedere pascha* »? Secundum Lucam autem in ipsa coena Dominus magno desiderio se desiderasse dicit « *hoc pascha manducare* » cum suis. Quae verba tam clara sunt, ut immerito a quibusdam primae sententiae patronis de coena quadam « *quasi paschali* » explicentur. Accuratius autem diem ipsam definiunt Marcus et Lucas : τῇ προτέρᾳ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον et ἦλθεν ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα[6]; iam vero dies, quo Iudaei agnum immolare *solebant* (hunc enim sensum exhibet imperf. ἔθυον), quo agnum paschalem mactari *necesse erat*, dies erat 14. Nisan; ita enim habet Lex : « servabitis (agnum) usque ad 14. mensis huius (sc. Nisan) immolabitque eum universa multitudo Israel ad vesperam... et edent carnes nocte illa assas igne et azymos panes »; « dies prima erit sancta et sollemnis et dies septima eadem festivitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis his, quae ad vescendum pertinent »; « primo mense (Nisan) die 14. mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem 21. eiusdem mensis ad vesperam »[7]. Quare dubitatio nulla relinquitur, quin tres priores Evangelistae indicare voluerint Dominum die a Lege praescripto, qui erat 14. Nisan, ad vesperam agnum paschalem cum discipulis manducasse.

At aeque certum est, Iudaeos eo die, quo Christus in praetorium ductus et a Pilato condemnatus et in crucem actus et a Nicodemo sepultus est, agnum paschalem nondum manducasse. Diserte enim tradit Ioannes pontifices et Pharisaeos in praetorium non introisse, « ut non contaminarentur, sed *ut manducarent pascha* »[8]. Frustra secundae sententiae patroni effugium quaerunt asserentes terminum « manducare pascha » de sacrificii cuiuscunque tempore paschali oblati manducatione posse intelligi, maxime autem de sacrificio חגיגה, quod die 15. Nisan offerendum erat; desunt enim argumenta, quibus assertum suum probent[9]. Praeterea ad Legem mox allatam non attendunt, quae diem primum post agni paschalis esum pro sabbatho habendum illoque omnia opera servilia vitanda praescripsit. Nec synedrium igitur congregari, nec iudicium agi, nec omnia illa peragi licuit, quae sive ab ipsis pontificibus et Pharisaeis, sive a Nicodemo et piis mulieribus die crucifixionis peracta narrantur.

3. Inter alios, ut paucos dumtaxat nominemus, cfr. *Renan* Vie de Jésus p. 383 (Ed. 18. p. 396) « Ce n'était pas le festin rituel de la pâque, comme on l'a supposé plus tard, en commettant une erreur d'un jour. C'est le système des synoptiques; mais Jean, dont le récit a pour cette partie une autorité prépondérante, suppose formellement que Jésus mourut le jour même où l'on mangeait l'agneau »; *Davidson* Introd. II. p. 404. « The ablest (!?!) critics admit that there is an irreconciliable difference between the synoptists and the fourth gospel, in respect to the day on which Iesus was crucified »; *Meyer Weiss* Handb. II. Ioh. Ed. 8. 1893. p. 572 : « Nach den Synoptikern war der Freitag des Todes Iesu der 15. Nisan, nach Ioh. aber der 14. Nisan. Es ist kaum ein unzweifelhafteres exegetisches Resultat zu denken, aner-

kannt auch von *Lücke, Neander, Krabbe, Theile, Sieffert, Usteri, Ideler, Bleek, de Wette, Brückner, Ebrard, Ewald, Baur, Hilgenfeld, Hase, Weisse, Rückert, Steitz, I. Müller, Koessing, Kahnis, Pressensé, Keim* u. M. », i. e. a tantum non omnibus interpretibus acatholicis. — Ex catholicis *Koessing* (de supr. coena. 1858. p. 57 sqq.) eandem opinionem sequitur, hac in re non catholice sentiens. Mirum commentum nuper *P. Semeria* O. Barn. (Revue bibl. 1896, p. 78 sqq.) proposuit. Ex Ioanne tenendum esse asserit, Christum die 13. Nisan ultimam coenam celebrasse, in Synopticis autem, qui diem 14. indicant, non *literam* attendendam esse sed *spiritum;* illos quippe id unum declarare voluisse, Domini coenam fuisse legalem; quia autem dies 14. erat legitimus coenae dies, illos coenam Christi in diem 14. retulisse neque tamen ideo docere voluisse, Dominum revera die 14. Nisan ultimum pascha celebrasse. Hac nova literae et spiritus distinctione commenta multa non minus nova quam mira ex Scripturis colligere non admodum difficile erit.

4. *Matth.* 26,17; *Marc.* 14,12; *Luc.* 22. 7. — *Ioan.* 13,1; 18, 28; 19,14.

5. 1 *Cor.* 15,14. 17. Authentia huius Epistolae tam certis nititur argumentis, ut ipsi Neotubingiani eam agnoscant. Tota igitur quaestio est, num Paulus ipse de die, a qua et suam ipsius et omnium, pro quibus laboravit, aeternam salutem dependere dicit, quidquam certi sciverit fidelibusque tradiderit. Paulus vix quinque aut sex annis post Domini mortem ad fidem conversus est; num illo tempore, quo Dominus pro nobis mortem obiit, ipse Ierosolymis adfuerit, ignoramus quidem, quin etiam eum non adfuisse probabilius censemus (*infra* 98); at quis sibi persuadebit, eum in hanc diem non inquisivisse aut de ea nihil certi audivisse nec fidelibus tradidisse?

6. *Matth.* 26, 17; *Luc.* 22, 15; *Marc.* 14, 12; *Luc.* 22, 7.

7. *Exod.* 12, 6. 8. 16. 18.

8. *Ioan.* 18, 28.

9. Adversarii utique ad *Deut.* 16,2; 2 *Paralip.* 30,22 et 35,7 provocant, ut suam opinionem vindicent; sed quam parum isti textus eis faveant, egregie ostendit *Knabenbauer* Comm. in Matth. 1893. II. p. 408 sq.

Quae quum extra dubium versari videantur, ad ea concilianda iam *Eusebius* et *S. Chrysostomus* monuerunt, non eodem die a Domino et a Iudaeis coenam paschalem esse celebratam; Iudaeos enim, ut Dominum in crucem agerent, illo anno contra Legem mactationem agnorum in diem sequentem transtulisse[10]. Qua sua sententia viam ad difficultatem solvendam monstrarunt, etsi ratio, ob quam pascha ab Iudaeis illo anno dilatum dicunt, verisimilitudine careat. Eandem autem viam ingressus nodum optime solvit *Rupertus Tuit.:* « Inter traditiones plurimas, inquit, quas seniores Iudaeorum superstruxerant traditionibus Dei, illud quoque statuerant, ut si diem ante sabbathum, quam sextam feriam dicimus, contingeret esse 15. mensis, non celebraretur sollemnitas, sed differretur in diem sequentem sabbathi, difficile et incommodum esse dicentes duo sabbatha continuare, i. e. duobus diebus vacare ab omni opere... Traditio haec cognita magnam solvit quaestionem ei, qui forte dicat: Quum Iudaei die 14. ad vesperam celebrando pascha agnum comedissent et sequenti die, quoniam 15. erat, sollemnitatem celebrare et secundum Legem vacare debuissent, quomodo illis iudicia tractare licuit? Hanc, inquam, quaestionem solvit cito cognitio illius iam dictae traditionis, quia traditum illis fuerat, differre sollemnitatem, quum evenisset ante sabbathum legale dies 15. mensis, et pro duobus sabbathis unum celebrare sabbathum magnum sollemnitate duplici ». Quam traditionem testi-

moniis rabbinorum in medium allatis fuse deinde probavit *Paulus Burgensis*, quem secuti sunt alii [11]. Iesus igitur cum discipulis suis secundum Legem agnum paschalem comedit vespere die 14. Nisan, qui illo anno in feriam quintam incidit; Iudaei autem secundum traditiones suas, ne duo sabbatha sese exciperent, coenam paschalem in vesperam diei 15., quae erat feria sexta, transtulerunt, atque ita factum est, ut illud sacrificium cruentum, cuius typus agnus paschalis fuerat, circa eandem horam in Golgotha consummatum sit, qua in templi atrio agni mactabantur : antitypo autem praesente typus cesset necesse est, ac proin illo iam anno verum pascha non amplius celebrarunt Iudaei infideles. Ceterum hanc festivitatis translationem ipsi nobis insinuant Synoptici; quod si enim Lucas eo die, quo Christus coenam celebravit, pascha « debuisse occidi » et Marcus « solitum fuisse occidi pascha » dicant, indirecte saltem innuunt, illo anno a Iudaeis hanc legem vel consuetudinem observatam non esse [12].

Contra hanc nodi solutionem duo obiici solent : a.) nullo modo demonstrari translationem illam festi paschalis, quam hodie usurpant Iudaei, iam Christi tempore in usu fuisse, neque b.) Christum, si translationis usus eo tempore iam exstitisset, agnum coenae paschali necessarium die praecedente obtinere potuisse. Ad priorem difficultatem autem quod attinet, Thalmudem, qui ab exsilio babylonico translationem illam invaluisse asserit, certum fontem historicum non ubique esse fatemur, sed cur in hac quaestione ei fidem denegemus, nulla nobis apparet ratio. Procul dubio enim hanc traditionem non finxit, ut nobis difficultatis solvendae viam pararet, altera autem ex parte causa, ob quam translationem illam invectam esse docet, summa gaudet veri similitudine; gravissimum enim omnibus Iudaeis fuisset onus, si modo pharisaico per duos dies continuos ab omni opere abstinuissent. Mirum autem non est, quod translationem Christi tempore in usu fuisse testimonio coaevo demonstrare non valeamus; unicus enim testis *fere* aequalis, qui de festis Iudaeorum loquitur, est Fl. Iosephus, qui quum historiam narret, Iudaeorum autem ritus eatenus tantum explicet, quatenus eorum scientiam ethnicis, ut iudaicas res gestas intelligerent, necessariam censuit, non nisi prorsus singulari ratione adduci potuit, ut ipsam hebdomadis diem, quo aliquoties celebranda essent festa, indicaret. Quare magis esset mirandum, si rarae huius, de qua agitur, exceptionis commemorandae occasionem invenisset, quam quod illam non invenit.

Minoris ponderis est, quod secundo loco obiicitur. Ritus enim in agnis paschalibus offerendis idem erat, qui in omnibus victimis pacificis : quotidie autem sacrificio matutino terminato a privatis quibuscunque hostiae pacificae offerebantur, quae postquam in templi atrio a sacerdote mactatae sunt, domi comedebantur. Imo num omnes agni paschales in templo sint mactati aut mactari debuerint, incertum est; Lex enim nihil aliud, nisi ut illa in urbe, in qua sanctuarium fuit, phase immoletur, videtur praescribere, atque nullo modo intelligitur, quomodo paucis horis tot millia agnorum uno in loco mactari potuerint [13].

10. *Euseb.* de Pasch. in Corder. Caten. in S. Luc. p. 545 : « Iudaeos autem a veri-

fate aberrasse dico; ex quo enim veritati insidiati sunt, verbum veritatis a se expulerunt, ut clare Evangelium testatur. Nam Dominum refert prima die azymorum pascha comedisse, quae erat 14. lunae, quando praeceptum erat immolare pascha; Iudaeos autem reprehendit, quod non primo die azymorum, quo, ut Lucas ait, oportebat immolari pascha, sed die sequente, quae erat secunda dies azymorum et 15. lunae, qua Salvatore nostro a Pilato iudicato non introierunt praetorium. Non igitur primo die azymorum, quando secundum Legem oportebat immolari pascha, illud comederunt; nam quum ipsi post Salvatorem nostrum pascha fecerunt, patet eos insidiis Salvatori struendis impeditos et malitia sua excaecatos ab omni veritate aberrasse » etc. *S. Chrys.* in Matth. hom. 84, 2 (M. 58, 754) : « Quid ergo dicendum est? Ipsos altera die comedisse et ob necis huius cupiditatem Legem violasse. Neque enim Christus legem paschatis transgressus est, sed illi nihil non ausi multasque leges violantes... maluerunt pascha transferre, ut suam implerent sanguinis sitim » etc. Simili modo *S. Epiph.* haer. 51, 24 (M. 41, 933), cuius verba tamen obscuriora sunt. Cfr. *Knabenb* in Kathol. 1876. II. p. 126 sq.

11. *Rupert. Tuit.* in Matth. X. 13 (M. 168, 1533); *Paul. Burg.* Addit. ad Lyrani Post in Matth. 26 (Venetiis 1588. V. f. 82.); *Haneberg* Relig. Alterthümer. Ed. 2. München 1869. p. 641; *Machmoud*, Astronome de l'Observat. du Caire, Mémoire sur les calendriers judaique et musulman p. 26 : « Il y a trois jours dans la semaine qui sont exclus pour la fête de Pâque judaique; ces trois jours ainsi que ceux exclus pour le jour de l'an, sont exprimés dans le mot *badouch* (בדוח), qui se compose de b, d, ou et ch, voulant dire 2, 4, 6, et 8. Les trois premières lettres ou chiffres 2, 4, 6 sont les jours exclus pour la Pâque, les trois dernières ou 4, 6, 8 sont ceux exclus pour le jour de l'an ». Est proverbium rabbinicum : « nunquam *adu* (אדו i. e. 1, 4, 6) est initium anni, nec *badu* (בדו i. e. 2, 4, 6) est pascha ».

12. Cfr *Salm.* in evang. hist. IX. tr. 4., qui multos antiquiores allegat; *Ians. Gand.* in Conc. evang. 128; *Mald.*, *Sa*, *Est.*, *Marian.* in Matth. 26, 2, in Ioan. 13, 1 et 18, 28; *Petav.* Diatr. de an. passionis D. N. (M. PP. GG. 42, 988) etc. Ex modernis cfr *Haneberg* l. c. p. 635 sqq.; *Danko* Hist. revel. N. T. p. 241 sq.; *Grimm* Einh. d. Evang. p. 755 sqq.; *Knabenbauer* in Matth. II. 1893. p. 402 sqq.; *Padovani* ad Corn. a Lap. Comm. in Evang. II. 1896 p. 283 sq. etc. — Aliis utique in locis Thalmudici diem festum etiam feria sexta celebratum esse supponunt (cfr *Knabenbauer* l. c. p. 414); verum attende, eos varias difficultates, quas variis temporibus observantia legis aut creavit aut creare potuerat, perpendere solere; unde haec eorum opinio traditionem eorum de regula *Badu* post exsilium paullatim invecta non destruit.

13. *Deut.* 16, 5 sq. id unum praecipit, ut in urbe quam Dominus sibi elegerit phase mactetur; de templo non loquitur. — Singulae familiae suum habebant agnum; quia autem ex eo nihil in posterum diem servare licuit, mos invaluit, ut non pauciores quam deni, neque plures quam viceni ad unum agnum comedendum convenirent. Si ergo quadringenta millia Iudaeorum in festo paschatis convenisse supponamus, saltem viginti millia agnorum spatio duarum vel trium horarum mactanda erant; quin etiam iuxta *Fl. Ioseph.* (De bello iud. VI. 9, 3) Neronis tempore duabus horis ducenta et quinquaginta sex millia agnorum numerata et mactata sunt. Iamvero in solis templi atriis, etsi essent spatiosissima, non potuisse singulis minutis plus duo millia agnorum aut etiam plus centum viginti mactari, evidens esse arbitramur.

2.) Alteram difficultatem diversae de Pteri negatione relationes creant, quum tres priores Evangelistae nec cum quarto nec inter se consentire videantur; neque enim de tempore, quo a Domino praedicta sit negatio, convenire dicuntur, quia Lucas et Ioannes ante egressum e coenaculo, Matthaeus et

Marcus post illum eam ponant, neque de praedictionis modo, quia Marcus de duplici galli cantu, reliqui de unico loquantur, neque de loco negationis, quam Ioannes in atrio Annae, Synoptici in atrio Caiphae factam referant, neque de personis interrogantibus Petrum, quae in secunda saltem negatione diversae sint apud omnes [14].

At priores duae obiectiones nullae sunt; quid enim impedit, quominus Dominum bis Petrum admonuisse dicamus? Quoniam enim priorem reprehensionem in coenaculo factam Apostolus mox, uti videtur, oblivioni dederat atque iterum suis viribus nimis confisus reliquis se praetulerat, altera sua praedictione Dominus eum ad humilitatem et vigilantiam revocavit. Quod autem Marcus de duplici galli cantu refert, id optime se habet; quis dubitaverit, quin Petrus haec magistri sui monita frequentissime in memoriam revocaverit singulaque verba perpenderit? Ex magistri autem sui ore hanc narrationem conscripsit Marcus, quare omnino verba ab eo relata genuina sunt censenda; initium videlicet et finem negationum praedixit Dominus; gallus enim circa mediam noctem cantat et circa auroram, unde tertia noctis vigilia, quae a media fere nocte ad auroram usque sese extendit, galli cantus nomen accepit [15]; ante tertiae vigiliae initium (primum gallicinium) Petri negationes inchoandas et ante eiusdem vigiliae finem (secundum gallicinium) finiendas esse indicant verba Marci; reliqui autem Evangelistae de initio tacentes id solum retulerunt, quod praecipuum habebant, sc. ante finem tertiae vigiliae Apostolum ter magistrum et Dominum suum esse negaturum.

Gravius est, quod de loco negationis obiicitur; contradictionem quidem non adesse, satis facile ostenditur, sed quomodo *Ioan.* 18, 24 sit explicandus et utrum prima Domini interrogatio ante Annam, an ante Caipham sit facta, non aeque facile apparet. Namque in loco negationis a Synopticis quartus Evangelista non dissentit; Petrum enim in atrium pontificis (εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως) intrasse dicit; pontificis (τοῦ ἀρχιερέως) autem nomine 18, 15 alius designari non potuit ab eo, qui eodem titulo duobus versibus antea designatus erat: 18, 13 Annas « erat socer Caiphae, qui erat Pontifex (ὁ ἀρχιερεύς) anni illius ». Ioanni igitur aeque ac Synopticis Caiphae atrium erat locus negationis. At, inquiunt, si haec gesta sunt in Caiphae atrio, cur postea (18, 24) Annas Dominum ligatum ad Caipham misisse refertur? Quam difficultatem removebimus, si aut cum *S. Cyrillo Alex.* paucisque codicibus graecis et syriacis minoris auctoritatis v. 24. immediate post v. 13. transponemus [16], aut melius aoristo ἀπέστειλε sensum plusquamperfecti attribuemus (« miserat autem Annas Dominum ligatum ad Caipham »), qui in quarto Evangelio non admodum est rarus [17]. Primam igitur interrogationem Domini ante Caipham factam esse censemus, idque eo magis, quia secus Ioannes lectores suos in errorem quasi necessarium iniecisset, si eodem in contextu et Annam et Caipham nomine pontificis (ὁ ἀρχιερεύς) appellasset [18].

Ob personarum Petrum interrogantium interrogationumque et responsionum diversitatem nonnulli interpretes saepius, quam ter, Petrum Dominum suum negasse censent; at trinam negationem Dominus praedixerat, atque hanc praedictionem accurate impletam esse omnes Evangelistae sua quisque narratione demonstrare voluerunt, quare plures, quam tres, negationes ad-

mitti vetat fides libris sacris debita. Neque tanta est relationum conciliandarum difficultas, ut plures admitti necesse sit. Accuratiore explicatione interpretibus relicta id unum monemus, integram rem coram magna turba esse gestam; qui autem semel viderit et audierit, quomodo in turba unum hominem impugnante variae increpationes et criminationes eodem tempore a variis proferantur, sine ulla difficultate admittet, omnes quatuor relationes, etsi in secunda et in tertia negatione varias personas interrogantes supponant et varias interrogationes afferant, veritati omnino esse consonas.

14. *Matth.* 26, 69-75; *Marc.* 14. 66-72; *Luc.* 22. 56-61; *Ioan.* 18, 17. 18. 25-27. Cfr. quae contra has narrationes inter alios disputant *Strauss* Leben Iesu II. p. 471 sqq.; *Meyer Weiss* Exeg. Hdb. II. Ed. 8. 1893 p. 565 sqq.; *Weiss* Leben Iesu II. p. 534 sq.; *Holtzmann* Handcomm. z. Ioh. Ev. Ed. 2. 1893. p. 208 sqq. etc.

15. *Marc.* 13, 15 quatuor vigiliarum nomina exhibet : « sero, media nox, *gallicantus*, mane »; *Tob.* 8, 11 « circa *pullorum cantum* ». Cfr *Maldon.* in Matth. 26, 34, et ex acath. *Richm* Handwörterb. d. bibl. Alterth. 1884. p. 645.

16. *S. Cyr. Alex.* in Ioan. XI. (M. 74, 593).

17. *Winer* Gramm. d. neutest. Sprachridioms. Ed. 7. p. 258. — Plane similes constructiones habemus *Ioan.* 4, 45; 18, 12 (ad quem locum cfr *Matth.* 26, 50 sq.; *Marc.* 14, 46); *Matth.* 14, 3; neque dissimiles sunt *Ioan.* 4, 46; 11, 30; 13, 12, etc.

18. Annas Pontifex quidem fuerat, sed a. 14. p. Chr. depositus praefecturam synedrii obtinuit. Unde utique ἀρχιερεύς vocatur a Luca (3, 2 et *Act.* 4, 6), qui hoc titulo principem synedrii saepe designat (*Act.* 5, 21. 27; 7, 1; 9, 1. 2, etc); Joannes autem titulum stricto sensu de supremo sacerdote adhibere solet (*Ioan.* 11,49 sqq.).

3.) Tertia difficultas est de hora crucifixionis. Secundum S. Marcum Dominus in crucem actus est hora tertia, hora sexta tenebrae factae sunt, et hora nona voce magna emissa exspiravit; in horis sexta et nona consentit S. Matthaeus, qui tempus crucifixionis ipsius non indicat. At secundum S. Ioannem « hora quasi sexta » Pilatus Iesum Iudaeis tradidit, ut crucifigeretur [19].

De difficultate hac solvenda iam Patres inter se non convenerunt; *S. Augustinus*, quem sequitur *Ven. Beda* et quocum consentiunt *Euthymius* multique iuniores interpretes, a Marco horam indicari censet, qua Iudaei Domini mortem clamoribus suis impetraverint, non vero horam illam, qua a militibus in crucem actus sit. « Quod maxime videri fecisse nolebant, hoc eos hora fecisse tertia Marcus ostendit, verissime indicans magis fuisse Domini necatricem linguam Iudaeorum, quam militum manus » [20]. Qui improprius loquendi modus Evangelistae attributus aeque parum videtur posse admitti, atque modernorum multorum interpretum opinio, Ioannem ex more romano horas a media nocte computasse, ita ut eius hora sexta hodierno nostro computandi modo respondeat; satis clare enim ex toto Evangelio apparet, ab Ioanne non aliter atque a reliquis Evangelistis duodecim horas diei ab ortu solis ad eius occasum numerari, ut taceamus, idoneo exemplo non demonstrari illum, quem romanum vocant, horarum numerandarum morem in Asia Min. usitatum eo tempore esse [21]. Duae autem aliae solutiones magis sunt probabiles.

Dubitare enim licet, num genuina lectio in quarto Evangelio nobis sit conservata. Etenim *Eusebius* iam contendit, « calami adesse lapsum, quem illi, qui in principio Evangelium transcripserunt, non animadverterunt. Nam quum litera Γ tertiam horam significet, episemon ϛ (F) sextam, atque literae hae permultam habeant similitudinem, mendose litera Gamma ad episemi figuram redacta est ». Eiusdem sententiae fuerunt *Ammonius*, *Theophylactus*, aliique; *Chronicon Pasch.* asserit in ipso Ioannis autographo, « quod Ephesi asservatur », hanc lectionem inveniri atque etiam aliis in « accuratis » exemplaribus, eandemque codices aliqui adhuc superstites exhibent[22]. Correcto autem Ioannis textu tota difficultas evanescit.

Alii consueta lectione retenta monent Iudaeos non eadem cum diligentia, qua nos uti solemus, horas determinasse. Duodecim quidem diei horas ab ortu solis ad occasum distinxerunt, at quum moris esset, ut horis tertia, sexta, nona orandi causa ad templum ascenderent, integrum diem etiam in quatuor partes, quemadmodum noctem in quatuor vigilias, videntur distribuisse, quas nomine ab hora orationis indicta desumto primam, tertiam, sextam, nonam horas appellarunt. Quare circa aequinoctium, quo tempore Dominus crucifixus est, hora tertia a nostra nona matutina usque meridiem, sexta vero a meridie ad nostram tertiam pomeridianam decurrit, a qua incipit eorum hora nona usque ad solis occasum. Quam temporis divisionem minus accuratam secutos esse censemus Synopticos, qui alias horas quam tertiam, sextam, nonam non nominant. Accuratiore autem modo horas numeravit S. Ioannes, qui in reliquo Evangelio etiam septimam horam aut decimam indicat[23]. Qua duplici horarum distinctione difficultas proposita etiam disparet; tertia enim hora S. Marco est temporis spatium inter nostram horam nonam et meridiem; S. Ioannes termino suo vago « hora quasi sexta », spatium inter nostram decimam et undecimam designare potuit. Circa h. 10 $^1/_2$ igitur Pilatus Dominum Iudaeis tradidit crucifigendum: eductus ad Calvariae montem ante horam tertiam finitam, i. e. ante meridiem, cruci affixus est, et paullo post, circa meridiem tenebrae factae sunt usque ad horam tertiam pomeridianam.

4.) Nullius momenti sunt reliquae, quae in historia passionis occurrunt, discrepantiae. Titulus enim crucis, quum tribus linguis esset conscriptus, tribus diversis formis nobis conservari potuit; nihil enim obstat, quominus Marcum, qui Romanis librum suum destinavit, brevissimam formam latinam (Rex Iudaeorum), Lucam et interpretem Matthaei graecam (Hic est rex Iudaeorum), Ioannes hebraicam (Iesus Nazarenus rex Iudaeorum) recepisse dicamus[24]. De vestibus Domini sortes esse missas referunt Matthaeus et Marcus; accuratiore autem sua narratione praecavet quartus Evangelista, ne sortitionem hanc de omnibus vestibus factam esse intelligamus, quum reliqua in quatuor partes, unicuique militi partem, sint distributae, de tunica autem inconsutili sors sit missa[25].

5.) Differentiae demum, quae in Domini resuscitati apparitionibus inter quatuor Evangelia adesse dicuntur, ordine eorum stabilito disparent; ordinem autem hunc in sequenti synopsi vitae dominicae indicabimus (76 p. 301 sq.).

19. *Marc.* 15, 25. 33. 34; *Matth.* 27, 45. 46; *Ioan.* 19, 14.

20. *S. August.* de cons. Evang. II. 13 (M. 34, 1184 sq.); *Ven. Bed.* in Marc. 15, 25 (M. 92, 288); *Euthym.* in Marc. 15, 25. (M. 129, 845) : « Quod ibi dicitur : *erat autem hora tertia*, non trahitur ad id, quod additur : *et crucifixerunt eum*, sed refertur ad principium eorum, quae passus est Salvator. Erat autem hora tertia, inquit, quando videlicet pati coepit a militibus Pilati; deinde id, quod sequitur, per se legendum est : Et crucifixerunt eum. Mentio ergo tertiae horae a Marco facta principium manifestat passionis Domini; sexta vero a Ioanne nominata finem ostendit, i. e. crucifixionem »; *Theophyl.* in Ioan. 19, 12 (M. 124, 269) hanc solutionem secundo loco proponit.

21. S. Ioannem cum reliquis Evangelistis numerare horas ab ortu solis ad occasum evidentissime elucet ex *Ioan.* 11, 9 : Nonne duodecim sunt *horae diei?* Si quis ambulaverit *in die*, non offendit, quia *lucem huius mundi* videt etc; *Ioan.* 4, 6 « erat hora quasi sexta », quando Dominus fatigatus ab itinere sedit prope fontem Iacob; iam vero si Evangelista numeraret horas a media nocte vel a meridie, aut prima circiter hora *ante ortum solis* vel prima *post eius occasum* Dominus colloquium habuisset cum Samaritana; id quod nemo facile admiserit; iter enim illud fecit mense Decembri (4, 35). Item « hora septima » (4, 52) nec matutina nec vespertina esse potest; narrationi sola convenit hora pomeridiana. Atque « hora decima » (1, 39) aptius quoque de pomeridiana, quam de matutina intelligitur. Ceterum in Asia Min. horas ab ortu solis enumeratas esse ostendit *S. Polyc. Martyr.* c. 21.

22. *Euseb.* in Corder. Caten. in Ioan. (Antw. 1630. p. 436. Cfr. M. 22, 1009); *Ammon.* in Corder. Cat. l. c.; *Theophyl.* in Ioan. 19, 12 (M. 124, 268); *Chron. Pasch.* M. 92, 77.

23. *Act.* 2, 15; 3, 1 ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην; 10, 9 ascendit Petrus, ut oraret « circa horam sextam »; 10, 30 « orans eram hora nona ». — *Ioan.* 1, 39; 4, 52.

24. *Marc.* 15, 26; *Luc.* 23, 38 et *Matth.* 27, 37 (Cfr. *Euseb.* H. E. V. 1. M. 20, 425 : οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανός); *Ioan.* 19, 19.

25. *Matth.* 27, 35; *Marc.* 15, 24; *Ioan.* 19, 23.

§ 9. — *Quatuor Evangeliorum brevis synopsis chronologica.*

74. — Ad perfectam Evangeliorum concordiam plenumque consensum demonstrandum operae pretium facturos nos esse arbitramur, si omnia brevi in conspectu ita proponemus, ut quo tempore singula sint gesta et quo ordine et nexu temporis inter se cohaereant, clarius appareat. Quem in finem ea in memoriam revocemus oportet, quae supra satis demonstrasse nobis videmur : Evangelistas quidem omnes non egisse historicos sed in libris suis conscribendis finem dogmaticum prae oculis habuisse, nihilominus Lucam et Ioannem in integris suis Evangeliis ordinem chronologicum rerum gestarum observasse, Marcum in paucis tantum narrationibus ab eo deviasse, Matthaeum vero in priore libri sui parte alterum ordinem praetulisse, qui eius fini magis esset adaptatus. Quare duos ultimos Evangelistas in chronologica serie vitae dominicae stabilienda duces sequemur; eosque sequentes primo in loco extrema quasi lineamenta describemus fundamentumque ponemus, cui integram synopsin nostram superstruemus. Iam a primis

inde fidei temporibus multi iique eximii interpretes in adornandis Evangeliorum harmoniis operam suam posuerunt[1], at nulla adhuc proposita est, nec ulla, opinor, proponetur unquam, quae omnibus probetur. Ut enim taceamus, non omnes nobiscum in chronologico tertii et quarti Evangeliorum ordine agnoscendo convenire multosque alium, sive Matthaeum sive Marcum, ducem praeferre, ipse quoque Lucas varia Domini itinera obscure potius insinuat, quam clare indicat. Quare dubitationibus et variationibus magnus patet patebitque semper campus.

1. *Tatianus* primus est, qui « collectionem quandam et catenam quatuor Evangeliorum composuit, quam *Diatessaron* vocavit » (*Eus.* H. E. IV. 29), nisi forte iam *S. Theophilum Ant.* « dicta quatuor Evangelistarum in unum opus coegisse » cum *S. Hier.* (ad Alg. ep. 121, 6; cfr *supra* 3 *n.* 6) dicamus. Proximus fuit *Ammonius Alex.*, « qui magno studio et industria unum nobis pro quatuor Evangeliis reliquit, Matthaei Evangelio similibus aliorum sententiis adiunctis » (*Eus.* ad Carpian. M. 22, 1276). Teste *Theodoreto* (Haeret. fab. I. 20. M. 83, 369) Tatiani harmonia per Orientem erat pervulgata; syriacam eius versionem *S. Ephr.* commentatus est, latinam *S. Victor Cap.* in Codice Fuld. nobis transmisit, arabicam nuper *P. Ciasca* O. S. Aug. reperit et edidit (cfr *supra* n. 2. *n.* 7. p. 9). Ammonii vero harmonia solis *Eusebii canonibus evangelicis* nobis est cognita (cfr *Eus.* ad Carpian). Inter latinos Patres *S. Aug.* in suis libris de consensu Evang. (M. 34, 1071 sqq.) completam quidem harmoniam nobis non reliquit, sed quomodo singulas narrationes inter se cohaereant ostendere conatus est; harmoniam autem quandam poeticam *Iuvencus* composuit (Evangelicae hist. I-IV. M. 19, 53 sqq.)

Medio aevo praeter Tatiani Diatessaron maxime propagata erat *Petri Comestoris* historia evang. (M. 198, 1537 sqq.), quae ipsa quoque a Diatessaro magis minusve dependet. Harmoniis autem vix adnumerari possunt *Otfriedi Mon.* († 870) *Krist* seu « liber Evangeliorum theotisce conscriptus » (ed. Piper 1882) et anonymi *Heliand* (ed. Koene 1855), quia poemata haec textum evangelicum non retinent. At inde a saec. 15. quam plurimae novae harmoniae adornatae sunt, neque inopportunum erit praecipuarum catholicarum, quae mihi innotuerunt, titulos hic adscribere [a].

Hodie inter *harmoniam* et *synopsin* Evang. ita quidem distinguitur, ut priore nomine libri illi designentur, qui unius Evangelii textui parallelos aliorum locos inserunt atque hac ratione omnium consonantiam ostendunt, altero autem illi libri, qui quatuor (vel tribus) columnis iuxta compositis textus quatuor (vel trium) Evangeliorum separatim exhibentes concentum consensumque eorum clarius demonstrant; in nostro tamen catalogo ad hanc distinctionem non attendemus.

a) *Protestanticarum* harmoniarum titulos afferunt *Rud. Anger* Synopsis Evangeliorum Matthaei, Marci, Lucae. Ed. 2. Lipsiae 1877. p. XLVIII sq. (opus propter multa antiquissimorum Patrum testimonia adscripta interpreti utile) et *Const. Tischendorf* Synopsis Evang. Ed. 4. Lips. 1878. p. X. sq. — Ex catholicis harmoniis uterque solas quatuor (Gerson., Iansen. Gand., Lamy, Friedlieb) videntur cognovisse; eo magis opportunum esse censemus maiorum

Charlerii de Gerson Monotessaron sive unum ex quatuor Evangeliis. (Opp. omnia Antwerpiae. 1703. IV. p. 83 sqq.).

(Ineuntis saec. 16. Danko [l. c.] has enumerat, quas non vidi : *Rob. Goulet* Tetramon Evangeliorum. Paris 1535; *A. Koenigstein* O. S. Fr. Enarratio in Monotessaron. Colon. 1539; *Gabrielis a Puteo herboso* Tetramon sive symphonia et concentus quatuor Evang. 1547.)

Cornelii Iansenii Gandav. Concordia evangelica. Lovanii 1549; aucta « commentario in concordiam et totam historiam evangelicam » Lovanii 1572 et saepius. Concordiae huius compendia ediderunt *G. Serrano* (Coloniae 1590) et *M. a Castro* (Antwerpiae 1593).

S. de Corroy, O. Coelest., Pandectae N. L., i. e. ordinata omnium, quae in quatuor Evangeliis sparsa sunt, continua narrationis serie complexio servato temporum rerumque gestarum ordine, proinde unum ex quatuor. Lugduni 1547 et saepius.

Alani Copi Historiae evangelicae unitas, s. singularia vitae D. N. Iesu Christi eo ordine, quo gesta sunt, recensita. Lovanii 1572.

Thom. Beauxamis (Pulcher Amicus), O. Carm., Comment. in evang. historiam sive Concordia ex antiquis Ecclesiae Patribus congesta. Paris. 1583.

Gerh. Mercatoris Harmonia Evangelistarum. Duisburgi 1592.

Ioannis Rubei (Buisson) Historia et harmonia evangelica. Duaci 1571 et saepius. Iansenii Concordiam fere sequitur; eius autem harmonia postea, paucis mutatis, adoptata est a Iansenista *Ant. Arnauld* (Hist. et concordia evang. Paris 1653 et saepius; cfr Migne Script. curs. compl. XXI) et a *Michael Mauduit,* Congr. Orat. (L'Évangile analysé selon l'ordre historique. Paris 1693 et saepius).

Sebastiani Barradii S. I. Commentaria in concordiam et historiam evangelicam. Conimbricae 1599. et saepius.

A. Salmeronis S. I. Comment. in evang. histor. Matriti 1598 et saepius.

Lucae Brugensis Itinerarium Iesu Christi ex quatuor Evangeliis collectum. Ante eius comment. in quatuor Evangelia. Antwerpiae 1606.

Ioan. Hahi S. I. Quaternio Evangelistarum, s. evangelicae historiae dispositio ipsis Evangelistarum verbis ordinata serie distributa. Duaci 1607. Eodem spectat eius Triumphus veritatis ordinati Evangelii quadriga invectae SS. Patrum exercitu stipatae. Duaci 1609.

Vinc. Regii S. I. Evangelicarum dilucidationum libri octo (quorum quinque dumtaxat prodierunt), in quibus vita D. N. Iesu Christi ex quatuor Evangeliis desumta continetur, habita quantum fieri potuit temporum et locorum ratione etc. Coloniae 1615.

Ioan. Roberti S. I. Mysticae Ezechielis quadrigae, i. e. SS. quatuor Evangelia historiarum et temporum serie vinculata. Graece et latine. Moguntiae 1615.

Franc. de Rojas, O. Min., Commentaria in Concordiam Evangelistarum. Matriti 1621.

nostrorum opera in memoriam revocare. Catholicas autem multas enumerat *Danko* Hist. revel N. T. Protheoria p. XIX sqq.

Did. de Baeza S. I. Comm. in evang. histor. Lugd. 1624 et saepe.

G. de Terreni O. Carm. Quatuor unum, i. e. concordia evangel. inter quatuor Evangelistas commentariis illustrata. Coloniae 1631.

A. Crommit S. I. Quatuor Evang. ordine historico concordiae in modum digesta. Lovanii 1633.

L. Foreri S. I. Vita Christi ex quatuor Evang. explicata; Monachi 1637.

B. Montreul S. I. La vie du Sauveur du monde tirée du texte des quatre Évangélistes réduits en un corps d'histoire. Paris 1637 et saepe.

I. Bourghesii S. I. Harmon. evang. tabulis etc. explicata. Mons 1644.

A. Zani O. S. Franc. Monotessaron hist. passionis Domini. Venetiis 1645.

N. Guillebert Historia evang. sive unicum Evangelium ex quatuor Evangelistis excerptum. Rouen 1651 (gallice).

Protas. Henriet O. S. Franc. Harmonia evangel. Parisiis 1660.

Leo a S. Ioan. O. Carm. Aurum optimum i. e. contextus evang. Iesu Christi vitam uno quatuor Evangelist. calamo describens. Lugd. 1669.

Dion. Amelotte Congr. Orat. Vita Christi seu harmonia quatuor Evangelistarum. Parisiis 1670 (etiam gallice 1669).

B. Lamy Congr. Orat. Harmonia quatuor Evangelistarum in vera serie actuum etc. D. N. Iesu Christi. Parisiis 1689.

Nic. Toynard Evangeliorum harmonia graeco-latina. Parisiis 1707.

Nic. Guérin S. I. Le texte des quatre Évangélistes réduit en un corps d'histoire etc. Paris 1709 et saepius.

Aug. Calmet O. S. Ben. Harmonia quatuor Evangeliorum. Paris 1710 et saepe.

Cai. Potesta O. Min. Evangelica historia s. quatuor Evang. in unum redacta et iuxta seriem historiae disposita etc. Panormi 1724.

Did. a S. Anton. O. Carm. Hist. evang. vitae Domini ex consensu Evangelist. chronologice deducta. In eius Enchirid. scriptur. Panormi 1745.

God. Kroell O. S. Ben. Monotessaron evangel. Salisburgi 1725-59.

Nic. Peregr. Celotti Catena sacra quaternae Scripturae SS. Evangelistarum cum notis. Venetiis 1759.

H. Kilber S. I. Historia dominica ex Evangelist. synopsi descripta. Wirceb. 1765, et curis *I. de Klinkowstroem* S. I. Viennae 1869. Etiam in eius Analys. biblica *Heidelb.* 1773-79 et curis *Iul. Tailhan* S. I. Parisiis 1856. tom III.

Corn. Smet S. I. Harm. evangel. ex quatuor Evangelistis chronologice deducta et commentariis illustrata. Lovanii. 1772.

Inn. Schmid Synopsis vitae Iesu Christi. Vindobonae 1778.

Th. Holtzclau S. I. Historia Iesu Christi ex concordia Evang. Wirceb. 1779.

Seb. Mutschelle S. I. Die Geschiche Iesu aus den vier Evangelien in Eines gesammelt. München 1784.

Polychr. Gassmann O. S. Franc. Harmonia evangel. s. vita Iesu Christi ex quatuor Evangelistis ordine harmonico contexta. Aquisgrani 1784.

Innoc. Goeken O. S. Franc. Harmonia evangelica una cum prooemiali dissertatione et notis philolog. etc. Monasterii 1785.

Fr. Emman. Simanowics Evangelium Iesu Christi συνταττόμενον e quatuor Evangeliis iuxta fidem Vulgatae. Vindobonae 1792.

I. Nortz Die Uebereinstimmung der vier Evangelisten. Innsbr. 1798.

M. Feichter Historia evangelica ex verbis quatuor SS. Evangeliorum concinnata et in ordinem redacta. Brixiae 1802.

F. C. Widermann Das einzelne Evangel. der vier Evang. Wien 1804.

I. N. Bichle Die vier Evang. in Einem harmon. geordnet. Mersburg 1806.

L. M. Van de Wardt Harmonia evangelica. Antwerpiae 1817.

Ad. Waibel O. S. Franc. Das Eine Evangelium oder die vier Evangelien in geschichtlichem Zusammenhange. Augsburg 1821.

I. A. Rotermundt Synops. Evangeliorum gr.-lat. Passavii 1835.

V. Reichel Evangelia harmonice-chronol. disposita. Pragae 1840.

I. Rauchenbichler Vita Iesu Christi secundum quatuor Evangelia iuxta fidem Vulgatae relata. Landishuti 1841.

I. H. Friedlieb Evangelia in harm. redacta. Vratist. 1840. Ed. 2. 1869.

Franc. Xav. Patritii S. I. De Evangeliis. Liber II. qui est συναλλακτικός. Friburgi 1852 (graece et latine).

R. Ch. Theophil Das Evangel. Iesu Christi. Paderborn 1860.

Henr. I. Coleridge S. I. Vita vitae nostrae. Londini 1819. Idem anglice : The life of our life. London 1876.

Car. Rambaud Novae Evangeliorum harmonia et synopsis, in quibus quatuor Evangel. textus in unam narrationem coalescunt etc. Agen 1875.

L. Cl. Fillion Synopsis evangelica. Parisiis 1882.

P. Labatut. La vie de Jésus-Christ ou la concordance des quatre Évangélistes. Paris 1882 (latine et gallice).

I. B. Lohmaun S. I. Das Leben Iesu Christi. Paderbornae 1885. Idem latine : Vita I. N. Iesu Christi e quatuor Evang. ipsis ss. libr. verbis concinnata (ed. *Vict. Cathrein* S. I.) 1887., et italice (ed. *F. Canger* S. I.) 1890.

L. Méchineau S. I. Vita Iesu Christi e textibus quatuor Evangeliorum distinctis composita. Parisiis 1895.

Henry Beauclerc S. I. Jesus. His life in the very words of the four gospels; a diatessaron. London 1896.

Huc quoque non paucae Vitae D. N. magis minusve spectant, quum antiquiores tum imprimis recentiores, quae ad chronotaxin accuratius attendere solent. Quas omnes recensere non esse huius loci censemus, quia non tam in exegeticum quam in asceticum usum sunt conscriptae.

2. Festis iudaicis, quibus Dominum in sua vita publica interfuisse Ioannes tradit, eam per tres annos et aliquot menses durasse discimus, iisdemque chronotaxis nobis exhibetur, cui ea, quae reliqui referunt, sunt inserenda. In synopticis igitur Evangeliis et maxime in tertio indicia quaedam chronologica sunt quaerenda, quibus eorum narrationes cum Ioanneis in unum quasi corpus coniungamus. De ultimo paschate, in quo mortuus est Dominus, omnes quatuor Evangelistae loquuntur, atque paenultimum quoque omnes nobis indicant, quum multiplicationem panum, quae teste Ioanne facta est « quum proximum esset pascha, festus dies Iudaeorum », omnes narrent. Imo etiam secundi apud omnes Synopticos indirectum saltem habemus indicium.

Itinera vero, quae ultimo anno Dominus ad festa tabernaculorum et encaeniorum suscepit, Lucam insinuare censemus. Quibus indicationibus adiuti, quamvis in tribus prioribus Evangeliis primi paschatis nulla fiat mentio, vitae publicae dominicae extrema lineamenta secundum temporis rationem hoc fere modo satis accurate describemus.

1.) Primum pascha (*Ioan.* 2, 12) Synopticos silentio praeterire diximus; sed ante illud perspicuum est accidisse omnia illa, quae de S. Ioannis Bapt. praedicatione, de Christi baptismo, ieiunio, tentatione ipsi narrant (*Matth.* 3, 1-4, 11; *Marc.* 1, 2-13; *Luc.* 3, 1-4, 13), Ioannes autem omittit, qui sua ex parte praedecessorum narrationem completurus illa adiungit, quae Domini reditum ex deserto immediate secuta sunt : Baptistae de Christo testimonia, quibus primi discipuli eum cognoverunt, iter in Galilaeam, primum miraculum in Cana Galilaea patratum (*Ioan.* 1, 19-2, 12).

2.) Quae inter Paschata primum et secundum gesta sunt, narrat idem (*Ioan.* 2, 13-4, 54). Ex Galilaea ad pascha celebrandum Dominus Ierosolyma reversus ementes et vendentes e templo eiicit atque tantis signis suam gloriam manifestat, ut Nicodemus ad fidem sit adductus. Festo terminato in Iudaea remanet docens et baptizans (per discipulos suos) usque ad mensem Decembrem (*Ioan.* 4, 35), quo tempore, quum Ioannem B. in carcerem ab Herode esse coniectum sibique a Pharisaeis insidias strui audisset, per Samariam in Galilaeam sese recipit, in itinere autem Samaritanam convertit; a Galilaeis, qui signa eius Ierosolymis in festo praecedente paschatis patrata viderant, cum gaudio receptus altero miraculo, filio reguli capharnaumitani sanato, suam gloriam manifestat. Haec S. Ioannes; qui statim ad secundum pascha transiens (*Ioan.* 5, 1) omittit omnia, quae quatuor ultimis illius anni mensibus in Galilaea gesta sunt; hanc autem lacunam ex prioribus Evangeliis complemus, qui indirecto modo illud festum indicant. In paschate enim primitiae frugum offerendae erant, tempore autem inter pascha et pentecosten intermedio erat messis; atqui Lucas, quem nunc praecipuum ducem habemus, « in sabbatho secundo primo » discipulos, quum Dominum ad synagogam euntem sequerentur, spicas collegisse et confricantes manibus manducasse refert; haec igitur brevi post pascha acciderunt, quum ante primitias in templo oblatas nemini de frugibus manducare liceret; terminus vero ab Evangelista adhibitus (« sabbathum secundo primum ») iuxta probabiliorem interpretationem sabbathum secundum post pascha significat. Quare ea, quae *Luc.* 4, 14-5, 39 narrat, atque illa, quae in duobus aliis parallela habemus (maxime *Marc.* 1, 14-2, 22), inter *Ioan.* 4, 54 et 5, 1 sunt inserenda. Post secundum igitur miraculum in Cana patratum Dominus venit Nazareth, sed a Nazarethanis reiectus domicilium in Capharnaum

transfert; peragrare incipit Galilaeam, discipulos quosdam ad suam sequelam vocat etc; num circa idem tempus habitus sit sermo montanus (*Matth.* 5, 1-7, 29), non constat; si idem est (id quod multi interpretes censent) atque ille, quem *Lucas* (6, 21 sqq.) refert, post secundum pascha est ponendus.

3.) Quae in SECUNDO PASCHATE Christus Ierosolymis egit, narrat iterum *Ioan.* (5, 1-47; sanationem aegroti ad probaticam piscinam iacentis et disputationem cum Pharisaeis secutam); initio autem sequentis capitis ostendit nobis Dominum in Galilaea commorantem atque rursus « proximum erat Pascha », videlicet tertium; integri igitur anni historiam silentio praeterit, quam lacunam supplent alii Evangelistae. Etenim eandem, de qua *Ioan.* 6, 1 agit, multiplicationem panum *Luc.* 9, 10, *Marc.* 6, 30, *Matth.* 14, 13 narrant; ergo quintum inter et sextum capita Ioannis inserenda sunt *Luc.* 6, 1-9, 10, *Marc.* 2, 23-6, 30 et parallela Matthaei; singula infra in synopsi enarrabimus.

4.) TERTII PASCHATIS tempore trans lacum Genesareth Dominus multiplicat panes (*Ioan.* 6, 1-15; *Luc.* 9, 11-16; *Marc.* 6, 31-44; *Matth.* 14, 13-21) atque Capharnaum reversus (*Ioan.* 6, 16-21; *Matth.* 14, 22-34; *Marc.* 6, 45-52) die insequente in synagoga promittit Eucharistiae institutionem (*Ioan.* 6, 22-72).

Ad ultimum igitur vitae publicae annum pervenimus, in quo bis Dominum Ierosolyma ascendisse tradit Ioannes, ad scenopegiam, quae exeunte m. Septembri vel ineunte m. Octobri celebrabatur, et m. Decembri ad encaenia. Prius iter videmus indicatum a *Luc.* 9, 51 : « factum est autem, dum complerentur dies assumtionis eius, et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem ». A *tertio paschate usque ad scenopegiam* gesta sunt illa, quae apud *Luc.* 9, 18-50 legimus; admodum pauca illa sunt, compleri autem debent iis, quae *Marc.* 7, 1-9, 49 et *Matth.* 14, 35-18, 35 habent. Quae enim *Marc.* 9, 35 sqq. narrat, parallela sunt iis, quae *Luc.* 9, 46-50 et *Matth.* 18, 1 sqq. tradunt; Matthaeum enim inde a 14, 13 seriem chronologicam rerum gestarum accuratius servare ostendimus (20. 21). Lucas ex iis, quae a mense Aprili usque ad Septembrem in Galilaea gesta sunt, non nisi professionem fidei S. Petri, Domini transfigurationem, eiectionem daemonis die sequente factam refert, quibus eodem ordine narratis duo priores Evangelistae alia praemittunt et addunt.

Iter ad scenopegiam paucissimis absolvit *Ioan.* (7, 2-4), fusius de eo agit *Luc.* (9, 51-10, 42), qui in fine c. 10. nobis Dominum ostendit prope Ierosolyma, Bethaniae videlicet in domo Mariae et Marthae. A Samaritanis enim prohibitus, ne per Samariam iter faceret, Dominus aliam viam ingressus est trans Iordanem, et per Ierichuntem venit Bethaniam ac mediante iam festo ascendit ad templum. Quae autem

scenopegiae tempore Ierosolymis fecit et docuit, haurimus ex *Ioan.* 7, 14-10, 21; sed illa quoque, quae apud *Luc.* 11, 1-54 legimus, eidem tempori adscribere non dubitamus.

A festo scenopegiae ad encaenia usque tacet Ioannes; lacunam iterum complet *Lucas*, qui 13, 22 de alio itinere Domini versus Ierusalem loquitur : « et ibat per civitates et castella docens et iter faciens in Ierusalem »; iure igitur omnia, quae 12, 1-13, 22 narrat, illo intermedio tempore accidisse dicimus; disputationem quam *in encaeniorum festo* Dominus cum Pharisaeis habuit, tradit *Ioan.* (10, 22-39).

Ut Iudaeorum insidiis sese subtraheret, teste *Ioan.* (10, 39. 40) Dominus trans Iordanem sese recepit; consentit *Luc.*, qui 13, 31 Christum in territorio Herodis, i. e. in Peraea trans Iordanem, commorantem nobis exhibet. At idem 17, 11 novi itineris hierosolymitani mentionem facit : « Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam ». Mira itineris descriptio, sed verissima; nam initium huius itineris est ipsa Iudaea. Scilicet illa, quae *Luc.* 13, 22-17, 10 narrat, post encaenia in Peraea gesta sunt; sed ex Peraea a Maria et Martha Dominus invitatus Bethaniam venit, ac deinde ut Pharisaeorum irae Lazari resuscitatione denuo excitatae sese subtraheret, in civitatem Ephrem secessit (*Ioan.* 11, 1-34), quae finitima est Samariae.

Ex Ephrem igitur *iter ad ultimum pascha* Ierosolymis peragendum Dominus suscepit. Ut omnibus illis regionibus, quas per triennium publicae suae vitae iterum iterumque peragraverat, ultima vice suum Evangelium offerret, magno circuitu per Samariam primum, deinde per Galilaeam, demum per Peraeam iter fecit atque per Ierichuntem Bethaniam reversus est (Luc. 17, 11-19, 27); nonnulla de ultimo hoc itinere tradunt *Matth.* (19, 1-20, 34) et *Marc.* (10, 1-52).

5.) Sexto die ante ULTIMUM PASCHA Dominus Bethaniam venit. Quae ultima illa passionis hebdomada gesta sunt, quatuor Evangelistae ita narrant, ut alius aliorum narrationes compleat; singula in synopsi indicabimus.

75. — Qui in chronologia evangelica statuenda Ioannem et Lucam duces nobiscum sequuntur, in extremis illis lineamentis describendis nobiscum fere consentiunt[1]; maior autem est dissensus, si iam singulae res gestae, praesertim eae, quae a primo Evangelista narrantur, schemati adumbrato sunt inserendae. Supra enim iam monuimus, publicam Domini in Galilaea vitam magna varietate caruisse, quum eiusdem fere generis auditores erudiret, eiusdem generis malis mederetur, eisdem adversariis resisteret; quare sine dubio eadem argumenta in suis sermonibus saepius tractabat, easdem vel similes parabolas non semel proponebat, multis caecis visum multisque surdis auditum reddebat, multos daemones eiiciebat. Unde efficitur, ut ea, quae in priore sui libri

parte Matthaeus narrat, etsi aliis a Marco et Luca narratis similia sint, eadem dici cum certitudine non possint, quia accuratas temporis, loci, personarum circumstantias plerumque praetermittit. Crescit autem difficultas in illis inserendis, quae solus in priore illa parte habeat, quum quo tempore acciderint prorsus ignoretur. Maiore igitur minoreve cum veri similitudine dumtaxat non pauca, quae a Domino gesta et dicta referuntur, secundum chronologicam seriem a nobis sunt disposita[2].

1. Inter recentiores nobiscum in plerisque consentiunt S. Grimm, H. I. Coleridge, L. C. Fillion, Holzammer, Lohmann etc.

2. In sequente synopsi numeri capitum et versuum uncis inclusi rem narratam ab Evangelista chronologico ordine neglecto esse dispositam indicant; item illa, quorum ordo chronologicus ne probabili quidem ratione definiri potest, uncis inclusimus. Annos Urbis adscripsimus illam sententiam, quae magis nobis probatur, secuti, secundum quam Dominus N. anno 748. u. c. (= 5. aer. Dion.) natus atque a. 782. (= 29. aer. Dion.) mortuus est.

76. — Synopsis vitae D. N. J. Christi secundum quatuor Evangelia.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	I. Nativitas Domini eiusque infantia.
. . . . .	1, 1	. . . . .	. . . . .	Inscriptio Evangelii.
. . . . .	. . . . .	1, 1-4	. . . . .	Prooemium de consilio scriptoris.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	1, 1-18	Prooemium de aeterna Verbi generatione.
1, 1-17	. . . . .	[3,23-28]	. . . . .	Genealogia D. N. Iesu Christi.
. . . . .	. . . . .	1, 5-25	. . . . .	Annuntiatio et conceptio B. Ioannis Bapt. (mens. Oct.? 747.).
18	. . . . .	26-38	. . . . .	Annuntiatio et incarnatio Verbi aeterni. (25. Mart. 748.).
. . . . .	. . . . .	39-56	. . . . .	B. Virgo visitat Elisabeth.
. . . . .	. . . . .	57-80	. . . . .	Nativitas B. Ioannis Bapt. (mens. Iul. 748.).
19-24	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Haesitatio S. Ioseph de accipienda Maria coniuge sua.
. . . . .	. . . . .	2, 1-5	. . . . .	Iter S. Ioseph et B. Virginis in Bethlehem.
25	. . . . .	2, 6.7	. . . . .	Nativitas Domini Nostri Iesu Christi (25. Dec. 748.).
. . . . .	. . . . .	8-20	. . . . .	Adoratio Pastorum.
25	. . . . .	21	. . . . .	Circumcisio D. N. (1. Ian. 749.).
. . . . .	. . . . .	22-38	. . . . .	Purificatio B. Virginis (2. Febr. 749.).
. . . . .	. . . . .	39-40	. . . . .	S. Familia proficiscitur Nazareth (indeque rebus compositis revertitur Bethlehem, ut ibi sedem figat).
2, 1-12	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Adoratio Magorum (25. Dec.? 749.).
13-18	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Fuga in Aegyptum. Caedes puerorum.
19-22	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Mors Herodis. Reditus ex Aegypto. 750.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
2, 23	. . . . .	. . . . .	. . . . .	S. Familia sedem suam figit Nazarethi.
. . . . .	. . . . .	2, 41-50	. . . . .	Dominus N. duodecim annos natus cum parentibus suis Ierosolyma ad pascha celebrandum ascendit (Nisan 761.).
. . . . .	. . . . .	51.52	. . . . .	Nazareth reversus occultam vitam agit.
				II. Praeparatio ad vitam publicam.
3, 1-12	1, 2-8	3, 1-18	. . . . .	Anno 15. Tiberii, i. e. exeunte a. 778. U. [a], B. Ioannes Bapt. praedicare coepit et annuntiare Christum mox venturum.
13-17	9-11	21.22	. . . . .	Dominus N. baptizatur (ineunte a. 779.).
4, 1-11	12.13	4, 1-13	. . . . .	Domini N. ieiunium in deserto. Eius tentationes.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	1,19-28	Legatio synedrii hierosolymitani ad B. Ioannem B., qui
. . . . .	. . . . .	. . . . .	29-34	altero die Domino ex deserto redeunti testimonium reddit;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	35-39	quo permoti Andreas (et Ioannes Ap.) eum sequuntur.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	40-42	Adducitur ab Andrea Petrus ad Iesum.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	43-51	Revertens in Galilaeam Dominus sibi adiungit etiam Philippum et Nathanael (Bartholomaeum).
. . . . .	. . . . .	. . . . .	2, 1-11	A matre sua rogatus primum miraculum facit in Cana Galilaeae.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	12	Descendit Capharnaum ibique paucis diebus manet.
				III. Vitae publicae annus primus. (A Paschate 779. ad Pascha 780.)
. . . . .	. . . . .	. . . . .	2,13	Dominus ad pascha Ierosolyma ascendit;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	14-23	eiicit ementes et vendentes e templo.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	24.25	Propter signa eius multi credunt in eum,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	3, 1-21	inter quos Nicodemus, quocum de necessitate renascentiae spiritualis et de fide in ipsum tamquam in Filium Dei agit.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	22.24	Ierosolymis egressus in Iudaea per discipulos suos baptizat multos;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	25.36	qua de re conquerentibus Ioannis B. di-

a. De anno 15. Tiberii cfr. *supra* 66 n. 3 p. 251. et *Zumpt* Das Geburtsjahr Christi p. 289 sqq. Quamvis annus ille ab exeunte a. 778. sit numerandus, quum lex, qua Tiberio eadem cum Augusto iura in provinciis concedebantur, ultimis mensibus a. 764. lata esse videatur, fieri tamen potuit, ut in vita quotidiana integer annus 778. a provincialibus annus 15. Tiberii vocaretur. Quare nihil opinor obstat, quominus iam medio anno 778. Ioannem B. praedicationem suam incepisse dicamus.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
				scipulis ille iterum de Domino testimonium reddit.
4,12	1,14	(3,19-20)	. . . . .	At Ioannes ab Herode (Antipa) in vincula coniicitur;
	. . . . .	4,14	4, 1-4	quare Dominus, quum Baptista sublato in ipsum se converteret odium Pharisaeorum, relicta Iudaea in Galilaeam proficiscitur. (mens. Dec. 779.).
. . . . .	. . . . .	. . . . .	5-29	Transiens per Samariam convertit mulierem;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	30-38	praedicit discipulis divitem segetem inter ethnicos;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	39-42	Samaritani a muliere advocati eum apud se per duos dies retinent.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	43-45	Redux in Galilaea invenit multam fidem,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	46-54	secundum in Galilaea miraculum patrat in filio reguli capharnaumitani.
. . . . .	15	14.15	. . . . .	atque incipit ministerium Galilaicum.
(13,54-58)	(6, 1-6)	16-30	. . . . .	A Nazarethanis, quibus primis Evangelium annuntiat, reiectus imo ad mortem quaesitus [b],
4,13-17	1,21	31.32	. . . . .	domicilium suum transfert Capharnaum.
. . . . .	22-28	33-37	. . . . .	Ibi sabbatho in synagoga eiicit spiritum immundum;
(8,14.15)	29-31	38.39	. . . . .	eodemque die socrum Simonis Petri
(8,16.17)	32-34	40.41	. . . . .	et post solis occasum multos aegrotos sanat.
(4,23-25)	35-39	42-44	. . . . .	Sequente die civitates Galilaeae peragrare incipit docens et signa faciens.
. . . . .	. . . . .	5, 1-10	. . . . .	Post miraculosam piscationem in lacu Genesareth
4,18-22	(1,16-20)	11	. . . . .	ad continuam suam sequelam Petrum, Andream, Ioannem, Iacobum vocat.
5, 1-7,29	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(Paullo post sermonem montanum videtur habuisse [c]).
(8, 2-4)	1,40-45	12-16	. . . . .	Sanat leprosum quendam,
(9, 1-8)	2, 1-12	17-26	. . . . .	et Capharnaum reversus paralyticum per tectum demissum.
(9, 9)	13.14	27.28	. . . . .	Vocatio S. Matthaei.
(9,10-13)	15-17	29-32	. . . . .	Dominus defendit se ab accusatione, quod cum peccatoribus conversetur,
(9,14-17)	18-22	33-39	. . . . .	et discipulos quod non ieiunent.

b. Sententiam, quae idem iter nazarethanum a Luca (4,16 sqq.) et a Matthaeo (4,13 et 13, 54 sqq.) Marcoque (6,1 sqq.) narrari tenet, nobis magis probari diximus *supra* 30 n. 4. 3. p. 112 sq.

c. Nisi quis mavult eundem sermonem esse a Matthaeo (5,1 sqq.) et a Luca (6,17 sqq.) relatum; quo in casu post Apostolorum electionem est ponendus.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	**IV. Vitae publicae annus secundus.** (A Paschate 780 ad Pascha 781.)
. . . . .	. . . . .	. . . . .	5, 1	Dominus Ierosolyma ascendit ad pascha;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	5, 2-9	sabbatho hebdomadis festivae aegrotum ad probaticam piscinam iacentem sanat;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10-18	quo miraculo, ac si sabbathum violasset, Pharisaeorum persecutionem sibi attrahit.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	19-47	Ipse autem sese defendens ad Ioannis Bapt., ad miraculorum suorum atque Patris sui testimonium provocat.
(12, 1-8)	2,23-28	6, 1-5	. . . . .	Reversus in Galilaeam defendit discipulos, qui esurientes sabbatho secundo-primo spicas vellerant,
(12, 9-13)	3, 1-5	6-11	. . . . .	et sequente sabbatho se dominum sabbathi demonstrat manu arida sanata;
(12,14)	6	. . . . .	. . . . .	quo facto tamen Pharisaeorum et Herodianorum odium auget.
(12,15-21)	7-12	. . . . .	. . . . .	Quare ex oppido egressus secedit ad mare, turbis eum comitantibus, quum sanaret multos.
(9,35-38)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Quibus ut provideat alios pastores,
. . . . .	. . . . .	12	. . . . .	post noctem in oratione peractam,
(10, 2-4)	13-19	13-16	. . . . .	eligit duodecim Apostolos;
(5,1-7,29)	. . . . .	17-49	. . . . .	ad quos deinde et ad turbas in planitie longiorem sermonem habet [d].
(8, 5-13)	. . . . .	7, 1-10	. . . . .	Capharnaum reversus servum centurionis sanat,
. . . . .	. . . . .	11-16	. . . . .	et abiens in Naim resuscitat iuvenem mortuum.
(11, 2-6)	. . . . .	17-23	. . . . .	Quibus de rebus Ioannes Bapt. in carcere certior factus mittit discipulos, ut interrogent eum, num ipse sit Christus;
(11, 7-19)	. . . . .	24-35	. . . . .	post quorum discessum Dominus populum vituperat ob Ioannis testimonium spretum,
(11,20-24)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(et vae dicit civitatibus, quae suis miraculis non crediderant [e]).
. . . . .	. . . . .	36-38	. . . . .	Invitatur a Simone Pharisaeo; prandentis pedes ungit peccatrix,
. . . . .	. . . . .	39-43	. . . . .	quam defendit proposita parabola de debitoribus,
. . . . .	. . . . .	44-50	. . . . .	cuique remittit peccata.

d. Cfr. notam praecedentem de sermone montano.

e. Nisi quis mavult haec verba semel tantum esse prolata a Domino in illo contextu, quem Lucas (10, 12 sqq.) indicat. Revera secundum *chronologicum* ordinem post finitum ministerium galilaicum locum aptiorem videntur habere, atque illa quoque, quae Matthaeus (11, 25-30) adnectit, chronologice cum praecedentibus non cohaerent (Cfr. Luc. 10. 21 sqq.).

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	4, 1-2	8, 1-3	. . . . .	Cum discipulis et ministrantibus mulieribus Galilaeam peragrans
(13, 1-9)	3-9	4-9	. . . . .	turbis proponit parabolam de seminante,
(10-23)	10-25	10-18	. . . . .	quam seorsim discipulis explicat,
. . . . .	26-29	. . . . .	. . . . .	quibus etiam alteram parabolam proponit de semine sua sponte crescente,
(24-30)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(populum aliis quoque parabolis docet naturam regni sui, scilicet de inimico superseminante zizaniam,
(13,31.32)	4,30-32	. . . . .	. . . . .	de grano sinapis,
(13,33)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	de fermento,
(13,34.35)	33-34	. . . . .	. . . . .	aliasque multas,
(13,36-43)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	discipulis autem primam explicat).
(12,46-50)	(3,31-35)	8,19-21	. . . . .	Quum autem turbas doceret, veniunt mater et fratres eius, ut eum videant.
(8,18)	4,35	22	. . . . .	Vespere vult transfretare;
(8,19-22)	. . . . .	(9,57-62)	. . . . .	scribae, qui eum sequi vult, alterique discipulo exponit conditiones suae sequelae [f];
(8,23-27)	35-42	8,22-25	. . . . .	transfretans sedat procellam;
(8,28-34)	5, 1-20	26-39	. . . . .	ad regionem Gerasenorum appulsus sanat duos daemoniacos daemonibus, ut in porcos intrent, permittens, et rogatus discedit.
. . . . .	21	40	. . . . .	Reversus Capharnaum,
(9,14-18)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(ibique discipulos Ioannis B. de ieiunio interrogantes edocens [g]),
(9, 18)	22.23	41	. . . . .	vocatur ab Iairo, ut filiam aegrotantem sanet;
(9,19-22)	24-34	42-48	. . . . .	quem secutus sanat haemorrhoissam,
(9, 23-26)	35-43	49-56	. . . . .	et filiam Iairi a mortuis resuscitat.
(9. 27-34)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(Duo quoque caeci sanantur et daemoniacus mutus [h])
(10, 5-42)	6, 7-13	9, 1-6	. . . . .	Apostolos magnis istis miraculis in fide confirmatos ad primam missionem sermone praeparat.

f. Bis easdem duas interrogationes eodem ordine diversis in occasionibus esse propositas nemo facile admiserit; quare Luc. (9,57-62) et Matth. (8,19-22) de eodem facto loqui censemus; Matthaeus autem interrogationes has cum transfretatione tam arcte connectit, ut ab ea divelli non posse videantur; quare S. Lucas in iis referendis ordinem chronologicum reliquisse est dicendus, quum vaga quadam formula (« ambulantibus in via ») eas in itinere Domini ad festum tabernaculorum referat.

g. Interrogationem hanc ab Ioannis B. discipulis ipsis factam (Matth. 9,14-17) diversam esse arbitramur ab illa, quam Pharisaei accusandi causa de Domini discipulorum ieiunio a Luca (5,33-39) et Marco (2, 18-22) posuisse referuntur, quamvis responsa sint identica. Matthaeus (9,18 ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος) arctissime eam connectit cum Iairi adventu.

h. Num duo haec miracula, quae Matthaeus prioribus adiungit, chronologice cum iis sint nectenda, non liquet.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
(14, 3-12)	(6,17-29	. . . . .	. . . . .	Herodes (Antipas), qui paullo antea occiderat Ioannem B.,
14, 1-2	6,14-16	9,7-9	. . . . .	audiens de miraculis Christi timet, ne Ioannes a mortuis resurrexerit.
. . . . .	30	10	. . . . .	Revertuntur Apostoli a sua prima missione,
14, 13	31	11	6, 1	et Iesus cum eis secedit in desertum locum.
				V. Vitae publicae annus tertius. (A paschate 781. usque ad pascha 782.)
				A. A PASCHATE USQUE AD SCENOPEGIAM (*April. — Octob.*)
14,14-21	6,32-44	9,12-17	6, 2-13	Circa paschatis tempus magnam turbam, quae eum in desertum trans lacum Genesareth secuta erat, quinque panibus saturat;
22	45	. . . . .	14	statim discipulos navim ascendere iubet, ipse autem turba dimissa
23-27	46-50	. . . . .	15-30	post partem noctis in oratione peractam venit ad discipulos remigantes ambulans in mari,
28-31	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Petro permittit, ut ad se super aquas accedat,
32-34	51-53	. . . . .	21	et cum eis venit Capharnaum.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	6,22-60	Turbis ipsum secutis insequenti die in synagoga capharnaumitana sermonem habet de pane vitae et de SS. Eucharistiae institutione;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	61-72	at discipuli multi, quibus durus erat iste sermo, eum reliquerunt.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	7,1	Ipse autem in Galilaea remanens
14,34-36	6,53-56	. . . . .	. . . . .	et terram Genesareth perambulans multos sanat.
15, 1-11	7, 1-16	. . . . .	. . . . .	Pharisaeos hierosolymitanos, qui discipulos ob non observatas traditiones vituperarunt, ob easdem increpat,
12-20	17-23	. . . . .	. . . . .	discipulosque accuratius de iisdem edocet.
21	24	. . . . .	. . . . .	Galilaea relicta in Phoeniciam profectus
22-28	25-30	. . . . .	. . . . .	sanat mulieris syrophoenissae filiam daemoniacam,
. . . . .	31	. . . . .	. . . . .	indeque in Decapolim iuxta lacum Tiberiadis regressus
. . . . .	32-37	. . . . .	. . . . .	sanat surdo-mutum;
29-31	. . . . .	. . . . .	. . . . .	atque prope lacum Genesareth, postquam multos aegrotos sanavit,
32-38	8, 1-9	. . . . .	. . . . .	secunda vice multiplicat panes.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
15,39	8,10	. . . . .	. . . . .	Inde in navi in fines Magedan prope Dalmanutham abiens
16, 1-4	11-13	. . . . .	. . . . .	Pharisaeis signum petentibus de coelo aliud non datum iri praedicit, nisi signum Ionae;
5-12	14-21	. . . . .	. . . . .	ex hac autem incredulitate Pharisaeorum occasionem arripit, ut discipulis cavendam doctrinam pharisaicam inculcet.
. . . . .	22-26	. . . . .	. . . . .	Bethsaidam appulsus sanat caecum.
13-16	27-30	9,18-21	. . . . .	Exinde venit Caesaream Philippi, ubi Petrus ipsum profitetur Filium Dei,
17-20	. . . . .	. . . . .	. . . . .	ipse autem Petro primatum Ecclesiae promittit.
21	31	32	. . . . .	Prima vice praedicit passionem suam,
22.23	32.33	. . . . .	. . . . .	et Petrum, qui ipsum retinere conatur, increpat,
24-28	8,34-9,1	23-27	. . . . .	omnes autem docet illis, qui se sequi velint, necessariam esse abnegationem.
17, 1-13	9, 2-12	28-36	. . . . .	Post sex dies coram tribus discipulis transfiguratur,
14-18	13-36	37-43	. . . . .	de monte autem descendens sanat puerum daemoniacum,
19-21	27.28	. . . . .	. . . . .	docetque discipulos, cur ipsi illum sanare nequiverint.
22.23	29-31	44.45	. . . . .	Repetit deinde praedictionem passionis suae.
24-27	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Capharnaum reversus iubet Petrum tributum solvere didrachmate in ore piscis invento.
18, 1-5	32-36	46-48	. . . . .	Discipulos autem, qui in via, quis inter ipsos esset maior, disceptaverant, domi corripit;
. . . . .	37-40	49.50	. . . . .	Ioannis quoque zelotypiam reprimit,
6-14	41-49	. . . . .	. . . . .	monet vitandum scandalum,
15-35	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et quid agendum sit, quod ad correptionem fraternam et iniuriarum remissionem attinet.

B. A SCENOPEGIIS USQUE AD ENCAENIA. (*Oct. — Dec.*)

. . . . .	. . . . .	. . . . .	7, 2-9	Rogantibus fratribus, ut Ierosolyma ad festum ascendat seseque manifestet mundo, abnuit quidem,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10-13	sed mox relicta Galilaea proficiscitur Ierosolyma.
. . . . .	. . . . .	9,51-53	. . . . .	Volens transire per Samariam impeditur,
. . . . .	. . . . .	54-56	. . . . .	quare irascuntur filii Zebedaei,

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	. . . . .	9,56	. . . . .	at ipse alia via ascendit in Iudaeam.
. . . . .	. . . . .	10,1	. . . . .	Eligit septuaginta discipulos, qui ipsi praecedant viamque parent,
(11,20-24)	. . . . .	2-16	. . . . .	quos quomodo se gerere debeant edocet [i].
. . . . .	. . . . .	17-20	. . . . .	Reduces ad humilitatem exhortatur,
(11,25-30)	. . . . .	21-24	. . . . .	et Patrem glorificat, qui discipulis suis veram dederit beatitudinem.
(22,35-40)	(12,28-34)	25-29	. . . . .	Tentanti legisperito exponit primum mandatum [k]
. . . . .	. . . . .	30-37	. . . . .	atque parabola de bono Samaritano docet eum, quis eius sit proximus.
. . . . .	. . . . .	38-42	. . . . .	Bethaniae a Martha et Maria receptus docet unum solum esse necessarium.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	7,14-36	Mediante festo ascendit in templum et disputat cum Iudaeis, ex quibus multi in eum crediderunt.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	37-39	Ultimo festi die omnes ad se, fontem aquae vivae, invitat;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	40-44	quum timerent Pharisaei, ne populus ei adhaereret, miserunt ministros suos, qui eum apprehenderent,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	45-53	at illi re infecta reversi sunt, et Dominus a Nicodemo defenditur.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	8, 1-11	Insequente die ad eum adducunt adulteram, quam absolvit;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	12-29	docet se esse lumen mundi, Filium aeterni Patris,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	30-58	unde, aliquibus credentibus, nova contra eum exorta est tempestas,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	59	ita ut eum lapidare vellent.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	9, 1-12	Egressus autem sanat hominem caecum a nativitate,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	13-27	ob quod miraculum, quia sabbatho patra-

i. Si S. Lucas ordinem chronologicum sequitur, non potest esse dubium, quin Dominus in itinere suo ad scenopegia celebranda septuaginta discipulos mittere coeperit; Galilaeam iteratis vicibus ipse cum discipulis peragraverat, ultimis autem vitae suae mensibus ampliorem sibi campum reservaverat, Peraeam atque Iudaeam; ideo praeter Apostolos iam novos sibi selegit adiutores, « quos mitteret ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo ipse erat venturus », et quo fama eius sufficiens nondum pervenerat. Etsi igitur Lucas electionem et missionem discipulorum hoc in loco narret, omnino tamen admittendum est, toto isto tempore ante passionem in ultimis itineribus septuaginta illos discipulos ei viam praeparasse. Per modum autem compendii haec missio narratur, quemadmodum simili ratione missio Apostolorum una sola indicatur, quamvis eorum ope procul dubio Dominus saepius in Galilaea usus sit. Praeccepta autem, quae illis tradit Dominus, similia sunt praeceptorum Apostolis (Matth. 10, 5 sqq.) datorum, quia proximum eorum munus simile fuit.

k. Eadem interrogatio iterum Ierosolymis Domino proposita refertur a Matth. (22, 25 sqq.) et Marc. (12, 28 sqq.); nulla videtur adesse ratio, cur alterutrum Evangelistam narrationem hanc ordine chronologico neglecto attulisse dicamus,

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
				trum esset, impietatis a Iudaeis accusatur;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	9,28-39	sanatus eiicitur ex synagoga, recipitur a Iesu,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	40. 41	qui Pharisaeorum voluntariam caecitatem increpat,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10, 1-18	quod se verum pastorem non agnoscant;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	19-21	unde novae Iudaeorum irae et dissensiones.
(6, 9-13)	. . . . .	11, 1-4	. . . . .	(Prope Ierosolymam quoque, ut videtur) docet discipulos orare,
(7, 7-11)	. . . . .	5-13	. . . . .	necessitatemque orationis inculcat [1].
. . . . .	. . . . .	14	. . . . .	Eiicit daemonium mutum,
(12,24-30)	(3,22-27)	15-38	. . . . .	respondet calumniantibus, quod in Beelzebub eiiceret daemonia,
(12,38-45)	. . . . .	29-36	. . . . .	increpat Pharisaeos signum quaerentes.
. . . . .	. . . . .	37-52	. . . . .	Invitatus a Pharisaeo vituperat Pharisaeorum et Scribarum hypocrisin,
. . . . .	. . . . .	53. 54	. . . . .	quare irati quaerunt aliquid, de quo eum accusent.
(10,26-32)	. . . . .	12, 1-3	. . . . .	(Iudaeam peragrans) discipulos docet vitandam hypocrisin,
(12,31-37)	. . . . .	4-12	. . . . .	fiduciam in Deum acquirendam,
. . . . .	. . . . .	13-21	. . . . .	avaritiam fugiendam (parabola de divite subita morte abrepto),
(6,19-34)	. . . . .	22-34	. . . . .	evitandas curas saeculares ac quaerendum solum thesaurum regni Dei,
(24,45-51)	. . . . .	35-48	. . . . .	vigilantiam observandam, quia inexspectatus venturus sit filius hominis remuneraturus omnes pro meritis,
. . . . .	. . . . .	49-59	. . . . .	nunc tempus non esse pacis, sed belli.
. . . . .	. . . . .	13, 1-9	. . . . .	Turbas ad poenitentiam exhortatur parabola de ficu sterili.
. . . . .	. . . . .	10-17	. . . . .	Sabbatho in synagoga sanat mulierem, et docet quid sabbathis agere liceat.
(13,31-33	(4,30-32)	18-21	. . . . .	Parabolis de grano sinapis et fermento propositis docet naturam regni Dei.
. . . . .	. . . . .	22	. . . . .	Revertitur Ierosolyma.
				C. Ab encaeniis usque ad hebdomadem passionis. (*Dec.* 781 — *April.* 782.)
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10,22-23	Tempore encaeniorum, quum esset in templo
. . . . .	. . . . .	. . . . .	24-38	et aperte Filium Dei se diceret, voluerunt Iudaei eum lapidare,

1. Parallelos textus huic loco et proxime sequentibus ex Matthaeo et Marco eum in finem non adscripsimus, ut ad unum idemque factum eos referendos esse indicaremus. Procul dubio

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10,39-42	ipse autem abiit in Peraeam.
. . . . .	. . . . .	13,23-30	. . . . .	Quum ibi populum doceret reiectionemque Iudaeorum praediceret,
. . . . .	. . . . .	31	. . . . .	Pharisaei eum in Iudaeam trahere conabantur, dictitantes Herodem eum velle occidere;
. . . . .	. . . . .	32-35	. . . . .	at perfidiam eorum perspiciens abnuit, et suam quidem mortem, at simul urbis eversionem praedicit.
. . . . .	. . . . .	14, 1-6	. . . . .	Sabbatho sanat hydropicum in domo Pharisaei et suam agendi rationem defendit.
. . . . .	. . . . .	14, 7-11	. . . . .	Invitatos docet humilitatem, quum primos locos occupare studerent;
(12, 2-14)	. . . . .	12-24	. . . . .	iisdem proponit parabolam de epulo, ad quod invitati accedere recusant.
. . . . .	. . . . .	25-35	. . . . .	Discedens docet eos, qui ipsum sequuntur, omnia esse relinquenda iis, qui se sequi velint, proponitque parabolas de aedificaturo turrim et de rege bellum paraturo.
. . . . .	. . . . .	15, 1.2	. . . . .	Murmurantibus Pharisaeis de peccatoribus bene receptis
(18,12-14)	. . . . .	3-10	. . . . .	proponit parabolas de ove perdito, de drachmate amisso,
. . . . .	. . . . .	11-32	. . . . .	et de filio prodigo.
. . . . .	. . . . .	16, 1-13	. . . . .	Discipulis proponit parabolam de villico iniusto, ex qua deducit spretis divitiis eos Deo debere esse fideles.
. . . . .	. . . . .	14-31	. . . . .	Pharisaeis de hac doctrina ridentibus narrat historiam de paupere Lazaro et divite eiecto in gehennam.
(18,7.21 sqq)	. . . . .	17, 1-4	. . . . .	Ad discipulos autem conversus monet vitanda scandala et offensiones remittendas esse,
(17,19)	(11, 23)	5-10	. . . . .	praedicatque virtutem fidei et humilitatem.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	11, 1-16	Accersitus e Peraea a sororibus Lazari aegroti
. . . . .	. . . . .	. . . . .	17-44	mortuum quatriduanum resuscitat;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	45-53	quo miraculo irritati Pharisaei consilium ineunt eum interficiendi,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	54-57	quare se recipit in oppidum Ephrem.
. . . . .	. . . . .	17,11	. . . . .	Inde per Samariam, Galilaeam (Peraeam) longo circuitu proficiscitur Ierosolyma;

saepe Dominus discipulis suis de oratione locutus est, saepe Pharisaeorum calumnias refutavit, atque alia doctrinae capita, quae mox sequuntur, eiusmodi sunt, ut non semel a Domino ea tradita esse dicamus. Matthaeus et Marcus ea referunt, quae in Galilaea docuit Dominus, Lucas in hac parte Dominum in peregrinationibus per Iudaeam nobis exhibere omnino videtur.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	. . . . .	17,12-29	. . . . .	in itinere sanat decem leprosos, ex quibus unus Samaritanus,
. . . . .	. . . . .	20-37	. . . . .	inopinatum fore adventum regni Dei docet,
. . . . .	. . . . .	18, 1-8	. . . . .	commendat orationem perseverantem parabola de iudice iniquo,
. . . . .	. . . . .	9-14	. . . . .	orationem humilem parabola de Pharisaeo et publicano.
19, 3-9	10, 1-12	(16,18)	. . . . .	Trans Iordanem veniens docet indissolubilitatem matrimonii,
10-12	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et discipulis commendat virginitatem;
13-15	13-16	18,15-17	. . . . .	benedicit infantibus sibi oblatis,
16-23	17-24	18-23	. . . . .	iuveni, qui perfectus esse vult, paupertatem commendat;
24-30	25-31	24-30	. . . . .	Apostolis, quia omnia reliquerant, promittit centuplum.
20, 1-16	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Parabolam proponit de patre familias conducente operarios in vineam suam.
17-19	32-34	31-34	. . . . .	Tertia vice praedicit passionem proxime futuram;
20-28	35-45	. . . . .	. . . . .	respondet petitioni matris filiorum Zebedaei.
. . . . .	. . . . .	35-43	. . . . .	Iericho ingrediens sanat caecum,
. . . . .	. . . . .	19, 1-28	. . . . .	diversatur in domo Zachaei et narrat parabolam de domino servis suis decem mnas distribuente;
29-34	41-52	. . . . .	. . . . .	egrediens e Iericho sanat Bartimaeum caecum [m].
				VI. Hebdomas passionis. (10-15 Nisan 782.).
				A. Die Dominica.
. . . . .	. . . . .	19,28	12, 1	Sexto die ante pascha Dominus Bethaniam venit,

m. Cfr. supra 53, 1. Lucas nimis diserte dicit caecum sanatum, « quum *appropinquaret* Dominus Iericho », quam ut cum Bartimaeo eum confundere liceat, qui sanatus est « *proficiscente* Domino de Iericho ». Integram viam, quae Ierosolyma ducebat, prope civitates occupatam fuisse a mendicis, caecis, claudis, paralyticis etc eo tempore, quo integer fere populus ad pascha celebrandum ascendebat, nemo mirabitur, qui hodie quoque frequens aliquod sanctuarium visitare voluerit. Quare facile concipitur, Dominum ingredientem Iericho et ex civitate egredientem caecos in via sedentes et mendicantes invenisse. Quod autem duo ex illis eum « filium Davidis » salutaverint et ab eo sanationem petierint, id multo minus, si fieri potest, admirationis habet. Quare non video, cur moderni aliqui interpretes catholici unum solum caecum prope Iericho sanatum esse velint; certe S. Matthaeus (pro more suo, ut videtur, circumstantias accuratas negligens ideoque duo facta, etsi diversis diebus acciderint, una narratione comprehendens) duos sanatos refert.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
(26, 6-11)	(14, 3-9)	. . . . .	12, 2-8	atque in coena ei parata Maria ungit eius pedes murmurante Iuda traditore [n];
. . . . .	. . . . .	. . . . .	9-11	multi Iudaei veniunt, ut eum et Lazarum vidcant.
				B. Feria secunda.
21, 1-11	11, 1-10	19,29-38	12,12-19	Dominus Bethania profectus sollemni modo urbem et templum ingreditur,
14	. . . . .	. . . . .	. . . . .	multa miracula in templo patrat [o],
15-16	. . . . .	39-44	. . . . .	sacerdotes ob populi laetitiam iratos increpat,
17	11	. . . . .	. . . . .	Bethaniam revertitur.
				C. Feria tertia.
. . . . .	11,12	. . . . .	. . . . .	Dominus ad templum revertens
21,18.19	13.14	. . . . .	. . . . .	in via ficui sterili maledicit;
(12.13)	15-18	19,45-48	. . . . .	eiicit ementes et vendentes ex templo et docet ibi;
. . . . .	19	. . . . .	. . . . .	vespere ex civitate egressus (revertitur Bethaniam).
				D. Feria quarta.
21,19.20	11,20.21	. . . . .	. . . . .	Ad templum cum discipulis revertens ficum inveniunt arefactam,
21.22	22-26	. . . . .	. . . . .	unde occasionem arripit inculcandi discipulis virtutem fidei (et utilitatem precationis).
23	27-28	20,1.2	. . . . .	Ingressus templum et interrogatus, qua potestate (heri?) egerit,
24-27	29.30	3-8	. . . . .	respondet alia interrogatione de missione Ioannis B.,
28-32	. . . . .	. . . . .	. . . . .	ac narrat parabolas de filio obediente et inobediente,
33-44	12, 1-11	9-18	. . . . .	et de vinitoribus filium domini sui occidentibus.
45.46	12	19	. . . . .	Quibus ad iram provocati sacerdotes eum apprehendere volunt, sed non audent.
22, 1-14	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Aliam similem parabolam proponit de nuptiis filii regis, ad quas invitati venire nolunt.

n. Dubium non est, quin Matthaeus et Marcus, ut explicent quomodo Iudas ad traditionem pervenerit, narrationem hanc parenthelico modo illis, quae de Pharisaeorum et sacerdotum consilio tradunt, inseruerint. De contradictione igitur Ioannem inter et synopticos sermo esse nequit.

o. Quum Matthaeus haec miracula cum eiectione vendentium et ementium ex templo coniungat, quae insequente die facta est, forte etiam miracula haec transponenda sunt.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
22,15-22	12,13-17	20,20-26	. . . . .	Ideo Pharisaei cum Herodianis eum in sermone capere conantur interrogantes, num tributum Caesari solvi liceat.
23-33	18-27	27-40	. . . . .	Confusis Pharisaeis Sadducaei de possibilitate resurrectionis interrogantes ipsi quoque confunduntur.
34-40	28-34	(10,25-28)	. . . . .	Alter scriba tentans interrogavit de primo mandato Legis p.
41-46	35-37	20,41-44	. . . . .	Adversarios nunc plene confundit Dominus proposita quaestione de Messia Davidis filio et Domino.
. . . . .	38-40	45-47	. . . . .	Populum dein monet, ut caveat a Pharisaeis et Scribis,
23, 1-39	. . . . .	. . . . .	. . . . .	quos vehementissime increpat;
. . . . .	41-44	21, 1-4	. . . . .	e contra laudat pauperculam, quae de penuria sua quadrantem obtulerat.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	12,20-22	Gentiles petunt, ut Dominum videre possint;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	23-36	clarificatur voce de coelo delapsa, praedicit mortem suam brevi futuram.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	37-50	Obcaecati Iudaei non credunt, et qui ex eis credunt, illi fidem profiteri non audent.
24, 1-51	13, 1-37	5-36	. . . . .	Quare Iudaeis relictis egressus ex civitate praedicit eversionem urbis et finem mundi, ut suos ad vigilantiam exhortetur;
25, 1-13	. . . . .	. . . . .	. . . . .	quem in finem proponit parabolas de decem virginibus,
14-30	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et de talentis,
31-46	. . . . .	. . . . .	. . . . .	quibus sententiam iudicis adiungit.
26, 1-5	14, 1.2	22, 1.2	. . . . .	Eadem autem die pontifices consilium inierunt, ut Iesum dolo tenerent,
14-16	10.11	3-6	. . . . .	Iudas autem ad eos accessit, ut eis Dominum proderet.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	(12,36)	Iesus vero abiit et abscondit se ab eis.

E. Feria quinta.

26,15-29	14,12-16	22, 7-13	. . . . .	Dominus mane Petrum et Ioannem mittit, ut coenam paschalem praeparent.
20	17	14	13, 1.2	Vespere cum discipulis coenae accumbit.
. . . . .	. . . . .	15-18	. . . . .	Post primum poculum distributum
. . . . .	. . . . .	. . . . .	3-11	surgens lavat pedes discipulorum et

p. Cfr. supra n. k. p. 292. Matthaeus diserte Scribam dicit « tentantem » interrogasse; relatio Marci pravum hunc finem excludere videtur; apparens autem contradictio evanescit, si Pharisaeos quidem, uti tradit Matthaeus, hoc fine permotos esse dicimus, scribam autem, per quem interrogationem proposuerunt, bona fide egisse.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
26,21	14,18	. . . . .	13,12-20	iterum recumbens explicat, quid fecerit, simul indicans inter eos adesse traditorem.
22	19	22,21-23	. . . . .	Qua de re conturbati inter se quaerunt, quis sit ille;
23.24	20.21	. . . . .	21-26	Dominus autem primum Ioanni,
25	. . . . .	. . . . .	. . . . .	deinde Iudae ipsi clarius eum indicat,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	30	efficitque, ut abeat q.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	31-33	Remanentibus discipulis indicat instantem suam passionem.
. . . . .	. . . . .	24	. . . . .	Exorta autem inter eos contentione, quis eorum maior esset,
. . . . .	. . . . .	25-30	34.35	humilitatem commendat mutuamque dilectionem,
. . . . .	. . . . .	31-34	36-38	et Petrum monet de futura negatione
. . . . .	. . . . .	. . . . .	14, 1-31	Inter coenam colloquium habuit cum Thoma, Philippo, Thaddaeo.
26-29	22-25	(19.20)	. . . . .	Finita autem coena instituit SS. Eucharistiam,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	31	quam institutionem, postquam surrexerunt a mensa,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	15,1-17,26	secuta est longior exhortatio et sublimis illa oratio pro discipulis omnibusque fidelibus.
. . . . .	. . . . .	35-38	. . . . .	Dein praeparant se ad exeundum;
30-35	26-31	. . . . .	18,1	euntibus autem ad hortum Gethsemane praedicit Apostolorum scandalum et iterum Petri negationem.
36-46	32-42	39-46	. . . . .	Ingressus in hortum ter solus orat discipulis dormientibus. Agonia Domini.
47	43	47	2.3	Veniens Iudas cum satellitibus
48-50	44-45	48	. . . . .	osculo eum prodit;

q. Institutioni SS. Eucharistiae traditorem non interfuisse cum plerisque modernis interpretibus censemus. Quum Lucas (22, 19 sqq.) eum adfuisse satis clare dicere videatur, mirum quidem non est, quod plerique Patres in eandem sententiam abierint; at nunquam nec in Oriente nec in Occidente defuerunt interpretes, qui oppositam censebant esse probabiliorem. *Tatianus* in suo Diatessaro (Cfr. Cod. Fuld. ed. Ranke p. 138 et M. 68, 340) ita textum sacrum disposuit, ut Iudam ante institutionem SS. Sacramenti abisse appareat; quare *S. Ephrem* quoque in sua Concordantis Evangelii expositione (ed. Moesinger p. 221) eum corpus Domini non recepisse disertis verbis asserit. Idem iam antea asseruerant *Constit. Apost.* V. 14 (M. 1, 873) et *S. Aphraates* (cuius opera sub nomine *S. Iacobi Nisib.* prodierunt. Serm. de pasch. 14. Ed. Romae 1756. p. 34); atque apud iuniores Orientales eandem sententiam suos habuisse patronos docet *Theophyl.* (in Matth. 26, 26. M. 123, 444). In Occidente *S. Hilarius Pictav.* (in Matth. XXX. 2. M. 9, 1065) eandem tenet; iterum eam invenimus apud *Rupert. Tuit.* (in Ioan. l. XI. M. 169, 688), *Petrum Comest.* (Hist. schol. M. 198,870) atque velut probabiliorem eam proponit *Innocentius* III (De S. Altaris mysterio IV. 13. M. 217, 865). Inter interpretes saec. 16 et 17. eidem inhaerent *Turrianus*, *Salmeron*, *Maldonatus* (velut probabili), *Barradius*, *B. Lamy* aliique. Cfr. *Langen* Die letzten Lebenstage Iesu p. 165 sqq., *Corluy* Comm. in Ioan. p. 302 sq., *Laurent* Das h. Evangelium p. 636 etc.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	. . . . .	. . . . .	18, 4-9	interrogante autem Domino, quem quaerant, satellites in terram cadunt;
26,50-54	14,46-47	22,49.50	10.11	Petrus gladio Dominum defendens amputat Malchi auriculam.
55-56	48-50	51-53	12	Apprehendunt satellites Dominum fugientibus discipulis,
57	. . . . .	54	12	abducunt Dominum,
. . . . .	51.52	. . . . .	. . . . .	frustra autem volunt apprehendere adolescentulum, qui eos sequebatur.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	13.14	Dominus ducitur ad Annam,
57	53	54	(24)	dein ad Caipham,
58	54	54.55	15.16	sequentibus Petro et Ioanne in atrium pontificis.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	19-23	Interrogatur a pontifice solo, alapa caeditur a satellite.
69-70	66-67	55-57	(17.18)	Negatur prima vice a Petro
71-75	68-72	58-65	25-27	atque iterum et tertio:
(67-68)	(65)	63-65	. . . . .	illuditur autem a satellitibus in atrio.

F. Feria sexta.

26,59-66	14,55-64	22,66-71	. . . . .	Mane Dominus a Caipha et synedrio condemnatus
27, 1.2	15,1	23,1	18,28	adducitur ad Pilatum.
3-10	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Iudas, quum hunc traditionis exitum videret, desperat.
11-14	2-5	2.3	29-32	Coram Pilato Dominus accusatus nihil respondet;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	33-38	quare solum eum in praetorio interrogat procurator nec causam ullam invenit;
. . . . .	. . . . .	4-12	. . . . .	audiens autem eum Galilaeum esse iubet eum adduci ad Herodem, a quo illuditur Dominus.
15-26	6-15	13-23	39.40	Reversus ad Pilatum Barabbae postponitur,
30-29	16-19	24.25	19, 1-3	Et ad crucem postulatus flagellatur, spinis coronatur, a militibus illuditur,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	4.5	dein populo exhibetur : Ecce homo,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	6-16	ac demum tumultuantibus Iudaeis, postquam iterum Pilatus eum voluit liberare, crucifigendus relinquitur.
31	20	. . . . .	16.17	Circa h. 11. educitur in Calvariae montem,
32	21	26	. . . . .	Simon Cyrenaeus autem angariatur, ut crucem eius portet,
. . . . .	. . . . .	27-31	. . . . .	dum mulieres hierosolymitanae plangunt.
. . . . .	. . . . .	32	. . . . .	Cum eo ducuntur duo latrones;
33.34	22.23	. . . . .	. . . . .	in monte Calvariae recusat vinum myrrhatum,

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
(27,38)	(15,27.28)	23,33	19,18	et medius inter latrones crucifigitur;
(37)	(26)	(38)	19-22	titulo cruci infixo.
. . . . .	. . . . .	34	. . . . .	Ipse vero orat pro crucifixoribus suis,
35	24	34	23.24	dum milites vestes eius inter se dividunt,
39-43	29-32	35-37	. . . . .	praetereuntes autem eum blasphemant.
44	33	39	. . . . .	Similiter eum blasphemant latrones,
. . . . .	. . . . .	40-43	. . . . .	quorum alter tamen se convertit et veniam invenit.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	25-28	Stabat autem mater eius cum Ioanne et mulieribus iuxta crucem.
45	33	44	. . . . .	Ab hora 12. usque ad 3. tenebrae factae sunt;
46.47	34.35	. . . . .	. . . . .	h. 3. exclamat Eli, Eli lamma sabachthani,
48.49	36	. . . . .	28	et paullo post : Sitio;
. . . . .	. . . . .	46	29	quum vero a milite acetum accepisset, dicit : Consummatum est,
50	37	46	30	et emissa voce magna exspiravit.
51-53	38	(45)	. . . . .	Facta autem sunt signa multa et magna,
54	39	47	. . . . .	ita ut centurio diceret : vere Filius Dei erat,
55.56	40.41	48.49	. . . . .	atque idem confiterentur turbae. Testes autem aderant noti eius ex Galilaea.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	31-33	Latronum crura frangebantur,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	34-37	Domini vero latus lancea aperiebatur.
57.58	42-45	50-52	38	Ioseph ab Arimathaea corpus Domini a Pilato impetrat,
59.60	46	53	39-42	quod depositum a cruce in sepulcro novo collocatur,
61	47	. . . . .	. . . . .	Maria Magdal. et Maria Ioseph aspiciebant, ubi poneretur,
. . . . .	. . . . .	54-56	. . . . .	idem fecerunt aliae mulieres, quae reversae in urbem paraverunt aromata (ante inchoatum sabbathum) [r].
				G. Sabbatho.
27,62-66	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Inchoato Sabbatho Pharisaei impetrant a Pilato, ut sepulcrum custodiatur;
. . . . .	. . . . .	23, 56	. . . . .	amici autem Iesu sabbatho « siluerunt iuxta mandatum ».

r. Facilius et accuratius Evangelistarum narrationes videntur conciliari, si de diversis mulieribus loqui statuuntur. Maria Magdalena, Maria Ioseph (vel Iacobi) et Salome, de quibus Marcus loquitur, *finito sabbatho* paraverunt aromata; una cum filiis Zebedaei et Petro domum videntur occupasse non longe a porta, quae duxit ad sepulcrum. Ioanna autem Chusae cum aliis mulieribus sine dubio habitabat cum marito suo, Herodis Antipae procuratore, in palatio Hasmonaeorum, quod in monte Sion situm longius ab sepulcro abest; hae autem iam *ante inchoatum sabbathum* aromata paraverant.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	16,1	. . . . .	. . . . .	Post solis autem occasum Maria Magdalena cum aliis mulieribus emunt aromata [s].
				VII. Resurrectio et ascensio Domini.
. . . . .	. . . . .	24,1	. . . . .	Dominica valde diluculo (ὄρθρου βαθέως) exeunt quaedam mulieres cum aromatibus, quae ante sabbathum pararant.
23,1	16,1	. . . . .	20,1	Eodem fere tempore (sed paullo tardius) etiam Maria Magdalena cum aliis mulieribus exivit.
2-4	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Quum essent in via, terrae motus est factus et Angelus revolvit lapidem a monumento.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	2	Praecucurrerat ceteris Magdalena, et videns lapidem revolutum currit ad Petrum et Ioannen.
5-7	3-7	. . . . .	. . . . .	Interea veniunt eius sociae, quibus Angelus annuntiat factam resurrectionem.
. . . . .	. . . . .	2-8	. . . . .	(Quibus regressis versus civitatem) venit Ioanna quoque cum sociis suis atque eundem nuntium a duobus Angelis audierunt.
. . . . .	8	. . . . .	. . . . .	Atque primae quidem mulieres ob timorem ea, quae viderant et audierant, discipulis non retulerunt,
8	. . . . .	9-11	. . . . .	postea autem, quum aliae idem vidissent et audissent, discipulis narrarunt, qui non crediderunt.
. . . . .	. . . . .	12	3-10	Interea accurrerant Petrus et Ioannes a Magdalena accersiti et rem invenerunt, sicut mulieres dixerant.
. . . . .	9-11	. . . . .	11-18	Revertentibus illis Magdalena remanet atque Dominus ei apparet;
9-10	. . . . .	. . . . .	. . . . .	reliquis quoque mulieribus sese ostendit in via [t].
11-15	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Custodibus, qui sacerdotibus ea, quae acciderant, annuntiant, pecunia datur ut mentiantur.

s. Nonnulli etiam post occasum solis Magdalenam cum altera Maria exisse statuunt, « ut viderent sepulcrum » (Matth. 28, 1); at rectius terminus « vespere sabbathi, quae lucescit in prima sabbathi » (ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων) intelligitur de aurora diei Dominicae.

t. Dubitari potest, annon eadem sit apparitio, quae facta est Magdalenae, et ea, quae facta est reliquis mulieribus.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	16,12.13	24,13-34	. . . . .	Antequam mulieres Dominum viderant, egressi erant duo discipuli in Emmaus, quibus euntibus Dominus se adiungit.
. . . . .	. . . . .	35	. . . . .	Apparet etiam Petro soli,
. . . . .	. . . . .	36-43	20,19-25	et vespere congregatis discipulis omnibus, Thoma excepto.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	26-29	Dominica insequente apparet eis congregatis cum Thoma,
28,16-20	. . . . .	. . . . .	. . . . .	In Galilaeam profectis apparet in monte et confert missionem in universam terram.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	21, 1-24	Petro, Ioanni aliisque quinque apparet ad lacum Genesareth et Petro confert primatum.
. . . . .	14-18	. . . . .	. . . . .	Reversis Ierosolyma promittit dona Spiritus,
. . . . .	. . . . .	44-49	. . . . .	commendat ut Ierosolymis maneant, usque dum acceperint Spiritum S.
. . . . .	. . . . .	50	. . . . .	Educit eos in montem Oliveti, iisque benedicens
. . . . .	19	51	. . . . .	ascendit in coelum.
. . . . .	. . . . .	52.53	. . . . .	Ipsi autem manserunt Ierosolymis usque ad adventum Spiritus S.
. . . . .	20	. . . . .	. . . . .	eoque accepto profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	25	Multa alia fecit Dominus, quae scribi omnia non potuerunt.

§ 10. — *De praecipuis in Evangelia commentariis catholicis.*

I. Interpretatio patristica.

77. — Innumeri fere sunt commentarii, quibus inde a primis Ecclesiae temporibus ad nostram usque aetatem Evangelia illustrare et elucidere studuerunt viri praeclarissimi. Completum eorum catalogum contexere res est non minus difficilis quam inutilis; quare illa sola opera indicabimus, quae maiori usui hodie interpretibus esse censemus.

Nec inter Patres GRAECOS nec inter latinos ullus est, qui omnia Evangelia commentatus sit; secundum enim, utpote quod paucissima tantum solum exhibeat, in ecclesia graeca ante Victorem Antioch. saec. 5. et in latina ante Ven. Bedam saec. 8. interpretem non invenit; inter reliqua primum et quartum frequentius, quam tertium, explicata sunt.

Saec. 2. *S. Theophilus Antioch.* « quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens » omnium primus Evangeliorum commentator fuit; commentarium eius, qui ab Eusebio non nominatur, S. Hierony-

mus se legisse testatur; at hodie aeque parum superstes est, atque simile opus *S. Hippolyti*, quod etiam Eusebio incognitum ab Hieronymo adhibitum est[1]. Primus igitur nominandus est *Origenes*, cuius commentarius in Matthaeum magna ex parte sive graece (13, 35-22, 23), sive in antiqua versione latina (16, 9-27, 63) ad nos pervenit; exstant quoque in Lucam homiliae undequadraginta, a S. Hieronymo latine redditae, quarum duae et triginta prima quatuor capita fere integra (1, 1-4, 27) continua explicatione illustrant, aliae de selectis pericopis paucis agunt; demum ex triginta duobus tomis, quos in Ioannem scripsit, praeter minora fragmenta octo fere integri, sed non continui, qui maiorem partem capp. 1. 2. 4. 8. 11. 13. interpretantur, nobis sunt conservati. In duobus prioribus operibus allegoricae explicationi, praesertim ubi contradictio videtur adesse, pro more suo plus aequo indulget; in tertio haud raro in quaestiones dogmaticas divagatur; in omnibus morales applicationes abundant. Quae a vera fide occurrunt magis minusve absona, illa haereticis operum eius depravatoribus attribuenda esse nonnulli censent[2]. *Eusebius Caes.* libros tres Quaestionum evangelicarum composuerat, quarum paucae nostro saeculo a Card. Maio repertae et editae sunt; inter quas aliae ad Stephanum inscriptae in Domini genealogiis conciliandis, aliae ad Marinum directae in narrationibus de Christi resuscitati apparitionibus explicandis versantur. Praeterea de Evangeliis optime meruit suis canonibus, quibus secundum Ammonii harmoniam pericopas illas designavit, quas aut omnes aut plures Evangelistae communes habent. Commentariorum eusebianorum quoque in Lucam satis multa fragmenta graeca ex Nicetae Catena collegit et edidit Card. Maius, commentarii autem in Lucam inter Eusebii opera a S. Hieronymo non nominantur[3].

Praedecessores suos longe superat *S. Chrysostomus*, qui integrum primum Evangelium nonaginta homiliis, et fere integrum quartum octo et octoginta homiliis interpretatus est. Priores, quae omnibus subsidiis hermeneuticis adhibitis sensum literalem diligentissime explanant, optimum constituunt in S. Matthaeum commentarium, quem graeca antiquitas nobis transmisit; in aliis autem haud raro concionatorem magis agit, quam interpretem[4]. Quare eius in Ioannem homiliis non immerito praefertur *S. Cyrilli Alex.* commentarius in idem Evangelium. Olim duodecim habebat libros, quorum duo (in Ioan. 10, 18-12, 48) perierunt; non tantum literalem sensum exponit, sed pro more alexandrino etiam allegoricas et morales accommodationes et applicationes non refugit; maximus autem est in dogmatis de Trinitate, incarnatione etc asserendis. Eiusdem habemus satis multa fragmenta commentariorum in Matth. et Luc., in quibus etiam ab allegorica quidem explicatione non abstinet, diligentius autem, quam multi alii, ad sententiarum

nexum attendit[5]. Quibus addamus *Victorem Antioch.*, sub cuius nomine editus est commentarius in Marcum, quamvis dubitetur annon potius Cyrilli Alex. sit foetus; at catena potius est dicenda, quam commentarius, quum ex Origene, Chrysostomo aliisque haud pauca sint desumta[6].

Ex aliis *orientalibus* Patribus solum nominamus S. *Ephraem Syr.*, cuius praeter sermones et hymnos de rebus evangelicis superstes nobis est interpretatio Diatessari Tatiani satis brevis sed minime spernenda[7].

1. De *S. Theophili* commentario cfr. *S. Hier.* in Matth. Prooem; de vir. ill. 25.; ad Algas. ep. 121, 6 (M. 26, 20; 23, 643; 1020); pauca fragmenta ex Clem. Alex., Orig., Hieron. collecta habes M. 6, 1601 sqq. — Sub S. Theophili nomine editi sunt Commentariorum in S. Evangelia libri quatuor (Biblioth. max. Pat. II. 2. p. 165 sqq. et alibi), at scholia haec iunioris esse originis demonstrant explicationes ex S. Ambrosii, Arnobii iun. aliorumque scriptorum 4. et 5. saec. operibus desumtae. Saec. 6. haec compilatio videtur esse exorta (Cfr. *A. Harnack* Der angebliche Evangeliencommentar des Theoph. v. Antioch. in Gebhardt u. Harnack Texte u. Untersuchungen zur Gesch. der altchristl. Literatur. I. 4. Leipz. 1884. p. 97 sqq.). — In Prol. in Matth. S. Hieronymus praeter S. Theophili commentarios etiam similia opera Hippolyti Mart., Theodori Heracl., Apollinaris Laodic., Didymi Alex. se legisse testatur, quae omnia interierunt.

2. *Orig.* in Matth. M. 13, 829 sqq.; in Luc. l. c. 1801 sqq. (et inter opera S. Hier. M. 28, 219 sqq.); in Ioan. M. 14, 21 sqq.

3. *Euseb. Caes.* Quaest. ad Steph. et ad Marin. M. 22, 877 sqq., Comment. in Luc. M. 24, 529 sqq.

4. *S. Chrysost.* in Matth. hom. M. 57. et 58., in Ioan. hom. M. 59. — Inter opera S. Chrysost. (M. 56, 644 sqq.) aliae homiliae quinquaginta quatuor in Matth. latine exhibentur, quae nomine « Operis imperfecti in Matth. » laudari solent; eas non esse S. Chrysostomi, inter omnes hodie constat; auctorem inter Arianos esse quaerendum demonstrat Montfaucon (M. 56, 607 sqq.), operis linguam primitivam esse latinam suspicantur plerique.

5. *S. Cyr. Alex.* in Ioan. M. 73 et 74; Fragmenta in Matth. et Luc. M. 72, 365 sqq.

6. *Victor. Antioch.* in Marc. in P. Possini Catena graec. Patr. in Marc. Romae 1672. et in Cramer Catena, Oxonii 1844. p. 261 sqq.

7. *S. Ephraemi* Evangelii concord. expositio ex armeno latine translata ab I. B. Aucher. ed. G. Moesinger. Venetiis 1876. Eiusdem sermones octo in hebdomadam sanctam, hymni quidecim azymorum, octo de crucifixione etc. Lamy S. Ephr. hymni et sermones. Mechlin. 1882. p. 145 sqq.

78. — Inter PATRES LATINOS primus *S. Victorinus Petavion.*, martyrio coronatus sub Diocletiano, commentarios in Matthaeum edidit, quem proximus secutus est *S. Hilarius Pictav.* idem Evangelium explicans. De utroque ita S. Hieronymus : « Commentarios viri eloquentissimi Hilarii et B. martyris Victorini, quos in Matthaeum diverso sermone sed una gratia Spiritus ediderunt, post paucos dies ad vos mittere disposui, ne ignoretis quantum nostris quoque hominibus (videlicet latinis) sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit ». S. Victorini opus ad nos non pervenit, S. Hilarius autem, quum persuasum ei esset, « gesto-

rum veritatem non idcirco corrumpi, si gerendis rebus interioris intelligentiae ratio subiecta sit », in suo commentario, quamvis literalem sensum non negligat, praecipuum tamen studium investigandis mysticis et allegoricis explicationibus impendit[1]. « Expositio Evangelii secundum Lucam decem libris comprehensa », quam *S. Ambrosius* nobis reliquit, ex sermonibus exorta est, quos per biennium fere ad populum habuit. In priore expositionis parte eum Origenem esse secutum, comparatio cum Origenis homiliis satis clare demonstrat; num in reliqua parte idem obtineat, deficiente integro origeniano opere definiri nequit. Literalem sensum ipse quoque non negligit, at aeque parum allegoricas accommodationes omittit, praesertim si apparentes quasdam contradictiones conciliare vult, atque multus est in moralibus applicationibus; iusto severius de opere hoc iudicavit S. Hieronymus, quum eum « in verbis ludere, in sententiis dormitare » diceret, sin aliter haec verba Hieronymi Rufinus recte de S. Ambrosii commentariis intellexit; S. Augustinus enim et Cassiodorus non semel eos cum laude protulerunt, et ipse Hieronymus ad solvendam quaestionem sibi propositam interrogantem ad eos remittit[2].

S. Hieronymus in suis « Commentariorum in Matthaeum libris quatuor » « omissa auctoritate Veterum, quos nec legendi nec sequendi facultatem haberet (quindecim enim dierum spatio rogatus ab amico opus hoc integrum absolvit) historicam interpretationem digessit breviter, et interdum spiritalis intelligentiae flores miscuit, perfectum opus reservans in futurum ». Non parvae tamen utilitatis commentarius hic etiam ideo est interpreti, quia S. Doctor in suis explicationibus lectiones Evangelii Nazarenorum satis frequenter allegavit[3]. SS. Ambrosii et Hieronymi amicus, *S. Chromatius Aquil.*, etiam primum Evangelium tractatibus ad populum habitis illustravit, quorum octodecim superstites plerique (III-XVIII) in sermone montano explicando versantur[4]. Magnae utilitatis interpreti sunt *S. Augustini* « de consensu Evangelistarum libri quatuor », in quorum primo introductionem quandam in Evangelia exhibet, in reliquis apparentes contradictiones haud raro felicissime enodat, licet in eo a vero aberrasse videatur, quod S. Matthaei, quem ordine chronologico librum suum disposuisse censuit, narrationi reliquas inserere studuerit. Minoris momenti sunt eiusdem « Quaestionum Evangelicarum libri duo », in quorum priore Matthaei, in altero Lucae textus quosdam allegorice et tropologice exponit. Eius demum « in Ioannem tractatus centum viginti quatuor », quamvis iustum commentarium non constituant atque dogmatici potius et ascetici, quam exegetici sint, nullo modo interpreti quarti Evangelii licet omittere[5]. *S. Paterii*, S. Gregorii M. discipuli, « Testimonia in quatuor Evangelia » silentio praeterire nolumus, quum in illis collecta habeas, quae magnus eius

magister in multis suis operibus de variis Evangeliorum textibus exposuit[6].

Velut clausulam Patribus addamus *Ven. Bedam*, inter cuius opera omnium quatuor Evangeliorum expositio habetur. In primo Evangelio commentando ita sequitur S. Hieronymum, ut interdum eius explicationem in compendium contrahat, interdum magis evolvat, frequentissime de suis nonnulla, praesertim allegorica, ei addat. In duobus aliis quoque synopticis libris explicandis, quemadmodum ipse in praefatoriis epistolis ad Accam episcopum fatetur, « maxime quae in venerabilium Patrum exemplis invenit, hinc inde collecta ponere curavit nonnullis propriis ad imitationem sensus ipsorum, ubi opportunum videbatur, intermixtis ». In quarti autem expositione a S. Augustini tractatibus et sermonibus ita dependet, ut eos quasi excerpsisse videatur et multi hunc commentarium Bedae abiudicare non dubitent[7].

1. *S. Hilarii Pictav.* in Evang. Matthaei comment. M. 9, 917 sqq. — De SS. Victorini et Hilarii commentariis cfr. *S. Hier.* in translat. homil. Orig. in Luc. Prolog.; in Matth. Prol.; de vir. ill. 74. et 100 etc. (M. 26, 220. 20; 23, 683. 701.). S. Hieronymo teste eodem tempore, quo Hilarius, *Fortunatianus Aquilei.* quoque « in Evangelia titulis ordinatis brevi et rustico sermone scripsit commentarios » (de vir. ill. 97; in Matth. Prol. M. 23, 697; 26,20).

2. *S. Ambrosii* Expositio Evang. sec. Lucam. M. 15, 1527 sqq. — S. Hieron. iudicium in Prol. ad transl. hom. Orig. in Luc. (M. 26, 219; cfr. *Rufin.* c. Hier. II. 61), sed commentarium commendat ad Algas. ep. 121, 6 (M. 22, 1021). Cfr. etiam *S. August.* de gratia Christi 43-50 (M. 44, 381 sqq.).

3. *S. Hieron.* Commentariorum in Evang. Matthaei ad Euseb. libri quatuor. M. 26, 15 sqq. In epistolis suis aliisque operibus occasione data S. Doctorem multos omnium Evangeliorum locos magis minusve accurate explicare, opus non est ut adnotemus. — Inter opera S. Doctoris inveniuntur etiam « Expositio quatuor Evangeliorum de brevi proverbio edita » atque diffusior « commentarius in Evangelium sec. Marcum » (M. 30, 551 sqq. et 589 sqq.); quin utrumque opus spurium sit, nemo hodie dubitat, quamvis alterum a medii aevi interpretibus satis frequenter pro genuino sit adhibitum. Prius Martianay suspicatus est Walafridum Strabonem habere auctorem, qui illud ex operibus genuinis Hieronymi collegerit; quam coniecturam utpote omni fundamento destitutam et Walafrido indignam merito reiicit Vallarsi (M. 30, 351). Commentarius in Marcum, quum non pauca ex Bedae opere transumsisse videatur, etiam 8. vel 9. saeculo videtur attribuendus.

4. *S. Chromatii* tractatus octodecim in Evang. S. Matthaei. M. 20, 327 sqq.

5. *S. Augustini* de cons. Evang. M. 34, 1041 sqq.; Quaestion. evangel. ll. duo. M. 35, 1323 sqq.; in Ioan. tract. M. 35, 1579 sqq. — Eiusdem exstant « de sermone Domini in monte ll. duo » (M. 34, 1229) et innumeri fere sermones in pericopas evangelicas (M. 38. et 39.) concionatori quam interpreti utiliores.

6. *S. Paterii* Testimonia in Evangelia. M. 79, 1025 sqq. — Simili modo ex S. Gregorii operibus explicationem quandam Evangeliorum collegit ineunte saec. 12. *Alulfus Tornac.* M. 79, 1137 sqq.

7. *Ven. Bedae* Commentarii in Matthaeum etc. M. 92, 9 sqq. — De methodo, quam in suis commentariis adornandis secutus est, cfr. eius epist. ad Accam. M. 92, 133 sq.

304 sq. — Quoniam fere totus commentarius in Ioan. ad verbum cum eo consentit, qui inter Alcuini opera habetur, Beda autem in suorum operum catalogo hunc commentarium non nominat, haud immerito dubitatur, num ab eo sit conscriptus. Item commentarium in Matth. non nominat; quare de huius quoque authentia dubitare licet, idque eo magis, quia hic, uti ille in Ioan., epistola dedicatoria caret, quam V. Beda raro omittit.

II. Interpretatio medio aevo.

79. — Ex mediae aetatis interpretibus Evangeliorum duo soli GRAECI mentionem merentur; *Theophylactus*, inquit Sixtus Sen., « in divi Chrysostomi lectione diu multumque versatus redegit in breve et apertum compendium iuxta historicam intelligentiam, quidquid admirabilis ille Pater ex aureo suo ore in exponendis Scripturis effuderat, praetermissis locis communibus, in quibus ille plenis eloquentiae velis excurrere consuevit », additis autem multis allegoriis, quas sive ex aliorum Patrum operibus collegit sive ipse invenit. Tam evidenter a Chrysostomo dependet Theophylacti commentarius in quatuor Evangelia, ut in codicibus manuscriptis haud raro sit inscriptus « Theophylacti... epitome commentariorum Chrysostomi » etc[1]. Ceterum utilitate sua opus eius minime caret, superatur autem ab *Euthymii Zigab.* commentario in quatuor Evangelia. Qui ipse quoque catenarum quidem in modum ex Origenis potissimum, Gregorii Naz., Chrysostomi operibus excerptus, multis tamen et novis non spernendis explicationibus est auctus. Diligentissimum in verborum proprietatibus observandis Euthymium esse dixit Maldonatus; Rich. Simon autem eum inter graecos Evangeliorum interpretes non nisi paucos habere censet, qui eu maequent; magna praesertim cum sollicitudine apparentes contradictiones explicare studet[2]. De reliquis graecarum catenarum collectoribus nihil addimus hoc loco, quia praecipuas, quae usui et utilitati sunt, in Introd. gen. iam enumeravimus[3].

Inter LATINOS *Alcuinus* a virginibus Gisla et Richtruda rogatus quartum Evangelium ita exposuit, ut « primo omnium S. Augustini suffragia quaerens, dein ex opusculis S. Ambrosii aliqua trahens nec non ex homiliis Patris Gregorii Papae vel ex homiliis B. Bedae presbyteri multa assumens aliorumque Patrum, sicut inveniri potuit, interpretationes ponens magis horum omnium sensibus ac verbis usus sit, quam suae quidquam praesumtioni commiserit »[4]. Simili prorsus modo *Rhabanus Maurus* octo suos libros Commentariorum in Matthaei Evangelium ex operibus « Cypriani atque Eusebii, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Fulgentii, Victorini, Fortunatiani, Orosii, Leonis, Gregorii Naz., Gregorii Papae Romani, Ioannis Chrysost. et ceterorum Patrum, quorum nomina scripta sunt in libro vitae » collegit additis « nonnul-

lis, quae ipsi auctor lucis aperire dignatus erat »[5]. Glossa quoque ordinaria *Walafridi Strabonis* in Evangelia ex Patrum operibus integra est excerpta[6]. Aliam autem viam circa idem tempus iniit *Christianus Druthmarus*, monachus corbeiensis, in sua primi Evangelii expositione, quum perspicere sibi videretur « beatum Hieronymum multa verba quasi levia praeterisse et parvuli sensus difficilia reddidisse ». « Studui autem, inquit, plus historicum sensum sequi quam spiritalem, quia irrationale mihi videtur spiritalem intelligentiam in libro aliquo quaerere et historicam penitus ignorare, quum historia fundamentum omnis intelligentiae sit ». Quamvis Hieronymi opus optime ei cognitum fuisse ex toto commentario satis eluceat, ab eo tamen non dependet, sed suas explicationes, haud raro bonas, in medium affert. Eiusdem exstant « expositiunculae » in Lucam et Ioannem; Marcum autem post Ven. Bedam explicare noluit[7]. *Rupertus Tuitiensis* quoque non catenas, sed commentarios scripsit; eius « libri duodecim de gloria et honore filii hominis super Matthaeum » non integrum Evangelium, sed duodecim prima et quatuor ultima capita plerumque mystice et allegorice explicant; « In Evangelium S. Ioannis commentariorum libri quatuordecim » textum libri sacri accuratius sequuntur, strictius verbis sacris inhaerent, minore allegoriarum numero sunt onusti. In utroque autem opere innumerae digressiones dogmaticae et aliae inveniuntur; nihilominus a commentarii ratione non tantopere recedunt, quantum « liber unus commentariorum in volumen quatuor Evangelistarum », qui partem constituit magni operis « De Trinitate et operibus eius »[8].

1. *Theophylacti* Enarrationes in quatuor Evangelia. M. 123 et 124. — Cfr. de eo *Sixt. Sen.* Biblioth. sacra IV. (Ed. Milante I. p. 482), *R. Simon* Hist. crit. des comment. du N. T. p. 390 : « Les commentaires de Theophylacte sont plutôt des abrégés de St Chrysostome que de véritables commentaires » etc.

2. *Euthymii Zigab.* Expositiones in Evangelia. M. 129. — Cfr. *Rich. Simon* l. c. p. 409 sqq.; *Knabenbauer* Comm. in Matth. I 1892. p. 15 etc.

3. *Introd. general.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2. n. 243 p. 666 sq.

4. *B. Alcuini* Commentariorum in Ioan. libri 7 (M. 100, 743 sqq.); cfr *supra* n. 78. *n.* 7 p. 306 et *Introd. gener.* Ed. 2. p. 669 sq.

5. *B. Rhabani* Comm. in Matth. (M. 107, 727 sqq.); cfr *Intr. gen.* Ed. 2. p. 670.

6. De *Walafr. Strabonis* Glossa ordin. cfr Introd. gen. Ed. 2. p. 671 sq. — Ad idem genus, ad quod tria praecedentia opera, pertinent *S. Paschasii Radberti* Expositio in Matthaeum (M. 120, 37 sqq.), ex Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio M., Chrysostomo, Beda hausta, *Anselmi Laudunensis* Enarrationes in Evangelium Matthaei (M. 162, 1227 sqq.), ex iisdem fere fontibus desumtae, in quibus explicatio moralis et allegorica (Moralitates, Alegoriae) a literali separata habetur, *Brunonis Astiensis* Commentaria in quatuor Evangelia (M. 165, 71 sqq.) et alia plura eiusdem aetatis.

7. *Christiani Druthmari* Expositio in Matthaeum. M. 106, 1261; Eius « brevis expositio in Lucam » et « expositiuncula in Ioan ». M. 106, 1505-1520.

8. *Ruperti Tuitiensis* in Matth. M. 168, 1307 sqq.; in Ioan. M. 169, 205 sqq.; in qua-

tuor Evang. M. 167, 1533 sqq. Non immerito de eius commentariis in N. T. censet *Rich. Simon* (l. c. p. 389) : « Il fait connaître partout, qu'il avait de l'esprit et de l'érudition ; mais cette érudition ne vient pas toujours à propos ; il est rempli de digressions de théologie et de morale ».

80. — Non pauci quoque inter SCHOLASTICOS Evangeliis suas curas impenderunt ; paucos illos duntaxat nominabimus, quorum opera interpreti hodie quoque negligere non licet, omissis tamen postillatoribus et commentatoribus, qui veluti Card. *Hugo a S. Caro*, *Nicolaus Lyranus* (et *Paulus Burgensis*), *Dionysius Carthusianus*, Card. *Caietanus* aliique omnes S. Scripturarum libros explicarunt[1].

Primo in loco ponemus *B. Albertum M.*, cuius « luculentae expositiones » in omnia Evangelia exstant. Methodum suae aetatis secutus a divisione et partitione integri libri et uniuscuiusque pericopae explicandae incipere solet nexumque sententiarum accurate indicat ; singula deinde fere verba excutit innumeris haud raro allatis textibus parallelis ; sensum literalem diligenter sequitur, sed allegoricas explicationes ex Patrum operibus desumtas addere minime refugit[2]. Superatur autem Albertus a magno suo discipulo *S. Thoma Aquin.*, cuius praeter catenam in omnia Evangelia commentarios in primum et quartum possidemus. Quinquaginta quatuor Patres scriptoresque ecclesiastici graeci sunt, viginti duo latini, ex quorum operibus S. Thomas explicationes collegit et in sua *catena* adunavit, quae merito *aurea* vocata est. Eius enim opera factum est, quemadmodum recte monet Possevinus, « ut et evangelicum sensum et Patres latinos, qui delitescebant aut minore erant in usu, ac graecos ipsos interpretes assequeremur, divina viri caritate procurante, ut latine propterea verterentur ». Dolendum quidem, quod multa non nisi ex glossis, alia ex vitiosis translationibus, alia ex operibus suppositiis desumserit, at omnibus his non obstantibus catena eius etiam hodie non parvae est utilitatis. In Matthaeo et Ioanne commentandis a consueta scholasticorum methodo non recedebat, sed pro ingenii sui vi accuratius sensum sacrorum scriptorum evolvebat nexumque investigabat. Monendum tamen commentarios in Matth. ab Angelico praelectos quidem esse in scholis, sed stylo exceptos ab uno ex eius discipulis ; commentarios in Ioan. eodem modo a discipulo quodam reportatos, sed insuper a S. Thoma esse correctos[3]. *S. Bonaventurae* superstites sunt commentarii in Lucam et Ioannem ; ad allegoricas accommodationes et morales applicationes multum inclinat, nec literali sensui idearumque nexui eandem, quam S. Thomas, curam impendit ; ceterum haud rarae in eis sunt pulcherrimae explicationes[4]. Multum ab hisce distat *Alph. Tostatus*, qui in diffusissimo commentario in Matthaeum quam plurimas quaestiones agitat, quae pleraeque ad textum elucidandum parum iuvant[5].

1. Cfr quae de his aliisque commentariis hoc loco praetermissis disseruimus in *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2. n. 248 sqq. p. 679 sqq.

2. *B. Alberti M.* Commentarii in Evangelia exstant in Operum editione Lugdunensi (1651) tom. IX-XI. Separatim prodierunt Hagenoviae 1504-1506. etc.

3. Inter Catenarum aurearum editiones, quae inde ab a. 1486. multae prodierunt, Possevinus praeferendam dicit Antwerpensem an. 1592. in qua praeter Patrum citatorum nomina etiam opera indicata sunt, ex quibus explicationes sunt desumtae. Inter commentariorum editiones praestat Parmensis 1867.

4. Genuinus *S. Bonaventurae* comment. in Ioan. nunc prodiit in nova operum eius editione ad Claras Aquas 1893. Tom. VI.; comm. in Luc. Tom. VII. 1895.

5. *Alph. Tostati* Opera. Venetiis 1530. et saepius.

III. Trium ultimorum saeculorum interpretatio.

81. — Quemadmodum omnes fere U. T. libri, ita Evangelia quoque *duobus primis saeculis*, quae Concilium Tridentinum secuta sunt, quam plurimos invenerunt interpretes; praeter illos, qui aut integram Scripturam aut totum N. Testamentum commentariis vel scholiis auxerunt, plus centum numerantur, qui in Evangeliis explicandis operam suam posuerunt[1]. Paucos sed praecipuos nominabimus.

Agmen iure merito ducant Iansenius Gand., Maldonatus, Toletus. *Corn. Iansenii Gand.* concordiam evangelicam supra laudavimus; eius autem « commentarium in concordiam et totam historiam evangelicam » maximis laudibus prosequuntur omnes, qui de antiquioribus iudicia tulerunt[2]. Eum tamen ab *Ioan. Maldonato*, qui singula Evangelia commentariis instruxit, non parum superari censent plerique, quum « ea perspicuitate, elegantia, soliditate, brevitate functus sit munere interpretis, ut fere alios ab huius argumenti replicandi proposito deterruisse videatur »; quare hodie quoque quicunque Evangeliorum explicationi operam suam impendere voluerit, Maldonati commentarios negligere non poterit, etsi forte controversiis sui temporis enucleandis magis, quam hodie requiritur, sit immoratus[3]. Merito ei aequiparatur *Card. Franc. Toletus*, cuius in integrum quartum Evangelium et in duodecim priora tertii Evangelii capita habemus commentarios vere egregios, quos ipsum Theod. Bezam « impense laudasse » testatur Is. Casaubonus, quosque Maldonati operi procul dubio praeferet ille, qui dogmaticam verborum dominicorum explicationem praeprimis quaesierit[4].

Post quos secundum locum occupare nobis videntur *Sebast. Barradas*, cuius « commentaria in concordiam et historiam evangelicam », teste Cornelio a Lapide, « excellunt in moralibus, quae meditationi aeque ac concionibus subserviunt », *Lucas Brugensis*, qui accurate in singulorum verborum significationem investigat, *Alph. Salmeron*, qui

magna quidem cum eruditione res omnes evangelicas exponit, at tot quae ad rem vix ac ne vix quidem faciunt, suis commentariis immiscet, ut Tostatum imitari voluisse videatur, *Corn. a Lapide,* cuius magnum opus concionatoribus est utilissimum[5]. Quibus *Corn. Iansenium Iprensem* quoque adderemus, nisi praeiudicatis suis opinionibus abreptus Evangelistis suos errores attribuisset[6].

Tertii ordinis quam plurimi sunt; sed ne longi simus nominamus tantum *Ioan. Gagnaeum,* cuius scholia in Evangelia illis in paulinas epistolas sunt inferiora, *Ariam Montanum,* qui « elucidationes in quatuor Evangelia » aliis suis operibus praeclarioribus addidit, *Paulum Palacium,* qui in suarum « Enarrationum in SS. Iesu Christi Evangelium secundum Matthaeum » tomo priore plus viginti Patrum expositiones catenarum in modum congessit, in altero autem suam ipsius explicationem addidit, *Ioan. de Sylveira,* qui sex magna volumina « commentariorum in textum evangelicum » reliquit, *Bern. Lamy,* cuius « commentarius in harmoniam sive concordiam quatuor Evangeliorum » una cum « apparatu chronologico et geographico ad comment. in harmoniam » secundo ordini adnumerandus esset, nisi haud paucas singulares opiniones contineret, *Nat. Alexandrum,* cuius « expositio literalis et moralis S. Evangelii secundum quatuor Evangelistas » utilitate sua non caret[7]

1. Quoniam in Introductione gener. (252-256 p. 672-695) praecipuos commentatores et scholiastas huius periodi enumeravimus, eos hoc loco omittemus. Qui omnes huius aetatis interpretes Evangeliorum cognoscere voluerit, facili negotio eos invenict in *Henr. Hurter.* S. I. Nomenclatore literario recentioris theologiae catholicae. Vol. I. et II. Ed. 2. Oeniponte 1892. 1893.

2. *Corn. Iansenii Gand.* Comment. Lovanii 1571. 1577. et saepissime. De eius laudibus cfr *Hurter* Nomencl. Ed. 2. I. p. 24. — Commentarii epitomen edidit *M. a Castro* O. S. Aug. Antwerpiae 1593 et saepius.

3. *Ioan. Maldonati* S. I. Comment. Mussiponte 1597. et saepissime (Optima editio curis I. B. Raich. Mog. 1874). De Maldonati laudibus cfr *Hurter* l. c. Ed. 2. p. 87 sq. Maldonatum Toleto praefert *Andres* Dell origine, progresso e stato attuale d'ogni letteratura VI. 2, 3 : « D'ingegno piu acre e severo ed di più fine critica e erudizione (quam Toletus) si mostrò il Maldonato, uno degli spositori, che possono servire d'esemplari in questo genere. Fornito di perizia nelle lingue antiche sa meglio intendere il testo e scegliere il senso più conveniente al medesimo e più conforme alla verità. Egli non lascia passare alcuna difficoltà, che non l'esamini a fondo » etc.

4. *Franc. Toleti* S. I. Comment. in Ioan. Romae 1588.; in Lucam. 1600. et saepius. Cfr *Hurter* l. c. Ed 2. p. 90 sqq.; *Rich. Simon* Hist. des commentateurs du N. T. Toletum inter optimos quidem Novi Test. expositores recenset, eum tamen fusiorem copiosioremque esse dicit atque haud raro quaestiones tractare, quae ad rem non pertineant; at vituperium hoc falsum est et commenticium.

5. *Sebast. Barradii* S. I. comment. Conimbricae 1599. et saepius; *Lucae Brug.* In quatuor Evangelia commentarius. Praemittitur itinerarium Iesu Christi ex quatuor Evang. collectum. Antw. 1606. Commentarii supplementum in S. Luc. et Ioan. Antw.

1612. 1616; *Alph. Salmeronis* S. I. Commentarii in evangelicam historiam. Madriti 1597-1602. Coloniae 1612. etc.; *Corn. a Lapide* S. I. Commentarii in quatuor Evangelia. Romae 1639; non obstante magna sua mole (implent enim duo voll. in-fol.) saltem duodecies separatim, neque rarius in completis operum eius editionibus prodierunt (cfr *C. Sommervogel* S. I. Bibliothèque de la Compagnie de Jésus. IV. Bruxelles 1893. p. 1521 sqq.). Novam editionem separatam, additis multis ac bonis notis, curare coepit *A. Padovani*, prof. S. Script. in semin. cremonensi. Taurini 1896.

6. *Corn. Iansenii Iprens.* Tetrateuchus s. comment. in quatuor Evang. Lovanii 1639. Cfr. *Rich. Simon* l. c. p. 664 : « Jansénius, évêque d'Ypres, a composé un commentaire des quatre Évangiles, qu'il a expliqués en peu de mots et avec beaucoup de netteté : mais ayant été prévenu de certains sentiments de théologie, il a quelquefois accommodé le sens des Évangélistes à ses idées » etc.

7. *Ioannis Gagnaei* Scholia in quatuor Evangelia. Paris. 1652. etc.; quibus adde *Ioan. Benedicti* Emendationes scholiorum Gagnaei in Evang. Paris 1563. — *Ariae Montani* Elucidationes etc. Antw. 1575; *Pauli Palacii* Enarrationes etc. Conimbricae 1564. etc. — *Ioan. de Sylveira*, O. Carm. Comment. in Evangelia. Ulyssipone 1642. etc. (Valde diffusum opus, sed utile concionatoribus); *Bern. Lamy* Congr. Orat., Comment. et Apparatus Paris 1699; *Natal. Alexandri* Exposit. Paris. 1703. etc.

82. — Ultima saeculi praecedentis pars, quemadmodum in reliquis disciplinis theologicis, ita in exegesi satis sterilis vix quidquam produxit, quod hoc loco dignum sit notatu; illis, qui integram S. Scripturam illustrarunt (Weitenauer, Martini etc) addemus dumtaxat *Hieron. Besange*, O. S. Ben., cuius exstat « Introductio in S. quatuor Evangelia critico-hermeneutico-historica, qua exhibetur quidquid ex Patrum aliorumque eruditorum sententia ad genuinum literae sensum facere videtur », et *Ant. Vogt* S. I. qui reliquit non spernendum commentarium in quatuor Evangelia[1].

Hoc nostro saeculo in explanandis Evangeliis maior posita est diligentia ac tantus est commentatorum numerus, ut solos praeclariores nominemus, illis pro more praetermissis, qui universam Scripturam scholiis moderna quadam lingua conscriptis illustrare studuerunt.

In Italia primum locum *Fr. Xav. Patritius* S. I. facile obtinet, qui in maiore suo « de Evangeliis » opere quaestiones introductorias in Evang. satis copiose tractat, harmoniam Evangeliorum stabilire conatur, multas difficultates, maxime chronologicas et historicas, eruditissime discutit. Minoris momenti sunt eius breves commentarii continui in Marc. et Ioan. Praeter quem laude dignus *C. M. Curci* S. I. habetur, qui practicum consilium secutus Evangelia sacris concionibus exposuit[2].

Multo plures interpretes Evangeliorum Germania tulit. Ineunte iam saeculo commentarius utilis editus est ab *I. H. Kistemaker*, quem mox *Fr. Xav. Mussl* secutus est[3]. In altera saeculi parte omnia Evangelia explicata sunt a *Petr. Schegg* (fusius quidem, quam par est, sed plerumque accurate), *Aug. Bisping*, qui a protestantico interprete H. A. W. Meyer nimis pendet, *I. Th. Laurent*, vicar. apost. Luxemb. (maxime

in laicorum usum[1], *Paul Schanz*, qui idearum nexum et historicas philologicasque quaestiones sollertissime investigans dogmaticum argumentum aliquantulum negligit, *Fr. Xav. Poelzl*, qui totum sacrum textum clare exponit, *I. Knabenbauer* S. I., cuius egregia interpretandi ratio lectoribus huius Cursus est percognita[4]. Quibus adiungere licet *Iosephum Grimm* ob eximium suum opus de Evangeliorum unitate neque minus eximiam vitam Domini N., quae Evangeliorum expositio quaedam est, uti etiam *Mauritium Meschler* S. I. et *Ioannem B. Lohmann* S. I. ob similia opera, quae quamvis ascetico usui proxime sint destinata, interpretibus tamen et concionatoribus optime inservire possunt[5]. Unum porro alterumve Evangelium nonnulli sibi explicandum proposuerunt, ex quibus nominari merentur *Ad. Maier*, *M. Arnoldi*, *L. Klofutar*, *Fr. Sal. Tiefenthaler* O. S. Ben[6].

In Gallia opera pleraque de Evangeliis edita ad asceticum genus pertinent vel soli concionatorum usui inservire volunt; exegeticis tamen commentariis libri illi iure accensentur, quos *Theoph. Dehaut* et *L. Cl. Fillion* conscripserunt, illudque unum est dolendum, quod secundus protestanticos interpretes interdum sequatur. Vitas Domini quoque ab *E. Le Camus*, *P. Didon*, O. Praed., aliisque editas huc trahere licet, quae una cum ascetico scientificum finem prosequi videntur[7]. Inter Belgas *Ios. Corluy* S. I quartum Evangelium optimo commentario instruxit, in quo dogmaticas potissimum quaestiones, variis sententiis propositis, diligenter perpendit; simili fere modo, sed nimis diffuse, *I. Van Steenkiste* primum Evangelium tractavit; *A. I. Liagre* autem omnia Evangelia una cum Actibus Apost. interpretatus est[8]. In Anglia demum et Hibernia de Evangeliorum explicatione *I. Mc Evilly*, episc. Galw., et *I. Coleridge* S. I. bene meriti sunt[9].

1. *Hier Besange* Introd. in s. quatuor Evang. Venetiis 1775; *A. Vogt* Comm. in Matth. et Marc. Moguntiae 1790; in Luc. et Ioan Francof. 1796.

2. *Patrizi* De Evang. libri tres. Frib. 1852. sq.; Comm. in Ioan. Romae 1857; in Marc. 1862. — *Curci* Leziori exget. e morali sopra i Evangeli. Firenze 1874.

3. *Kistemaker* Die h. Evang. erklärt. Münster 1818 (3 voll.). — *Massl* Erkl. der h. Schriften de N. Test. Straubingen 1841-48 [13 voll.].

4. *P. Schegg* Die h. Evang. erklärt. München 1854-80. (9 voll.); *eiusdem* Sechs Bücher des Lebens Jesu. Freiburg 1874. — *A. Bisping* Exeg. Handb. z. N. Test. I.-III. Ed. 2. Münster 1867-69. — *I. Th. Laurent* das h. Evang. unseres Herrn J. Chr. übers. u. erkl. Ed. 2. Freib. 1894. — *P. Schanz* Comm. ü. d. Evang. d. h. Matth. Freib. 1879; Marc. 1881. Luc. 1883; Ioan. 1885. — *Fr. X. Poelzl* Kurzgef. Comm. zu den vier h. Evang. Graz 1880-94 (5 voll.). — *I. Knabenbauer* Comm. in Matth. Parisiis 1892; in Marc. 1894; in Luc. 1896; Comm. in Ioan., Deo favente, prodibit 1897.

5. *I. Grimm* Einh. der Evang. Regensburg 1858; Leben Jesu I-VI. 1876-94. — *M. Meschler* das Leben nuseres Herrn J. Chr. Ed. 3. Freib. 1894. (2 voll.); idem gallice : Méditations sur la vie de J.-Chr. Paris 1895 (3 voll.). — *I. B. Lohmann* Betrachungen etc. Ed. 6. Paderborn 1894 (4 voll.).

6. *Ad. Maier* Comm. z Evang. d. h. Ioh. Freib. 1843. — *M. Arnoldi* Comm. z. Ev. d. h. Matth. Trier 1856. — *L. Klofutar* Comm. in Evang. Marc. et Luc. Laibach 1892. — *Fr. S. Tiefenthaler* Evang. nach Marcus. Paderborn 1892.

7. *Th. Dehaut* L'Évangile expliqué, défendu, médité, Paris 1875 (4 voll.). — *L. Cl. Fillion* Évangile selon S. Matth., Paris 1878; selon S. Marc. 1879; selon S. Luc 1882; selon S. Jean 1889. — *E. Le Camus,* La vie de N.-Seigneur, Paris 1883; idem germanice : Leben u. H. Jesus Christus ed. *E. Keppler* Freib. 1893-95 (2 voll.). — *P. Didon* Jésus-Christ. Paris 1891 (2 voll.).

8. *I. Corluy* Comm. in Ev. S. Ioan. in usum praelectionum. Gandavi 1878; Ed. 2. 1882. — I. *Van Steenkiste* Ev. S. Matth. Brugis 1876. Ed. 2. 1882 (4 voll.). — *A. I. Liagre* Comm. in libr. hist. N. Test. Tornaci 1883.

9. *I. Mc Evilly* Expos. of the Gospels. Dublin 1886. — *I. Coleridge* The life of our Lord. London 1876 sqq. (19 voll.); idem gallice : Histoire de N.-S. Jésus-Christ. Paris 1892 sqq.

Protestanticos commentarios enumerare supersedemus, quoniam catholici, quos nominavimus, usui quotidiano plane sufficiunt. Si quis vero, ut novis inauditisque « criticorum » rationalistarumque commentis refutandis operam suam impendat, eorum commentarios cognoscere desiderat, magnum numerum acatholicorum operum enumeratum habet a *Reuss* (Gesch. des N. Test. Ed. 6. Braunschw. 1887. nn. 548 sqq. 555 sqq. 576 sqq. 597 sq.). Quibus adde recentissimas editiones operis a *H. A. W. Meyer* inchoati sed a iunioribus sensu rationalistico retractati (Krit. exeg. Comm. über d. N. T. I. 1. Matthaeus Ev. Ed. 8. retract. *B. Weiss.* Göttingen 1890; I. 2. Ev. des Marc. u. Luc. Ed. 8. retract. *B. Weiss.* et *Joh. Weiss.* 1892; II. Johannes-Ev. Ed. 8. retr. *B. Weiss.* 1893), uti etiam commentarium manualem a H. J. Holtzmann aliisque editum (Handcomm. z. N. T. I. Die Synoptiker bearb. v. *H. J. Holtzmann.* Ed. 2. Freiburg 1892; IV. Das Ev. des Joh. bearb. v. *H. J. Holtzmann.* Ed. 2. 1893). Ceterum inter modernos acatholicos non plane desunt commentatores Evangeliorum, qui, quum inspirationem admittant, haud pauca bona tradunt et interdum cum fructu in auxilium vocantur; ex germanicis huc pertinent *Keil* (Matth. Leipzig 1877; Marc. u. Luc. 1879. Iohanes 1881), *Lange* et *Van Oosterzee* (Lange's Bibelwerk. Neues Test. I-IV. Ed. 4. Bielefeld 1878-81); ex gallicis *F. Godet* (St. Luc. Neuchâtel 1872; S. Jean. 1876); ex anglicis *F. C. Cook* (aliique Evangeliorum expositores in The Speaker's Commentary. N. T. I. II. London 1878-80) et *Edersheim* (The life and times of Jesus the Messiah. London 1883).

SECTIO II.

CAPUT IV.

DE APOSTOLORUM ACTIBUS.

§ 11. — *De Actuum Apostolorum authentia.*

83. — Quintus N. T. liber historicus Πράξεις ἀποστόλων (Acta vel Actus Apostolorum) nominatur, et in prooemio Theophilo illi inscribitur, cui auctor iam « primum tractatum de omnibus, quae coepit Iesus facere et docere usque in diem, quo assumtus est » se dedicasse asserit.

Titulum ab ipso auctore operi esse praefixum, *S. Chrysostomus* pro certo supponit[1], atque revera, quamvis moderni interpretes plerique contrariam sententiam teneant, rem ita se habere nulla est iusta dubitandi ratio. Antiquissimum enim illum esse non tantum omnes graeci codices confirmant, qui alium non cognoscunt, sed vetustissimae quoque versiones, inter quas nonnullae ipsam graecam vocem Πράξεις retinuerunt[2]. Quamprimum deinde liber noster ab ecclesiasticis scriptoribus sive in Occidente sive in Oriente diserte laudatur, idem titulus solus apparet; imo ad quam antiquitatem ascendat, luculentissime ex eo apparet, quod iam ante medium saec. 2. apocryphorum fabricatores eo sint abusi[3]. Operis praeterea argumento tam apte respondet, ut auctor, quum operi historico titulus ex more esset praefigendus, aptiorem sane invenire non potuerit; de Apostolorum enim rebus gestis integer liber tractat. Nec omnium quidem Apostolorum nec aliquorum omnes res gestas tradi, verissimum utique est; omnium enim nomina ab initio tantum ponuntur, atque illa, quae, sive ante Spiritus S. adventum sive paullo post, ab omnibus sunt gesta, paucissimis absolvuntur; statim autem ad paucorum tantum Petri maxime, res transitur, imo inde a c. 13. antiqui Apostoli fere omnino disparent, atque solus nominatur Paulus. Attamen genuinus titulus completam Apostolorum omnium aut nonnullorum historiam nequaquam promittit; ad optimorum enim codicum fidem legendum non est αἱ πράξεις τῶν ἀποστόλων, sed omissis articulis πράξεις ἀποστόλων[4]; quo autem sensu verba haec sint sumenda

prooemium definit, quod librum nostrum secundam partem Evangelii Theophilo dicati esse docet. Quemadmodum igitur in priore illa parte ne publicae quidem vitae dominicae historiam completam dare voluit Evangelista, sed illa sola facta et dicta Domini retulit, quibus ad Theophili fidem confirmandam indigere sibi videbatur : ita in altera hac parte nonnullas res gestas aliquorum Apostolorum, quas eidem fini promovendo aptas iudicavit, narrandas sibi elegit.

Iam ex eisdem verbis etiam elucet, eundem esse Actuum et tertii Evangelii auctorem, neque unquam hac de re dubitatum est, donec nostra aetate aliqui ex « criticis », qui solis internis rationibus originem librorum definire volunt, Actus a variis scriptoribus compositos esse assererent eosque auctori tertii Evangelii abiudicarent[5]. At tanta per totum librum est linguae stylique unitas ac tam arcta singularum partium rerumque omnium connexio seriesque, ut eum integrum uni auctori deberi luce sit clarius. Tanta quoque inter Evangelium et Actus est linguae stylique affinitas et similitudo, ut longe plurimi « critici » utrumque opus eidem auctori attribuant[6]. Accuratiore igitur huius quaestionis tractatione praetermissa[7], Actus aetate apostolica conscriptos esse atque S. Lucae auctori iure attribui historicis testimoniis ostendemus.

1. *S. Chrys.* Serm. in princ. Act. 1, 3 (M. 51, 72) : « Paulus, qui Spiritus gratiam habuit, altaris (atheniensis) inscriptionem non praeteriit, et tu Scripturarum titulos praeteris? Ille id, quod Athenienses idololatrae scripserant, non omisit, et tu ea, *quae Spiritus S. scripsit*, necessaria non esse censes? » etc.

2. Syriaca et coptica versiones et Arabs Erpenii vocem graecam retinent; *S. Hilarius* quoque (in Matth. 14, 20 M. 9, 1000) titulo graeco utitur (« in libro Praxeos » vel Praxeon), quamvis auctor fragm. Muratoriani, interpres Irenaei, Tertull., Cyprian. etc. iam illum verterint : Actus vel Acta App.

3. *Fragm. Mur.* lin. 34 sqq. (*Intr. gen.* Ed. 2. p. 183); *Tert.* de baptism. 10 (M. 1, 1211); *S Iren.* c. haer. V. 13 (M. 7, 912); *Clem. Alex.* Strom. V. 12 (M. 9, 124). Acta Pauli et Theclae iam ineunte saec. 2. (vel forte iam exeunte saec. 1.) conficta esse post *Tertull.* (de Bapt. 17) tradit *S. Hier.* de vir. illustr. 7 (M. 23, 621).

4. Ita legunt B. (in subscriptione), D etc. *S. Athan.* in epist. fest. 39 (M. 26, 1177. 1437), *S. Chrys.* serm. in princ. Act. 1, 3 (M. 51, 71), *Euthal.* diac. etc. Patres, si frequenter articulum ponunt atque genitivum ἀποστόλων omittunt (ἐν ταῖς Πράξεσιν, αἱ Πράξεις λέγουσιν etc.), titulum accuratum indicare noluisse, ex sermone Chrysostomi laudato apparet, qui integer de hoc titulo agit; omnibus enim istis loquendi modis utitur (αἱ πράξεις τῶν ἀποστ., πράξεις τῶν ἀποστ. etc), sed ubi thema suum aggreditur, accuratum ponit : μετὰ τοῦτο ζητῆσαι χρὴ, τίνος ἕνεκεν ταυτὴν ἔχει ἐπιγραφὴν, Πράξεις ἀποστόλων.

5. Inter quos ultimus *Scholten* Is de derde Evangelist de Schryver van het Boek der Hendelingen (Lugd. Batav. 1873) neminem, qui ipsi consentiret, invenit.

6. Cfr. ex. gr. *Renan* Les Apôtres (Paris 1866) Introd. p. X : « Une chose hors de doute, c'est que les Actes ont eu le même auteur que le troisième Évangile et sont une continuation de cet Évangile. On ne s'arrêtera pas à prouver cette proposition, laquelle

n'a jamais été sérieusement contestée. Les préfaces qui sont en tête des deux écrits, la dédicace de l'un et de l'autre à Théophile, la parfaite ressemblance du style et des idées fournissent à cet égard d'abondantes demonstrations ». Diu antea eodem modo iam *Credner* (Einl. Halle 1836. p. 36) : « Die Apostelgeschichte bezeichnet sich selbst als eine Fortsetzung des dritten Evangeliums, und die gleichmässige Bestimmung beider Schriften, die gleichmässige Eigenthümlichkeit in Sprache und Ausdruck, der gleichmässige Fortbau auf Paulinischem Grunde und Boden, das gleichmässige Streben nach Genauigkeit bei offenbarem Mangel an kritischem Takt[a] beweisen unwiderlegbar, dass der Verfasser des dritten Evangeliums, der Arzt Lukas, vom Verfasser der Apostelgeschichte in keiner Weise geschieden werden darf ».

7. De Actuum unitate cfr *Felten* Die Apostelgesch. Freib. 1892. p. 15 sq.; de eorum cum Evang. tertio affinitate cfr *Beelen* Comm. in Actus. Lov. 1850 p. III sq. et ex acathol. *de Wette* Einl. § 115 a; *Noesgen* Comment. Leipz. 1882. p. 15 sqq. etc.

84. — Inde ab apostolica aetate Actus Apostolorum a Christianis pro libro divinitus conscripto esse receptos *Eusebii* auctoritate constat. Qui diligentissimus antiquitatis investigator, quum illos inter τὰ ὁμολογούμενα referat, clarissime docet non tantum in vetustis Ecclesiae monumentis nihil se invenisse, quod de eorum authentia dubium qualecumque posset provocare, sed e contrario omnium antiquarum ecclesiarum testimonia eis favere[1].

Fatendum quidem est, ex PATRUM APOSTOLICORUM operibus, quae superstita ad nos pervenerunt, eadem cum certitudine, qua Evangeliorum, Actuum authentiam et divinam inspirationem non demonstrari; attamen non desunt omnino, quae illis librum nostrum cognitum et pro auctoritate fuisse ostendant. Quin *S. Clemens Rom.*, si Corinthios, quod « libentius darent, quam acciperent », verbo dominico laudavit, illud ex Actibus hauserit, nemo prudens addubitabit; qui enim illa verba a Clemente ex apocrypho desumta esse cum Zeller contendere voluerit, is prius, ni fallimur, demonstrare debebit, Clementem apocrypho libro esse usum in illoque verba laudata revera esse contenta[2]. Item *S. Barnabas* et *Doctrinae Apostolorum* auctor, quum Christianos quidquam proprium habere vetarent in omnibusque cum proximo communicare iuberent, illam omnino primorum fidelium hierosolymitanorum vitam prae oculis habuerunt, quae in Actibus describitur[3]. *S. Ignatii Mart.*

a. « Prudens iudicium » (kritischen Takt) nempe in Luca desiderari censet *Credner* (l. c. p. 269), quia in Actibus dies quidem indicentur, sed menses et anni non definiantur, atque maxime quia ubique res extraordinariae et miraculosae narrentur, ita ut christiana religio non propagetur nisi praecedentibus miraculis (« Fast überall gehen der weitern Verbreitung der christlichen Lehre Wunder voraus »). Num forte fastos consulares aut eponymos athenienses etc citare debuit S. Lucas, ut iudicium suum criticum demonstraret? At, ni fallimur, ecclesiae, quibus suos Actus destinavit, chronologiam triginta illorum annorum, quos liber complectitur, tam accurate tenuerunt, ut accuratiore illa annorum definitione non indigerent. Quae autem de miraculis narratis obiicit Credner, in obiiciente quidem impietatem, sed minime in Luca defectum iudicii demonstrant. Cfr *Fr. Blass* Acta Apost. Goettingen 1895. p. 8 sqq.

quoque, *S. Polycarpi*, auctoris epistolae *ad Diognetum* verba quaedam tam prope ad ea, quae in Actibus leguntur, accedunt, ut casui fortuito similitudinem attribuere non liceat[4]. Etsi autem allegationes proprie dictae in apostolicorum Patrum scriptis non inveniantur, allusiones tamen hae, quae facile augeri possunt, quanto in honore habuerint Actus satis videntur ostendere.

1. *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20, 268) Cfr. Introd. gen. 67. p. 181 sqq.

2. *S. Clem. Rom.* 1 *Cor.* 2 et *Act.* 20, 35. — *Zeller* (Die Apostelgesch. nach Inhalt u. Ursprung kritisch. untersucht. Stuttg. 1854. p. 9) : « Der Verfasser hat diesen Ausspruch wohl schwerlich der Apostelgeschichte, sondern seinem (?!) apocryphischen Evangelium zu verdanken ». — Ceterum aliae allusiones ad *Actus* nec in 1 *Cor.* nec in 2 *Cor.* et de Virg. desunt. Cfr. Ind. S. Scrip. in *Funk* Patres apost. I. p. 571 et II. p. 359.

3. *S. Barn.* ep. 19. et *Doctr. Apost.* 4. cfr. cum *Act.* 4, 32.

4. *S. Ign.* Smyrn. 3. μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν συνέφαγεν αὐτοῖς καὶ συνέπιεν; cfr. *Act.* 10, 41 οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Magn. 5. : ἕκαστος εἰς τὸν ἴδιον τόπον μέλλει χωρεῖν; cfr. *Act.* 1, 25 : Ἰούδας ἐπορεύθη εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. — In Act. martyr. S. Ign. 5 refertur S. Martyrem « ostensis ei Puteolis egredi e nave cupivisse, quum vellet per vestigia Pauli Apostoli incedere »; cfr. *Act.* 28, 13. 14. — *S. Polyc.* ad Phil. 1. « ὃν ἤγειρεν ὁ θεὸς λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ἅδου et *Act.* 2, 24 ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου (alia lectio : ἅδου); *ad Phil.* 2. et *Act.* 10, 42 etc. Etiam S. Polyc. Martyr. 7. « τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ γενέσθω merito confertur cum *Act.* 21, 14 : Τοῦ κυρίου τὸ θέλημα γενέσθω. — Ep. *ad Diognet.* 3 « Qui coelum et terram atque omnia, quae in iis sunt, condidit atque nobis omnibus ea suppeditat, quibus indigemus, ipse nullo eorum indiget, quae ipse iis largitur, qui ei se dare putant ». Cfr. *Act.* 17, 24 sq. — Num *S. Papias* ea, quae de morte Iudae habet (Cfr. *Oecum.* in Act. 1, 16 sqq. M. 118, 57; *Funk* Patres apost. II. p. 289 sq.) ad primi Evangelii et Actuum narrationes conciliandas ipse attulerit, an catenarum compilator Papiae relatione eum in finem sit usus, non satis liquet; id tamen videtur esse satis certum, Papiam Actuum relationem prae oculis habuisse; haec sunt verba Oecumenii : « Iudas suspendio e vita non discessit sed supervixit; deiectus est enim priusquam suffocaretur, idque Apostolorum Actus indicant, quod pronus crepuit medius. Quod planius scripsit Papias Ioannis Apostoli discipulus dicens : Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Iudas. In tantum enim corpore inflatus, ut progredi non posset, quum currus levi cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut funderentur eius intestina ».

A Patribus apostolicis ad Patres medii saec. 2. progredientes solum testem habemus *S. Iustinum M.*, qui, quum in maiore sua Apologia Apostolos Dominum in coelum ascendere vidisse et postquam virtutem e coelis missam accepissent ad omne hominum genus profectos esse tradat, sine ullo dubio ad Actus alludit, in quibus solis haec referuntur. Item si in Cohortatione ad Graec. Moysen « *omni* Aegyptiorum disciplina eruditum » appellat, haec ex solis Actibus haurire potuit. Atque iterum, si Christum *passibilem* praedictum esse refert, ea repetit, quae S. Paulus Actibus testibus coram Festo dixerat[5]. At deficientibus orthodoxo-

rum Patrum directis testimoniis haeretici et ethnici eiusdem aetatis indirectum saltem Actibus nostris reddunt. Vehementer iam Tertullianus in *Marcionem* invehitur, quod Actus reiecisset, idque ob dogmaticas causas factum esse demonstrat[6]. *Ebionitas,* qui Pauli Apostoli praedicationem respuerunt, nostrum quoque librum recipere noluisse perspicuum est; at canonicos nostros Actus aliis, « in quibus plurima impietatis eorum inerant vestigia », supplevisse testatur S. Epiphanius[7], id quod certissime non fecissent, nisi eorum iam tempore in tota Ecclesia Actus Scripturis essent adnumerati. Eodem modo *Severianos,* quorum parens est Tatianus, « Paulum Apostolum maledictis persequentes non tantum eius epistolas repudiasse, sed ne Apostolorum quidem Actus recepisse » tradit Eusebius[8]. *Manichaeos* S. Augustinus haud raro carpit, quod Actus non receperint, in quibus adventus Spiritus S. praedicetur, at sectae illius auctor non commemoretur[9]. Valentini demum discipulum *Theodotum* ad suam haeresin stabiliendam abusum esse Actibus auctor est S. Epiphanius[10]. Quibus haereticis addamus testimonia apocryphi *Testamenti Beniamini,* quod non semel ad Actus alludere omnes concedunt[11], atque ethnici *Luciani,* qui, quum Christianis ob altare Deo incognito Athenis erectum illuderet, satis ostendit, eius tempore Actuum librum inter Christianos esse admissum.

5. *S. Iustin.* Apol. I. 50 (M. 6, 404); Cohort. ad Graec. 10 (M. 6, 262) : Μωυσῆς... πάσης τῆς Αἰγυπτίων παιδεύσεως μετασχεῖν ἠξιώθη cfr. *Act.* 7, 22 ἐπαιδεύθη Μωυσῆς ἐν πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων; c. Tryph. 36 (M. 6, 553) et *Act.* 26, 22 (παθητὸς ὁ Χριστός).

6. *Tert.* c. Marc. V. 2 (M. 2, 472).

7. *S. Epiph.* haer. 30, 16 (M. 41, 432).

8. *Euseb.* H. E. IV. 29 (M. 20, 401).

9. *S. August.* de util. cred. 7; c. Adimant. 17, 5; c. Faust. XIX. 31 etc (M. 42, 69. 160. 368).

10. *S. Epiph.* haer. 54, 5 (M. 41, 969) : « At, inquit, Apostoli eum vocant *virum probatum in vobis signis et prodigiis* (*Act.* 2, 22), neque dixerunt *Deum probatum* ».

11. *Testam. Beniam.* 9 et 11 (Fabric. Cod. pseudepigr. V. T. Ed. 2. I. p. 740. 747) : « καὶ ἐν βίβλοις ταῖς ἁγίαις ἔσται ἀναγραφόμενον καὶ τὸ ἔργον καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ (sc. Pauli ex semine Beniamin oriundi). Testamenta duodecim Patriarcharum exeunte 1. aut ineunte 2. saec. a Iudaeo-christiano esse conscripta communior est sententia; post medium saec. 2. eorum originem poni non licere omnes concedunt. Cfr. *Langen* Iudenthum zur Zeit Christi. Freib. 1866. p. 145 sqq.; *Introd. gen.* p. 212.

85. — Immediate post S. Iustini M. aetatem abundant directa omnium Ecclesiarum testimonia, quibus Actuum authentia et divina auctoritas probatur. *S. Chrysostomus* quidem in exordio homiliarum suarum in Actus se suspicari fatetur, multis auditoribus vel ipsam huius libri exsistentiam esse ignotam[1]. At verba haec oratorio potius modo prolata nimis non sunt premenda; ex eodem enim Chrysostomo habemus, « patres statuisse, ut Actuum liber in festo pentecostes legeretur »[2]. Quare

ex prioribus verbis nihil sequitur, nisi in ecclesia constantinopolitana, in qua homilias suas in Actus habuit, eundem usum, qui Antiochiae, non viguisse, ideoque Constantinopolitanis minus quam Antiochenis librum Actuum fuisse cognitum. Ab altera enim 2. saeculi parte in omnibus ecclesiis non tantum erat receptus, sed etiam unanimi consensu Lucas eius auctor appellatur.

Circa an. 170. in ecclesia romana auctor *fragmenti Muratoriani* « Lucam optimo Theophilo omnium Apostolorum acta uno libro comprehendisse » asserit[3]. Circa idem tempus in ecclesia gallicana *Viennenses* et *Lugdunenses* fideles testantur « secundum exemplum Stephani, perfectissimi martyris, suos quoque martyres Deum pro suis persecutoribus esse precatos : Domine, ne statuas illis hoc peccatum ». Atqui Lugdunensium episcopus, qui in eadem persecutione martyrium obiit, fuit S. Photinus, senex nonagenarius et S. Polycarpi olim discipulus et amicus, ita ut testimonium hoc lugdunensis ecclesiae nos ad immediatos Apostolorum discipulos reducat[4]. Ceterum alterum eiusdem ecclesiae testem insignem habemus *S. Irenaeum*, cui tam persuasum est Lucam auctorem esse Actuum, ut ex prima persona, qua interdum auctor utitur, demonstraverit, Lucam individuum socium et comitem Pauli fuisse[5]. Ecclesiae africanae fidem nos docet *Tertullianus*, qui non tantum frequenter Actuum testimoniis utitur, sed diserte etiam Lucam eorum auctorem nominat, imo fuse eorum authentiam contra haereticos adstruit. « Quam Scripturam, inquit, qui non recipiunt, nec Spiritus Sancti esse possunt, qui necdum Spiritum possint agnoscere discentibus missum, sed nec Ecclesiam defendere, qui quando et quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent » etc[6].

Quemadmodum in toto Occidente, ita in toto Oriente de Actuum authentia et Luca eorum auctore exeunte saec. 2. unanimis est consensus. Asiaticarum ecclesiarum fidem iam ex Viennensium et Lugdunensium epistola cognovimus, quippe quae « ad fratres per Asiam et Phrygiam degentes » sit scripta, et ex Photini et Irenaei testimoniis, qui fidem suam in Asia imbiberant apud S. Polycarpum. Alexandrinae autem ecclesiae testimonium referunt *Clemens Alex.* et *Origenes*, qui addito Lucae nomine satis frequenter librum nostrum allegant[7].

Iam unde unanimis hic consensus, ut omnes per orbem ecclesiae exeunte saec. 2. Lucae auctori Actus attribuant? Si coniecturis dumtaxat auctorem, qui nusquam sese nominat, cognoscere voluissent, procul dubio, quemadmodum hodie rationalistae, ita antiqui quoque Patres alii Timotheo, alii Silvano, aut Tito, aut alteri Pauli socio librum attribuissent, nec in unum nomen omnes conspirassent. Ex certa igitur et apostolica traditione libri auctorem et divinam inspirationem cognoverunt, atque ideo etiam eorum successores, quorum testimonia afferre

supersedemus, eadem cum unanimitate Actus canoni librorum sacrorum inseruerunt et Lucam eorum auctorem esse tradiderunt[8].

1. *S. Chrys.* in Act. hom. 1, 1 (M. 60, 13) : « Multi perinde ignorant, an hic liber exstet et quis sit eius auctor : quae mihi potissimum causa fuit, ut hoc opus explicandum mihi proponerem, quo huius rei ignaros instituerem nec tantum thesaurum latere sinerem ». Cfr. in princ. Act. hom. 1, 3 (M. 51, 71).

2. *S. Chrys.* in princ. Act. hom. 4, 3 (M. 51, 101).

3. *Fragm. Murat.* lin. 34 sqq. (*Introd. general.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2. p. 183).

4. *Euseb.* H. E. V. 2. (M. 20, 436).

5. *S. Iren.* c. haer. III. 14 (M. 7, 913).

6. *Tertull.* de iciun. 10; de praescript. 22. 23 (M. 2, 966. 34 sq.).

7. *Clem. Alex.* Strom. V. 12 (M. 9, 124); *Orig.* c. Cels. VI. 11 (M. 11, 1308); cfr. Eus. H. E. VI. 25. (M. 20, 585).

8. Merito miraberis, quod *S. Chrysostomus* de Actuum auctore non omnes idem sentire asserat : « multi enim, inquit, auctorem ignorantes in multas diversas divisi sunt sententias; alii enim Clementem Romanum librum scripsisse contendunt, alii autem Barnabam, alii demum Lucam Evangelistam » (hom. in Ascens. Dom. et in princ. Act. II. 8. M. 52, 780). Quae postea repetiit *Photius* (Quest. ad Amphil. 123. al. 145 M. 101, 716) Chrysostomi homiliam fere excerpens. At notandum est, de homiliae huius genuinitate non levia vigere dubia; Montfaucon partem homiliae illam, in qua verba allegata habentur, ex hom. 2. in princ. Act. desumtam esse arbitratur, at in illa saltem verba obiecta non habentur. Si vero genuina sunt, S. Doctor memoriae lapsu Actus et Epistolam ad Hebr. confudisse est dicendus; nullum enim in tota antiquitate est vestigium, Actus alteri auctori quam Lucae esse attributos; revera autem epistola ad Hebr., quippe quae stylo ab aliis paulinis differt, a nonnullis Clementi Rom., aut Barnabae aut Lucae attributa est. Cfr. *Orig.* apud Eus. H. E. VI. 25 (M. 20, 534), *Tertull.* de pudic. 20 (M. 2, 1021) et *infra* Diss. II. § 13. I.

86. — Argumentis historicis alia interna, quibus Lucas Actuum auctor esse demonstretur, addere quidem possumus; illis autem hoc loco immorari opus non esse arbitramur. Etenim quia Actus cum tertio Evangelio unum opus constituunt[1], omnia testimonia et argumenta illa, quibus supra (35. 36 p. 122 sqq.) tertii Evangelii authentiam vindicavimus, etiam Actuum authentiam comprobant; illis autem, quae infra de libri nostri indole et fine dicemus, intimum duorum librorum nexum magis confirmabimus. Quare ea sola brevi examini subiiciemus, quibus alii Lucam non esse libri nostri auctorem demonstrare conati sunt, alii ulterius progressi Actus ne a socio quidem Pauli compositos esse audacissimi asseruerunt.

1.) Ad nostram usque aetatem interpretes ad unum omnes cum antiqua traditione Actus Lucae auctori attribuentes illis quoque in partibus, in quibus prima persona pluralis adhibetur[2], eum de se ipso, Pauli comite individuo, loqui arbitrati sunt. Ut autem aliquid novi dicerent, rationalistae nonnulli illas partes Lucae abiudicare voluerunt, atque alii quidem auctorem libri partes illas ex epistola quadam vel opere Timothei aut Silvani aut Titi ita recepisse statuerunt, ut ne verbulum quidem mutare sit ausus, alii autem

integrum librum una cum illis partibus Timotheo aut Silvano aut Tito attribuerunt [3]. Argumenta autem, quibus nixi Lucae partes illas abiudicant, haec sunt. Ex illis enim pericopis elucere opinantur scriptorem, antequam Paulus primas suas epistolas ad Thessalonicenses et Corinthios dederit, unum ex praecipuis Apostoli sociis fuisse; nihilominus in epistolis illis Lucae non fit mentio, Timotheus autem et Silas nominantur; atque in epistolis quoque a Paulo captivo ad Coloss. et Philem. scriptis ultimo paene loco post alios cooperatores nominatur Lucas, id quod certe factum non esset, si ex intimis Apostoli amicis fuisset. Demum si Lucas per multos annos Philippis laborasset (id quod supponendum est, si partes illae, in quibus prima persona adhibetur, a Luca sunt conscriptae), Paulus in sua epistola ad Philippenses procul dubio eum nominasset; iam vero in illa epistola Lucam iterum omittit, sed Timotheum nominat [4].

Mirum profecto est, quod homines eruditi levissimis hisce ratiunculis nixi antiquam traditionem reiicere sint ausi. Qui vel semel tertium Evangelium et Actus attentus perlegerit, facile eorum auctorem deprehendet esse scriptorem peritum et sollertem, qui fontibus suis, si scriptos habuisse admittatur, sine iudicio non sit usus; quare non tantum arbitraria sed absurda quoque est eorum sententia, qui illum partes istas ex altero opere, quin ad pronomen adhibitum attenderet, transsumsisse statuunt [5]. Quid, quod nec Timotheus nec Silvanus scriptor illarum partium esse potest? Etenim a Timotheo disertis verbis sese distinguit; postquam enim Timotheum cum aliis sex sociis Paulum comitatum esse retulit, in hunc modum pergit: « *hi*, quum praecessissent, sustinuerunt *nos* Troade » (*Act.* 20, 5. 6.), Timotheus ergo illo pronomine *nos* non comprehenditur. Nec minus evidens est, Silvanum illo non comprehendi; illis enim in versibus, in quibus de Paulo et Silvano solis sermo est, usus illius pronominis cessat (*Act.* 16, 17 sqq.). Quo autem cum iure Titus illarum partium auctor statuatur, tam parum apparet, ut ne uni quidem sententiam hanc persuadere potuerit eius inventor [6]. Iam argumenta supra allata prorsus esse futilia, nemo non videt. Eo tempore, quo Paulus Thessalonicensibus et Corinthiis scripsit, Lucas, qui Philippis remanserat, cum eo non erat: eius igitur mentionem facere non potuit. Ad Colossenses autem et Philemonem scribens eorum, qui illis magis erant cogniti, salutationes, uti facile concipitur, primo in loco posuit; quare immerito ex ordine salutationum ad dignitatem salutantium concluditur. Demum quomodo probare volunt adversarii, Lucam cum Paulo fuisse, quando epistola ad Philippenses scripta est, quum non desint, quae contrarium suadeant [7]?

1. Cfr. *supra* 83. n. 6 p. 316 sq. Cfr. etiam *S. Chrys.* in Ascens. Dom. et princ. Act. hom. 8. (M. 52, 780), qui satis fuse id demonstrat; *Phot.* Amphil. Quaest. 123 (M. 101, 716).

2. *Act.* 16, 10-17; 20, 5-21, 18; 27, 1-28, 16. Inde a 21, 19-26, 32 prima persona adhiberi non potuit, quia de solo Paulo agitur.

3. *Schleiermacher* Einl. ins N. T. Berlin 1854. p. 347 sqq. unus ex primis fuit, qui partes illas a Timotheo conscriptas Lucam non mutatas in librum suum recepisse statuit, sequacesque habuit inter alios *De Wette* (Einl. Ed. 6. § 115. b.) *Bleek* (Stud. u. Krit. 1836. p. 1026 sqq. et Einl. Ed. 3. p. 398. sqq.), *Davidson* (Introd. II. p. 273

sq.). Deinde *Mayerhoff* (Einl. in die petrin. Schriften. Hamburg 1835. p. 1-50) Timotheum integri libri fecit auctorem. *Schwanbeck* autem (Ueber die Quellen der Schriften des Lukas. I. Die Quellen der Apostelgesch. Darmstadt 1847. p. 168 sqq.) partes illas Silvano attribuit, atque demum *Krenkel* (Paulus der Apostel der Heiden. Leipz. 1869. p. 214 sq.) Titum earum auctorem esse coniecit. Operae pretium non est omnium eorum nomina afferre, qui arbitrarias hasce sententias evolvendas et defendendas susceperunt.

4. Argumenta haec allata sunt a *Bleek* Einl. p. 396 sq.; eadem ab aliis afferuntur: cfr *n.* 7.

5. Ipse *Renan* Les Apôtres. Introd. p. XI. hac in quaestione nobiscum consentit : « Le troisième Évangile et les Actes forment un ouvrage très bien rédigé, composé avec reflexion et même avec art, écrit d'une même main et d'après un plan suivi. Les deux livres réunis font un ensemble absolument du même style, présentant les mêmes locutions favorites et la même façon de citer l'Écriture. Une faute de rédaction aussi choquante que celle dont il s'agit serait inexplicable. On est donc invinciblement porté à conclure que celui qui a écrit la fin de l'ouvrage en a écrit le commencement et que le narrateur du tout est celui qui dit *nous* aux passages précités ».

6. Cfr. *Mangold* in Bleek Einl. Ed. 3. p. 399.

7. Nos quoque libentes concedimus circa idem fere tempus epistolas ad Coloss. et ad Philipp. esse conscriptas, atque ob hanc ipsam rationem Lucam cum Paulo non fuisse contendimus, quando Philippensibus scripsit Apostolus. Quem enim in ep. ad Coloss. vocat « medicum carissimum » (*Col.* 4, 14), eum eodem fere tempore illis adnumerare non potuit, qui « quae sua sunt, quaerunt, non quae Iesu Christi » (*Philipp.* 2, 19-21). — Duo alia argumenta, quae *De Wette* aliique addunt (*De Wette* Einl. § 114. Anm. *d.*), non maioris, sed minoris sunt momenti. Socii Pauli, inquit, ab auctore Actuum nominari solent, Lucas autem nec c. 16. nec alibi nominatur; neque admitti potest, eum Troade sese Paulo adiunxisse, quum 16, 10 intimo nexu cum praecedentibus versibus cohaereat. At in quarto Evangelio, quamvis aliorum Apostolorum nomina ponantur, Ioannis nomen silentio premitur; nihilominus De Wette quartum Evangelium Ioanni attribuit. Procul dubio Theophilus primique Christiani, quibus S. Lucas suos libros destinavit, optime sciverunt non alium esse cum, qui in ultima Actuum parte de se aliisque sociis Pauli loquens prima persona plurali utebatur, atque eum, qui in prooemiis Evangelii et Actuum de se solo primam personam singularem adhibuit. Quare etiam, quam primum in decursu Actuum prima persona plur. adhiberi coepit, monito peculiari non indiguerunt, quo Lucam Troade se Apostolo adiunxisse cognoscerent.

2.) At nec Lucam nec ullum Pauli discipulum aut testem ocularem auctorem Actuum esse, si *De Wette* fidem mereretur, docerent a.) ea, quae de Paulo referuntur, quoniam alia epistolis paulinis contradicant, alia non satis accurate sint narrata, alia sint omissa; b.) nonnullae prioris partis narrationes, quae, quum historicae non sint, auctorem iuniorem prodant, qui ex aliis libris suam narrationem composuerit [8]. Percurramus singula.

a.) Contradictionem inter Actus interque epistolas paulinas non adesse, facillime ostenditur, dummodo prae oculis habeamus, Actuum auctorem integram Pauli vitam narrare noluisse, sed illa sola facta elegisse, quae ad finem suum, de quo infra sermo erit, obtinendum necessaria vel utilia iudicavit (83. 87 p. 316. 326 sqq.).

Prima contradictio inter *Act.* 9, 19-28 et inter *Gal.* 1, 17-19 adesse dicitur.

Etenim S. Lucas narrat Paulum post conversionem suam Damasci cum discipulis « per dies aliquot » (ἡμέρας τινάς) mansisse (*Act.* 9, 19); eum vero, « quum implerentur dies multi » (ἡμέραι ἱκαναί) ob Iudaeorum persecutionem relicta Damasco Ierosolyma venisse (9,23-26); qua in urbe, quum Christiani eum timerent, « non credentes, quod esset discipulus », a Barnaba ad Apostolos adductum et cum iis familiariter conversatum esse; quia autem contra Iudaeos disputasset, ab illis ad necem quaesitum urbem reliquisse (9,27-30). Iam S. Paulus ipse narrat, se post conversionem suam non statim Ierosolyma ad antecessores suos Apostolos rediisse, sed in Arabiam profectum et iterum Damascum reversum post tres demum annos Ierosolyma venisse « videre Petrum », apud illum quidem quindecim diebus se mansisse, alium autem Apostolorum non vidisse praeter Iacobum fratrem Domini (*Gal.* 1,17-19). Quomodo duae hae narrationes inter se pugnare dicantur, quia altera potius alteram complet, equidem non video, nisi forte quis putet, utrumque integram historiam narrare voluisse. S. Lucas enim duplicem commorationem damascenam clarissime distinguit, siquidem prius Paulum « aliquot dies », deinde « multos dies » Damasci mansisse asserit: cum Paulo igitur consentit, qui inter duplicem istam commorationem iter arabicum inserit, quod Lucas, quia ad eius finem non faciebat, silentio praetermisit. Quare hunc in modum disponenda est narratio : Post conversionem Paulus paucos dumtaxat dies Damasci commoratus in Arabiam se recepit; quo ex itinere, quod forte maiorem triennii illius, de quo loquitur Paulus, partem absumsit, Damascum reversus « multis diebus » cum Iudaeis disputans eorum iram in se concitavit, ita ut fugere coactus, quum inimicis suis instigantibus milites Aretae regis portas civitatis custodirent (2 *Cor.* 11,32), ex fenestra per murum demissus sit. Damasco autem Ierosolyma se contulit, ut videret Petrum. Triennium iam ab eius conversione erat elapsum, quare nuntii, quos immediate postea de persecutore converso Ierosolyma allatos esse concedimus, oblivioni dari potuerant, atque Christiani hierosolymitani, qui per triennium de eo nihil audierant, falsos illos rumores fuisse putabant; ideoque quum post triennium Ierosolyma inexspectatus advenisset, « *non credentes* (μὴ πιστεύοντες) quod esset discipulus », eum timebant, donec a Barnaba ad Apostolos, i. e. ad Petrum et Iacobum Alphaei, fratrem Domini,[9] qui soli ex Apostolis tum in urbe videntur adfuisse, adductus et ab iis receptus esset. Ibi denuo cum Iudaeis hellenistis disputans post quindecim dies fugere coactus est. Aptissime omnia hac ratione conciliari perspicuum est.

Altera contradictio inter 1 *Thess.* 3,1.2. et inter *Act.* 17,14 sq. et 18,5. adesse dicitur. Thessalonicensibus enim scribit Paulus se solum Athenis remansisse atque Timotheum ad ipsos confirmandos misisse. Lucas autem narrat Paulum, qui solus Beroea Athenas venisset, Silae et Timotheo Beroeae relictis mandasse, ut quam celeriter ad se venirent (*Act.* 17, 14.15), interea eum Athenis in synagoga cum Iudaeis et in foro cum philosophis ac demum coram Areopago disputasse (17, 16 sqq.), demum Corinthum profectum esse ibique ad eum reversos esse Timotheum et Silam (18,1-5). Tota iterum difficultas disparet atque omnia aptissime conciliantur, si duae relationes in unam coniungantur. Paulus scilicet solus Beroea Athenas advec-

tus, quoniam magnos ea in civitate fructus se collecturum speravit, Timotheum et Silam accersivit. Postquam vero advenerunt, de macedonicarum ecclesiarum statu certior factus Athenis solus remanere discipulosque suos in Macedoniam ablegare satius duxit. Timotheus ergo Thessalonicam, Silvanus in aliam civitatem macedonicam profecti sunt; unde demum post aliquot hebdomades reduces Paulum, qui interea Athenas reliquerat, Corinthi invenerunt. S. Lucas autem, quia Silas et Timotheus Athenis Paulo adiumento non fuerant, rationem non habuit, cur illos Athenas ad Paulum venisse narraret.

b.) Contradictio igitur Actus inter et epistolas paulinas nulla adest, at nonnullas narrationes, utpote nimis breves, non sufficere dicunt neque satis esse accuratas. Quo praesertim trahitur, quod Actuum auctor Paulum « galaticam regionem *pertransisse* » referat (*Act.* 16,6; 18,23), quum tota epistola ad Galatas demonstret, eum diu illa in regione esse commoratum [9]. Praeterea quartum iter Pauli hierosolymitanum unico versu absolvitur (18,22), de biennio, quod Caesareae captivus Paulus peregit, paucissima traduntur (24,24-27), et satis abrupta est libri conclusio (*Act.* 28,30.31). Breves esse illas relationes neque curiositati nostrae sufficere fatemur; at quomodo inde deducatur, eas a teste oculari aut a socio Pauli non esse scriptas, nemo prudens videbit. Num interpretis est definire, quid auctor scribere debuerit, an auctoris diiudicare, quid ad finem suum obtinendum utile sit vel necessarium?

c.) Idem responsum tertiae obiectioni sufficit, quae multa ab Actuum auctore omissa esse contendit. Nullum enim est dubium, quin aliqua Lucas omiserit, quae ex paulinis epistolis supplere possumus, multo plura, quae in paulinis indicata quidem sunt, sed chronologice, quoniam Paulus tempus non indicat, Actibus inseri nequeunt, plurima demum, quae etiam a Paulo silentio prorsus sunt praetermissa. At tantum abest, ut ideo auctorem vituperare aut Lucae librum abiudicare liceat, ut gratissimo potius animo illa accipiamus, quae Deus per eum nobiscum communicare dignatus est [10].

d.) Ratio demum, cur narrationes aliquae prioris partis negentur esse historicae, alia non est, nisi quod miracula nonnulla maiora referantur; id enim indicant textus a De Wette adnotati, in quibus de dono linguarum sermo est. Donum autem hoc in Actibus ita describitur, ut cum illis, quae Paulus (1 *Cor.* 14,2 sqq.) de eodem tradit, plene consentiat; num ergo etiam Pauli descriptioni historicam fidem denegabimus?

Sed haec hoc loco sufficiunt; infra enim de historica auctoritate Actuum disseremus.

8. *De Wette* Einl. § 114 : « Für einen Augenzeugen wollen sich nicht schicken theils die mit den Paulinischen Briefen in Widerspruch stehenden (9, 19. 23. 25-28 vgl. *Gal.* 1, 17-19; — 17, 16 sq. 18, 5. vgl. 1 *Thess.* 3, 1 sq.), und ungenügenden (16, 6 vgl. Br. an die Gal.; Apostelgesch. 18, 22 sq.; vorzüglich 28, 30 sq.) Nachrichten, sowie die Nichterwähnung mehrerer Thatsachen und Umstände (vgl. 1 *Cor.* 15, 32; 2 *Cor.* 1. 18; 11, 25 sqq.; *Rom.* 15, 19; 16, 3 sq.), theils die Berichte im ersten Theile, die (besonders 2, 5-11 vgl. 10, 46; 19, 6; 1 *Cor.* 14, 2 sqq.) durch ihren ungeschichtlichen Character einen der Geschichte fernstehenden Verfasser verrathen ». Simili modo, quamvis Lucam libri nostri auctorem esse fateatur, *Renan* (Les

Apôtres. Introd. p. XIV.) : « Nous montrerons bientôt, que dans deux ou trois circonstances ses principes de conciliation l'ont porté à fausser gravement la biographie de Paul[a]; il commet des inexactitudes (*Act.* 17, 14-16; 18, 5. et 1 *Thess.* 3, 1. 2), et surtout des omissions vraiment étranges chez un disciple de ce dernier (1 *Cor.* 15, 32; 2 *Cor.* 1, 8; 11, 23 sqq.; *Rom.* 15, 19; 16, 3 sq.). Il ne parle pas d'une seule des épîtres; il resserre de la façon la plus surprenante des exposés de première importance (*Act.* 16, 6; 18, 22. 23 en comparant l'épître aux Galates). Même dans la partie où il a dû être compagnon de Paul, il est quelquefois singulièrement sec, peu informé, peu éveillé; par exemple le séjour à Césarée est laissé dans l'obscurité ». Similia habet *A. Jülicher* Einl. in das Neue Test. 1894. p. 266.

9. Obiectionem hanc, quam etiam *Renan* in suo opere *Les Apôtres* (l. c.) affert, optime ipse solvit in sequente opere (*St Paul* Paris 1869. p. 49 sqq.). Egregie enim, ni fallor, ostendit Galatiam S. Paulo integram illam esse terram, quam Romani provinciam Galatiae appellabant quaeque praeter Galatiam proprie dictam etiam Lycaoniam, Pisidiam, Isauriam et magnam Phrygiae partem complectebatur. « Paul avait l'habitude de se servir, pour désigner chaque pays, du nom administratif. *Asie*, *Macédoine*, *Achaïe* désignent pour lui les provinces qui portaient ces noms, et non les pays qui les avaient portés d'abord. Le pays qu'il avait évangélisé depuis Antioche de Pisidie jusqu'à Derbé s'appela pour lui *Galatie;* les chrétiens de ce pays furent pour lui *les Galates*... Par là on s'explique une des singularités apparentes de la vie de saint Paul etc » (sc. quod epistola ad Gal. longam Pauli commorationem inter Galatas supponat, dum Lucas eum galaticam regionem pertransisse dicat). In eo autem a Renan discedimus, quod Lucae quoque hunc loquendi modum attribuat; Lucae enim galatica regio est Galatia proprie dicta, nam Pisidiam (14, 24), Lycaoniam (14, 6) omnino a Galatia distinguit, nec unquam Galatiae nomen adhibet in primo itinere narrando. Cfr *infra* pp. 365. 416 sq. et *Comm.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 360 sq.

10. Simili obiectioni idem responsum iam opposuit *S. Chrys.* (in Act. hom. 1, 1. M. 60, 15) : « Quod si quis dixerit : Cur non omnia scripsit, qui usque ad finem semper cum Paulo fuit? respondebimus, haec sufficere illis, qui animum ad ea advertere voluerint, atque istos rebus magis necessariis semper animum applicuisse, neque tantum scribendi studium illis fuisse; nam multa etiam traditione non scripta docuerunt ».

§ 12. — *De Actuum fine et historica auctoritate.*

87. — Quin S. Lucas in Actibus scribendis, quippe quos ipse alteram Evangelii sui partem constituere dicat, eosdem, quos in priore libro, lectores prae oculis habuerit eundemque, quem in illo, finem sibi proposuerit, non est quod dubitemus. Evangelium autem Theophilo dedicatum illarum ecclesiarum gratia eum scripsisse demonstravimus, quae a Paulo fundatae ex Iudaeis et ex ethnicis conversis coaluerant, ut sa-

a.) Secundum *Renan* (l. c. p. XXX sqq.) S. Lucas adulteravit biographiam Pauli 1.) quia eum immediate post conversionem Damasco Ierosolyma venisse dicat (*Act.* 9, 19 sqq.; 22, 17 sqq. et *Gal.* 1, 11 sqq.), 2.) quia ei attribuat iter aliquod hierosolymitanum (*Act.* 11, 30; 12. 25), quod Paulus ipse se fecisse neget (*Gal.* 1, 21-2, 1), 3.) quia in concilio hierosolymitano plenam concordiam Paulum inter et antiquos Apostolos adfuisse asserat (*Act.* 15, 1 sqq.), quamquam Paulus integram historiam illius concilii prorsus alio modo narret (*Gal.* 2, 1 sqq.). Primam obiectionem supra iam solvimus; Renan adulteravit textum Actuum, ut Lucam adulterationis reum declarare posset; de duabus aliis infra recurret sermo (88 p. 331 sqq.).

lutem per Iesum omnibus hominibus allatam esse omnimoda cum certitudine cognoscerent. Quia igitur in Evangelio scribendo verba S. Pauli: *Evangelium virtus Dei est, Iudaeo primum et Graeco* quodam modo illi ob oculos versabantur, ideo ea praesertim facta dictaque dominica elegit, quae salutis universalitatem clarius demonstrabant. In Actibus autem ex primitivae Ecclesiae historia eorundem verborum veritatem ostendere aggressus est; revera Evangelium virtutem suam salutarem inter Iudaeos primum manifestasse docet, quamprimum Apostoli, postquam Spiritum S. acceperunt, Ierosolymis et in Iudaea Domini doctrinam propagare coepissent; deinde vero idem Evangelium, postquam Petrus, Apostolorum princeps, primum ethnicum, centurionem Cornelium, baptismo in Ecclesiam recepisset atque Apostoli Barnabae missione ecclesiam Antiochiae ex ethnicis conversis collectam approbassent, per Paulum, quem gentium Apostolum singulari modo sibi elegerat Dominus, inter ethnicos Galatiae, Asiae, Macedoniae, Graeciae non minorem manifestasse virtutem.

Quo sensu satis apte dici quoque potest, finem scriptoris eum fuisse, ut verba, quae ultima ante suam ascensionem Dominus ad Apostolos fecit, impleta demonstraret: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae »[2]. Ex brevi enim argumenti conspectu, quem statim trademus, satis elucebit, verba haec summam quandam totius libri complecti atque eodem ordine, quo prolata sunt, narratione demonstrari impleta[1].

Neque nostra sententia ab ea, quam propsuit *S. Chrysostomus*, multum discedit, qui « argumentum et finem praecipuum huius libri censet esse demonstrationem resurrectionis Domini, qua credita omnia alia facile succedent »[3]. Quoniam enim ultimus finis scriptoris in eo fuit, ut lectores suos in fide, quam orali institutione acceperant, confirmaret consolidaretque, efficaciorem eorum, quae in Evangelio iam retulerat, atque praesertim resurrectionis dominicae demonstrationem et confirmationem afferre non potuit, quam miraculosam illam doctrinae Christi propagationem inter Iudaeos, quibus crux Christi erat scandalum, et inter ethnicos, quibus eadem crux erat stultitia. Hunc enim sensum esse verborum S. Doctoris ipse indicat, si in eadem homilia Evangelia dicit esse historiam eorum, quae Christus fecit et dixit, Actus vero historiam eorum, quae alius Paracletus fecit et dixit[4].

Magna cum subtilitate egregius nostrae aetatis interpres librum Actuum apologiam quandam S. Pauli esse ostendere conatus est eum in finem a S. Luca conscriptam, ut Apostoli coram Neronis tribunali accusati causam praevia accusationum refutatione prepararet romanosque magistratus, coram quibus causa agebatur, Apostolo amicos et

benevolos redderet[5]. Trium enim criminum ait Paulum accusatum esse : quod seditiones inter Iudaeos ubique concitasset, quod sectae Nazarenorum esset caput (πρωτοστάτης τῆς τῶν Ναζαραίων αἱρέσεως), quodque templum hierosolymitanum violasset[6]; tertium crimen coram magistratibus ethnicis non magni momenti fuisse ; duo alia vero eo spectasse, ut integra religio christiana reipublicae romanae noxia atque periculosa esse demonstraretur; ideo S. Lucam facta, quae narraret, ita elegisse, ut seditiones illas ab Iudaeis ipsis motas esse doceret Paulique in eis innocentia patefacta christianam religionem periculum reipublicae non afferre ostenderet.

Illud quidem non negamus, Actuum librum etiam apologiam quandam Pauli esse, neque quidquam obstat, quominus S. Lucas praeter primum illum finem, quem indicavimus, secundarium apologeticum prae oculis habuisse dicatur. Illa enim, quae Pauli innocentiam et culpam Iudaeorum in omnibus illis seditionibus demonstrant, magna cum diligentia exposuit[7], neque pauca attulit, quae Apostolum a romanis magistratibus honore affectum et innocentem declaratum esse ostendunt[8]. At scriptorem christianos lectores prae oculis habuisse, ex integro libro evidentissime apparet; quare ethnicis magistratibus apologia haec non erat destinata. Etenim ut taceamus, quam plurima in libro contineri, quae nec directe nec indirecte neque ad Paulum neque ad Christianismum coram ethnicis magistratibus defendendum quidquam conferant, quot alia in orationibus Apostolorum et in toto libro leguntur, quae ab ethnicis non intelligebantur! Quae in initio libri de ascensione Domini, de electione Matthiae, de missione Spiritus S., de discordiis inter Palaestinenses et Hellenistas conversos etc narrantur, ea omnia et multa alia partim Evangelium cognitum et creditum supponunt, partim ad defendendum Paulum nihil iuvant. Quidnam ex omnibus illis orationibus, quas Petrus post Spiritus S. missionem, Stephanus in synedrio, Paulus in synagoga pisidiensi habuerunt, ethnici lectores intellexissent, quum integrae Veteri Testamento innitantur[9]? Quod si quis vero haec omnia a S. Luca, ut praecipuum suum finem occultaret, libro inserta esse putaret, astutiam calliditatemque ei affingeret, quae num sacro scriptore sit digna ipse videat.

Ethnicis igitur lectoribus librum suum S. Lucas non destinavit; nihilominus autem apologeticum quendam finem libro non prorsus abiudicamus; at hanc Pauli apologiam Christianis romanis destinatam fuisse arbitramur, inter quos non tantum aliqui « de Caesaris domo », sed historia teste non omnino pauci ex primis reipublicae familiis fuerunt. Scimus autem Iudaeos Apostolum gentium calumniis suis ubique terrarum esse persecutos; non temere igitur coniicimus, illos etiam, ut nobilium istorum neophytorum, qui cum idololatria amorem patriae

suae non deposuerant, animos contra Paulum excitarent, eum velut inimicum reipublicae romanae diffamasse, qui continuis, quas provocasset, seditionibus imperii pacem et securitatem perturbaret. Ad quam calumniam refutandam S. Lucas libro suo aptissime illa inserere potuit imo debuit, quae seditiones omnes ab Iudaeis provocatas, Paulum autem a romanis magistratibus ubique honoratum demonstrabant.

1. Simili modo finem exponit *Felten* Apostelgesch. 1892. p. 3 sqq.
2. *Act.* 1, 8. Cfr. *Lorin.* Comment. in Act. Apost. Praef. c. 5. Lugduni 1609. p. 3.
3. *S. Chrys.* in Act. hom. 1, 2 (M. 60, 16).
4. *S. Chrys.* in Act. hom. 1, 4 (M. 60, 21). Cfr. *Oecum.* in Act. Argum. (M. 118, 29[illegible] : Quamquam hic liber in principio promittit narrationem actuum Apostolorum, rectius tamen dicitur Spiritus S. actus continere. Nam mirabilia, quae per eos, postquam illis inhabitare coepit, gesta sunt, ex hoc libro cognoscimus, Spiritu S. videlicet haec per eos operante.... Ita Evangelium apte Christi Actus, noster autem liber Spiritus S. Actus vocantur »; *Sixt. Sen.* Biblioth. sacr. ed. Milante I, p. 29 etc. — *Ludov. de Tena* Isag. p. 296 libri finem statuit « demonstrationem huius conclusionis : quod Ecclesia primitiva et fides Iesu Christi miraculose in hunc mundum introivit, et quidem per Spiritum S., non vero per humanam industriam aut per humanum modum ».
5. *Aberle* Ueber den Zweck der Apostelgesch. Tüb. Quartalschr. 1855. p. 173-236; eiusdem Einleitung p. 62 sqq.
6. *Act.* 24, 5. 6 tria haec a Tertullo, Iudaeorum oratore, contra Paulum afferuntur.
7. *Act.* 9, 22. 23; 13, 43 sqq.; 14, 2 sqq.; 14, 18; 16, 19; 17, 13; 18, 12.
8. *Act.* 13, 7 sqq.; 17, 22 sqq.; 18, 12 sqq.; 24, 24 sqq.; 25, 1-26, 32.
9. *Act.* 2, 14 sqq.; 3, 12 sqq.; 7, 2 sqq.; 13, 16, sqq.

88. — Alios prorsus fines Actuum auctori affinxerunt moderni rationalistae ac praesertim Neotubingiani, quorum sententias silentio praeterire non licet, quia si verae essent, actum iam esset de libri nostri fide historica ac proinde eius divinitate et canonicitate[a]. Postquam Schneckenburger primus fuse demonstrare conatus est, Actus eum in finem esse conscriptos, ut Pauli apostolica dignitas apostolicumque inter ethnicos ministerium contra iudaizantes vindicaretur [1], Neotubingiani eadem in via ulterius progressi id unum intendisse auctorem statuerunt, ut duas, quas in primitiva Ecclesia adfuisse fingunt, partes, Petrinos scilicet iudaizantes et Paulinos universalistas, inter se conciliaret et in unum corpus coniungeret; quem finem ut attingeret, auctorem dicunt integram primitivae Ecclesiae historiam ad instar scriptorum fabularum romanensium tractasse, non tantum factis historicis circumstantiisque necessariis silentio praetermissis, sed aliis quoque corruptis et alteratis, aliis novis fictis, ita ut non nisi severissima crisi vera a falsis discernantur; hoc unum enim eum studuisse, ut Petrum aliosque antiquos Apostolos inter et Paulum differentiam vel dissensum non adfuisse ostenderet; ideo in priore libri parte Petrum simillimum Paulo depingi, et in altera Paulum Petro simillimum; eadem miracula, quae in priore parte Petro, in altera Paulo

a) De Luca eauctoritate historica *supra* (42 p. 151 sqq.) iam egimus, in quantum ei *scientiam* non defuisse ostendimus; a Neotubingianis autem eius *integritas* in dubium vocatur vel potius negatur; haec igitur sola hoc loco vindicanda remanet.

attribui; Petro antiquisque Apostolis primam ethnicorum admissionem adscribi, Paulo autem non tantum legalium rituum observantiam affingi, sed tantam quoque iudaicarum praerogativarum reverentiam, ut Iudaeis primis ubique et semper in itineribus suis apostolicis Evangelium afferret; ideo etiam historiam Concilii hierosolymitani ita referri, ac si plenus inter antiquos Apostolos et inter Paulum adfuisset consensus perfectaque concordia, quamvis eiusmodi consensum plane defuisse nec ullum decretum in favorem Ethnico-christianorum latum esse paulinae epistolae demonstrent etc[2].

Arbitrariae fictioni totum hoc systema inniti, vix opus est ut dicamus. Etenim sive ante Concilium apostolicum sive post illud inter primitivos Iudaeo-christianos fuisse, qui ethnicos, nisi per circumcisionem populo Israel essent inserti, ad baptismum recipiendum admittere nollent, aut admissos, ut perfecti fierent Christiani, ad Legis observantiam obligare vellent, certissimum quidem est; id enim paulinae epistolae demonstrant neque negat Actuum auctor; at Petrum aut ullum Apostolum in eadem persuasione fuisse, postquam Apostolorum princeps coelesti visione edoctus fratres suos de immediata ethnicorum in Ecclesiam admissione certiores reddidit, modernum est commentum, quod tantum abest, ut idoneo testimonio historico fulciatur, ut illis ipsis epistolis paulinis, quas genuinas agnoscunt rationalistae, prorsus refellatur[3]. Opus igitur non erat, ut Actuum auctor Petrum Paulo aut Paulum Petro simillimum fingeret, quum nulla inter eos esset doctrinae dissensio, quamvis in praxi aliquando dissentirent. A limite igitur totum hunc finem, quem Actuum auctori affingunt Neotubingiani, iure respuimus; facile autem ex libro ipso etiam ostenditur, eum gratuito prorsus et erronee statui.

Namque Actuum scriptor, quem astutum impostorem fuisse blasphemant adversarii, si Iudaeochristianos ad Pauli apostolicam dignitatem agnoscendam adducere voluisset, cur statim a principio demonstrationis huius viam sibi obstruxisset? Refert enim immediate post ascensionem, quando de novi Apostoli electione agebatur, a Petro velut conditionem ad apostolicum munus subeundum necessariam esse stabilitam continuam cum Christo conversationem « a baptismate Ioannis usque in diem, qua assumtus est ». Num forte hanc conditionem in Paulo adfuisse Lucas demonstrat? Postquam iam Pauli conversionem retulit, alium sermonem Petri affert, in quo « praeordinati testes resurrectionis » vocantur illi, « qui manducaverunt et biberunt cum Christo, postquam resurrexit a mortuis » (*Act.* 1,21; 10,41); num hanc conditionem in Paulo adfuisse demonstrat?

Neque magis intelligitur, quomodo aliquis, qui unquam Actus legit, eorum auctorem iudaizantes et Ethnico-christianos conciliare voluisse crediderit; qui enim conciliare partes voluerit, ab omnibus procul dubio abstinebit, quae alterutrius partis animos offendant. Iam vero totus liber Iudaeorum obstinationem praedicat velut occasionem et causam, propter quam ethnicis iam tum allatum sit Evangelium; Petrus iam in primis suis orationibus Iudaeos accusat, quod ipsi Iesum Nazarenum virum virtutibus et signis et prodigiis a Deo approbatum interfecerint, quod Iesum sanctum et iustum ante faciem Pilati negaverint et virum petierint homicidam donari sibi, auctorem vero vitae interfecerint; Stephanus eos dura cervice et incircumcisis cor-

dibus et auribus proclamat, qui semper Spiritui S. restiterint: Paulus ubique ab iis reiectus tandem gravissimo Isaiae vaticinio in mentem revocato: « Incrassatum est cor populi huius et auribus graviter audierunt et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis et auribus audiant et corde intelligant et sanem eos » illis inclamat: « Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient ». Quomodo liber, qui praeiudiciis iudaicis tam parum parcit, iudaizantium animos conciliare potuit[4]?

Similitudo deinde, quae inter Petri et Pauli miracula ab auctore conficta dicitur[5], re accuratius considerata in eo solo dicenda est adesse, quod uterque miracula patraverit; omnes enim omnium miraculorum circumstantiae tam diversae sunt, ut quomodo inter se conferantur vix appareat. Quae enim est similitudo, si Ananias et Saphira, « quia S. Spiritui mentiti erant », subita morte correpti ante Petri pedes ceciderunt, et si Elymas magus, quia « non desiit subvertere vias Domini rectas », a Paulo caecitate punitur? Quae similitudo inter Tabithae mortuae resuscitationem factam per Petrum, et iuvenis Eutychi resuscitationem factam per Paulum? Quid, quod Stephani lapidationem in priore libri fictam esse contendant, ut haberetur parallelismus cum Pauli lapidatione Lystris facta, quod verba « Paulus, qui et Saulus » inserta dicant, ne nominis mutatione Paulus Petro videretur esse inferior, quod Cornelium centurionem ad pedes Petri salutationis causa procidentem comparent cum Lystrensibus, qui Paulo et Barnabae velut diis sacrificia offerre voluerunt[6]? At singula prosequamur necesse non est, quoniam, uti diximus, tota similitudo in eo est, quod uterque Apostolus dono miraculorum fuerit ornatus.

Quod ab Actuum auctore Petro antiquisque Apostolis prima ethnicorum in Ecclesiam admissio gratis et arbitrario attribuatur, id non tantum asserendum, sed probandum erat; documenta autem historica, quibus id demonstretur, « criticis » prorsus deesse manifestum est, nisi quis forte praeiudicia rationalistica pro argumentis historicis recipere voluerit. At Paulum dicunt in Actibus prorsus alium depingi, quam ex epistolis eius cognoscitur; mirantur nimirum, quod Paulus ab Iacobo Min. monitus, ne patrias leges contemnere videretur, votum in templo solverit, quod Timotheum circumciderit, quod in synedrio se Pharisaeum esse professus sit, quod ubique Iudaeis primis Evangelium obtulerit. Nunquam nimirum videntur legisse, quod Paulus ipse testatur se Iudaeis tamquam Iudaeum esse factum, ut Iudaeos lucraretur, et iis, qui sub Lege erant, quasi sub Lege esset, ut eos qui sub Lege erant lucrifaceret, quod in epistola ad Philippenses se « Hebraeum ex Hebraeis, secundum Legem Pharisaeum » proclamat, quod non semel in suis epistolis vix verba satis fortia invenit, quibus tenerrimum suum erga contribules suos amorem et studiosissimum suum desiderium salutis eorum exprimat[7].

Sed iam ad Concilium apostolicum veniamus, quo veluti ariete utitur schola « critica », ut Actuum auctorem conciliationis gratia historiam primitivam adulterasse demonstret[8]. Omnino concedimus, de eodem facto loqui Lucam, quando historiam Concilii apostolici refert (*Act.* 15), et Paulum, quando in epistola ad Gal. illa narrat, quae in altero eius itinere hierosoly-

mitano[9] acta sunt; at duae istae relationes tantum abest, ut inter se pugnent, ut amice consentiant et se mutuo compleant, dummodo ad diversos fines, quos uterque scriptor prosecutus est, animus advertatur. Revera enim Actuum auctor historicum agit, ideoque ea, quae ad publicam Ecclesiae historiam pertinent, sola refert; Paulus autem, qui contra iudaizantes suos adversarios consensum et concordiam praedicationis suae cum antiquorum Apostolorum, ad quorum auctoritatem semper provocabant, doctrina demonstrare voluit, illis omissis, quae omnibus nota erant, ea, quae privatim cum praecipuis Apostolis egit, sola referenda iudicavit. Ideo Lucas, utpote historicus, externam Concilii occasionem narrat (*Act.* 15, 1.2.), Paulus autem privatam, qua ad iter illud permotus est, rationem addit, quia haec iam doctrinae suae divinam originem demonstrat (*Gal.* 2,2. « secundum revelationem »). Ideo Lucas praeter Paulum et Barnabam alios quidem Antiochia ad Concilium missos esse narrat, neminem autem, quia ad finem suum non pertinebat, nominat (καί τινες ἄλλοι ἐξ αὐτῶν), Paulus vero Titum nominat (συμπαραλαβὼν καὶ Τίτον scilicet praeter alios), quia ex eo solo, quod socium incircumcisum itineris hierosolymitani adhibuit, Galatis palam fiebat, antiquos Apostolos non repulisse Ethnicochristianos non circumcisos. Ideo Lucas ea, quae privatim inter Apostolos acta sunt, obiter tantum attingit (*Act.* 15,6 « convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc »), ut fuse ea enarret, quae in publica sessione gesta sunt (*Act.* 15,7 sqq.), Paulus vero publica sessione et decreto, quippe quae ad rem suam non facerent et omnibus iam nota essent, silentio praetermissis privata sua cum « aestimatis » (οἱ δοκοῦντες) colloquia refert, quae omnibus Apostolis eandem fuisse doctrinam demonstrant. Sed accuratior huius quaestionis expositio interpretibus relinquenda est; quae autem diximus, sufficiunt ad viam indicandam, qua adversariorum cavillationes refelluntur[10]. Si vero decretum Concilii apostolici a Paulo prorsus ignorari asserant, id illo quidem sensu verum est, quod nullibi disertis verbis ab eo commemoretur; at satis aperte in priore ad Corinthios epistola ab eo supponitur atque extra dubium est, quin saec. 2. etiam in ecclesiis ab Apostolo gentium fundatis sit observatum; quare indirecte saltem ea confirmantur, quae de promulgatione decreti per Paulum facta Actuum auctor narrat[11].

1. *M. Schneckenburger* Ueber den Zweck der Apostelgesch. Bern 1841. Iam ante eum similem finem Actuum auctori affinxerant *Michaelis* Einl. II. 1176, *Griesbach* de consilio, quo scriptor in Actibus concinnandis ductus fuerit. Iena 1798 aliique quos enumerat *De Wette* Einl. Ed. 6. p. 244.

2. *F. Ch. Baur* Paulus der Apostel Iesu Christi. Ed. 2. Leipz. 1866. p. 9. « Die Haupttendenz ist, die Differenz zwischen Paulus und Petrus als eine unwesentliche und unanstössige darzustellen. Für diesen Zweck muss im zweiten Theil Paulus soviel möglich wie Petrus erscheinen, und ebenso im ersten Theil Petrus soviel möglich wie Paulus »; p. 14 : « Je sichtbarer seiner (Actuum scriptoris) Darstellung ein bestimmtes apologetisches Interesse zu Grunde liegt, desto zweifelhafter muss uns auch werden, ob wir bei ihm überall eine rein historische Relation vor uns haben, und es kann nicht bloss die Möglichkeit, sondern sogar die Wahrscheinlichkeit nicht geleugnet werden, dass er in Manchem nicht bloss negativ durch Verschweigung von Thatsachen

und wesentlichen Umständen, sondern auch positiv die wirkliche Geschichte alterirt habe ». Per totum deinde librum ostendere conatur, ab Actuum auctore historiam esse adulteratam; similiter *Schwegler* Nachapost. Zeitalter II. p. 73 sqq., *Zeller* Die Apostelgesch. etc. Stuttgart 1845, *Reuss* Gesch. d. N. Test. Ed. 6. 1887. p. 213 sq., *Holtzmann* in Schenkel's Bibellex. I. p. 213 sqq. et in suo Handcomment. Freib. 1892. (passim), *Renan* Les Apôtres. Introd. p. XXVIII sq., *Davidson* Introd. II. p. 275 sqq. etc.

3. Quomodo adversarii argumententur, unum exemplum demonstrabit. Ut Petrum coelesti visione de admissione ethnicorum in Ecclesiam non esse edoctum, sed Lucam ipsum visionem illam confinxisse ostendat, *Holtzmann* (Bibellex. I. 214 sq.) ad *Gal.* 2, 11 sq. provocat; difficile enim intellectu esse asserit, quomodo Petrus, si coelesti visione edoctus esset, de admissione ethnicorum dubitare potuisset. (« Hätte sich das in Wirklichkeit so zugetragen, so wäre schwer zu begreifen, wie trotz des himmlischen Gesichtes Petrus in Antiochia *Gal.* 2, 11 sq. noch so ganz schwankend sich habe benehmen können »). Ac si *Gal.* 2, 11 de admissione ethnicorum sermo esset! Id unum ibi in quaestione versabatur, utrum Petrus recte egisset necne, quum a vita communi cum ethnicis conversis sese retraheret, ne illis Iudaeochristianis scandalum daret, qui Iudaeos conversos legibus iudaicis etiam tunc obligari censebant. De hac autem quaestione nec in visione Petro facta (*Act.* 10), nec in Concilio Apostolorum *Act.* 15) sermo fuerat; quare etiam absurdum est, si *Renan* (l. c. p. XXXVI) aliique « critici » ex hoc facto contra historicam veritatem relationis de Concilis Apost. argumentari volunt.

4. *Act.* 2, 22; 3, 13 sqq.; 7, 51 sqq.; 13, 45 sqq.; 14, 2 sqq. etc.; 28, 25-28.

5. Cfr. *Holtzmann* l. c. p. 213; *Davidson* l. c. p. 276; *Renan* l. c. p. XXVIII. « Les miracles de Pierre et ceux de Paul forment deux séries, qui se répondent ».

6. *Baur* Der Apostel Paulus p. 104. 106. 114 et passim; *Holtzmann* l. c. eo usque progreditur, ut Aeneae, « qui ab annis octo paralyticus fuerat » sanationem a Petro factam (*Act.* 9, 33 sq.) parallelam ponat sanationi patris Publii » febribus et dysenteria vexati ». per Paulum factae (*Act.* 28, 8). Quaenam Petri miracula illis correspondeant, quae de Paulo *Act.* 19, 13-16 et 28, 3-6 narrantur, nondum invenerunt « critici ».

7. 1 *Cor.* 9, 20 sq.; *Phil.* 3, 5; *Rom.* 9, 1 sqq. etc.

8. *Baur* Der Apostel Paulus I. p. 119-165; *Lipsius* Der Apostelconvent (Schenkel Bibellexicon I. p. 194-207); *Renan* Les Apôtres l. c. p. XXXIV sqq. St. Paul. Chap. 3. p. 57-95; *Davidson* Introd. II p. 212-226 etc etc.

9. Vel rectius : in *tertio* itinere hierosolymitano; Paulus enim in ep. ad Gal. secundum suum iter, in quo cum Barnaba eleemosynas ecclesiae antiochenae fidelibus hierosolymitanis attulit, non commemorat. Frustra ex hoc Pauli silentio *Renan* (Les Apôtres Introd. p. XXXII sq.) Neotubingianos secutus concludit, Lucam proprio Marte alterum hoc iter finxisse. Paulus enim, quoniam illa in epistolae parte id solum demonstrare voluit, se suam doctrinam non ab Apostolis, sed immediate ab Iesu Christo accepisse, nullam habuit rationem illius itineris commemorandi, in quo nullum Apostolum vidit et ante quod iam ministerium suum apostolicum inchoaverat. Ideo etiam iter illud, de quo *Gal.* 2, 1 sqq. loquitur, non vocat *secundum*, sed dicit : « deinde post annos quatuordecim *rursus* (πάλιν) veni Ierosolyma ». Falsum igitur est, quod asserit Renan : « Paul exclut formellement tout voyage entre *Act.* 9, 26 et *Act.* 15, 2 ». Praeterea moderni « critici », quum Actuum auctorem Paulinos et Petrinos conciliare voluisse statuant, concedant necesse est, eum utpote Paulinum etiam paulinas epistolas cognovisse; quomodo ergo explicabunt, eum itinera finxisse, quae paulinis epistolis facta non esse demonstrari possint?

10. Revera non intelligitur, quomodo *bonae fidei* vir, qui utramque relationem at-

tentus legerit, has contradictiones enumerare sit ausus : « D'une part, une solennelle concorde; de l'autre, des colères mal retenues, des susceptibilités extrêmes. D'un côté une sorte de concile; de l'autre, rien qui y ressemble. D'un côté un décret formel porté par une autorité reconnue; de l'autre des opinions diverses qui restent en présence, sans se rien céder réciproquement, si ce n'est pour la forme » (*Renan* l. c. p. XXXV). Mirum sibi fingit epistolae ad Galatas auctorem, nec unquam explicabit, quem tandem finem Paulus habuerit, ut haec, quae in epistola illa adesse supponit, Galatis scriberet.

11. 1 *Cor.* 5, 1 sqq.; 10, 14-21. Recte ipse *Lipsius* (Sehenkel Bibellex. I. p. 206) : « Die Erörterung 1 *Cor.* 10, 14-22 zeigt, wie wenig Paulus den Genuss des Götzenopferfleisches als etwas Indifferentes betrachtet hat. Wie die Apostelgesch. 15, 20-29, so stellt auch er denselben unter den Gesichtspunkt des Götzendienstes, vor welchem schon das A. T. unter Anführung schreckhafter Beispiele warne » etc. « Endlich verdient noch Beachtung, dass Paulus 1 *Cor.* 10, 7 sq. den Götzendienst mit der Hurerei in demselben engen Zusammenhang aufführt, wie das Aposteldecret ». Quam accurate Christiani *omnes* exeunte saec. 1. et ineunte saec. 2. decretum apostolicum de non edendis idolothytis observaverint, ostendit Plinii epistola ad Traianum, in qua asserit non amplius inveniri, qui ea emat. A sanguinis esu omnes Christianos saec. 2. abstinuisse docent *Tertull.* Apologet. 9 (M. 1, 323); *Minut. Felix* Octavius 12; Epist. eccl. Vienn. et Lugd. apud Euseb. H. E. V. 1 (M. 20, 420); imo in ecclesiis Graeciae a Paulo fundatis usus hic conservatus est (*Conc. Trull.* II. can. 67.), dum S. Augustini tempore in Occidente non nisi a paucissimis amplius observabatur (*S. Aug.* c. Faust. Manich. XXXII. 13. M. 42, 503). — In epistola ad Galatas maxime decretum apostolicum afferri debuisse censent « critici » atque decreto illo melius, quam longa illa dissertatione, iudaizantium errores potuisse refutari. At a.) animadvertant velim, paucis mensibus, antequam Galatis scripsit, Paulum illis decretum promulgasse; mera igitur decreti, cuius obliti non erant, repetitione nihil effecisset Apostolus. Utique epistolam aliquot *annis* postea scriptam esse contendunt, in tertio nimirum Pauli itinere; at errant, quum iam secundo in itinere sit scripta (cfr. *infra* 104). Praeterea 2.) notandum est iudaizantes quoque post Concilium Apost. doctrinam suam videri mutasse et mitigasse. Quod enim asseruerant iudaizantes antiocheni : « Nisi circumcidamini, *non potestis salvari* », id utique post decretum apostolicum asserere non amplius potuerunt, at insinuarunt Ethnicochristianos, nisi circumcisi essent et Legem observarent, etsi salutem assequi possent, perfectos tamen Christianos non esse nec iisdem omnino, quibus Iudaeochristianos, iuribus et privilegiis gaudere, sed eodem fere in loco in Ecclesia, quo in Synagoga proselytas portae haberi. Revera Apostolum in sua epistola ad Gal. alterum hunc potius errorem, quam priorem, refutare videmus; ad eius autem refutationem nec decretum ipsum, nec illa, quae in publica sessione Concilii a Luca relata erant gesta, quidquam contulerunt. Nulla igitur decreti commemorandi fuit ratio. Sed de iudaizantium, quos Paulus in epistolis impugnat, errore cfr *infra* n. 113 p. 385 sqq. et meum *Comm.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 264 sqq. 470 sqq.

89. — Praeter Neotubingianos etiam alii quidam interpretes acatholici historicam Actuum auctoritatem impugnant relate ad sermones a S. Luca relatos; eodem enim fere modo, quo antiqui scriptores profani eiusmodi sermones fingere solebant, Lucam quoque orationes suas libere composuisse censent[1]. Quam sententiam duobus argumentis probabilem reddere conantur; in variis enim orationibus idem fere semper argumentum eodem modo evolvi aiunt eundemque stylum in omnibus orationibus adhiberi.

Quam inepte alterum hoc argumentum proferatur, luce clarius est. Quis enim unquam sacros scriptores ad instar notariorum vel stenographorum verba Apostolorum notis excepisse putaverit? Imo sub assistentia Spiritus S. loquentium sensus suis verbis fideliter reddiderunt; quare nihil obstat, quominus stylum scriptoribus ipsis attribuamus. Revera non pauci sermones a Luca in Actibus relati aramaica sermone sunt dicti; etenim S. Petrus in orationibus suis prioribus coram Iudaeis hierosolymitanis et coram Apostolis aramaica lingua usus est; S. Stephanus in synedrio, si aramaice non esset locutus, auditus non esset; in Concilio apostolico linguam aramaicam adhibitam esse, plus quam probabile est; S. Paulum aramaica lingua populum hierosolymitanum esse allocutum, S. Lucas ipse refert. Multarum igitur orationum non habemus nisi versionem; interpretem autem idem loquendi genus in versionibus suis, quod in reliquo libro, adhibuisse certe non est mirandum. Neque quisquam plerarumque orationum nos non habere nisi solam epitomen quandam dubitaverit [2], in qua adornanda iterum perspicuum est, scriptorem proprio suo loquendi modo usum esse. Etsi igitur tanta esset styli similitudo in omnibus illis orationibus, quantam eam esse volunt adversarii, nihil ex illa contra earum authentiam iure colligeretur; at eam tantam esse a plerisque interpretibus non immerito negatur; imo non desunt, qui inter Petri Paulique sermones in Actibus relatos interque eorumdem Apostolorum epistolas similitudinem styli deprehendisse sibi videantur [3]; sed his, quum ad obiectionem refutandam superflua sint, immoremur necesse non est.

Neque plus priore argumento efficitur, quippe quod asserto plane erroneo innitatur. Verum quidem est, S. Stephanum coram synedrio et S. Paulum in synagoga pisidiensi ad antiquam historiam populi Israel provocare; nihilominus autem nec idem argumentum nec eodem modo ab utroque evolvitur; prior enim ex historia Iudaeos semper gratiae restitisse docet, ideoque tota eius oratio in historia illa narranda versatur; S. Paulus autem illam in exordio orationis suae adhibet, ut singularem, quam Deus semper populo israelitico exhibuit, caritatem et benevolentiam demonstret, atque paucis verbis eam absolvit, ut ad maximum beneficium, quod nuperrime Deus populo suo impertiit, transeat [4]. Quod si Petrus et Paulus eodem Psalmorum loco resurrectionem Messiae praedictam demonstrasse dicuntur, quomodo aliquis id mirari possit, non intelligimus; clarior enim apertiorque resurrectionis praedictio in V. T. non invenitur, et facile concipitur, primis iam temporibus certos textus electos esse, quibus in catechesibus suis Apostoli prae ceteris utebantur [5]. Ceterum conferantur inter se duae illae orationes, quibus Petrus immediate post missionem Spiritus S. et iterum post primum miraculum patratum populum hierosolymitanum ad

poenitentiam exhortatur, aut sex longiores illae orationes Pauli, quae in Actibus nobis conservatae sunt[6], et nemini dubium erit, quin nec idem semper argumentum nec eodem modo evolvatur; quam aptissime enim omnibus circumstantiis illas respondere, evidentissimum est.

Num S. Lucas ex fontibus scriptis, an ex sola traditione orali orationes illas hauserit, ignoramus. Post auctorem quidem fragmenti Muratoriani S. Hieronymus iam asseruit, Lucam Evangelium, sicut audierat, Acta vero, sicut viderat, composuisse[7]; at per se patet ultima verba non nimium esse premenda, quum haud pauca in Actibus contineantur, quorum testis ocularis Lucas non fuerat. Quemadmodum igitur ad Evangelium, ita etiam ad Actus conscribendos fontibus quibusdam indiguit; nulla autem videtur adesse ratio, cur *scriptis* illum fontibus usum esse dicamus; tam breves enim pleraeque illae orationes sunt, ut orali traditione fideliter conservari potuerint. Ceterum nihil obstat, quominus quis illas scriptas ad Lucam pervenisse admittat, si velit; decretum Concilii apost. procul dubio scriptum prae oculis habuit[8].

1 *Eichhorn* Einl. II. p. 28 sq.; *Mayerhoff* Hist. krit. Einl. in die Petrin. Schriften Hamburg. 1835 (Ueber die Petrin. Reden in der Apostelgesch.); *Baur* Der Apostel Paulus I. p. 61. 116 et passim; *Davidson* Introd. II. p. 226 sqq.; *Renan* Les Apôtres. Introd. p. XXVIII. « Les discours qu'il met dans la bouche de ses héros, quoique habilement appropriés aux circonstances, sont tous du même style et appartiennent à l'auteur plutôt qu'à ceux auxquels il les attribue »; *De Wette* Einl. p. 250 etc.

2. Etiam longissimae orationes, quae in Actibus referuntur, facile quinque minutis proferri potuerunt.

3. Cfr. ex. gr. *B. Weiss* (Der Petrinische Lehrbegriff. Berlin 1855. p. 199 sqq.), *Lechler* (Das apostol. und nachapostol. Zeitalter. Ed. 3. p. 226 sq.), *Cook* (Introd. to the Acts The Speaker's Commentary. N. T. II. p. 339 sqq.) aliosque acatholicos interpretes, qui huic argumento magnam vim attribuunt.

4. *Act.* 7, 2-53 et 13, 17-22.

5. *Act.* 2,25 sqq. et 13,35 sqq. (*Ps.* 15,8 sqq.). Cfr *supra* n. 51. *p.* 187.

6. Petri orationes *Act.* 2,14-36; 3,12-26. — Pauli oratio ad Iudaeos 13,16-41; ad ethnicos 17,22-31; ad Christianos 20,18-35; apologia coram Iudaeis 22,1-21; coram ethnico procuratore 24, 10-21; coram rege Agrippa 26,2-23.

7. *Fragm. Mur.* lin. 6. 36 (*Introd. gen.* Ed. 2. p. 182 sq.); *S. Hier.* de vir. ill. 7. (M. 23,621); cfr *Euseb.* H. E. III. 4 (M. 20,220).

8. De sermonibus Actuum egregie agit *I. Felten* Apostelgesch. 1892. p. 28-35.

§ 13. — *De Actuum ordine.*

90. — Uti in Evangelio, ita in Actibus « historico stylo » Lucam usum esse chronologicumque ordinem servasse iam monuit *S. Ambrosius*[1] et facile concedunt quicunque Actuum authentiam admittunt. Quare opus non esse arbitramur, ut huic quaestioni immoremur. Temporis enim ordinem septem primis et ultimis sedecim capitibus teneri

evidens est; intermedia autem in parte (8,1-12,25) illa, quae a S. Stephani martyrio usque ad martyrium S. Iacobi (vel rectius : usque ad Agrippae I. mortem) gesta sunt, synchronistico modo proponuntur. Hinc nonnulli cum Lorino ad *Act.* 1,8 attendentes tripartitum esse librum volunt, ita ut « primis septem cpp. exponatur progressus et confirmatio Ecclesiae in *Ierusalem*, deinceps a cp. 8. usque ad 16. persecutio et augmentum *in Iudaea et Samaria*, inde usque ad finem praedicatio inter *gentes*[2]». Quae divisio, etsi per se apta videatur, in eo maxime peccat, quod Pauli primum iter apostolicum ad secundam partem trahat. Rectius cum *Salmerone*, fine praecipuo Lucae spectato, qui Evangelium virtutem esse Iudaeo primum et Graeco demonstrare vult, duas partes faciemus, quarum prior, universalis Ecclesiae fundatione praemissa, fidei propagationem inter Iudaeos hierosolymitanos potissimum et palaestinenses narrat, altera Ecclesiae originem et incrementa inter gentiles exponit[3].

1. *S. Ambros.* ep. 21; cfr expos. in Luc. 1,4 (M. 16,1195. 1528).

2. *Lorin.* Comm. in Act. Praef. 5. p. 4. — Similiter *Glaire* Introd. V. p. 304 sqq.; *Bisping* Exeg. Handb. IV. p. 7 aliique.

3. *Salmer.* Comment. in Evang. hist. et Act. XII. tract. 4 (Coloniae 1614. p. 15) priori parti octo tantum capita attribuit; atque eodem modo *Crellier* (Les Actes des Apôtres, Paris 1883. p. XXVII). — *A. Maier* (Einl. p. 168) alteram partem a c. 13. inchoare mavult, ab itineribus scilicet apostolicis S. Pauli; *Bacuez* (Manuel bibl. IV. p. 13. sq.) parum apte eam inchoat a c. 12, *Cornel. a Lap.* (Actus Apost. Argum.) iam inde a 10,1, sicuti nos quoque; alii alio modo. — *Kilber* (Anal. bibl. II. p. 357 sqq.) librum in quatuor partes distribuit : « Ecclesia ab Apostolis fundata Ierosolymis (1, 1-7.59), extensa per Palaestinam et vicinia (8,1-12,23), latissime propagata inter gentes (13,1-21,19), multipliciter probata in Paulo (21,20-28,31) »; sed ad hanc divisionem tuendam multos versus ex propriis suis sedibus in alienum contextum transferre coactus est. — *I. Felten* (Apostelgesch. 1892. p. sq.) quinque partes distinguit, quarum prima est de originibus ecclesiae hierosolymitanae (1,1-8,3), altera de propagatione fidei in Palaestina et Syria (8,4-9,43), tertia de initiis ecclesiae inter gentes (10,1-12,25), quarta de tribus Pauli expeditionibus apostolicis (13,1-21,16), quinta de Pauli captivitate et itinere romano (21,17-28,31). — Similis est sententiarum varietas apud acatholicos.

91. — Hic igitur est OPERIS CONSPECTUS :

PARS PRIOR. 1,1-9,43. ORIGO ECCLESIAE EIUSQUE PROPAGATIO INTER IUDAEOS.

I. *Fundatio Ecclesiae universalis eiusque initia inter Iudaeos* (1,1-2,47).

1. *Praeparatio fundationis Ecclesiae* (1,1-26).

a.) Ante ascensionem suam Dominus promittit se Spiritum S. esse missurum; praedicitque fore, ut Ecclesia sua, utpote universalis, propagetur in universo mundo (1,1-11).

b.) Post ascensionem Apostoli Ierosolyma reversi una cum Maria matre

Domini in oratione perseverantes et Spiritum promissum exspectantes moniti a Petro in traditoris locum eligunt Matthiam ad collegium suum, quod Ecclesiam propagare debet, complendum (1,12-26).

2. *Fundatio Ecclesiae universalis* (2,1-36).

a.) In die pentecostes Spiritus S. in Apostolos descendit et dono linguarum, quod eis tribuit, sublatam esse nationum diversitatem manifestat (2,1-11).

b.) Stupentibus Iudaeis Petrus miraculi significationem explicat : omnem nimirum, cuiuscunque sit conditionis, dummodo invocaverit nomen Domini Iesu Christi, qui a mortuis resurrexit, salvum fore, quia « hunc Iesum Deus Dominum et Christum fecit » (2,12-36).

3. *Initia Ecclesiae inter Iudaeos* (2,37-47).

a.) Interrogantes Iudaeos, quid factu sit opus, ad poenitentiam agendam et baptismum recipiendum exhortatur Petrus, et tria millia illa die sese adiunxerunt Ecclesiae nascenti (2,37-41);

b.) internus autem Ecclesiae nascentis status erat florentissimus (2,42-47).

II. *Propagatio et confirmatio Ecclesiae inter Iudaeos hierosolymitanos* (3,1-7,59).

1. *Prima ecclesiae hierosolymitanae incrementa* (3,1-4,31).

a.) Claudi sanatione Petrus et Ioannes populi admirationem provocant (3,1-11); qua occasione usus Petrus populum iterum ad poenitentiam exhortatus (3,12-26) quinque millia virorum Ecclesiae adiungit (4,1-4).

b.) Petrus et Ioannes in carcerem intrusi coram synedrio fidem libere profitentur (4,5-14); prohibiti, ne amplius Evangelium propagent, synedrio obedientiam denegant; nihilominus dimissi et ad suos reversi unanimiter a Deo petunt gratiam, ut cum fiducia loquantur verbum Dei, atque signo divinitus dato confortantur (4,15-31).

2. *Primum periculum, quod interno Ecclesiae statui minabatur, miraculo avertitur* (4,32-5,16).

a.) Internus Ecclesiae status erat optimus et omnia omnibus erant communia (4,32-37);

b.) Ananias autem et Saphira, quum aliquid ab Apostolis celare sibique retinere vellent, subita morte perculsi magnum timorem universae Ecclesiae iniecerunt (5,1-11).

3. *Nova Ecclesiae incrementa novam persecutionem externam provocant* (5,12-42).

a.) Innumeris suis miraculis Apostoli novos neophytos lucrati sunt (5, 12-16).

b.) Quamobrem iratum synedrium omnes Apostolos in carcerem iniecit; qui ab Angelo liberati in templo denuo docuerunt (5,17-25), donec iterum apprehensi et frustra resistente Gamaliele verberibus caesi sunt (5,26-40), at de contumelia gaudentes abierunt et ministerium suum continuaverunt (5,41.42).

4. *Electio adiutorum apostolicorum et nova persecutio* (6,1-7,59).

a.) Crescens in dies fidelium numerus et dissensio inter neophytos exorta

Apostolos permoverunt, ut sibi adiutores septem eligerent (6,1-7).

b.) Ex quibus unus, Stephanus, quum signa multa fecisset et Hellenistas infideles in disputatione vicisset, ante synedrium false accusatus (6,8-15) longa oratione ostendit, quomodo populus semper Deo restiterit (7,1-53); quare irati Iudaei eum lapidant Saulo consentiente neci eius (7, 54-59).

III. *Propagatio Ecclesiae inter Iudaeos per Palaestinam et Syriam* (8,1-9,43).

1. *Persecutionis post Stephani martyrium exortae primus fructus est propagatio Ecclesiae extra Ierosolyma* (8,1-40).

a.) Propter persecutionem dispersi sunt fideles exceptis Apostolis et Evangelium aliis civitatibus in Iudaea et Samaria attulerunt (8, 1-4).

b.) Inter dispersos Philippus Samaritanos convertit et Simonem magum ad fidem adduxit (8,5-13). Quae quum audissent, Petrus et Ioannes Samariam profecti neophytis Spiritum S. manuum impositione contulerunt (8,14-17); Simon magus autem, qui pecuniis potestatem conferendi Spiritus obtinere voluit, reprobatus est (8,18-24).

c.) Relicta Samaria Philippus in via, quae Gazam ducit, eunuchum reginae Aethiopum convertit ac dein praedicat in civitatibus maritimis (8,25-40).

2. *Persecutionis alter fructus est conversio Sauli* (9,1-30).

a.) Saulus, qui a synedrio facultatem obtinuerat, ut fideles damascenos comprehenderet, mirabiliter ad fidem conversus et ab Anania baptizatus continuo per dies aliquot in synagogis damascenis praedicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei (9,1-21);

b.) deinde vero (in Arabiam profectus et Damascum reversus) per multos dies fortius confundebat Iudaeos, quoniam Iesus est Christus (9,22. 23). Quare, ne ab eis interficeretur, fugere coactus Ierosolyma se contulit, ibique, quum fideles eum timerent, a Barnaba ad Apostolos adductus est (9,24-27). Cum quibus per aliquot dies familiariter conversatus ob metum Hellenistarum, quos impugnavit, iterum fugere coactus per Caesaream in patriam suam revertitur (9,28-30).

3. *Prima visitatio apostolica Ecclesiarum facta per Petrum* (9,31-43).

a.) Pace Ecclesiae reddita Petrus omnes ecclesias nascentes per Iudaeam, Galilaeam, Samariam visitat (9,31.32);

b.) Lyddae sanat Aeneam paralyticum, in Ioppe Dorcadem virginem mortuam resuscitat (9,33-43).

PARS ALTERA. 10,1-28,31. ECCLESIA INTER ETHNICOS A PRIMIS APOSTOLIS FUNDATA ET APPROBATA, A PAULO PROPAGATA [a].

I. *Primordia Ecclesiae inter ethnicos novaeque ecclesiae erga antiquiorem caritas* (10,1-12,25).

1. *Cornelius centurio, primus ethnicus, a Petro in ecclesiam receptus* (10,1-11,18).

a) Pleraque, quae in hac parte tradit S. Lucas, infra in vita S. Pauli enarranda recurrent; quare hoc loco per summa capita dumtaxat illa ita indicabimus, ut quis sit libri ordo appareat.

a.) Visione coelesti edoctus Petrus Cornelium centurionem eiusque familiam per baptismum in Ecclesiam recipit (10,1-48).

b. Qua de re mirati alii Apostoli, quum a Petro de visione habita edocti essent, cognoverunt « etiam gentibus Deum poenitentiam dedisse ad vitam » (11,1-18).

2. *Prima ecclesia ex ethnicis conversis fundata Antiochiae et approbata ab Apostolis* (11,19-26).

a.) Aliqui Hellenistae conversi Antiochiae gentilibus Evangelium annuntiaverunt et multos converterunt (11,19-21);

b.) quod quum rescivissent, Apostoli factum approbantes eo miserunt Barnabam, qui ipse adiutorem sibi accersivit Saulum, atque tanto cum fructu laboraverunt Antiochiae, ut quam plurimos ad fidem adducerent, qui (ab ethnicis, ut videtur) Christianorum nomine appellabantur (11,22-26).

3. *Caritas novae ecclesiae erga antiquiorem* (11,27-12,25).

a.) Prophetae hierosolymitani magnam famem futuram annuntiant, quare Christiani antiocheni per Barnabam et Saulum eleemosynas mittunt fidelibus hierosolymitanis (11,27-30).

b.) Eodem tempore Herodes Agrippa I. persecutionem movit contra ecclesiam hierosolymitanam, Iacobum Mai. occidit, Petrum in carcerem iniecit, qui ab Angelo liberatus in aliam terram se recepit (12, 1-17), Agrippa vero paullo post ignominiosa morte abreptus est (12, 18-23).

c.) Expleto caritatis ministerio Barnabas et Saulus Antiochiam revertuntur assumto Ioanne Marco (12,24.25).

II. *Propagatio Evangelii inter ethnicos Cypri, et Asiae Min. meridionalis; dissensio de legalibus composita* (13,1-15,35).

1. *Barnabae et Sauli primum iter apostolicum* (13,1-14,27) per Cyprum, ub Saulus nomen Pauli accipit, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam.

2. *Dissensio propter legalia Antiochiae exorta hierosolymitano decreto componitur* (15,1-35).

III. *Propagatio Evangelii inter ethnicos Macedoniae, Achaiae et provinciae Asiae* (15,36-21,13).

1. *Pauli secundum iter apostolicum* (15,36-18, 28) per Syriam, Ciliciam, Lycaoniam, Macedoniam, Achaiam; quo absoluto per Ephesum Ierosolyma et dein Antiochiam revertitur.

2. *Pauli tertium iter apostolicum* (19,1-21,15); diu Ephesi commoratus ecclesiis Macedoniae et Achaiae visitatis per Miletum, quo presbyteros ephesios ad se convocavit, et per Caesaream, qua in civitate captivitas ei praedicitur, venit Ierosolyma.

IV. *Paulus Ierosolymis captus usque Romam de Christo testatur* (21,16-28,31).

1. *Eius captivitas Ierosolymis et Caesareae* (21,16-26,32).

2. *Iter Romanum* (27,1-28,15).

3. *Adventus in urbem*, colloquium cum Iudaeis, biennium captivitatis romanae (28,16-31).

§ 14. — *De Actuum chronologia.*

2. — In Evangelio suo S. Lucas facta quaedam retulit, quorum auxilio Domini N. vitam cum profanis historiis connectimus; in Actibus quoque, etsi non eadem cum sollertia synchronismos indicet, non desunt, quibus chronologiam Ecclesiae nascentis definire licet. Quae quum ad tempus, quo epistolae paulinae conscriptae sunt, determinandum nos non parum sint iuvatura, operae pretium erit paucis illa colligere. Praenotemus autem oportet, ad omnimodam certitudinem relate ad pleraque facta nos non pervenire; tria enim temporis puncta sola satis accurate a S. Luca sunt definita, reliqua coniecturis magis minusve certis innituntur; quare non mirum, quod ab Actuum interpretibus innumera fere systemata chronologica sunt proposita.

1.) Quodnam sit tempus, a quo narrationem suam incipiat, in aperto est; quadragesimo enim die post resurrectionem suam Dominum in coelum ascendisse et quinquagesimo die post eandem Spiritum S. in Apostolos descendisse disertis verbis tradit. Mortem autem et resurrectionem Domini a. 29. aerae vulgaris accidisse sententia probabilior tenet; idem igitur annus Ecclesiam vidit nascentem.

2.) In altero quoque temporis puncto definiendo plerique consentiunt interpretes. Ita enim S. Lucas mortem Herodis Agrippae I. cum S. Iacobi Mai. martyrio, S. Petri liberatione e carcere, SS. Pauli et Barnabae itinere ad eleemosynas antiochenas ecclesiis palaestinensibus deferendas connectit, ut omnia haec circa idem tempus accidisse appareat[1]. Atqui teste Fl. Iosepho Agrippa I. primo Claudii anno ab imperatore in pristino regno confirmatus « quidquid Iudaeae et Samariae olim ad eius avi Herodis regnum pertinuerat » atque Abilenae tetrarchiam accepit, finito autem tertio anno, « ex quo totius Iudaeae regno potiebatur » Caesareae ultimum suum diem obiit[2]; Claudii igitur anno quarto, i. e. 44. aer. vulg., mortuus est Agrippa, ideoque omnia illa, quas S. Lucas usque ad c. 13. initium enarrat, intra annos 29. et 44. aer. vulg. accidisse dicenda sunt.

3.) Annus demum, ad quem usque historiam suam Lucas perducit, satis magna cum probabilitate definitur. Paulus enim Romam missus est a Festo, Iudaeae procuratore, brevi post eius in provinciam adventum. Quandonam autem advenerit, haud obscure nos docet Iosephus, qui Felicem Festi antecessorem ab Iudaeis coram Nerone accusatum non nisi Pallantis, fratris eius, patrocinio liberum evasisse narrat; Pallas autem teste Tacito a. 62. a Nerone veneno interfectus est; ante an. 62. igitur Festus Felici successit[3]. At non diu antea; namque in Vita sua narrat Iosephus, se post aetatis annum sextum et vigesimum Romam

esse profectum, ut sacerdotes quosdam familiares suos, quos Felix ob culpam levissimam coram Nerone causam dicturos in Urbem miserat, liberaret; quum autem se natum esse dicat primo Caii anno (36. p. Chr.). Romam venit a. 63.; parum autem probabile est, eum multos annos exspectasse, ut amicos suos a Felice accusatos liberaret; quare merito censent multi interpretes, Felicem a. 61. munere suo esse defunctum[4]. Munere autem potitus erat anno duodecimo Claudii (i. e. a. 52.), quare biennio ante eius discessum rectissime Paulus dicere potuit, eum iam « ex *multis* annis genti Iudaeorum iudicem fuisse ». Ex quibus colligimus, Paulum Ierosolymis in vincula esse coniectum circa pentecosten a. 59., in vinculis Caesareae fuisse per biennium usque ad auctumnum a. 61., Romam advenisse verno tempore a. 62., atque biennium captivitatis romanae, quo Lucas Actus terminat, usque ad vernum tempus a. 64. durasse[5]. Tria ergo itinera apostolica Pauli, quae inde a c. 13. in Actibus narrantur, intra annos 44. et 59. facta sunt.

1. *Act.* 11, 30-12, 25.

2. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XIX. 5, 1. et 8, 2. — *Patrizi* De Evang. I. p. 39 Agrippam mortuum esse censet a. 43; etsi enim non ante mens. Mart. a. 41. Agrippam Iudaeam integram a Claudio accepisse concedat, tamen initium trium annorum, quibus integra Iudaea potitus sit, repetendum esse a neomenia Nisanis a. 40. contendit; quo autem cum iure id asserat, non apparet.

3. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XX. 8, 9; *Tacit.* Ann. XIV. 65.

4. *Fl. Ioseph.* Vita 3. et 1. Chronologica series principum sacerdotum, ex qua *Patrizi* (De Evang. I. p. 65.) probabile reddere conatur, iam a. 53. Paulum Ierosolymis captum esse, sub pontifice sc. Anania (*Act.* 23, 2), qui iam ante a. 54. munus suum amiserit, nimis incerta est, ut quidquam certi ex ea deducatur. Quomodo a. 53. Paulus dicere potuit, Felicem « a *multis* annis iudicem Iudaeorum » fuisse, quum constet eum anno duodecimo Claudii (i. e. a. 52.) Iudaeam administrandam accepisse (*Fl. Ioseph.* Antiqu. XX. 7, 1)?

5. Recte monuit *Patrizi* (De Evang. I. p. 67) *Baronium*, qui biennium, de quo *Act.* 23, 27 sermo est, intelligat duos annos, ex quo Nero imperium acceperat, et *Petavium* errasse, qui idem biennium intelligat de tempore, ex quo Felix praerat Iudaeis. Neronis enim nomen in Actibus non nominatur, et aenigma lectoribus proposuisset Lucas, si illo in loco de Neronis imperio esset locutus; neque de Felicis administratione illud intelligere licet, quia Felix « multis annis » praefuit Iudaeis, antequam Paulus in vincula est coniectus. Ex toto praeterea contextu evidens est, biennium intelligi captivitatis Pauli.

93. — Quibus tribus punctis definitis, ut ulterius progredientes cum aliqua etiam veri similitudine praecipua Actuum facta chronologice definiamus, ab ultimo itinere apostolico Pauli initium capiamus oportet.

In quo per annos duos et dimidium fere Ephesi consedit et per tres menses in Achaia (*Act.* 19,8-10; 20,3); quibus si addimus peregrinationes per Galatiam Phrygiamque (18,23) et per Macedoniam (20,1.2), atque reditum eius ex Achaia per Macedoniam, Asiam Min., Rhodum, Phoeniciam (20,3-21,14), a

vero non longe aberramus, si integrum illud iter (18,23-21,15) quatuor annos absumsisse dicamus, i. e. a vere a. 55. usque ad pentecosten 59.

Ante hoc iter hiemem Antiochiae videtur peregisse Apostolus (« aliquanto tempore » 18,23) ita ut auctumno a. 54. ex secundo itinere sit reversus. In quo (15,36-18,22) Syria et Cilicia (15,41), Phrygia et Galatia (16,6) perambulatis per Mysiam Troadem venerat (16,8); unde in Macedoniam transgressus satis diu Philippis (16,16.18), tribus hebdomadibus Thessalonicae (17,2), aliquot saltem diebus Amphipoli, Apolloniae et Beroeae (17,1.10) commoratus erat. In Graeciam transgressus per aliquod temporis spatium Athenis (17,16 sqq.), Corinthi per annum et sex menses Evangelium praedicaverat, antequam ad Gallionis tribunal adductus est (18,11 sqq.) atque iterum ab accusatione liberatus « per multos dies » (18,18) ibidem consedit, donec per Ephesum Ierosolymam et Antiochiam reverteretur (18,22); quare secundum hoc iter saltem tres annos integros duravit, ab aestate sc. a. 51. usque ad auctumnum 54.; a. 52. autem Corinthum eum venisse probabile est.

Quae sententia ex 18,2.12. non parum videtur confirmari. Priore enim versu Paulus Corinthi Aquilam et Priscillam invenisse dicitur, « qui *nuper* venerant ab Italia, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma ». Tale decretum ab imperatore Claudio latum esse profani quoque scriptores tradunt [1], quo autem anno latum sit, solis coniecturis assequimur. *Orosius* quidem Claudium nono imperii anno (i. e. a. 49) hoc praecepisse asserit Fl. Iosephi testimonio invocato [2]; at Iosephus hac de re prorsus silet. Vix vero dubium est, quin toto illo tempore, quo Agrippa II., quem Claudius valde diligebat, Romae versabatur, decretum non prodierit; atqui Agrippa Romae ab initio regni Claudii usque ad a. 50. degebat, atque exeunte a. 52. in Urbem est reversus [3]. Quare illis assentimur, qui a. 51. Iudaeos Roma pulsos esse censent, ita ut a. 52. Paulus Corinthi invenerit Aquilam, qui « *nuper* » ex Italia advenerat. — Altero in loco Iunius Annaeus Gallio vocatur Achaiae proconsul; fratrem hunc philosophi Senecae consulem fuisse tradit Plinius; quo autem anno summo magistratu potitus sit, ignoratur, quandoquidem nomen eius, utpote consulis suffecti, in Fastis consularibus desideratur. Attamen quia Seneca ipse a. 49. ex exsilio revocatus Neroni magister est datus, improbabile non est, eum fratri suo Gallioni a. 51. vel 52. consulatum obtinuisse, Gallionemque munere supremo defunctum provinciam Achaiae obtinuisse a. 53. vel 54.; si igitur Paulus a. 52. Corinthum pervenit, post annum et sex menses coram Gallionis proconsulis tribunali trahi potuit [4].

Concilium apostolicum de legalium observantia (15,1-34) brevi ante secundum Pauli iter habitum esse, elucet ex eo, quod Paulus post suum a Concilio reditum non nisi « aliquantum temporis » et « aliquot dies » Antiochiae remansisse referatur (15,33.36); iure igitur a. 51. Concilium apostolicum celebratum esse dicimus.

Quandonam vero primum iter suum apostolicum (13,1-14,26) una cum Barnaba instituerit Paulus, accurate non potest definiri. Tria tantum videntur esse certa; iter illud inchoatum esse post a. 44., satis diu ante Concilium apost. esse terminatum, et saltem duos vel tres annos durasse. Primum supra demonstravimus; alterum constat, quia Paulus ex itinere redux « non modi-

cum tempus cum discipulis » Antiochiae versatus esse dicitur (14,27), antequam Ierosolyma profectus sit; tertium ex itineris descriptione evidens est. Praeterea autem nullum adest indicium, quo chronologice determinetur.

Attamen quum iter Pauli ad Concilium apost. idem illud esse, de quo Gal. 2,1 sermo est, omnes fere interpretes merito teneant, annum, quo Paulus ad fidem conversus est, atque hac ratione etiam tempus, quo Evangelium extra Ierosolyma in Iudaea ac Samaria praedicari coeptum est, determinare licet. De duobus enim itineribus hierosolymitanis illa in epistola loquitur eorumque tempus definit; prius se suscepisse testatur tribus annis post suam conversionem, alterum autem quatuordecim annis postea[5]. Inter eius igitur conversionem et inter Concilium Apost. septemdecim anni interiacent, et ad fidem conversus est a. 34. A Stephani autem martyrio usque ad conversionem Pauli vix unum effluxisse annum, narratio Lucae satis clare videtur ostendere; quare mortem protomartyris a. 33. censemus accidisse.

Omnia igitur, quae *Act.* 1,1-6,8 narrantur, gesta sunt inter a. 29. et 33.; illo anno facta est persecutio, quae Christianos per Iudaeam et Samariam dispergens occasio fuit, ut Evangelium in tota Palaestina propagaretur. An. 34. conversus est S. Paulus, et quum Lucas tres integros annos silentio praetereat (*Act.* 9,20.22; cfr. *Gal.* 1,18), ea, quae inde a 9,23 narrantur, gesta sunt post an. 37., illa, quae 13,1 sqq. narrantur, post a. 44, illa demum, quae 15,1 sqq. narrantur, an. 51. et sequentibus. Totum autem tempus, quod S. Lucas in historia sua complectitur, a vere an. 29. usque ad ver an. 64. sese extendit.

1. *Sueton.* Claud. 25. « Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit ». Cui *Dio Cassius* (LX. 6) non nisi apparenter contradicit, si Claudium Iudaeos non expulisse, sed eorum coetus religiosos interdixisse refert; de decreto enim priore quodam loqui recte dicitur, quod altero severiore suppletum est, quoniam finem suum non attigerat neque tumultus impediverat.

2. *Oros.* Hist. VII. 6 (M. 31, 1075).

3. *Fl. Ioseph.* Antiquit. XIX. 9; XX. 6, 1; 6, 3.

4. *Plin.* Hist. nat. XXXI. 33; *Tacit.* Ann. XII. 8. Cfr. *Anger* De tempor. ration. in Act. p. 119 sq.

5. *Gal.* 1, 18; 2, 1. De altero hoc loco disputant interpretes, a quonam termino incipiendi sint quatuordecim anni, de quibus agit Paulus (ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν πάλιν ἀνέβην εἰς Ἱεροσόλυμα). *Euseb.* in Chron., quem sequuntur *Petr. Lomb.* et pauci moderni, respondet eos esse numerandos ab ascensione Domini. Quae sententia omni caret fundamento, quia in toto contextu ascensionis dominicae non fit mentio. *Ven. Beda, S. Thom., Baron., Perer., Lorin., Est., a Lap.* et non pauci recentiores terminum a quo volunt esse Pauli conversionem, ita ut tres annos, de quibus 1, 18 loquitur, nostro numero comprehenderit Paulus. At *S. Hier.* et *S. Chrys.*, quos sequuntur *Petav., Salmer.* et plerique recentiores a finito praecedente itinere annos numerandos esse rectius tenent. Nulla enim prorsus apparet ratio, cur iterum ad conversionem suam respiciat Paulus, imo quum dicat, se πάλιν ascendisse, prae oculis habet iter 1, 18 commemoratum. Praeterea, si iterum a conversione annos numerasset, eandem procul dubio, quam in priore itinere, praepositionem (μετὰ) adhibuisset; praepositione autem διὰ (interiectis annis quatuordecim) adhibita et priore itinere particula πάλιν in memoriam revocato satis clare ostendit, se non a conversione sua, sed a priore itinere annos numerare. Moderni autem interpretes, qui oppositam sententiam tenent chrono-

logicis suis systematis ad eam defendendam adducti sunt, ad exegeticas vero rationes non attendunt. De hac quaestione cfr *Comm.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 418 sq.

§ 15. — *De praecipuis commentariis catholicis in Actus.*

94. — Pauciores, quam plerique reliqui N. T. libri, commentatores Actus ante saec. 16. invenerunt; quamvis enim argumento suo quam maxime sese commendent, res tamen, quae narrantur, tam faciles ac planae visae sunt antiquis, ut illis explicandis operam suam impendere superfluum existimaverint. Inter PATRES primus *S. Ioannes Chrys.* maiore cum diligentia eos explanavit, cuius hodie supersunt quinque homiliae in principium Actuum, et quinquaginta quinque in librum ipsum [1]. Prioribus illis, Antiochiae habitis, oratorio ac satis diffuso modo solam inscriptionem exponit, in alteris autem, quas ultimis vitae annis Constantinopoli habuit, consuetum interpretandi modum magis retinet. Quum tamen ab eleganti stylo, quo eminent reliqua eius opera, alienae sint nec eadem cum sollertia textui sacro inhaereant, dubitatum est, num revera genuinus eius foetus sint; hodie autem dubia illa evanuerunt quidem, sed inter exegetica S. Doctoris opera homilias in Actus ultimum fere locum occupare plerique censent. Inter Graecos Chrysostomus nullum invenit, qui eum in exponendis Actibus sequeretur, usque ad *Oecumenium*, qui pauca ex aliorum Patrum operibus mutuatus ex eius praesertim homiliis commentarium suum excerpsit [2]. Simili modo *Theophylactus* quoque, licet non eadem cum sollertia brevitati studens, ex iisdem expositionem suam composuit [3]. Quae alii Patres et scriptores graeci in operibus suis ad Actus elucidandos contulerunt, ea una cum Chrysostomi explicationibus collecta habes in *Catena graeca*, cuius Oecumenii et Theophylacti opera epitomas esse facile conieceris [4].

Inter LATINOS Actuum commentatores primus est *Cassiodorus*, cuius admodum breves quidem, sed non inutiles « complexiones in Apostolorum Actus » non versus singulos, sed pericopas ita explanant, ut « lectorem non tam satiare quam introducere videantur » [5]. Circa idem tempus *Arator Diac.* in suis « de Actibus Apost. libris duobus » heroico metro non tantum poeticam historiae paraphrasin dedit, sed, quemadmodum dicit Ven. Beda, « nonnullos in eodem metro allegoriae flores admiscuit » [6]. Quo Aratoris opere non parum se adiutum esse fatetur *Ven. Beda*, qui duos in Acta commentarios edidit; in priore « super Acta Apost. expositione », quam brevissimo tempore absolutam Accae episcopo dedicavit, « ea quae vel mystice gesta vel obscurius dicta videbantur prout potuit dilucidare tentavit »; « librum retractationis in Actus Apost. » autem « condidit studio maxime addendi, quae (in

priore expositione) minus dicta, vel emendandi, quae secus quam placuit dicta videbantur. In quo etiam quaedam, quae in graeco sive aliter sive plus aut minus posita vidit, breviter commemorare curavit »[7]. Alterum hoc opusculum inter Bedae scripta exegetica laude praecipua dignum esse iure asseritur. Memoriae causa tantum addimus *S. Paterium* et *Alulfum Tornac.* ex S. Gregorii M. operibus collegisse, quidquid S. Doctor ex Actibus passim explicavit[8], atque *Walafridum Strab.* in sua *Glossa ordinaria* praeter S. Gregorii sententias quasdam vix non unius Bedae (et Rhab. Mauri?) explicationes referre.

Neque *medio aevo* defuerunt, qui in Actibus explicandis operam suam collocarent; sed eorum commentarii plerique in codicibus adhuc latent. Typis exscriptae non sunt nisi Postillae *Card. Hugonis, Nicolai Lyrani, Dionysii Carth.* paucorumque aliorum opera, quae tantae non sunt utilitatis, ut hoc loco enumeranda sint[9].

1. *S. Ioan. Chrys.* in princip. Act. hom. quinque (M. 51, 66 sqq.); Comment. in Act. Apost. (M. 60, 13 sqq.) Huc etiam trahendae sunt quatuor eius homiliae « in illud : Saulus adhuc spirans minas etc et de mutatione nominum » (M. 51, 113 sqq.).

2. *Oecumenii,* Triccae episcopi, Commentarius in Act. Apost. (M. 118, 29 sqq.)

3. *Theophylacti,* Bulgar. episcopi, Expositio in Act. Apost. (M. 125, 484). Theophylacti operum editor, *Bonif. Finetti* O. Praed. alteram recensionem eiusdem expositionis priori subiecit, quae inde a. c. 7. ad verbum fere cum Oecumenii opere consentit. Mirum ergo, quod *Lechler* (Apostelgesch. Ed. 4. Bielefeld 1881. p. 51) censet, in priore expositione Theophylactum Chrysostomi aliorumque opera excerpsisse, in altera suas proprias explicationes addidisse, quum vix quidquam in illis inveniatur, quod Chrysostomi non sit.

4. *Catena* in Act. ed. Cramer Oxonii 1838.

5. M. Aurelii *Cassiodori* Complexiones Actuum Apost. (M. 70, 1381 sqq.).

6. *Aratoris subdiac.* De Actibus Apost. libri duo (M. 78, 71 sqq.); in praefatoria epist. ad Vigil. his versibus consilium suum aperit : « Alternis reserabo modis, quod litera pandit, Et res si qua mihi mystica corde datur ».

7. *Ven. Bedae* Expos. in Act. Apost.; Retractationis liber in Actus (M. 92,937 sqq. 995 sqq.); cfr eius epist. ad Accam et praef. in Retract. (M. 92,938. 996).

8. *S. Paterii* De testimoniis id l. Act. Apost.; *Alulfi* expositio super Act. Apost. (M. 79,1085 sqq.); 1269 sqq. — *S. Fulberti,* ep. Carnot., quoque satis diffusus habetur « tractatus in Act. 12 », qui allegorico modo solam pericopen de martyrio Iacobi Mai. et Petri liberatione e carcere exponit.

9. Alios multos medii aevi interpretes Actuum una cum aliis enumerat *Lelong* Bibliotheca sacra II. p. 1140 sqq.

95. — Inde a saec. 16. liber Actuum plures nactus est interpretes, ex quorum numero eos solos recensebimus, qui celebriores habentur, omissis autem iis, qui integram Scripturam commentariis instruxerunt. Scholia, quae saec. 15. *Laur. Valla* et saec. 16. *Erasmus Roterod., Franc. Vatablus, Isid. Clarius, Lucas Brug.* in Actus ediderunt, quamvis praeclaris commentariis adnumeranda non sint, Protestantes tamen

digna habuerunt, quae in magnum suum opus Criticorum sacrorum reciperent[1]. Quibus praestare censemus *Ioan. Gagnaei* « Scholia in Actus ex praecipuis tam Graecorum quam Latinorum sententiis selecta », quod opus retractavit et emendavit *Ioan. Benedictus*, doctor sorbonicus, *Ariae Montani* « elucidationes in Acta Apost. » et *Crispoldi* commentarios[2]. Prae ceteris autem longe eminent *Ioan. Lorini* S. I., *Casp. Sanctii*, S. I., *Barthol. Petri*, prof. Lovan., commentarii; quamvis enim diffusiores, quam decet, esse soleant nec paucas quaestiones, quae ad rem minus pertinent, operibus suis inserant, accurate tamen textum sacrum exponunt nec ullam difficultatem silentio praetermittunt[3]. Minoris, sed non spernendae, auctoritatis sunt *Alph. Salmero* S. I., *Lib. Fromondus*, prof. Lovan., *Lud. Castanaeus*, ep. Pictav.[4]. Quos secuti sunt *Ant. Mar. a. S. Bonaventura*, O. S. Aug., qui iuxta multiplices sensus librum nostrum exposuit, *Ioan. de Sylveira*, O. Carm., cuius commentarius divini verbi concionatoribus utilis est, *Ioan. O Donelly*, O. Praed., qui theses sacras ex Actibus Apost. statuit[5]. *Franc. Mar. Biacca*, sac. Parmensis, et *Barth. Peverelli* S. I. italica lingua lectiones sacras et morales de Actibus ediderunt, gallica autem lingua *Fr. de Ligny* asceticum potius quam scientificum commentarium scripsit[6]. *Lamy Besange*, O. S. Ben., demum introductionem critico-hermeneutico-historicam in Acta edidit, quae suo merito non caret[7].

Nostri quoque saeculi interpretes librum Actuum non neglexerunt; praeprimis nominandi sunt *Ioan. Theod. Beelen*, prof. Lovan., et *Fr. Xav. Patrizi* S. I., quorum opera sese quodam modo complent, quoniam historicas et chronologicas quaestiones, quas prior magis minusve neglexerat, alter maiore cum accuratione et eruditione tractavit, ac praesertim *Ios. Felten*, qui Actuum librum aequali cum diligentia uti philologice et historice ita theologice interpretatus est[8]. Praeter quos commemorari quoque merentur inter germanicos commentatores *Aug. Bisping* et *Petr. Hake*, inter francogallicos et belgicos *I. van Steenkiste* et *H. Crellier*, inter anglicos *A. Anderson*[9].

1. *Critici sacri* Amstelodami 1698. vol. VII. — *Laur. Vallae* Notae ad 15. quidem saec. pertinent; typis autem non sunt editae nisi Paris. 1505 (Basileae 1526 etc); *Erasmi Roterod.* Adnotationes. Basileae 1516 etc; *Vatabli* Adnotationes collectae et editae a Le Comte. Paris 1545; *Clarii* Scholia. Venetiis 1542 etc; *Luc. Brug.* Notationes. Antw. 1583.

2. *Ioan. Gagnaei* Scholia in Evang. et Actus. Paris 1552; *Benedicti* Emendationes scholiorum Gagnaei. Paris 1563; *Ariae Montani* Elucidationes in Evang. et Acta. Antw. 1575 etc.; *Tullii Crispoldi* Commentaria in Acta. Firmi 1590.

3. *Ioan. Lorini* Comment. in Actus. Lugduni 1605 etc; *C. Sanctii* Comm. in Actus; accessit disputatio de S. Iacobi itemque Petri et Pauli in Hispaniam adventu. Lugduni 1616 etc.; *Barth. Petri* Comment. in Actus. Duaci 1622. De hisce cfr. *Rich. Simon* Hist. crit. des commentat. du N. T. p. 636, et *Calmet* Biblioth. s. n.

4. *Alph. Salmeron.* De Ecclesiae nascentis exordiis et in Act. apost. (Opp. XII. Coloniae 1614); *Lib. Fromondi* In Actus. Lovanii 1654; *Castanaei* Exercitat. in Acta. Pictaviis 1650.

5. *Ant. a S. Bonav.* Acta App. iuxta multiplices sensus priscorumque Patrum interpretationes elucidata. Genuae 1681; *Ioan. de Sylveira* Opp. tom. VII. Lugduni 1663; *O Donelly* Theses sacrae ex Actibus cum quaestionibus annexis ex theologia deductis. Lovanii 1709.

6. *Biacca* Trattenimento sopra gli Atti degli Apostoli. Venetiis 1731; *Peverelli* Lezioni sacri e morali sopra il s. libro degli Atti Apostolici. Veronae 1766; *F. de Ligny* Histoire des Actes des Apôtres... avec des explications. (Opus posthumum. Paris 1824).

7. *Besange* Introductio etc. Papiae 1782.

8. *Beelen* Comment. in Acta Apost. Lovanii 1850. Ed. 2. 1870; *Patrizi* In Act. Comment. Romae 1867; *Felten* Die Apostelgesch. übers. u. erklärt. Freiburg 1892.

9. *Bisping.* Exeg. Handb. IV. Erkl. der Apostelgesch. Münster 1866. Ed. 2. 1871; *Hake* Pragmat. systemat. Darlegung der Apostelgesch. Paderborn 1867. — *Van Steenkiste* Actus Apost. breviter explicati. Ed. 3. Brugis 1875; *Crellier* Les Actes des Apôtres. Paris 1883. — *A. Anderson* Fasti apostolici, a chronolog. survey of the years between the Ascension and the martyrd. of S. Peter. London 1884.

Longe maior nostro saeculo fuit numerus acatholicorum et incredulorum interpretum, qui de Apostolorum Actibus egerunt. Rationalistarum opera praecipua iam indicavimus; ex acatholicorum, qui inspirationem admittunt, operibus cum fructu interdum consuli possunt *Olshausen* Commentar (Ed. 2. cur. Ebrard. 1862), *Lechler* Apostelgesch. (Ed. 4. 1881), *Iacobson* The Acts. of the Apostels (The Speaker's Comment. N. T. II. 1880), *E. H. Plumptre* The Acts of the Ap. (1879), *Frid. Blass* Acta Apostolorum (Ed. philologica apparatu critico, commentario etc. illustrata. Göttingen 1895), *Lumby* The Acts of the Apost. (Cambridge 1887).

Chronologicae quaestiones tractantur a *R. Anger* (De temporum in Actis Apost. ratione 1833), *Wieseler* (Chronologie des apost. Zeitalters. 1848), *Lewin* (Fasti sacri. 1865. et The life and epistles of St. Paul. 1874) etc.

DISSERTATIO II.

DE LIBRIS DIDACTICIS NOVI TESTAMENTI

SECTIO I.

DE EPISTOLIS S. PAULI.

CAPUT I.

DE EPISTOLIS PAULINIS UNIVERSE SPECTATIS.

§ 1. — *De S. Pauli, gentium Apostoli, vita.*

96. — I « Prima nobis quaestio DE NOMINE PAULI videtur exsurgere, cur is, qui Saulus dictus est in Actibus, nunc Paulus dicatur »[1]. Quia de duplici hoc nomine in Scriptura nihil habemus, nisi pauca illa verba in Act. (13, 9) : « *Saulus, qui et Paulus* », variae de eo sunt Patrum et interpretum sententiae.

Etenim quia eodem in Actuum loco Sergii Pauli, proconsulis Cypri, conversio est relata atque postea in toto libro Apostolus, qui antea semper Saulus (שָׁאוּל Desideratus, Desiderius) vocatus erat, continuo Paulus appellatur, « quibusdam visum est, inquit *Rufinus*, quod Pauli proconsulis, quem apud Cyprum insulam Christi fidei subiecerat, vocabulum sibi Apostolus sumserit, ut sicuti reges solent devictis v. g. Parthis Parthici et Gothis Gothici nominari, ita et Apostolus subiugato Paulo Paulus fuerit appellatus ». Quam sententiam « non usquequaque respuendam » censet *Rufinus*, approbant vero omnino *SS. Hieronymus*, *Augustinus* multique iuniores interpretes[2].

At alteram quoque sententiam proponit *Augustinus*, ex etymologia nominis mutationem explicare conatus. « Et hoc nomen, inquit, quare elegit? Quia Paulus modicus est, Paulus parvus est. Nos solemus sic loqui : videbo te paullum i. e. post modicum. Unde ergo Paulus : ego sum minimus Apostolorum »[3]. Non defuerunt, qui Augustino adstipu-

larentur; communior autem est tertia opinio, quam iam praetulit *Rufinus* ad Iudaeorum consuetudinem provocans, qui binis vel ternis nominibus appellari solebant. « Secundum hanc consuetudinem, inquit, videtur nobis et Paulus duplici usus esse vocabulo, et donec quidem genti propriae ministrabat, Saulus esse vocatus, quod et magis appellationi patriae vernaculum videbatur, Paulus autem appellatus esse, quum Graecis et gentibus leges ac praecepta conscribit. Nam et hoc ipsum, quod Scriptura dicit : *Saulus autem, qui et Paulus,* evidenter non ei tunc primum Pauli nomen ostendit impositum, sed veteris appellationis id fuisse designat »[4].

Nescio vero, an altera haec ratio iure proferatur; etenim S. Lucas ipso modo, quo duplicis nominis mentionem ingerit, cum proconsulis conversione mutationem nominis arctissime colligari non obscure manifestat. Neque maiore vi prior pollet ratio; in Actibus enim post proconsulis conversionem relatam Apostolus, etiam ubi inter Iudaeos versatus esse refertur, non amplius Saulus vocatur. Quare cum S. Hieronymo primam sententiam praeferimus; nec obstat, quod magistrum non a discipulo, sed discipulum a magistro nomen mutuari aiunt[5]; fieri enim potuit, ut Paulus, qui ab eo maxime tempore apostolatum suum inter gentes inchoavit, proconsulis nomine accepto se eius quasi clientem profiteri voluerit, id quod, quum inter Romanos versaretur et cum magistratibus romanis saepe tractaret, non minimae utilitatis ei forsitan fuerit. Neve Scripturae ignotam esse consuetudinem obiiciatur, ut victor a victo nomen accipiat; Iacob enim, postquam cum angelo Domini luctatus est, Israelis nomen accepit, « quoniam contra Deum fortis fuerat »[6]. Quod si quis secundam Augustini sententiam cum prima ita coniungere voluerit, ut Apostolum nomen hoc praedilexisse dicat, quia simul eius humilitati inserviret, ob S. Augustini quidem auctoritatem adversari nolumus, fatemur autem illam parum nobis probari, siquidem inter Romanos nomen *Paulus* honorificentissimum fuit, nec in nominibus propriis, praesertim si in longo iam fuerunt usu, ad etymologicam significationem attenditur[7].

1. *Orig.* in ep. ad Rom. Praef. (M. 14, 836). Rufino, nomiliarum Origen. in ep. ad Rom. interpreti vel rectius epitomatori, alteram hanc praefationis partem deberi ultima phrasis docet : « haec, inquit, ab ipso auctore operis omissa nos, quia id dissertationis initium videbatur exposcere, puto quod non inconvenienter, praemisimus ».

2. *Orig.* (Rufin.) l. c. — *S. Hier.* de vir. ill. 5; in ep. ad Philem. 1. (M. 23, 615; 26, 604) : « Quare e Saulo Paulus dictus sit, nulla Scriptura memorat. Audacter itaque faciam, sed forte vere de Actibus Apostolorum suspiciones meas affirmans... Ut enim Scipio subiecta Africa Africani sibi nomen assumsit; et Metellus Cretae insulae subiugata insigne Cretici suae familiae reportavit, et imperatores nunc usque romani ex subiectis Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur : ita et Saulus ad praedicationem gentium missus a primo Ecclesiae spolio, proconsule Sergio Paulo, victoriae

suae trophaea retulit, erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo ». *S. Augusl.* Confess. VIII. 4 (M. 32, 753) : « Et idem ipse minimus Apostolorum tuorum, per cuius linguam tua ista verba sonuisti, quum Paulus proconsul per eius militiam debellata superbia sub lene iugum Christi tui missus esset regis magni provincialis effectus, ipse quoque ex priore Saulo Paulus vocari amavit ob tam magnae insigne victoriae ».

3. *S. August.* Serm. 315, 5; 279, 5; de spir. et lit. 12 etc. (M. 38, 1429. 1278; 44, 207).

4. *Orig.* (Rufin.) l. c. (M. 14, 837).

5. Quemadmodum *Cyprianus Caecilianus, Eusebius Pamphilus* etc.

6. Cfr. *Gen.* 32, 28 sqq.

7. Singularem nonnullorum sententiam commemorat et reprobat *S. Chrys.* de mutat. nom. hom. 2, 2 (M. 51, 126), qui ex graeca nominum etymologia conficta mutationem explicare erant conati; Saulum nimirum eum esse vocatum a σαλεύειν, quando Ecclesiam « exagitabat », Paulum vero a παύσασθαι, quando Ecclesiam vastare « cessavit ». Suam de duplici nomine sententiam S. Chrys. non exprimit, sed prius nomen a Deo mutatum esse dicit, « ne hac quoque in parte Paulus Apostolis inferior haberetur, sed ut eandem praerogativam haberet, quam discipulorum coryphaeus » in Rom. hom. 1, 1; in Act. hom. 28, 1 etc (M. 60, 395. 209).

97. — II. De loco nativitatis, genere, familia S. Apostoli ab ipso edocemur. Tarsi enim Ciliciae se natum esse asserit; quare erravit *S. Hieronymus,* quum eum « de oppido Iudaeae Giscalis fuisse diceret, quo a Romanis capto cum parentibus suis Tarsum Ciliciae commigrasset »[1]. Tarsus autem, una ex antiquissimis orbis civitatibus, quae in Salmanassaris II. inscriptionibus iam medio saec. 9. a. Chr. commemorari dicitur[2], Romanorum tempore non tantum divitiis sed scientiis quoque florebat. Etenim « tantus, inquit *Strabo* S. Pauli aequalis, civibus illius est ardor ad studium philosophiae et aliarum scientiarum, ut Athenas et Alexandriam superet et si qua alia appellari potest, in qua scholae et disputationes philosophorum et rhetorum sunt. Praecipue autem eo differt, quod studiosi ibi sunt incolae »; unde factum est, ut non pauci Tarsenses nominis celebritatem acquisiverint[3]. Libertate ab Antonio donata civitas, etsi romano imperio obediret, suis legibus gubernabatur.

Quandonam S. Pauli familia Tarsi sedem suam fixerit, ignoramus. Illam ex tribu Beniamin fuisse, refert ipse Apostolus, ideoque haud raro de illo explicant Patres vaticinium Iacobeum : « Beniamin lupus rapax; mane comedet praedam et vespere dividet spolia »[4]. Pharisaeorum quoque sectae addictam fuisse familiam suam testatur eamque civitate romana gavisam esse, ita ut se *civem romanum natum* asserere potuerit. Quod privilegium non parvi fuisse momenti historia eius docet; ne enim flagellis caederetur civis romanus aut ignominiosae morti addiceretur, aut ligaretur antequam causam dixisset, prohibuit lex Porcia, et quemadmodum olim a solis comitiis centuriatis, ita imperatorum

tempore a solo imperatore capitis damnari potuit, quare Apostolo semper ad Caesarem appellare licuit[5]. Ceterum de eius consanguineis nihil nobis traditum est, nisi sororis filium, per quem postea de Iudaeorum insidiis certior factus est, Ierosolymis habitasse[6].

Clemens Alex. S. Paulum illis adnumerat Apostolis, qui uxorem duxerant; nam « Paulus quoque, inquit, in quadam epistola suam ipsius coniugem compellare non veretur, quam tamen ideo secum non circumduxit, ut expeditior ministerium suum obiret »[7]. At recte iam monet *S. Hieronymus* « non audiendos esse, qui uxorem habuisse Paulum fingant »[8]. Re enim vera eo tempore, quo S. Stephani neci consensit, νεανίας vocatur, i. e. adolescens aetatem puerilem quidem transgressus, sed matrimonio nondum ligatus; post conversionem autem suam eum uxorem non duxisse evidens est; ceterum omnem dubitationem hac de re ipse excludit, quum se coelibem esse in epistola ad Corinthios clarissime doceat[9]. Nec obstat textus a Clemente allegatus, ad quem acerbe quidem sed rectissime adnotat *Theodoretus :* « σύζυγον nonnulli *stulte* existimarunt esse uxorem Apostoli non attendentes ea, quae scripta sunt in epistola ad Corinthios. Et clarum quidem est, eum, sive coniugii penitus expers fuit sive viduus, eo tempore uxorem non habuisse ; uxorem autem eum non duxisse verius est ; adolescens enim vocatus est (ad fidem). Σύζυγον ergo illum vocat, qui iugum idem pietatis secum trahat »[10].

1. *Act.* 22, 3 Γεγεννημένος ἐν Τάρσῳ τῆς Κιλικίας; cfr. 9, 11; 22, 39. — *S. Hier.* de vir. ill. 5 (M. 23, 615), sed cfr. in ep. ad Philem. 23 (M. 26, 617) : « Quis sit Epaphras concaptivus Pauli, talem *fabulam* accepimus : Aiunt parentes Apostoli Pauli de Giscalis regione fuisse Iudaeae, et eos, quum tota provincia romana vastaretur manu et dispergerentur in orbem Iudaei, in Tarsum urbem Ciliciae fuisse translatos; parentum conditionem adolescentulum Paulum secutum ». — Antiquiores Ebionitae ex loco nativitatis Pauli occasionem arripuerunt, ut eum Iudaeum genere fuisse negarent. Cfr. *S. Epiphan.* haer. 30, 16 (M. 41, 432 sq.) : « Tarsensem illum nominant, id quod ipse non negat, sed palam profitetur. Addunt etiam eum a gentilibus oriundum esse, praetextum capientes ex loco, in quo ipse secundum veritatem dicit : Tarsensis sum non ignobilis civitatis municeps. Dein Graecum eum fuisse contendunt, ex graeca matre et graeco patre genitum; eum Ierosolyma venisse ibique aliquamdiu mansisse; voluisse autem eum pontificis filiam ducere ideoque proselytum factum et circumcisum esse; quia vero puellam non accepisset, iratum contra circumcisionem et sabbathum et legislationem scripsisse ».

2. Cfr. *Schrader* Keilinschriften und Geschichtsforschung. Giessen 1878. p. 241 sq.

3. *Strabo* XIV. 5; *Philostr.* Vita Apollonii I. 7 etc. *Strabo* l. c. multos Tarsenses celebres enumerat, qui omnes Paulo fuerunt coaevi.

4. *Phil.* 3, 5. *Gen.* 49, 27. Cfr. *Tertull.* c. Marc. V. 1 (M. 2, 469) : « Nam mihi Paulum etiam Genesis olim promisit. Inter illas enim figuras et propheticas super filios suos benedictiones Iacob, quum ad Beniamin (verba) direxisset : Beniamin, inquit, lupus rapax; ad matutinum comedet adhuc et ad vesperam dabit escam. Ex tribu enim Beniamin oriturum Paulum praevidebat, lupum rapacem ad matutinum comedentem, i. e. prima

aetate vastaturum pecora Domini, ut persecutorem Ecclesiae : dehinc ad vesperam escam daturum, i. e. devergente iam aetate oves Christi educaturum, ut doctorem nationum »; *S. Ambros.* de bened. Patriar. 12 (M. 14, 694); *S. Hier.* Hebr. Quaest. in Gen.; in Os. 5, 8 etc (M. 23, 1009; 25, 862); *S. August.* Serm. 279, 1 (M. 38, 1275) etc. Cfr. etiam *Testam. duodecim Patriarch.* Beniam. 11 (*Fabric.* Cod. pseudepigr. V. T. I. p. 746 sq.) : « Et suscitabitur ex semine meo in extremis temporibus dilectus Domini, audiens in terra vocem eius, cognitione nova illuminans omnes gentes, lux cognitionis ascendens Israeli in salutem. Et *rapiens ut lupus ab ipsis et dans synagogae gentium* et usque in consummationem saeculorum erit in synagogis gentium » etc.

5. *Act.* 22, 28; 16, 37 sqq.; 22, 25 sqq.; 23, 27; 25, 10 sqq. — *Renan* (St Paul p. 526 sq.) et *Hausrath* (Der Apostel Paulus. Ed. 2. Heidelberg 1872. p. 16) civitate romana Paulum a solo Actuum auctore donatum suspicantur; rationes vero, quibus suspicionem hanc probabilem reddant, alias non afferunt, nisi propriam suam ab Actuum auctore aversionem. Undenam Apostoli familia privilegium hoc acceperit, ignoramus; aliqui omnes Tarsenses iure hoc praeditos fuisse censent; at libertas alicuius urbis nondum includit ius civitatis romanae, atque *Act.* 21, 39 et 22, 4, si inter se conferantur, videntur Tarsensibus ius hoc negare. Restat igitur, ut Apostoli maiores civitatem romanam aut pretio emisse aut meritis suis obtinuisse dicamus.

6. *Act.* 23, 16; cfr *Felten* Apostelgesch. 1892. p. 417.

7. *Clem. Alex.* Strom. III. 6 (M. 8, 1157); cfr *Euseb.* H. E. III. 30 (M. 20, 277); *Phil.* 4,3 « ἐρωτῶ καὶ σέ, σύζυγε γνήσιε ». Eodem modo textum explicant *Erasm.*, *Caietan.* et non pauci acatholici, quamvis iam ex adiectivo γνήσιε (non γνησία) de viro sermonem esse manifestum sit, uti *Theophyl.* (i. 4. l.) recte monuit.

8. *S. Hier.* ad Eustoch. ep. 22, 20 (M. 22, 407).

9. *Act.* 7, 57; 1 *Cor.* 7, 8.

10. *Theodoret.* in Phil. 4, 3 (M. 82, 585); cfr. *S. Chrys.* in Phil. hom. 13, 3 (M. 62, 279) etc. — De S. Pauli virginitate cfr. *S. Chrys.* de virgin. 82. (M. 48, 593); *S. Epiph.* haer. 58, 4 (M. 41, 1016); *S. August.* de oper. monach. 4 (M. 40, 552); *Ps. Ambros.* in Cor. 7 (M. 17, 217) etc.

98. — III. De S. Pauli educatione dicturis oboritur quaestio, num graecis literis eruditus fuerit. Saeculo praecedente non pauci interpretes acatholici graecam eius eruditionem quam plurimum exaltarunt, deque « stupenda eius eruditione » disserentes plane divinam in eo invenerunt philosophiae, iurisprudentiae aliarumque disciplinarum profanarum scientiam[1]. Quibus exaggerationibus, ut fieri fere solet, contradictionem provocarunt, ut alii omnem graecam eruditionem ei negarent, solam iudaicam concederent[2]. Cum *S. Hieronymo* autem mediam viam tenentes literarum graecarum scientiam eius nec nimium exaltandam nec prorsus negandam esse censemus. « Scisse autem, inquit S. Doctor, Paulum licet non ad perfectum literas saeculares ipsius verba testantur : *Dixit quidam ex iis, proprius eorum propheta, Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.* Hic versus heroicus Epimenidis poetae est, cuius et Plato et ceteri scriptores veteres recordantur. Apud Athenienses quoque, quum in Areopago satisfaceret, haec addidit : Sicut et quidam de vobis poetae dixerunt : *Ipsius enim et genus sumus.* Hoc hemistichium fertur in Arato, qui de coelo stellis-

que conscripsit. Necnon et illud : *corrumpunt bonos mores confabulationes pessimae*, trimeter iambicus de comoedia sumtus est Menandri. Ex quibus et aliis evidens est, Paulum non ignorasse literas saeculares »[3]. Stylus quoque graecus Apostoli is est, qui studia graeca prodat; quamvis enim hebraismis nequaquam careat, nusquam tamen color graecus desideratur, et excepto S. Luca alter non est inter N. T. scriptores, quem linguae scientia Paulus habeat parem[4]. Tarsi autem, quam civitatem scholis suis floruisse diximus, Apostolum graecis literis operam navasse probabile est; Ierosolymis enim nec tempus nec subsidia, ut illas excoleret, ei suppetebant.

Graecis igitur literis imbutus a parentibus Ierosolyma est missus, ut Legis studio vacaret. Ἐκ νεότητος se in sancta civitate vixisse, ibique se esse enutritum (ἀνατεθραμμένον) dicit; puer igitur, aut vix pueritiam egressus eo adveniens[5] magistrum nactus est Gamalielem seniorem, virum non minus apud Iudaeos quam apud Christianos insignem. Atque Iudaei quidem eum maximum Legis doctorem venerantur, qui primus titulo *Rabban* (i. e. magister noster) ornatus atque solus כבוד התורה « gloria Legis » appellatus sit. Christiani vero virum, quem S. Lucas vocat « Legis doctorem honorabilem omni populo », velut Apostoli gentium magistrum colunt et ob sapiens eius de christiana religione iudicium, quo primam persecutionem sedavit. Una cum Nicodemo patrueli et Abibo filio suo Gamalielem a Petro et Ioanne baptismum recepisse refert Chrysippus, presbyter hierosolymitanus, qui etiam miraculosam reliquiarum eius inventionem commemorat[6].

In scholis autem suis rabbini solam fere Scripturam tractare solebant, sive ut praecepta accuratius definirent et ad singulos casus applicarent (Halacha), sive ut ex traditione eam explicarent (Haggada)[7]. Huic igitur studio Paulus iuvenis quoque ad pedes Gamalielis operam suam impendit. Acatholici interpretes eosque secuti pauci catholici de rabbinica eruditione rabbinicoque argumentandi modo loquuntur, quem in paulinis epistolis deprehendisse sibi videntur. Quod si nomine rabbinicae eruditionis illa venit V. T. scientia, quae maxima est in Apostoli epistolis, atque rabbinicae dialecticae nomine illud argumentandi genus, quo ex principiis revelatis dogmata deducit, illis eum excelluisse profitemur; cum antiquis Iudaeis eum etiam typicum Scripturarum sensum agnovisse ex eoque frequenter argumenta sua desumsisse, interdum quoque verba scripturistica ad suum thema scite accommodasse libentissime concedimus; imo argumentandi forma externa, continuis illis interrogationibus brevibusque interpellationibus eum scholam rabbinicam prodere non infitiamur, atque Gamalieli magistro laudi ducimus, quod talem tantumque discipulum formaverit. At longissime abest Apostolus ab illa hermeneutica, qua quidquid volunt Thalmudistae ex

omnibus Scripturarum verbis et literis derivant; rabbinicae vero traditiones, quas « critici » in Pauli epistolis inveniunt, perversae tantum eorum interpretationi debentur[8].

Eodem tempore, quo graecis literis Legisque studio vacabat, patrium morem secutus Paulus opificium didicit; « pulchrum enim esse studium Legis, si cum opificio coniungatur », aiunt rabbini, « patrem vero, qui filium suum opificium docere negligat, eum docere latrocinium »[9]. Apostolus igitur iam Tarsi in domo paterna, ut videtur, « scenofactoriam artem » addidicerat, quam postea, dum apostolico suo munere fungebatur, continuo exercebat, ne fideles gravaret[10]. Quid nomine scenofactoriae artis veniat, non omni cum certitudine constat; *S. Chrysostomus* σκηνοποιεῖν idem habet, quod σκηνορράφειν (tentoria consuere), atque Paulum appellat σκυτότομον (coriarium vel loriarium), de tentoriis pelliceis, quorum non infrequens fuit usus, cogitans; cui consentit Theodoretus, dum *Origenes* eum « *fabrum* tabernaculorum » appellet, moderni demum plerique panni textorem eum fuisse censent; Cilicia enim, Apostoli patria, propter pannum quendam grossum e caprearum villis confectum (κιλίκιον) celebris erat, cuius frequens ad tentoria conficienda usus[11].

Interrogant rationalistae, ubinam Paulus christianam religionem didicerit; quam otiosam quaestionem ipse praeoccupavit: « Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Iesu Christi »[12].

1. Longum catalogum dissertationum de graeca Pauli eruditione exhibet *Credner* Einl. p. 296 : « Grulich, Betrachtungen über die griech. Gelehrsamkeit Pauli. Wittenberg 1773; Zobel, De Paulo philosopho. Altorf 1731; Feller, De Paulo philosopho plane divino. Wittenberg 1740; Strykius, De iurisprudentia Pauli. Halae 1695; Kirchmaier, De jurisprudentia Paulina. Wittenb. 1730; March, Specimen iurisprudentiae Pauli quoad rem tutelarem. Lips. 1736; Westenberg, De Paulo iurisconsulto. Lips. 1736 » etc.

2. *Thalemann* De eruditione Pauli iudaica non graeca. Lips. 1794. Eiusdem sententiae sunt acatholici moderni plerique; cfr. *Winer* Bibl. Realwörterbuch s. v. II p. 213; *Hausrath* in Schenkel's Bibellexion IV. p. 409; *W. Schmidt* in Herz. P. R. E. Ed. 2. XI. p. 359; *Renan* Les Apôtres p. 165 sqq. etc.

3. *S. Hieron.* in ep. ad Gal. 4, 24 (M. 26, 389); cfr. *Tit.* 1, 12; *Act.* 17, 28; 1 *Cor.* 15, 33. — *S. Hier.* c. Rufin. I. 17 (M. 23, 411) : « graecam facundiam contemnebat, vel certe, quod erat humilitatis, dissimulabat »; ad Algas. ep. 121, 10 (M. 22, 1029).

4. Interdum Patres, ut Evangelii virtutem exaltent, Pauli eloquentiam deprimunt; ex. gr. *Orig.* in Ioan. tom. IV. (M. 14, 185) : « Si enim elegantiam et dictionis apparatum, quemadmodum scripta illa, quae Graecis admirationi sunt, divinae literae habuissent, existimasset aliquis non veritatem victoriam reportasse de hominibus, sed consecutionis et dictionis splendorem audientes delectasse et illecebris delinitos circumvenisse ». Cfr. *S. Chrys.* de laud. Paul. hom. 4 (M. 50, 490) etc. Ob prorsus alium finem idem faciunt moderni rationalistae; cfr. ex gr. *Renan* Les Apôtres p. 166 : « Il

n'est pas croyable qu'un homme qui eût pris des leçons même élémentaires de grammaire et de rhétorique eût écrit cette langue bizarre, incorrecte, si peu hellénique par le tour, qui est celle des lettres de saint Paul ». Multo aequius de graeca Pauli lingua iudicat *Winer* l. c. « Dass Paulus eine achtbare Gewandtheit im griech. Ausdruck sich erworben hatte, lehrt der Styl seiner Briefe, und eben dieses griech. Colorit, welches durch die Hebraismen hindurchleuchtet, lässt die Hypothese, dass er die meisten seiner Briefe aramäisch concipirt habe, nicht aufkommen ». Cfr. de stylo et eloquentia S. Pauli *infra* 115. 116 p. 390 sqq.

5. *Act.* 26, 4; 22, 3. In *Pirke Aboth* 5, 21 monet R. Iuda ben Thema puerum quinto aetatis anno studium Legis posse incipere, decimo anno studium Mischnae, a decimo tertio anno eum ad Legem observandam obligari.

6. *Act.* 22, 3; 5, 34. — De Gamaliele opiniones Iudaeorum collegit *Wolf* Biblioth. hebr. II. p. 821 sq.; de Christianorum traditione cfr. *Phot.* Biblioth. cod. 171 (M. 103, 501); *S. Clem.* Recognit. I. 65 sqq. (M. 1, 1242); *Brev. Rom.* 3. Aug.

7. Cfr. ea, quae de rabbinica Scripturarum interpretatione diximus in *Introd. gen.* Ed. 2. n. 225. p. 618 sqq.

8. Hasce rabbinicas traditiones in Pauli epistolis detexit *Hausrath* (Schenkel Bibellex. IV p. 410) : 1 *Cor.* 15, 45 sq. cum Philone distinguitur duplex hominis creatio, Adami coelestis *Gen.* 1, 26 et Adami terreni *Gen.* 2, 7 ; ex lapsu primi hominis (*Rom.* 5, 12 sqq.) non mali physici, uti Geneseos contextus postulat, sed peccati atque mortis origo cum *Sap.* 2, 23 sq. derivatur; ex 1 *Cor.* 11,10 rite colligitur, Paulum textum *Gen.* 6,2 de carnali Angelorum cum mulieribus commixtione sumsisse; iuxta *Rom.* 4, 5 cum Philone et Fl. Iosepho credidit Apostolus, Abrahamum ante vocationem fuisse idololatram; *Gal.* 4, 23 supponit Isaacum non carnali modo esse genitum et *Gal.* 4, 29 agit de rabbinica fabula persecutionum Isaaci; 1 *Cor.* 10 « fabula de exitu Israelis » (die Wandersage Israel's) quam plurima immixta habet ex traditione rabbinica, etiam 2 *Cor.* 3, 2-16 videtur supponi controversia rabbinica de causa, ob quam Moyses faciem suam velavit; eis quae *Gal.* 3, 19 de angelis Legis mediatoribus dicuntur, analoga sunt illa, quae habent Philo et Samaritani; demum eschatologia et daemonologia integrae habent radices suas immediatas in rabbinorum placitis, mediatas tantum in V. T. Num quis ineptias has rationalistarum refutatione dignas habet?

9. Cfr. hos et alios similes textus in *Buxtorf* Lexic. chald., Thalm. et rabbin. s. v. אומנות p. 119 sq.

10. *Act.* 18, 3; cfr. 20, 34; 1 *Thess.* 2, 9; 2 *Thess.* 3, 7 sqq.; 1 *Cor.* 4, 12 etc.

11. *S. Chrys.* De laud. Pauli hom. 4 (M. 50, 490) : « Homo ignobilis, abiectus et circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus (περὶ δέρματα τὴν τέχνην ἔχων), in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio Romanos, Persas, Parthos... et omne prorsus humanum genus sub iugum mitteret veritatis »; in ep. ad Rom. hom. 2, 5 (M. 60, 407) : « ac neque dum praedicaret, artem intermisit, sed etiam tunc pelles consuebat et officinae praeerat »; in 2 Tim. hom. 4, 3 (M. 62, 622) σκυτοτόμος; *Theodoret.* Therapeut. Prol.; serm. 5; 8 etc (M. 83, 788. 945. 1009). — *Orig.* in Num. hom. 17, 5 (M. 12, 708). Cfr. *Lorin.* in Act. 18, 3.

12. *Gal.* 1, 11 sq.; cfr. *Eph.* 3, 3.

99. — IV. De Saulo christiani nominis persecutore. Quamdiu Paulus ad Gamalielis pedes sit eruditus, traditum non est. Illum enim ab eo tempore, quo puer Ierosolyma advenit, usque ad diem, quo inter Stephani persecutores nominatur, semper in civitate sancta consedisse et Legis studio vacasse, vel ideo non esse admittendum videtur, quia

secus procul dubio Dominum N. vidisset eiusque passioni interfuisset. Iam vero nullum in eius epistolis exstat vestigium, quod unquam Dominum in terris agentem viderit; quia continuo autem se ipse accusat, quod Ecclesiam sit persecutus, non tacuisset crimen suum, si in Domini passione partem habuisset. Quare illum, postquam aliquos annos studiis suis tribuit, in patriam reversum esse arbitramur, nec iterum nisi post Domini N. mortem in civitatem sanctam redisse. Dum vero ad Gamalielis pedes eam sibi acquisiverat librorum sanctorum scientiam, quam in eius epistolis omnes admirantur, magistri sui mansuetudinem et moderationem erga Christianos non didicerat[1], sed « in Iudaismo profecerat supra multos coaetaneos suos, abundantius exsistens aemulator paternarum traditionum », atque zelotis iunioribus praeludens « supra modum Ecclesiam Dei persequi » coepit[2].

Morti S. Stephani protomartyris interfuit consentiens neci eius, imo inter eos videtur fuisse, qui mortis sententiam tulerunt; id enim non obscure indicat terminus, quo ipse de hac morte loquens utitur : « et quum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego adstabam καὶ συνευδοκῶν καὶ φυλάσσων τὰ ἱμάτια τῶν ἀναιρούντων αὐτόν »[3]. Certum autem omnino est, eum paulo post tamquam synedrii legatum « devastasse Ecclesiam et per domos circumcursantem traxisse viros et mulieres in custodiam ». « Et ego quidem, inquit ipse, existimaveram me adversus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere. Quod et feci Ierosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta, et quum occiderentur detuli sententiam (rectius : calculum adieci, suffragium meum dedi, κατήνεγκα ψῆφον); et per omnes synagogas (quarum maximus tunc temporis numerus erat Ierosolymis, quasque aeque ac templum primi Christiani frequentare non cessarunt) frequenter puniens eos compellebam blasphemare (nomen Iesu) et amplius insaniens in eos persequebar usque in exteras civitates »[4].

Etenim synedrium hierosolymitanum, licet potestate administrativa et iudiciaria, quam Romani ei reliquerant, extra Iudaeae fines iure non potiretur, de facto tamen ab omnibus Iudaeis in toto mundo dispersis agnoscebatur, ideoque per delegatos suos etiam in aliarum civitatum synagogis iudicia consentientibus Romanis exercebat[5]. Paulus igitur Christianorum hierosolymitanorum persecutione non contentus a summo pontifice epistolam efflagitavit ad synagogas damascenas, ut Christianos, qui eo fugerant, vinctos Ierosolyma perducere sibi liceret, atque facultate hac accepta profectus est Damascum. Frequenter in suis epistolis de hac sua in Christianos crudelitate se ipse accusat : « minimus, inquit, sum Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei », nec aliam agendi suae ra-

tionis excusationem invenit, nisi quod « ignorans in incredulitate » sua ita egerit[6].

Haud improbabiliter aliqui interpretes ex munere, quo Paulus tamquam synedrii legatus fungebatur, concludunt, illum persecutionis illius tempore trigesimum annum iam attigisse; ab illo enim aetatis anno Israelitae publicis muneribus fungi coeperunt[7].

1. *Hausrath* (Schenkel Bibellex. IV. p. 411) ideo negat Paulum Ierosolymis a Gamaliele esse educatum atque ab Actuum auctore id esse confictum contendit. At mirum non est, quod neminem qui ipsi consentiret, invenerit, quum nimis absurda sit haec ratio.

2. *Gal.* 1, 14. 15; 1 *Tim.* 1, 13.

3. *Act.* 7, 59; 22, 20. Etsi συνευδοκεῖν de solo interno consensu explicari possit, aptius tamen de externo explicatur. Certe quod « vestes lapidantium » custodivit, etiam demonstrat eum velut personam publicam lapidationi adfuisse. Cfr. *Sepp* Gesch. der Apostel. Schaffhausen 1866. p. 21 sqq.

4. *Act.* 8, 3; 26, 10. 11.

5. Iudicia etiam capitalia synedrio esse relicta a Romanis, tota historia passionis Domini demonstrat, at sententiam capitalem exsequi eis non licuit, nisi a magistratu romano confirmatam (*Ioan.* 18, 31. *Thalm. Babyl.* Sanhedr. f. 24. B. « Quadraginta annis ante vastatum templum ablata sunt iudicia capitalia ab Israel »; Aboda sara f. 8. B.). Quod si S. Stephanus lapidatus est, antequam sententia a Pilato erat confirmata, id tumultuario iudicii modo adscribendum est. Simile quid in morte S. Iacobi Min. accidisse refert *Fl. Ioseph.* Antiquit. XX. 9, 1. Cfr. *Buxtorf* Lex. thalmud. s. v. דִּינֵי נְפָשׁוֹת.

6. 1 *Cor.* 15, 9; cfr. *Gal.* 1, 13; *Phil.* 3, 6; 1 *Tim.* 1, 13; *Eph.* 3, 8.

7. Non obstat, quod *Act.* 7, 57 νεανίας vocetur, quum hoc termino aeque ac hebr. נער etiam vir iunior, praesertim si matrimonio non sit ligatus, interdum designetur. Omnino autem consentit, quod in epistola ad Philem 9 se *senem* dicat; si enim a. 62. vel 63. iam senex fuit, a. 33. vel 34. trigesimum annum certe attigerat. Natus igitur videtur esse a. 3. vel 4. aer. vulg.

100. — V. Conversio Apostoli, etsi in epistolis interdum indicetur, fusius tamen in illis non narratur, tres autem eius relationes leguntur in Actibus, siquidem non tantum S. Lucas eam fuse prosequitur, sed Paulus ipse quoque in sermonibus suis ad populum hierosolymitanum et coram rege Agrippa habitis eam refert[1]. Ex quibus constat Dominum ipsum Saulo, quum Damasco appropinquaret, apparuisse interrogantem, quare ipsum persequeretur; qua apparitione subito in alium hominem mutatus Saulus et ad omnia se paratum profitens urbem ingredi iussus est, ut quid facto opus esset audiret. Oculis captus ab itineris sociis Damascum est deductus, post triduum in ieiunio peractum per Ananiae manuum impositionem visum recepit, atque baptismo recepto statim in synagogis praedicare coepit Iesum Filium Dei. Apostolum a. 34. p. Chr. ad fidem conversum esse supra diximus (92) anno aetatis circiter tricesimo primo.

Miris modis a multis annis se torquent rationalistae, ut miraculosam hanc conversionem removeant. Saulum ex persecutore factum esse Apostolum christianae religionis negare quidem non possunt, quia nimis aperte non semel id ipse testatur : « Prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus ; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate » ; at miraculo et vera Domini apparitione eum ad fidem, quam persecutus erat, esse conversum concedere nolunt nec possunt, nisi rationalismo suo valedixerint. Praeprimis igitur monent tres Actuum relationes, quoniam inter se pugnent, plenam fidem non mereri ; differentias autem, quas tantopere urgent, quum de minutissimis sint circumstantiis nec facti substantiam attingant[2], ad difficultatem removendam non sufficere ipsi perspicientes alia effugia quaerunt. Atque alii quidem rem naturali modo explicare conantur, alii autem tota Actuum narratione inter mythos amandata hallucinationi cuidam, quam passus sit Saulus, conversionem adscribunt.

Saulus, inquiunt priores, de Stephani nece Christianorumque crudeli persecutione morsibus conscientiae a multo tempore exagitatus in longo et solitario itinere dubitare inceperat rectene ageret an secus. Quibus cogitationibus inhaerens, quum ab itinere fatigatus prope Damascum esset, subito fulmine in terram deiectus ea, quae conscientia illi iam ab aliquot diebus obiecerat, tonitrui fragorem audiens a Christo ipso sibi obiici arbitratus est. Accessit febris quaedam cum deliriis coniuncta, atque forte etiam ophthalmia solis ardoribus provocata, ut ab itineris comitibus manu ductus civitatem ingredi cogeretur ; quia nervorum infirmitate laboraret, certum est minimam rem eum plane perturbare potuisse. Per tres dies integros eum tenuit febris ; quo tempore illos, qui aderant, de Christianis damascenis deque eorum presbytero Anania colloquentes audivit ; de Christianorum miraculis iam antea multa audiverat ; mirum ergo non est, quod febricitans sperare coeperit fore, ut ipse quoque manuum Ananiae impositione ab infirmitate sua liberaretur, imo in deliriis suis Ananiam cubiculum suum ingredientem viderit sibique manus imponentem. Ut aegroti animum sedarent, astantes Ananiam advocaverunt ; advenit, aegroto leniter locutus est, manus ei imposuit, Saulus sanatum se credidit, et quoniam nervorum dumtaxat infirmitate laboravisset, revera sanatus est ; surrexit, comedit, baptizatus est etc. Annon febricitantium somnia legere tibi videris, si hanc Pauli conversionis descriptionem legis ? Merito de naturali hac miraculi explicatione, quam post *Ammon, Eichhorn, Winer,* aliosque *Renan* recoquere non erubuit[3], Neotubingiani ipsi rident. Conscientiae angores finguntur, quos excludere videtur tota Actuum relatio[4] ; finguntur fulgura et tonitrua, quorum nulla in relationibus fit mentio ; summa contentio phanthasiae fingitur, cuius nullum

adest vestigium; nervorum infirmitas attribuitur Apostolo, qui per triginta Apostolatus annos nec laboribus nec periculis nec cruciatibus nec persecutionibus frangi potuit, atque pro fictionum corona subitam Pauli sanationem accipimus, qui sanatus est, quia sese sanatum esse credidit[5]. Maxima credulitate ornatus sit oportet, qui eiusmodi ineptias devorat.

Qua naturali conversionis explicatione, quoniam sit absurda et ridicula, una cum Actuum relationibus omnibus utpote mere mythicis reiectis Neotubingiani aliam viam ad removendum miraculum inire maluerunt. Statuerunt igitur Paulum « visionem » Domini habuisse; nomine autem « visionis » non utuntur eo sensu, quo vulgo a catholicis theologis adhibetur, sed meram intelligunt hallucinationem, cui nihil obiectivi corresponderit. Si illis crederemus, Saulus in via damascena se Dominum vidisse et audisse putasset quidem, revera autem eum nec vidisset nec audisset[6]. Opus non est ut fuse referamus, quomodo hanc hallucinationem explicent; sufficit, ut dicamus S. Paulum ipsum apparitionem Domini sibi factam eodem prorsus ordine habere, quo apparitiones aliis Apostolis factas; quamprimum nobis explicaverint, quomodo fieri potuerit, ut quingenti fratres eodem temporis momento Christum a mortuis resuscitatum videre crediderint, quamvis eum non viderent, systema eorum accuratiori examini subiiciemus[7].

1. *Gal.* 1, 13-16; 1 *Tim.* 1, 13; 1 *Cor.* 9, 1; 15, 8. 9 etc. *Act.* 9, 3-19; 22, 6-16; 26, 12-18.

2. Tres differentiae praesertim urgentur a *Baur* (Der Apostel Paulus. Ed. 2. I. p 71 sqq.), *Hausrath* (Schenk. Bibellex. IV. p. 416), *Hilgenfeld* (Einl. p. 219), *Renan* (Les Apôtres p. 180), *W. Schmid* (in Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. p. 361), *Meyer Wendt* (Krit. exeg. Comm. III. Die Apostelgesch. Ed. 7. 1888. ad *Act.* 9,3 p. 217 sqq.), I. *H. Holtzmann* (Hand comm. z. N. T. I. Apostelgesch. Ed. 2. 1892. p. 360) aliisque acath. multis. Miraberis quod tam imperitum sibi fingant rationalistae Actuum auctorem, qui ter idem factum in parvo libello referre non potuerit, quin ter sibi contradicat, idque eo magis miraberis, quia Pauli sermones ab ipso libelli auctore libere compositos esse contendant. Ceterum contradictiones illas non esse nisi apparentes evidens est. Primam inveniunt in eo, quod 9, 7 socii Pauli *stetisse*, 26, 14 autem cum eo *in terram cecidisse* dicantur; ac si utrumque verum esse nequeat, ut ad subitum lucis circumfulgentis aspectum omnes in terram ceciderint, socii autem, Saulo in terra iacente, sese erexerint et stantes colloquio interfuerint; animadvertas autem velim, 9, 7 totam vim in eo esse, quod *stupefacti* (ἐνεοί) steterint socii, ut ad corporis situm illo in loco vix attenderit scriptor[a]. Secunda contradictio in eo adesse dicitur, quod secundum 9, 7 socii vocem quidem audierunt, sed neminem viderunt, secundum 22, 9 vero lumen quidem viderunt, sed vocem non audierunt; quam difficultatem facile removebis, si ad duplicem vocabuli φωνή sensum attenderis, quod et sonum et vocem loquentis articulatam significat; quemad-

a) Revera ἑστηκέναι interdum idem est quod εἶναι; cfr. *Col.* 4,12; 1 *Cor.* 7,37; *Eph.* 6, 14; *Ioan.* 8,44. Idem vocabuli ἑστηκέναι usus in profanis libris observatur : *Sophocl.* Philoct. ἐν χρείᾳ ἑσταμένος in necessitate versatus; *Eurip.* Phoen. ἐν ὡραίῳ ἵσταμαι βίῳ in aetatis flore sum constitutus etc, in quibus omnibus locis de corporis situ non est sermo. Ergo *Act.* 9,7 εἱστήκεισαν ἐνεοί « steterunt i. e. fuerunt stupefacti ».

modum *Ioan.* 12, 28, 29. turba sonitum quidem audierat et tonitru esse factum putarat, verba autem vocis de coelo loquentis non distinxerat, ita socii Sauli sonitum audierunt, sed verba loquentis non distinxerunt. (Alii cum *Chrys.* inter vocem coelestem, quam non audierunt, et vocem Pauli, quam audierunt, minus apte distinguunt; alii monent aliud esse ἀκούειν τῆς φωνῆς et ἀκούειν τὴν φωνήν, at haec differentia a N. T. scriptoribus non observatur; cfr. 9, 7 ἀκούοντες τῆς φωνῆς et 22, 7 ἤκουσα φωνῆς). Tertia demum contradictio in eo invenitur, quod ea, quae 22, 14. 15 per Ananiam Saulo dicuntur, 26,16-18 immediate a Christo Paulo dicta referantur. At aeque parum ibi habetur contradictio, atque inter *Matth.* 8, 5 sqq. et *Luc.* 7,3 sqq.; coram Agrippa compendioso modo narrat, quae fusius Iudaeis exponit. Sed cfr. de his interpretes.

3. *Ammon* De repentina Pauli ad doctrinam Christi conversione. Erlangen 1792. p. 17 sqq.; *Eichhorn* Biblioth. der bibl. Literatur VI. p. 1 sqq., *Winer* Bibl. Realwörterb. II. p. 214 sq. etc. — *Renan* (Les Apôtres p. 175-185) flosculis suis rhetoricis febribusque *suis*, ad quas provocat, non obstantibus omnes lectores, qui sanae sunt mentis, ad risum et cachinnos excitavit.

4. Aliqui catholici quoque interpretes (*Beelen*, *Patrizi* in Act. 9) censent, Saulum iam ante Domini apparitionem conscientiae stimulis esse exagitatum; quomodo autem id probare velint, non videmus, quoniam verba « durum est tibi contra stimulum calcitrare » de *praecedentibus* morsibus conscientiae non sunt intelligenda.

5. Cfr. quomodo *Baur* Der Apostel Paulus Ed. 2. I. p. 81 naturalisticam illam sanationis explicationem ridet. *Meyer* autem, etsi ipse quoque ad rationalismum inclinet, « rationalisticam illam acrisiam », quae integrum factum naturali modo explicat, « vix memoratu dignam » dicit. « Kaum historisch noch bemerkenswerth ist die der Baur'schen Kritik vorgängige rationalistische Akrisie, mit welcher man das ganze Ereigniss in ein Phantasiegebilde verwandelte, bei welchem Gewissenskämpfe des Verfolgers den psychologischen Grund und ein plötzliches Gewitter die Staffage abgab » (Krit. exeg. Handb. in Act. 9, 3-9).

6. Cfr. *Baur* Der Apostel Paulus. Ed. 2. I. p. 74 sqq.; Eiusdem Christenthum u. christl. Kirche. Ed. 2. p. 44 sqq.; *Holsten* Zum Evang. des Paulus u. des Petrus. Rostock 1868. p. 1 sqq.; *Hausrath* in Schenkel Bibellex. IV. p. 416 sqq. etc.

7. Cfr. 1 *Cor.* 15,5-8 et 9, 1. — *Gal.* 1, 13 sqq. apparitionem Christi Paulus intimo nexu coniungit cum sua conversione. Ipse *Mangold*, qui ad Neotubingianismum proxime accedit, fatetur 1 *Cor.* 15,5 sqq. Neotubingianorum explicationem refutari. (Bleek Einl. Ed. 3. cur. Mangold. p. 425. Nota).

101. — VI. De Apostoli vita usque ad primum eius iter apostolicum. Saulus, quam primum baptismum recepit, in synagogis damascenis praedicare coepit Iesum, quoniam hic est Filius Dei, stupentibus omnibus, quod is, qui ad persequendos Christianos missus esset, Evangelio sese subiecisset. At non diu (« per dies aliquot ») cum discipulis commoratus in Arabiam profectus est[1], i. e. in illam regionem, quae a Damasco meridiem versus sese extendens vulgo Arabia petraea vocatur illoque tempore regi Aretae parebat. Qua de causa iter hoc susceperit, quum ipse finem non prodat, controvertitur; parum probabile videtur esse, eum praedicandi causa in Arabiam abisse, multo probabilius vero, eum in solitudinem sese recepisse, ut ad magnum, quod ei praedictum erat, munus sese praepararet[2]. Post tres fere annos in solitudine peractos Damascum reversus multo magis convalescebat et

confundebat Iudaeos, ita ut hi in eius mortem coniurantes per ethnarcham regis Aretae eum comprehendere conarentur[3]. At a fratribus per murum in sporta demissus persecutorum manus effugiens Ierosolyma se contulit, ut Petrum videret. Utpote suspectus a Christianis hierosolymitanis primum benigne receptus non est, postea autem a Barnaba, quem prius forte cognoverat, ad Petrum et Iacobum Min., qui soli ex Apostolis eo tempore in civitate essent, adductus familiariter cum fratribus egit, Iudaeos autem Hellenistas disputationibus suis ad iram provocavit. Quare post quindecim iam dies visione coelesti admonitus urbem reliquit et a fratribus Caesaream perductus in patriam suam Tarsum sese recepit[4]. Iter hoc hierosolymitanum post conversionem suam primum an. 37. eum fecisse supra ostendimus (93. p. 344).

Quantum temporis Tarsi manserit quidve in patria egerit, nec ipse nec S. Lucas innuunt. Eo autem tempore, quod ibi peregit, prima ecclesia ex ethnicis conversis fundata est Antiochiae, atque Barnabas ab Apostolis, ut nascenti illi coetui provideret, missus Saulum Tarso in partem ministerii accersivit; per annum integrum ambo conversati sunt ibi et docuerunt turbam multam[5]. Circa illud tempus prophetae quidem Ierosolymis Antiochiam venerant, ex quorum numero unus Agabus famem magnam futuram dixit in universo imperio (ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην), quae facta est sub Claudio. Claudii tempore (41.-54.) frequenti fame imperium pressum esse testes nobis sunt scriptores profani; tribus primis regni annis Romae et in Italia fames fuit, anno octavo vel nono in Achaia, anno undecimo iterum Romae, in Iudaea autem magnam famem fuisse, quum Cuspius Fadus et Tiberius Alexander essent procuratores Palaestinae (44.-48.), refert Fl. Iosephus[6]. Agabi autem vaticinio permoti sunt antiocheni Christiani, ut collecta facta fratribus in Iudaea habitantibus eleemosynas mitterent per manus Barnabae et Sauli. Iter hoc secundum hierosolymitanum Paulum suscepisse exeunte a. 43. vel ineunte 44. probabile est non tantum, quia Lucas illud eodem tempore quo mortem Agrippae I accidisse docet, sed etiam quia eleemosynae videntur esse missae ante initium inopiae, quam exeunte a. 44. inchoasse docet Iosephus. Nullum autem Apostolum a Paulo in hoc itinere esse visum, clare innuit S. Lucas, quum eleemosynas ad « seniores » (i. e. presbyteros) esse missas tradat, « seniores » vero ab Apostolis distinguere soleat[7].

At magnam gratiam a Deo in hoc itinere videtur accepisse; sublimis enim illa visio, qua raptus in paradisum audivit arcana verba, quae non licet homini loqui, huic itineris anno est adscribenda. Quemadmodum igitur in primo suo itinere hierosolymitano in templo orans ecstasi dignatus est, ita similem sed maiorem gratiam in secundo itinere, forte iterum in templo orans, accipere meruit[8]. Qua nova gratia Deus

Apostolum suum ad magnos, qui ab eo tempore initium suum ceperunt, labores et passiones praeparare procul dubio voluit.

1. *Gal.* 1, 17. Quomodo concilianda sit Actuum narratio cum Pauli testimonio, diximus *supra* 86. 2.) a. p. 323 sq.

2. *Chrys.* in Gal. 1, 17 (M. 51, 630) Paulum in Arabia Evangelium propagasse censet, et cum eo consentiunt *Theodoret.* (in h. l. M. 82, 468), *Ps. Ambros.* (M. 17, 344) aliique non pauci; at de ecclesiis a Paulo in Arabia fundatis nullum nec in Scriptura nec in traditione habetur vestigium. Quemadmodum primi Apostoli per tres annos cum Domino in terris agente versati et ab eo ad apostolicum munus sunt praeparati, ita videtur Paulus per tres annos in solitudine a Domino in coelum exaltato ad idem munus esse institutus. Bene *Reischl* (in *Act.* 9, 22) : « Was für die früheren Apostel die drei Jahre ihres Wandels mit dem sichtbar und leiblich gegenwärtigen Herrn gewesen, sollte nun für den neuen Apostel der gnadenvolle, mystische und ekstatisch schauende Verkehr mit dem glorreichen Heilande sein : Vorschule und Vorbereitung für das eigentliche Apostelamt ».

3. 2 *Cor.* 12, 32. Damascus ad imperium quidem romanum pertinebat, Aretas autem, Arabiae rex, civitatem creditur occupasse, quum Herodi Antipae, qui ut Herodiadem duceret primam suam uxorem Aretae filiam repudiaverat, bellum inferret. Antipas enim ab Areta devictus in auxilium vocaverat Romanos atque Tiberius Vitellium. Syriae legatum, miserat, ut eum adiuvaret; antequam vero Vitellius exercitum suum coegerat, mortuus est Tiberius (16. Mart. 37. p. Chr.), quare Syriae legatus Antiochiam reversus et paullo post Romam profectus est. Qua occasione usum esse Aretam, ut Damascum occuparet, non improbabilis est coniectura. (Cfr. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XVIII. 5). Alii censent a Caio Caligula Damascum Aretae dono esse datam. Nummos romanos habemus Damasci percussos Augusti et Tiberii, atque iterum Neronis et successorum eius temporibus, sed nullos, qui Caii et Claudii tempore sint facti; ab anno igitur 37. usque ad a. 54. Damascus in Arabum potestate fuisse iure dicitur.

4. *Act.* 9, 26-30; 22, 17-21; *Gal.* 1, 18-21.

5. *Act.* 11, 19-26; *Gal.* 1, 21.

6. *Act.* 11, 27-30. Cfr. *Ioseph.* Antiqu. III. 15, 3, XX. 5, 2. Fadus procurator Iudaeae est missus immediate post mortem Agrippae I. *Ioseph.* Antiqu. XIX. 9, 2.

7. Cfr. *Act.* 15, 2. 4. 6. 22. 23; 16, 4. Cur Paulus *Gal.* 1, 18-2, 1 iter hoc omittat, *supra* iam diximus (cfr n. 88. *n.* 9. p. 333).

8. 2 *Cor.* 12, 2. « Scio hominem in Christo *ante annos quatuordecim* » etc.; secundam autem Corinthiis epistolam secundum probabiliorem sententiam scripsit a. 58. — Cfr. *Act.* 22, 17.

102. — VII. PRIMUM ITER APOSTOLICUM PAULI. Expleto caritatis ministerio Saulus et Barnabas assumto Marco Antiochiam reversi consuetis suis laboribus vacarunt; at iam advenerat tempus, quod praedestinaverat Deus, ut, centro quodam ecclesiarum ethnicochristianarum solide Antiochiae iam fundato, Evangelium late inter gentes spargeret. In conversione Saulo futurum eius inter gentes ministerium praedixerat; clarius idem ei praenuntiaverat in visione, quam in primo itinere hierosolymitano in templo ei ostenderat : « Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te » [1]; num in altero itinere in paradisum rapto de eodem ministerio quidquam ei revelaverit, nescimus. At per pro-

phetas, qui erant in ecclesia antiochena, nunc tandem iussit Spiritus S. segregari Saulum et Barnabam ad opus, ad quod essent assumti; cui mandato obsecuti Saulus et Barnabas episcopi consecrantur et ad praedicandum Evangelium dimittuntur [2]. Quo anno primum hoc iter apostolicum sint ingressi non omnino constat; non diu autem post eorum reditum illos a Spiritu S. esse electos, Lucae narratio videtur indicare; quare probabilitate non caret eorum opinio, qui a. 45. vel 46. eos Antiochia profectos esse censent.

Una cum Marco, qui eis erat in ministerio, Seleucia, qui Antiochiae erat portus, in Cyprum transfretarunt. Qua in insula, quae Barnabae erat patria, Evangelium annuntiatum quidem erat, sed solis Iudaeis [3]; ipsi autem totam peragrantes a Salamine usque Paphum omnibus tanto cum zelo verbum salutis praedicabant, ut ad ipsum proconsulem Sergium Paulum, qui Paphi residebat, eorum fama perveniret. Quare illos accersivit desiderans audire verbum Dei, et quum « Saulus, qui et Paulus, repletus Spiritu S. », Elymam magum, qui ei resistebat et proconsulem a fide avertere conabatur, unico verbo oculis orbasset, proconsul « credidit admirans doctrinam Dei ». (*Act.* 13, 4-12.)

A Papho Paulus cum sociis suis Pergen Pamphyliae navigavit, indeque, quum Marcus ab illis sese separasset ut Ierosolyma reverteretur, cum Barnaba perrexit Antiochiam Pisidiae. Sabbatho synagogam ingressus Paulus longa oratione Iesu resurrectionem ita demonstravit, ut multi Iudaei et proselytae fidem reciperent. Invitatus, ut insequente sabbatho iterum ad populum verba faceret, fere totam urbem congregatam invenit gentilibus quoque ad eum audiendum confluentibus. Quod quum aegre ferrent Iudaei, Paulus et Barnabas illis relictis ad gentiles sese converterunt et per universam regionem Evangelium sparserunt, donec persecutione ab infidelibus Iudaeis excitata Pisidiam relinquere sint coacti (13, 13-52). Itaque Iconium profecti, Lycaoniae oppidum non ignobile [4], iterum primum Iudaeis Evangelium obtulerunt, sed simul etiam ethnicis; nec sine uberrimo fructu, ita ut « crederet Iudaeorum et Graecorum copiosa multitudo »; at hinc denuo Iudaeorum infidelium, qui eos lapidare voluerunt, odio eiecti totam Lycaoniam circuierunt. Lystris claudo sanato tantam admirationem excitarunt, ut gentiles eos velut deos colere vellent; paullo post vero Iudaei Antiochia et Iconio advenientes animos populi ita mutarunt, ut Paulum lapidarent et pro mortuo extra urbem relinquerent. A discipulis autem adiutus in civitatem rediit et postridie cum Barnaba Derben est profectus, quae alia est Lycaoniae civitas. Quamprimum ibi quoque ecclesiam fundarunt, eadem qua venerant via per Lystra, Iconium, Antiochiam Pisid. revertentes ubique presbyteros constituerunt, atque Pisidia et Pamphylia transactis Attaliae navem conscenderunt, ut An-

tiochiam navigarent, « unde erant traditi gratiae Dei in opus, quod compleverant » (14, 1-25).

Quantum temporis primum hoc iter apostolicum duraverit, S. Lucas non tradit; omnibus autem quae narrat perpensis triennium vel quadriennium ei attribuendum arbitramur. Quo tempore uberrimos quidem fructus collegerunt; praeter Cyprum enim tres magnae terrae, Pamphylia, Pisidia, Lycoania[5] (quibus ex *Act.* 15, 36. 41. addenda Ciliciae pars videtur) magna ex parte Evangelium assumserant. At magnas quoque et graves persecutiones in itinere hoc pertulerat Apostolus, ita ut, quum versus vitae finem i. e. plus viginti annis post, Timotheo omnia, quae passus erat, in memoriam revocare vellet, illa praeprimis ei occurrerent, « quae facta ipsi essent Antiochiae, Iconii et Lystris » (2 *Tim.* 3, 11).

1. *Act.* 9, 15; 22, 15; 28, 16 sqq.; 22, 21.

2. Impositas esse manus Paulo et Barnabae, ut episcopi consecrarentur, innuit iam *S. Chrys.* in Act. hom. 27, 1. 2, et diserte docet *S. Leo M.* ad Diosc. ep. 11, 2 (M. 54, 625 sq.). Inter iuniores scholasticos et interpretes quaestio haec controvertitur; de impositione mere precatoria sermonem esse asseruerunt *Caiet.* (i. h. l.), *Est.* (i. h. l.), *Suar.* (in III. disp. 34. sect. 1.) aliique; de vera autem ordinatione intelligunt *Bellarm.*, *Salmer.*, *Petav.*, *Lorin.*, *a Lap.* et moderni interpretes tantum non omnes, idque recte, quia in N. T. manuum impositio, si illam excipis, qua Dominus pueris benedixit, nunquam est mere precatoria, sed ad gratiam vel temporalem vel spiritualem *conferendam* adhibetur; praeterea manuum impositioni praemissae sunt preces et ieiunia; cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 232 *n.*

3. *Act.* 4, 39; 11, 19.

4. *Xenoph.* Anab. I. 2, 19 Iconium Phrygiae, *Strabo* XII. 568 et *Cic.* ad fam. XV. 4 et *Plin.* H. N. V. 25 Lycaoniae, *Ammian. Marc.* XIV, 2. demum Pisidiae civitatem appellant.

5. Maior terrarum pars, quibus in hoc itinere Paulus Evangelium attulit, eo tempore ad provinciam romanam *Galatiae* pertinebat. Cfr. *Renan* St Paul p. 49 : « La province qui portait le nom de Galatie dans la nomenclature officielle (Romanorum), au moins sous les premiers césars, comprenait certainement : 1° la Galatie proprement dite, 2° la Lycaonie (Dio Cass. LIII. 26; cfr. Plin. H. N. V. 25, 42), 3° la Pisidie (Strab. XII. 6, 5; cfr. *Mommsen* Res gestae divi Augusti p. VII.), 4° l'Isaurie (Plin. H. N. V. 23; *Le Bas* Inscript. III. 1385 *bis*), 5° la Phrygie Montagneuse avec ses villes d'Apollonie et d'Antioche (*Henzen* Inscript. 6912 etc.) »; *W. M. Ramsay* The church in the Roman empire 1893. p. 13 sqq. et The Galatia of St. Paul and the Galatic territory of the Acts. (in Studia bibl. et eccles. Oxford 1896. p. 15-57). — De regni galatici in provinciam romanam conversi extensione cfr *Strab.* XII. 5. 6. 7; XIV. 5. 6.

103. — VIII. De dissidio propter legis observationem Paulum inter et Iudaeochristianos exorto[1]. Antiochiam Syriae reversi Paulus et Barnabas « tempus non modicum », i. e. aliquot, ut videtur, annos, cum discipulis morati consuetis suis laboribus vacaverunt, usque dum fratres nonnulli ex Iudaea advenientes, quum ab Ethnicochristianis Legem non observari viderent, vehementem seditionem contra duos

Apostolos excitarunt. Iudaeochristiani enim hierosolymitani, qui omnes erant « aemulatores Legis » (21, 20), quamquam a Petro Cornelium centurionem eiusque familiares non circumcisos in Ecclesiam esse admissos admissionemque hanc a reliquis Apostolis approbatam esse non ignorarunt, dispensatione tamen quadam extraordinaria primos illos ethnicos gavisos esse putaverunt, reliquos autem baptizari non posse, nisi prius circumcisione suscepta ad totam Legem observandam sese obligassent. Admirati igitur, quod antiocheni Christiani Legem non observarent, eosque a vera fide aberrasse rati necessitatem circumcisionis proclamarunt, Paulo et Barnaba contra defendentibus libertatem fidelium, qui ex ethnicis crediderant. Ut quaestio haec deciderétur, decreverunt Antiocheni (probabiliter a propheta quodam moniti [2]), ut Paulus et Barnabas cum quibusdam aliis, inter quos erat Titus, Ierosolyma ascenderent Apostolos consulturi.

Antiochia profecti lento itinere « pertransibant Phoenicen et Samariam narrantes conversionem gentium et faciebant gaudium omnibus fratribus »; neque enim omnes Iudaeochristiani errore isto, quo perturbatores illi, imbuti erant. Utpote publici ecclesiae antiochenae legati sollemniter recepti sunt (ἀπεδέχθησαν) ab Apostolis Petro, Iacobo Min., Ioanne et a presbyteris hierosolymitanis; quoniam aliorum Apostolorum nomina nec a Luca nec a Paulo commemorantur, definiri nequit, utrum concilio interfuerint necne. In ipsa autem sua sollemni receptione, quando vix narrare inceperant, « quanta Deus fecisset cum ipsis », oppositionem iam invenerunt Paulus et Barnabas, surgentibus nonnullis de haeresi Pharisaeorum, qui necessitatem circumcisionis asserebant atque Titi quoque, quem incircumcisum Paulus secum assumserat, magna cum contentione postulabant. Cui postulationi vehementissime resistente Paulo « convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc ». (*Act.* 15, 4-6; *Gal.* 2, 3-5). In privato hoc Apostolorum presbyterorumque conventu, cuius acta paucis exhibet ipse Paulus (*Gal.* 2, 6-10), approbata est eius doctrina, quam deinde in publica sessione (*Act.* 15, 7-29) Petrus coram tota Ecclesia veram esse demonstravit ex eo, quod Deus, quum Spiritum S. ethnicis conversis eodem modo, quo Iudaeochristianis, dedisset, nullum discrimen inter utrosque adesse ostendisset. Petri orationem miraculis narratis, quae Deus per ipsorum manus inter gentiles esset operatus, Paulus et Barnabas confirmaverunt; Iacobus autem eandem sententiam antiquis vaticiniis conformem esse ostendit, atque a dogmate ad disciplinam transgressus Legem quidem ethnicis conversis imponendam esse negavit, censuit autem illis iniungenda esse quaedam, quibus simul et virtutem abstinentiae exercerent atque ea removerent, quae intimiorem eorum cum Iudaeochristianis coniunctionem impediebant. Quare proposuit, ut

ab idolothytis, a sanguine et suffocato, et a fornicatione (i. e. a matrimoniis cum consanguineis[3]) abstinere ethnici conversi iuberentur.

Omnibus igitur consentientibus in eam formam latum est decretum, duoque viri « primi in fratribus », Iudas Barsabas et Silas, electi sunt, qui cum Paulo et Barnaba Antiochenis sententiam ab Apostolis datam promulgarent, pacem ecclesiae perturbatae restituerent, iudaizantesque fratres compescerent. Magno cum gaudio legati hierosolymitani ab ecclesia antiochena recepti aliquamdiu Antiochiae commorati sunt omnes exhortantes et in fide confirmantes.

Paullo post Petrus quoque ipse eandem ecclesiam videtur visitasse atque cum gentilibus conversis gentiliter quoque vixisse neglectis Legis praeceptis ritualibus. Quod quum Iudaeochristiani quidam, qui Ierosolymis venerant, aegre ferrent, Petrus ne illis, quorum cura ei speciali modo concredita erat (*Gal.* 2, 9), scandalo esset, ab Ethnicochristianorum societate et conversatione abstinuit exemploque suo alios quoque Iudaeos conversos atque ipsum Barnabam, ut eodem modo agerent, permovit. Paulus vero, cui persuasum erat, hac ratione unionem Ecclesiae destrui et ethnicos a fide absterreri, libere Petrum reprehendit atque Christi morte non pro solis ethnicis sed etiam pro Iudaeis obligationem Legis ablatam esse ostendit[4].

1. Cfr. *Act.* 15 et *Gal.* 2. De utriusque relationis consensu cfr. *supra* 88 p. 321 sqq.

2. *Gal.* 2, 2. « Ascendi secundum revelationem ». Num revelatio haec per prophetas facta sit toti ecclesiae antiochenae (cfr. *Act.* 13, 1 sqq.), ut ab Apostolis solutionem difficultatis exortae peterent, an immediate soli Paulo, ut legationem ab ecclesia antiochena ei impositam admitteret, non satis liquet.

3. Cfr. *supra* 88 n. 11 p. 334. De praeceptis his accuratius agendum est in exegesi; ad sensum, quem voci « fornicationis » attribuimus, quod attinet cfr *Commentar.* in 1 Cor. 1890. p. 119. sqq. Quam odiosa Iudaeis coniugia fuerint inter consanguineos, satis intelligitur ex *Levit.* 18, 26. 27.

4. *Gal.* 2, 11, sqq. Tempus quidem, quo Petrus Antiochiam venerit, Paulus non tradit. Post Concilium apostolicum vero eum illuc venisse satis apparet ex eo, quod Apostolus in illa epistolae suae parte ordinem chronologicum teneat. Quando autem ex secundo itinere redux Paulus « aliquantum temporis » Antiochiae commoratus est (*Act.* 18, 22 sq.), Barnabas sese ab eo iam separaverat. Quare brevi post Concilium haec accidisse fere certum est; cfr *Comm.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 440 sq. — De anno concilii cfr *supra* n. 93. p. 343; de tota legalium quaestione *infra* n. 113. p. 385 sqq.

104. — IX. De secundo itinere apostolico Pauli. (*Act.* 15, 35-18, 22). « Aliquot diebus », postquam Iudas Barsabas Ierosolyma reversus est, Paulus Barnabae proposuit, ut ecclesias in primo itinere fundatas visitarent; quoniam vero Barnabas Ioannem Marcum, qui in priore expeditione eos deseruerat, itineris socium adhibere voluit, exorta est dissensio inter eos, atque Barnabas cum Marco profectus est in Cyprum, Paulus autem electo Sila prius quidem ecclesiis Syriae et Cili-

ciae decretum Apostolorum attulit, deinde in provinciam Galatiae progressus Derben et Lystram pervenit, quousque prior eius expeditio sese extenderat. Novum ibi assumsit socium Timotheum quem ex patre gentili et matre iudaica procreatum circumcidit « propter Iudaeos, qui erant in illis locis », ut faciliorem scilicet accessum haberet ad Iudaeos nondum conversos. Postquam ecclesiis iam antea fundatis decreta Apostolorum et seniorum dedit, ulterius progressus est in septemtrionalem provinciae Galatiae partem, quoniam a Spiritu prohibitus erat, quominus in provincia Asia praedicaret[1]. Perambulabat igitur cum sociis Phrygiam et Galatiam proprie dictam, quumque a Spiritu a Bithynia quoque arcerentur, per Mysiam descenderunt Troadem, qua in civitate Lucas sese eis adiunxit.

Troade Apostolus divina visione invitatus, ut Macedonibus Evangelium afferret, statim cum sociis in Europam transfretavit, atque Philippis, in quam primam ex civitatibus Macedoniae pervenit, satis diu commoratus primam suam in Europa ecclesiam fundavit, quae ex Iudaeis, proselytis et ethnicis coaluit. Accusatus autem, quod ex pythonissa quadam daemonium eiecerat, una cum Sila flagellatus et in carcerem iniectus, at divinitus vinculis solutus custodem carceris cum tota eius familia ad fidem convertit, et postridie a magistratibus, quibus civem romanum se esse manifestaverat, honorifice dimissus cum Sila Thessalonicam profectus est, Timotheo et Luca relictis, ut novam ecclesiam gubernarent[2]. Thessalonicae paucis hebdomadibus alteram ecclesiam fundavit, sed Iudaeorum persecutione expulsus Beroeam venit, ubi Timotheus iterum se ei adiunxit. Uberrimos ibi fructus collegit, usque dum Iudaei thessalonicenses Beroeam advecti multitudinem excitarent eumque ad fugam cogerent.

Solus igitur profectus est Athenas, quo Silam et Timotheum ad se accersivit quidem, sed mox iterum in Macedoniam amandavit, ut neophytorum curam ageret. Ipse interea et in synagoga Iudaeis proselytisque et in foro ethnicis Evangelium annuntiavit, imo coram Areopago quoque Domini resurrectionem demonstravit; quoniam autem, ut videtur, illos, quos speraverat, fructus non invenit, relictis Athenis Corinthum abiit ibique sedem suam fixit. A Sila et Timotheo ex Macedonia reducibus adiutus primum pro more suo Iudaeis, deinde etiam ethnicis Evangelium tam prospero cum successu praedicavit, ut florentissima efformata sit ecclesia. At novae illi plantationi intentus ecclesiis iam fundatis invigilare non cessavit. Per Timotheum enim de statu neophytorum thessalonicensium edoctus illos prima, quam ad ecclesiam aliquam scripsit, epistola consolari et exhortari voluit, alteramque paullo post eisdem scripsit, quoniam priore finem suum plene non attigerat. Neque ecclesias in provincia Galatiae fundatas neglexit. Post

eius enim discessum Iudaeochristiani illi, qui ecclesiam antiochenam perturbaverant, galaticos quoque neophytos ad circumcisionem adigere ausi sunt, neque omnino ad irritum ceciderunt eorum conatus; quare gravissima epistola ecclesias Galatiae ad veram fidem revocare coactus est[3].

Fieri autem non potuit, ut laetissima nascentis ecclesiae corinthiae incrementa Iudaeos incredulos, infensissimos Evangelii hostes, non irritarent : mirum ergo non est, quod Corinthi Apostolum eodem modo, quo in Macedonia, sint persecuti, eumque velut legum romanarum transgressorem coram Gallione, Achaiae proconsule, accusaverint. At frustra; extra culpam enim Paulum esse iudicavit proconsul, neque ei curae fuit, quod Apostoli accusator a plebe ante tribunal percuteretur. Paulus autem, ut vehementem seditionem sedaret, ad tempus Corinthum relinquendam ratus novam apostolicam expeditionem usque in provinciam illyricam suscepit[4]. Ex qua Corinthum reversus iterum « multos dies » ibi commoratus cum Aquila et Priscilla, apud quos Corinthi diverterat, profectus Ephesum pervenit, ubi illi quidem remanserunt, ipse autem iter continuavit Ierosolyma, indeque salutata ecclesia tandem reversus est Antiochiam.

Quantam praedam in longa hac expeditione, quae tres saltem annos (ab aestate 51. usque ad auctumnum 54.) absumsit, Apostolus fecerit, ex paucis, quae diximus, satis illucescit. Ecclesias in priore itinere in duabus provinciis imperii romani, Cilicia et Galatia, fundatas in fide confirmaverat, atque in tres novas provincias, Macedoniam, Achaiam, Illyriam, Evangelium intulerat.

1. *Plinio* (H. N. V. 28) teste provinciae Asiae fines tempore Augusti ab Agrippa ita sunt constituti, ut ab Oriente haberet Phrygiam et Lycaoniam, a meridie mare aegyptiacum, ab Occidente mare aegeum, a septemtrione Bithyniam. Apostolus igitur, quum a Spiritu in hac provincia verbum Dei annuntiare et in provinciam Bithyniam intrare prohiberetur, ex provincia Galatia per Mysiam, quae septemtrionalis est pars provinciae Asiae, ad mare aegaeum ductus est, quia Europae occidentali primus Evangelium afferre debuit.

2. Accuratiora de ecclesiarum fundatione *infra* trademus, ubi de epistolis ad eas scriptis erit dicendum.

3. Plerique quidem epistolam ad Galatas Ephesi in tertio itinere scriptam esse censent; cur ab hac sententia recedamus, *infra* (130. 134. p. 417 sqq. 429) dicemus.

4. S. Paulum « usque ad Illyricum » Evangelium praedicasse constat ex *Rom.* 15, 19; illyricum autem iter a Luca non commemoratum nullibi aptius, quam *Act.* 18 inter v. 17. et 18. inseri potest. Quemadmodum enim *Act.* 9, 19. 23 duae commorationes damascenae discernuntur (« dies aliquot », « dies multi »), inter quas iter arabicum Pauli inserendum est, ita hoc loco duae commorationes corinthiae distinguuntur (per « annum et sex menses » et per « dies multos »). Praeterea Paulus, antequam alteram ad Corinthios epistolam scripsit, bis iam Corinthum advenerat (2 *Cor.* 12, 14; 13, 1); unum solum autem iter a Luca commemoratur, nam illud, de quo *Act.*

18, 1 ; 20, 2 sermo est, omnibus fatentibus secunda epistola ad Cor. est posterius illudque idem, quod velut tertium annuntiat Paulus. Quare iter illud illyricum a Paulo in eius secunda expeditione esse susceptum asserere non dubitamus. Longe minus enim probabilis videtur esse eorum sententia, qui triennio illo, quod tertiae expeditionis tempore Ephesi sedit, Paulum excursionem in Achaiam fecisse putant.

105. — X. De Pauli tertio itinere apostolico (*Act.* 18, 23-21, 15). Hiemem a. 54. Antiochiae peregit Apostolus, ineunte autem a. 55. tertio itinere suscepto primum illas ecclesias visitavit, quas in primo itinere in provincia Galatia fundaverat, « confirmans omnes discipulos ». Eodem tempore Aquila et Priscilla, quos Ephesi reliquerat, ibi Alexandrinum quendam, Apollo (Apollonium) nomine, virum eloquentem et in Scripturis potentem, qui solo baptismate Ioannis recepto imperfecte dumtaxat viam Domini cognoverat, diligentius doctrinam christianam docuerant eumque, quum in Achaiam proficisci vellet, ecclesiae corinthiae commendaverant, in qua magno cum fructu laboravit. Peragratis autem Phrygia et Galatia Paulus ipse quoque Ephesum pervenit, ibique per tres menses in synagoga docuit, donec nonnullos suis sermonibus magis indurari videret; quare synagoga relicta cum discipulis in scholam cuiusdam Tyranni secedens duobus integris annis tanto cum successu Evangelium annuntiavit, ut per totam provinciam Asiam Iudaeis et Graecis bonus nuntius innotuerit. Maximis quoque miraculis Deus Apostoli sui doctrinam confirmavit, atque in tantum eius fama claruit, ut goëtae aliqui iudaici « in nomine Iesu, quem Paulus praedicat » daemonia eiicere sint conati, malo utique cum eventu, quum ipsi a daemonibus vulnerarentur.

Interea Apollo Corintho Ephesum reversus erat, atque paullo post Paulus per domesticos Chloës dissensiones inter fideles corinthios esse exortas audivit; quapropter Erastum et Timotheum in Macedoniam mittens Timotheo iniunxit, ut Corinthios quoque visitaret (1 *Cor.* 4, 17; *Act.* 19, 22). Mox autem per eorum legatos de ecclesiae statu certior factus epistolam illam scripsit, quae 1 *Cor.* vocari solet[1]. Post legatorum discessum Titum misit, qui videret, quemnam fructum epistola sua tulisset, et Troadem ad se rediret (2 *Cor.* 2, 13). Usque ad pentecostem enim Ephesi remanere ac deinde per Macedoniam in Achaiam proficisci sibi proposuerat. Quominus autem propositum exsequeretur, impeditus est seditione contra ipsum a Demetrio argentario excitata. Qui Evangelio in dies magis propagato commercium suum idolorum diminui intelligens artificibus suis persuasit, ut Paulum ex urbe expellerent. Magnus igitur factus est tumultus, Pauli comites comprehensi et in theatrum rapti, ipse a discipulis impeditus, ne se iratae multitudini offerret. Magistratus quidem prudentia seditionem sedavit, Paulus autem consultius duxit iter suum statim ingredi, ne novo periculo eccle-

siam ephesiam obiiceret. Quamobrem factum est, ut Troadem adveniens Titum nondum inveniret; valde autem de Corinthiorum statu inquietus bona occasione, quae se ei obtulit Troade praedicandi, uti noluit, sed in Macedoniam transfretavit atque Philippis, ut videtur, obviam habuit Titum bonos nuntios afferentem (2 *Cor.* 2, 12 sq.; 7, 5 sq.). Nihilominus, antequam ipse Corinthum veniret, altera epistola fideles praeparare voluit. Titum igitur una cum duobus fratribus Corinthum reverti iussit, ut epistolam deferrent atque in Achaia pro ecclesia hierosolymitana collectas facerent, quemadmodum eas in Galatia et Macedonia faciendas curaverat (1 *Cor.* 16, 1; 2 *Cor.* 8. 9.). Perlustratis autem Macedoniae ecclesiis secutus est discipulos suos atque Corinthi tres menses consedit.

Ephesi iam proposuerat Apostolus ex Achaia recta via in Palaestinam proficisci, ut deinde Romam et in occidentales partes Europae proficisceretur; quoniam vero Romanis incognitus erat, viam sibi patefecit epistola, quam Corintho ad eos scripsit[2]. Verum ab Iudaeis insidias struentibus impeditus, ne recta via in Syriam navigaret, per Macedoniam reverti coactus est. Philippis sibi iterum adiunxit Lucam, quem in secundo itinere ecclesiae nascenti praesidem reliquerat, qui vero ab hoc tempore individuus eius socius factus est. Paucis diebus Troade peractis, ubi iuvenem e fenestra prolapsum a mortuis resuscitavit, cum sociis suis Miletum venit; quo presbyteros ephesios ad se advocavit, ut monitis ad futura pericula eos praepararet iisque valediceret; « vincula enim et tribulationes sibi Ierosolymis manere » optime sciebat. Mileto profectus felici cursu Tyrum ac deinde Caesaream pervenit. Utroque in loco Spiritus manifestavit Paulum Ierosolymis a Iudaeis ligatum iri, quare discipuli multis precibus eum rogabant, ne in civitatem sanctam ascenderet. At ille non tantum ad vincula, sed ad mortem quoque propter nomen Domini Iesu subeundam paratum se professus cum sociis Ierosolyma iter properavit.

1. Rectius vocatur *secunda*, quum prior quaedam, quae interiit, iam praecessit. Cfr. *infra* 109. p. 377 sq.

2. Cfr *Rom.* 15,23 sqq. cum *Act.* 19, 21; 1 *Cor.* 16, 1 sqq.; 2 *Cor.* 8. 9. — De Pauli in scribenda ep. ad Rom. consilio cfr *Comm.* in ep. ad Rom. 1896. p. 9 sqq.

106. — XI. De prima Pauli captivitate. (*Act.* 21, 15-28, 31). Iudaei infideles, quos ubique hostes suos invenerat Paulus, etiam Ierosolymis iam ante eius adventum falsos de eo rumores sparserant atque ipsos Christianos hierosolymitanos contra eum excitare erant conati, ac si Iudaeochristianos Legem suam antiquam observare vetasset. Ideo Iacobus auctor ei fuit, ut vix urbem ingressus voto in templo soluto se Legem non aspernari publice demonstraret. Quod consilium secutus Pau-

lus quatuor viros, qui naziraeatus voto sese ligaverant, assumsit, ut pro illis sacrificii praescripti sumtus faceret. Ultimo autem purificationis die, quo oblationes offerendae erant, a Iudaeis quibusdam asianis in templo recognitus et accusatus, quod ethnicos in templum introduxisset, magnum, etsi innocens, provocavit tumultum; ex templo abreptus maximo in mortis periculo versabatur, quum a tribuno liberatus et in castra romana abductus est, postquam frustra oratione multitudinem sedare conatus est; quamprimum enim se a Deo ad gentes missum esse asseruit, multo magis quam antea tumultuari coeperunt Iudaei. A tribuno, cui se civem romanum esse declaraverat, satis benigne tractatus postridie coram synedrio sistitur, ut causam diceret; videns autem se iustum iudicium non esse habiturum stratagemate usus se de resurrectione mortuorum iudicatum iri exclamavit; unde inter synedrii membra, Pharisaeos et Sadducaeos, vehemens exorta est disceptatio, et re infecta Paulus in castra rediit. Interea coniuraverunt Iudaei, ut per insidias eum occiderent; at per filium sororis Apostoli consilium funestum tribuno patefactum est, quare eum per noctem Caesaream ad procuratorem Felicem deducendum curavit.

Quinque diebus post Ananias, summus sacerdos, cum presbyteris nonnullis et Tertullo oratore Caesaream descendit, ut Paulum coram procuratore accusaret; sed irriti fuerunt eorum conatus, nam ea, quae protulerunt, probare non potuere. Nihilominus Felix Paulum in custodia retinuit sperans se pecuniam ab eo accepturum. Integrum biennium Caesareae peregit Apostolus; quo expleto Felix successorem habuit Festum. A novo procuratore facilius se Pauli condemnationem obtenturos esse sperantes Iudaei rogaverunt, ut Ierosolyma adduceretur; quibus precibus non cessit Festus insidias ab illis strui recte suspicatus, sed Caesaream eos descendere iussit, ut coram se causam agerent. Iterum accusationes suas probare frustra conati sunt principes Iudaeorum, at Paulus, ut tandem aliquando res finiretur, Caesarem appellavit et Festus eum Romam ad Caesarem mittendum esse iudicavit. Antequam autem iter ingrederetur, occasio ei oblata est, ut coram Herodis M. pronepote, Agrippa II., eiusque sorore Berenice, Evangelium annuntiaret.

Versus auctumnum a. 61. Paulus cum aliis captivis traditus est centurioni Iulio, ut Romam duceretur; Apostolum comitati sunt Lucas aliique discipuli. Iter satis infelix fuit; diu in mari huc illuc iactati et in insula Melitensi facto naufragio hiemare coacti non nisi vere 62. Romam advenerunt. Romae in custodia libera detinebatur Paulus, atque in privata domo cum milite custode habitans consuetis suis occupationibus vacavit. Neque enim unquam muneri suo defuit; tertio iam post adventum die ad se convocavit primos Iudaeorum, ut quam ob

causam Caesarem appellasset eis exponeret occasionemque obtineret Evangelii eis annuntiandi. At die statuto Iesum esse Messiam eis persuadere frustra conatus nihil aliud assecutus est, nisi ut inter se Iudaei disceptarent. Quare ad ethnicos se convertere maluit et per biennium « suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans regnum Dei et docens quae sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione ». Neque eodem tempore ecclesiarum a se fundatarum curam neglexit; in continuo enim cum illis commercio eum fuisse epistolae hoc biennio ad Philippenses, Colossenses, Philemonem, Ephesios scriptae demonstrant, ex quibus etiam elucet, eum per discipulos, quos ad eas misit, ecclesias in fide semper confirmasse. Imo etiam ad ecclesias speciali eius curae non commissas sollicitudo eius apostolica videtur se extendisse; biennio enim illi probabiliter epistola ad Hebraeos adscribenda est.

107. — XII. De ultimis Pauli annis nihil nobis tradit Lucas, qui biennio captivitatis romanae commemorato narrationem suam abrumpit nec quisnam causae exitus fuerit, ullo modo indicat. Unde quaestio exorta est, num captivitatem illam Apostolus martyrio terminaverit, an e custodia liberatus expeditiones suas apostolicas per aliquot annos continuaverit. Quam alteram sententiam pro certa admittendam censemus, atque Patrum testimoniis nixi Paulum post priorem captivitatem alia itinera apostolica in Occidentem et in Orientem suscepisse atque demum a. 67. in secunda captivitate Romae martyrium passum esse tenemus. « Quum causam suam, inquit *Eusebius*, apud iudices perorasset, rursus praedicandi causa profectus esse perhibetur (λόγος ἔχει), posteaque Romam secunda vice reversus vitam martyrio terminasse »[1].

Aestate a. 64. Nero, quum incendio magnam Urbis partem delevisset, ut suspicionem a se averteret, criminis abominandi Christianos accusavit magnamque contra eos excitavit persecutionem. Quod si Paulus eo tempore captivus Romae adfuisset, mortem nulla ratione effugisset; una enim ex Iudaeorum accusationibus fuit, quod Christianorum esset caput (πρωτοστάτης *Act.* 24, 5). Atqui Paulum eodem die eodemque anno, quo Petrum, anno sc. 14. Neronis, qui annus est 67. p. Chr., vitam finivisse diserte tradit *S. Hieronymus*[2] confirmantque reliqui Patres. « Sub praefectis » enim passum esse Paulum iam asserit *S. Clemens Rom.*, atque revera a. 67. Nerone in Achaia degente Tigellinus et Nymphidius, praefecti praetorio, in Urbe omnia gubernarunt[3], atque *Eusebius* quoque annum 14. Neronis morti principum Apostolorum assignat[4].

Praeterea extra dubium est, quin Paulus iter apostolicum in Hispaniam, quod paullo antequam Ierosolymis in vincula coniectus est sibi

proposuerat (*Rom.* 15, 24. 28), revera suscepit. Id enim non tantum iuniores Patres, *SS. Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus,* alii testantur[5], sed assertionis huius duos testes citare possumus omni exceptione maiores, auctorem *fragmenti Muratoriani* et *S. Clementem Rom.*[6]. Quomodocunque enim fragmenti textus corruptus restituendus censetur, illud certissimum est, medio saec. 2. in ecclesia romana neminem de « profectione Pauli ab Urbe ad Hispaniam proficiscentis » dubitasse. Neque id mirum, siquidem plus quinquaginta annis antea Clemens Romae scribens asseruerat, Paulum « usque ad Occidentis terminum » (ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως) venisse; perspicuum autem est, expressione « termini Occidentis » aliam terram praeter Hispaniam a romano scriptore, qui Romae scripsit, intelligi non potuisse.

Demum accedit, quod haud pauca, quae in epistolis ad Timotheum et Titum commemorantur, aptam explicationem non admittant, nisi Paulum ex priore captivitate liberatum alia itinera in Oriente suscepisse dicamus. Sed de hoc argumento recurret sermo[7].

Verno igitur tempore a. 64. Paulus causam suam peroravit atque ab accusatione liberatus statim in Hispaniam profectus est. Quamdiu ibi sit commoratus quosque fructus praedicatio eius tulerit, ignoramus. Probabile autem est, eum eodem iam anno in Orientem esse reversum atque primum Cretae Evangelium annuntiasse, qua in insula reliquit Titum (*Tit.* 1, 5). Peragrata Creta ecclesias in Asia fundatas visitavit[8]; Epheso in Macedoniam proficiscens Timotheum, ut Ephesi remaneret, rogavit (1 *Tim.* 1, 3), nec diu post ex Macedonia discipulo suo priorem epistolam scripsit, in qua cito se Ephesum reversurum promittit (1 *Tim.* 3, 14.). Revera alterum iter in Asiam videtur fecisse, unde iterum per Miletum in Macedoniam et Graeciam profectus Titum invitavit, ut Nicopolim (in Epiro) ad se veniret (*Tit.* 3, 12). Corinthi deinde *S. Dionysio,* Corinthiorum episcopo, teste S. Petrum invenit cum eoque Romam profectus est. In Urbe iterum in vincula coniectus ultima sua epistola Timotheum ad se invitavit, atque ibidem una cum S. Petro a praefectis praetorio Tigellino et Nymphidio (vel a Neronis amicis Helio et Polycleto) ad mortem damnatus die 29. Iunii a. 67. capitis obtruncatione gloriosam martyrii palmam obtinuit.

1. *Euseb.* H. E. II. 22. (M. 20, 193)

2. *S. Hier.* de vir. ill. 5 (M. 23, 617) : « Hic ergo 14. Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romae capite truncatur sepultusque est in via Ostiensi anno *post passionem Domini tricesimo septimo* ». Quum passus sit Dominus Geminis Coss. i. e. a. 29., annus 14. Neronis est 38. post passionem. — De vir. ill. 12 (M. 23, 629) Seneca dicitur a Nerone interfectus « ante biennium, quam Petrus et Paulus coronarentur martyrio »; sed teste *Tacit.* Ann. XV. 48 Seneca occisus est Silio Nerva et Attico Vestino coss., i. e. a. 65.

3. *S. Clem. Rom.* 1 *ad Cor.* 5. (Paulus) δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τόν κόσμον καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη. Cfr. *Windischmann* Vindiciae Petrinae. Mogunt. 1836. p. 64.

4. *Euseb.* Chron. ex interpret. Hier. (M. 27, 589); in altera tamen Chronici editione inter Eusebii opera indicatur a. 13. Neronis (M. 19, 544 et 648). Ceterum haec quaestio ab historiographis agitatur. Cfr. Emin. *Bartolini* Sopra l'anno 67 dell' era volgare, se fosse quel del martirio de' gloriosi Apostoli. Roma 1868; *Gams* Das Iahr des Martyrertodes der Apostel. Regensb. 1867; Emin. *Hergenroether* Kirchengeschichte. Edit. 3. Freiburg 1884. p. 110 sq. et opera ibi allegata.

5. *S. Hier.* in Is. 2, 10 (M. 24, 151); *S. Athan.* ad Dracont. 4. (M. 25, 528); S. *Epiphan.* haer. 27, 6 (M. 41, 373); *S. Chrys.* in 2 Tim. hom. 10, 3 (M, 62, 659); *Theodoret.* in 2 Tim. 4, 17. (M. 82, 856).

6. *Fragm. Murat.* 37. 38 (*Intr. gen.* Ed. 2. p. 183; *S. Clem. Rom.* 1 *Cor.* 5. — Argumenta haec vel ipsum Renan permoverunt, ut liberationem Apostoli ex primis vinculis eiusque iter in Hispaniam concederet, quamvis in eo sit hallucinatus, quod a. 63. liberatum et a. 64. morte affectum Apostolum dicat (*Renan* L'Antechrist. Paris 1873. p. 104 sqq.). Alios protestanticos et rationalisticos interpretes, qui duplicem romanam captivitatem Pauli distinguunt, enumerat *Meyer Weiss* (Krit. exeg. Comm. IV. Ed. 7. 1886. Roemerbr. p. 15. sq.); eam fuse defendit *Huther* (in Meyer's comm. XI. Ed. 3. p. 30 sqq.), minus confidenter *Weiss* (in istius Comm. ed. 5. 1886. p. 55 sqq.).

7. Cfr. *infra* 185. 189. 193.

8. Apostolum post liberationem suam ex primis vinculis in Orientem non amplius esse reversum, concludunt nonnulli ex *Act.* 20, 25 « Et nunc ecce, ego scio, quia non amplius videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei ». At verba haec argumento esse in eo solo casu possent, si ex revelatione essent prolata; revelationem autem de hac re Apostolum non habuisse ex epistolis eius constat. Ex primis enim vinculis scribit Philippensibus, se cito ad eos esse reversurum (*Phil.* 2, 24) atque Philemonem Colossensem rogat, ut hospitium sibi paret (*Philem.* 22), quae certo scribere ei non licuisset, si ex revelatione scivisset, se ad orientales suas ecclesias non esse reversurum. Alio modo idem ex verbis illis deducere conantur rationalistae : « *Act.* 20, 25 exclut tout retour de Paul dans les pays qu'il avait visités. L'auteur des *Actes* connaissait bien la suite de la vie de Paul, et ne lui eût pas prêté un langage erroné » (*Renan* L'Antechrist. p. 105; cfr. *Eiusdem* S. Paul p. XLVI et 560). At Lucas, fidelis historicus, verba illa retulit, quae Paulus presbyteris ephesiis dixerat; praeterea Actus conscripti sunt, antequam Paulus ex vinculis est liberatus, secus enim necessario auctor aliquid de causae exitu addidisset; verba autem erronea utique eatenus sunt, quatenus Paulus velut certam persuasionem expressit, quae ex probabili tantum coniectura hausit.

108. — Schemate chronologico ea, quae de vita Pauli diximus, proponemus.

A. (3. p. Chr.) nascitur Paulus Tarsi in Cilicia.

(15.) Duodecim annos natus Ierosolymis ad pedes Gamalielis Legis studio vacare incipit.

33. Neci S. Stephani protomartyris consentit Christianosque hierosolymitanos vehementer persequitur (*Act.* 7,53; 8,3).

34. Literis a summo sacerdote impetratis Damascum proficiscitur, ut ibi quoque Christianos persequatur, sed in itinere apparitione Domini ad fidem convertitur (*Act.* 9,1-21).

34-37. In Arabiam se recipit (*Gal.* 1,17).

37. Damascum reversus, quum Iudaeos refutaret, fugere cogitur atque Ierosolyma proficiscitur, ut Petrum videat. (1. *iter hierosolymitanum.* — *Act.* 9,22-27; *Gal.* 1,18 sq.)

Persecutione Iudaeorum Ierosolymis quoque fugatus (*Act.* 9, 29), sed divina visione de futura sua missione confortatus (*Act.* 22,17-21) in patriam suam Tarsum revertitur (*Act.* 9,30; *Gal.* 1,21).

(39) Petrus primos ethnicos, Cornelium eiusque familiam, in Ecclesiam recipit (*Act.* 10,1 sqq.)

(40) Paullo post Antiochiae quoque ethnici in Ecclesiam recipiuntur (*Act.* 11,19-21);

quo audito Apostoli Barnabam Antiochiam mittunt, qui quum solus labori par non esset, Tarso Paulum sibi adiutorem accersivit (*Act.* 11, 22-25),

43. et cum eo integrum annum Antiochiae Evangelium annuntiat (*Act.* 11,26).

44. Paulus et Barnabas Ierosolyma mittuntur ad eleemosynas deferendas (2. *iter hierosolymit.* — *Act.* 11,27 sqq.); magnam in hoc itinere habuit visionem (2 *Cor.* 12,2).

45. Antiochiam reversi consuetis laboribus inter Christianos vacat (*Act.* 12,24 sq.)

46-49. *Prima expeditio apostolica* in Cyprum, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam (i. e. in provinciam Galatiae) (*Act.* 13,1-14,25).

Reversi « tempus non modicum » Antiochiae iterum praedicant (*Act.* 14,26 sq.).

51. Exorto dissidio de legalium observatione Ierosolyma mittuntur ad Concilium Apostolicum (*Act.* 15,1-34; *Gal.* 2,1-10) (3. *iter hierosolymit.*).

Reversus Paulus reprehendit Petrum, qui ab Ethnicochristianorum commercio se retraxerat (*Gal.* 2,11 sqq.).

51-54. *Secunda expeditio apostolica* (*Act.* 15,35-18,22) in Ciliciam et provinciam Galatiae.

52. In Macedoniam transgressus fundat ecclesias Philippis, Thessalonicae, Beroeae;

dein in Achaiam profectus Athenis annuntiat Evangelium et venit Corinthum.

53. Corinthi per annum et sex menses commoratus scribit 1. 2. *Thessal.* et *Galat.*

54. Iter instituit in Illyricum (*Rom.* 15,19) et Corinthum reversus ibique « multos dies » commoratus per Ephesum et Caesaream tendit Ierosolyma (4. *iter hierosolymit.*) et Antiochiam rediit.

55-59. *Tertia expeditio apostolica* (*Act.* 18,23-21,15).

Peragratis Galatia et Phrygia venit Ephesum, ubi sedit duos annos et aliquot menses.

58. Versus finem commorationis suae ephesiae scribit 1 *Cor.*; dein profectus in Macedoniam scribit 2 *Cor.* atque paullo post ipse in Achaiam se confert, ubi hiemem peragit,

59. atque *Rom.* scribit. Redit per Macedoniam et per oram maritimam Asiae Caesaream ac Ierosolyma (3. *iter hierosolym.*)

59-61. Ierosolymis in vincula coniicitur et biennio captivus Caesareae retinetur (*Act.* 21,16-24,26).

61-62. Biennio expleto Romam mittitur, quo non nisi anno insequente advenit (*Act.* 24,27-28,15).

62-64. Romae biennium in custodia libera peragit (*Act.* 28,16-31) ibique scribit *Philipp.*, *Coloss.*, *Philem.*, *Ephes.*, *Hebr.*

64. Ante aestatem liberatus proficiscitur in Hispaniam, hiemem peragit in insula Creta, ubi Titum relinquit;

65. ecclesias asiaticas visitat et in Macedoniam proficiscitur Timotheo Ephesi relicto, cui ex Macedonia priorem epistolam scribit (1 *Tim.*).

66. Altera vice visitatis ecclesiis asiaticis per Miletum in Macedoniam et Epirum tendit, quo Titum invitat (*Tit.*).

67. Vere venit Corinthum, cum Petro Romam proficiscitur, in vincula coniicitur, Timotheum ad se invitat (2 *Tim.*), martyrio coronatur.

§ 2. — *De epistolarum paulinarum numero et ordine.*

109. — Continuae summaeque sollicitudini, qua gentium Apostolus ecclesiis a se fundatis invigilavit easque in fide et caritate omni ratione promovere studuit, quatuordecim illas debemus epistolas, quae eius nomine insignitae nec minimam nec infimam N. T. partem constituunt. Neque enim apostolico suo muneri satisfecisse sibi videbatur, si ingentibus suis laboribus innumeros filios per Evangelium in Christo Iesu genuerat, sed genitos velut nutrix fovere, velut pater educare, velut magister erudire et docere non cessavit, ne sicut parvuli fluctuantes omni vento doctrinae circumferrentur, sed ut omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei adducti et mensuram aetatis plenitudinis Christi assecuti viri evaderent perfecti. Ideo non tantum frequentibus suis itineribus ecclesias iam stabilitas identidem visitabat, ut videret quomodo se haberent easque confirmaret, sed absens quoque earum in precibus semper memor filios, quos coram alloqui non licebat, epistolis exhortabatur, ut in fide accepta permanentes secundum eam ambularent, consolabatur in multis gravibusque, quae eis subeundae erant, tribulationibus, erudiebat solutis dubiis, quae ei proponebantur, atque clarius enuntiatis doctrinis, quas nondum intellexerant. Ut uno verbo dicamus,

quemadmodum praesens viva voce, ita absens literis suis partes boni pastoris agebat.

Quot epistolas Paulus viginti illorum annorum spatio scripserit, qui a prima eius expeditione apostolica usque ad eius mortem effluxerunt, ignoramus quidem; certum autem est, plures, quam quae nobis conservatae sunt, eum scripsisse, et vix dubitare licet, eum *multo* plures scripsisse. Quod enim duabus, quas habemus, epistolis ad Corinthios alia hodie deperdita praecesserit, id iure merito ex 1 *Cor.* 5, 9 et 2 *Cor.* 10, 9 concludimus, quamvis S. Chrysostomus cum aliis graecis interpretibus alteram textus interpretationem praeferat[1]. Neque minore cum iure ex *Phil.* 3,1, moderni interpretes deducunt, Apostolum iam prius eidem ecclesiae epistolam scripsisse, atque Theodoreto id neganti graviorem testem S. Polycarpum opponunt, qui complures epistolas ad Philipp. videtur cognovisse[2]. Demum Paulus, quando Colossenses suam ad Laodicenses epistolam in ecclesia legere iubet, ad illos quoque sese scripsisse ipse testatur[3]. Tres igitur saltem epistolae paulinae deperditae sunt; longe maiorem autem esse deperditarum numerum facile concedet, qui ad frequens illud et continuum commercium animum adverterit, quod Paulus cum ecclesiis suis habebat. Dei vero providentia res ita disposuit, ut non nisi quatuordecim ad nos pervenirent.

1. *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 16, 1 (M. 61, 129); *Theodor.* in 1 Cor. 5, 9 (M. 82, 264) : « *Scripsi vobis in epistola* : non in alia, sed in hac ». Sed in eadem verba iam *Ambrosiaster* (M. 17, 210) : « Scripsisse se significat prius, ubi commonet illos, ne iungerent se malae vitae hominibus. Et quia non intellexisse forte ea, quae scripserat, videbantur, nunc in hac epistola, quid scripserit, interpretatur ». Cfr. *S. Thom.* in 1 Cor. 5. Lect. 3., aliosque interpretes.

2. *Theodoret.* ad Phil. 3, 1 (M. 82,577) : « Non aliam ad eos epistolam scripsit, sed in hac multas eis dedit institutiones ». Sed *S. Polyc.* ad Philipp. 3. : (Paulus) καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς. Etsi autem vox ἐπιστολαί interdum ad unam epistolam significandam adhibeatur, S. Polycarpum tamen hoc loquendi modo usum non esse, ex ipsa eius epistola satis apparet, quum S. Martyr (c. 13) compluribus S. Ignatii ἐπιστολαῖς suam ipsius ἐπιστολήν opponat.

3. *Col.* 4, 16. Quem locum explicans *Theodoret.* (M. 82,625) epistolam Laodicensium ad Paulum indicari censet; quam sententiam *S. Chrys.* (in Col. hom. 12,1. M. 62,381) commemorat. At *S. Thom.* in Col. 4. Lect. 1 : « Ex quo habetur, quod scripsit alias epistolas : quia istam, de qua fit mentio hic, scilicet Laodicensium, et unam aliam ad Corinthios praeter primam et secundam... Sed ratio est duplex, quare non sint in canone : quia non constabat de earum auctoritate, quum forte essent depravatae et perissent in ecclesiis (apostolicis), vel quia non continebant aliud, quam ista ». Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 84. p. 247 sq.; de apocryphis Pauli epp. *ibid.* n. 78. p. 232 sq.

110. — « Pauli quatuordecim epistolae omnibus sunt notae et manifestae; non ignorandum tamen illam ad Hebraeos a nonnullis romanae ecclesiae sententiam secutis repudiari, utpote quae Pauli non sit ». Ita

Eusebius, diligentissimus in antiquorum Patrum sententias de Scripturarum authentia et auctoritate investigator, qui omissa illa dubitatione de ep. ad Hebr. immediate postea omnes quatuordecim inter Scripturas unanimi consensu receptas (τὰ ὁμολογούμενα) recensere non dubitavit [1]. Idque rectissime : verum quidem est, ecclesias romanam et africanam reliquis tardius epistolam ad Hebraeos recepisse, at reliquae in tota antiquitate non invenerunt, qui eas reiicerent, nisi Ebionitas aliasque sectas iudaizantes, quibus Paulus patriae religionis desertor erat, et Marcionem eiusque asseclas, qui ob exaggeratum suum Iudaismi odium nonnullas epistolas repudiarunt. Inde a fine 2. saeculi in ecclesia romana auctor *fragm. Murator.* tredecim epistolas in canone suo recenset easdemque adhibitas videmus circa idem tempus a *Tertulliano*, africanae ecclesiae teste, dum *S. Irenaeus* etiam epistola ad Hebr. non semel utitur [2]. In Oriente versio *Peschito* nos docet, eodem saec. 2. exeunte omnes quatuordecim in syriaca ecclesia esse receptas, *Clemens Alex.* et *Origenes,* fidei alexandrinae testes, easdem in alexandrino canone fuisse [3], imo medio saec. 2. in *S. Iustini* operibus iam omnium quatuordecim invenimus vestigia, et si parvulam illam ad Philemonem excipis, nulla ex quatuordecim est, quae in Patrum apostolicorum operibus testimonia non habeat [4].

Mirum ergo non est, quod insequente tempore quatuordecim epistolae paulinae ab omnibus, qui christiano nomine gloriabantur, pro authenticis et divinis Scripturis sint agnitae; nostro autem saeculo reservatum erat privilegium, ut aut omnes aut saltem nonnullas Paulo videret abiudicari. Postquam huius saeculi initio Schleiermacher, Eichhorn, de Wette aliique tres epistolas pastorales (1. 2 Tim., Tit.) fictitias declaraverunt, Neotubingianorum parens, F. C. Baur, ulterius progressus solas quatuor (Rom., 1. 2 Cor., Gal.) genuinas agnovit; at ab aliis superatus est, qui etiam has quatuor repudiarunt [5]. Iustas tamen artis criticae regulas parentem suum transgressum esse rati moderni « criticae » scholae asseclae aliarum nonnullarum authentiam concedere dignantur; Hilgenfeld quatuor a F. C. Baur agnitis tres addit (1 Thess., Philem., Philipp.), Renan praeterea 2 Thess. concedit illamque ad Coloss. saltem probabiliter authenticam declarat [6]. Quamplurimi autem interpretes protestantici hodie praeter epistolam ad Hebr. etiam pastorales Paulo abiudicant.

Infra quidem, ubi de singulis epistolis agemus, earum authentiam allatis primorum Patrum testimoniis demonstrabimus et ab adversariorum obiectionibus vindicabimus; non inutile autem esse arbitramur, si hoc iam loco monemus, quantae auctoritatis sit unanimis ille omnium ecclesiarum consensus in quatuordecim (aut saltem tredecim) epistolis paulinis agnoscendis, quem ab exeunte 2. saeculo adfuisse nemo nega-

bit[7]. Non levi enim modo nec unquam nisi certis testimoniis nixas ecclesias libros sacros recepisse satis constat ex illis, quae Patres contra Marcionem aliosque librorum sacrorum corruptores et contra Gnosticos apocryphorum innumerorum auctores disputarunt. Ex 2 *Petr.* 3, 16 autem scimus iam ante Pauli mortem collectionem quandam epistolarum in ecclesiarum usu fuisse[8], atque Apostolus ipse, quum ab adversariis eius epistolae sub eius nomine fictae propagatae essent, diligenter invigilavit, ne impostorum fraude ecclesiae deciperentur. Ideo non tantum ab initio sese nominavit, sed, quia plerumque epistolas dictabat, in fine sua ipsius manu verba quaedam adiecit, quibus fideles epistolae authentiam cognoscerent[9]. Neque per quemlibet, sed per socios suos et discipulos, qui ecclesiis cogniti erant, eas transmisit; priorem ad Corinthios misit per Corinthiorum legatos Fortunatum, Stephanum et Achaicum (1 *Cor.* 16, 17), alteram per Titum (2 *Cor.* 8, 6), epistolam ad Rom. detulit Phoebe (*Rom.* 16, 1), ad Coloss. Tychicus et Onesimus (*Col.* 4, 7), ad Philipp. Epaphroditus etc. Quod si eidem ecclesiae saepius scripsit, prioris epistolae mentionem in altera facit; mandavit quoque, ut literae suae publice praelegerentur aut cum aliis ecclesiis communicarentur. Quibus omnibus impostorum fraus praecavebatur et vix non impossibilis reddebatur.

1. *Euseb.* H. E. III. 3. 25 (M. 20, 217. 268).

2. *Introd. gener.* Ed. 2. nn. 63. 64. p. 180 sqq.

3. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 65 p. 190 sqq.

4. *Intr. gen.* Ed. 2. nn. 60-62. p. 166 sqq. — Quam frequens apostolicorum Patrum aetate iam fuerit usus paulinarum, parva epistola *Polycarpi* ad Philipp. ad oculos demonstrat; etenim tredecim textus ex octo epistolis (Rom., 1 Cor., Gal., Ephes., Philipp., 2 Thess., 1. 2 Tim.) verbotenus in ea adhibentur; praeterea non paucae in eadem inveniuntur allusiones ad istas octo et ad quatuor alias epistolas (2 Cor., Col., 1 Thess., Hebr.), ita ut duae solae, parvula ad Philem. et illa ad Tit., penes eum non habeant testimonium; sed illa ad Titum iam a *S. Clem. Rom.* (1 Cor. 2.) adhibetur.

5. *F. C. Baur* Der Apostel Paulus. Ed. 2. I. p. 276 « Die paulin. Briefe scheiden sich in Homologumena und Antilegomena. Zu den Homologumena können nur die vier allen andern in jeder Beziehung vorangehenden Hauptbriefe des Apostels gerechnet werden, der Brief an die Galater, die beiden Korinthierbriefe und der Brief an die Römer ». — Praeter *Bruno Bauer* (Kritik der paulin. Briefe. 1850-52) aliqui recentiores Batavi et Helveti cunctas epistolas paulinas aut spurias aut interpolatas declarant; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 267. *n.* 3. p. 755 sq.; *Comm.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 370 sq.; *Comm.* in ep. ad Rom. 1896. p. 17 sq.

6. *Hilgenfeld* Einl. p. 351; *Renan* St Paul. p. V. sq. etc. « Criticorum » commenta *Jülicher* (Einl. ins N. T. 1894. p. 34) ita recenset : « Vier Briefe des Paulus sind selbst von der tübing. Kritik nicht angefochten worden — und erst die Kritiklosigkeit hat an ihnen gerüttelt — *Röm.* 1. 2 *Cor. Gal.*; ziemlich allgemein werden die drei Pastoralbriefe (1. 2 *Tim. Tit.*) für unecht gehalten; die Mehrzahl derer, die so urtheilen, stimmt noch für 1 *Thess., Phil., Philem.*; von *Coloss.* werden grosse Stücke, 2 *Thess. Eph.* überwiegend ganz aufgegeben ».

7. Cfr. *De Wette* Einl. Ed. 6. p. 270, qui ingenuus fatetur : « Das Alterthum hat einstimmig dreizehn Briefe Pauli als ächt angenommen; nur der vierzehnte, der Brief an die Hebr., war streitig ».

8. Cfr. *Introd. gen.* Ed. 2. n. 58. *n.* 1. p. 163. Procul dubio definiri nequit, quasnam epistolas Petrus in collectione, quam indicat, habuerit; at id non impedit, quominus *aliquam* collectionem iam factam esse ex eius verbis colligamus.

9. 2 *Thess.* 2,2; 3, 17 : « Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. Ita scribo »; 1 *Cor.* 16,21; *Gal.* 6,11; *Col.* 4,18; *Philem.* 19. etc.

111. — « Quatuordecim quidem epistolas B. Paulus scripsit; ordinem autem, quem in libris obtinent, ab eo non esse institutum arbitror »[1]. Sententia haec *Theodoreti* extra omnem dubitationem est posita, siquidem Apostolum ipsum epistolarum suarum collectionem non fecisse certum videtur esse. Neque idem in omnibus ecclesiis ordo epistolarum invenitur. In eo quidem plerique catalogi inter se consentiunt, quod epistolas ecclesiis destinatas illis, quae ad singulas personas scriptae sunt, praemittant. A qua ordinis ratione sola excipitur epistola ad Hebr., quae non tantum secundum constantem fere Occidentalium usum, sed etiam apud Syros et in nonnullis codicibus graecis ultimum locum occupat. In singulis autem epistolis inter se ordinandis quam plurimum variant ecclesiae; longe maior catalogorum et codicum numerus primo in loco ponit epistolam ad Rom., « quia in se omnis generis doctrinam et accuratam copiosamque dogmatum tractationem continet »[2] et ad primam ecclesiam scripta est; mirum autem nemini non videbitur, quod canon romanus ipse (Fragm. Murator.) illam inter epistolas, quae ecclesiis integris sunt scriptae, ultimo in loco exhibeat. Quam maximus est dissensus in ponenda epistola ad Hebraeos; plerique Graeci illam epistolis ad Thess. postponunt Cassiodorus illam ante istas habet; ratio capitulorum in Cod. Vatic. (B.) illam inter Gal. et Ephes. inserit, versio sahidica illam etiam epistolae ad Gal. praemittit, et cod. Paul. 100 demum illi secundum locum post ep. ad Rom. attribuit.

Sed fusius haec persequi nullius esse utilitatis arbitramur[3], siquidem certam legem, secundum quam singulae epistolae sint dispositae, non produnt : in nostro tantum tridentino canone, qui inde ab Augustini tempore in ecclesia latina usitatissimus fuit, ea videtur esse observata lex, ut ecclesiarum vel personarum, ad quas scriptae sunt, dignitas et argumenti gravitas singularum ordinem definierit. Ideo Rom. sequuntur 1. 2 Cor., quia haec ecclesia aeque atque prima Petrum et Paulum fundatores habuisse gloriabatur; quartum vero locum occupat Gal. ob argumenti gravitatem; ecclesiae Ephes. et Philipp. ex illis sunt, quibus fundandis et erudiendis maiorem sollicitudinem adhibuerat Paulus; Thess. autem Coloss. videntur esse postpositae, quia haec eadem in captivitate, qua duae praecedentes, scripta etiam argumento

suo propius ad Ephes. accedit. Timotheus, qui toties in inscriptionibus epistolarum nominatur, praecedit Tito, Titus, Pauli socius, Philemoni viro privato. Ep. ad Hebr., quia ultima in Occidente recepta, agmen claudit.

Temporis igitur, quo epistolae conscriptae sunt, ratio in illis disponendis habita non est, id quod iam praecipui interpretes graeci monuerunt. Etenim Chrysostomus, si chronologicus ordo quaeratur, duas classes distinguendas censet, quarum altera epistolas ante captivitatem scriptas (1. 2 Thess., Gal., 1. 2 Cor., Rom.) contineat, altera iis constet, quas in vinculis Romae exaravit (Philipp., Coloss., Philem., Hebr., 2 Tim.); sed in sua enumeratione tres epistolas (Ephes., 1. Tim., Tit.) omittit [4]. Item duas earum classes constituit Theodoretus; prioris classis epistolae in Asia, Macedonia, Achaia conscriptae hoc ordine sese excipiunt : 1. 2 Thess., 1. 2 Cor., 1 Tim., Tit., Rom.; alterius classis epistolas Romae scriptas secundum temporis rationem hac ratione disponit : Gal., Philipp., Philem., Eph., Coloss., Hebr., 2 Tim.[5]. Inter modernos quoque interpretes satis magnus est dissensus; longe plerique cum Chrysostomo et Theodoreto in eo conveniunt, quod primas omnium scriptas dicant epistolas 1. 2 Thess., ultimam 2 Tim., sed in aliarum tempore assignando et a graecis illis interpretibus et inter se magis minusve disssentiunt [6]. Supra enarrantes vitam S. Pauli, quae nostra sit sententia, indicavimus, infra in illis epistolis, de quorum tempore acrius disputatur, tractandis eam vindicabimus. Tres autem classes apte distingui existimamus; quarum primae cum S. Chrysostomo epistolas ante prima Pauli vincula scriptas attribuimus : 1. 2 Thess., Gal., 1. 2 Cor., Rom.; altera continebit epistolas in primis vinculis aut saltem in Italia scriptas : Philipp., Ephes., Coloss., Philem., Hebr.; tertia demum eas, quas e priore captivitate liberatus Timotheo (1 Tim.) et Tito, brevique ante mortem suam in secundis vinculis iterum Timotheo (2 Tim.) scripsit. Atque hunc quoque ordinem in tractatu nostro sequemur, quoniam ad epistolas intelligendas non parum confert. Etenim « nemo, inquit *S. Chrysostomus*, hanc (in scriptionis tempus) disquisitionem superfluam esse et ob vanam curiositatem fieri existimet. Nam epistolarum tempus multum ad dubia solvenda confert. Quum enim Paulum Romanis et Colossensibus de iisdem rebus scribere video neque tamen eodem modo, sed illis cum indulgentia magna,... Colossensibus autem cum maiore libertate,... non aliam huius differentiae causam invenio, nisi temporis rationem » [7].

1. *Theodoret.* Praef. in ep. Paul. (M. 82,37).

2. *Theodoret.* l. c. (M. 82,44); alteram rationem, quam subiunximus, addit quidem sed non approbat.

3. Qui plura desiderat, ea inveniet penes *H. Hodium* (De Bibliorum textibus ori-

gin. etc. Oxonii 1705. IV. 4 De librorum numero et ordine p. 644 sqq.), *Credner* (Einl. Halle 1836. I. p. 333 sqq.; et *Eiusdem* Gesch. des Neutestam. Kanon ed. G. Volkmar. Berlin 1860. p. 393 sqq.), *Tischendorf* (N. T. Ed. 7. I. p. LXXI sq.), *Gregory* (Prolegom. ad Tischend. Ed. 8. p. 139 sq.), *Scrivener* (Introd. to the Critic. of the N. T. Ed. 3. Cambridge 1883. passim).

4. *S. Chrysost.* Argum. ep. ad Rom. 1. (M. 60,392 sq.).

5. *Theodoret.* Praef. ep. Paul. (M. 82,37 sqq.).

6. Non abs re esse existimamus, si recentiorum quorundam interpretum catholicorum sententias de tempore scriptionis Paulinarum hoc loco proponimus, omissis illis, qui eandem, quam nos, sententiam tenent (*Haneberg* Gesch. der bibl. Offenb. Ed. 4. p 658 sqq.; *Bacuez* Manuel bibl. II. p. 143, *Bisping* Erkl. d. Römerbr. p. 25 sqq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 546 sqq. etc.). Singulis epistolis numerum adscribemus, quem ex temporis ratione interpretes nominati eis attribuunt.

	Baron.	Petavius.	Corn. a Lap.	Iustiniani.	Hug.	A. Maier.	Reithmayr et Valroger	Aberle.
Rom. (6)	7.	5.	7.	7.	8.	6.	8.	8.
1 *Cor.* (4)	3.	3.	3.	3.	5.	4.	5.	4.
2 *Cor.* (5)	6.	4.	5.	4.	6.	5.	7.	7.
Gal. (3)	8.	?	6.	8.	4.	3.	3.	3.
Ephes. (8)	10.	9.	10.	10.	9.	8.	9.	12.
Philipp. (7)	11.	10.	11.	9.	13.	11.	12.	9.
Coloss. (9)	12.	11.	12	11.	10.	9.	10.	11.
1 *Thess.* (1)	1.	1.	1.	1.	1.	1.	1.	1.
2 *Thess.* (2)	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.	2.
1 *Tim.* (12)	4.	6.	4.	5.	7.	14.	4.	5.
2 *Tim.* (14)	9.	7.	9.	14.	12.	7.	13.	14.
Tit. (13)	5.	8.	8.	6.	3.	13.	6.	6.
Philem. (10)	13.	12.	13	12.	11.	10.	11.	10.
Hebr. (11)	14.	13.	14	13.	?	?	?	13.

Eodem modo variant interpretes protestantici; sed difficile est eorum sententias colligere, quia fere omnes unam alteramve aut complures epistolas reiiciunt.

7. *S. Chrys.* Arg. ep. ad Rom. 2 (M. 60, 393).

§ 3. — *De epistolarum Paulinarum argumento deque adversariis, qui in illis impugnantur.*

112. — « Paulinae epistolae, inquit *S. Chrysostomus*, metalla sunt Spiritus et fontes : metalla quidem, quia quovis auro pretiosiores nobis praebent divitias, fontes vero, quia nunquam deficiunt, sed quantumlibet exhauseris, tantum ac multo amplius rursum affluit. Quod evidenter declarat tempus iam praeteritum. Etenim ex quo tempore Paulus vixit, quingenti iam elapsi sunt anni; iam vero toto hoc temporis spatio multi commentatores, doctores, interpretes multa saepe ex hoc thesauro hauserunt, neque tamen divitias ibi repositas evacuare potuerunt. Neque enim sensibus subiectus est hic thesaurus, ideoque non consumitur a multis effodientium manibus, sed augetur et multiplicatur. At quid loquor de illis, qui ante nos fuere? Quam multi post nos dicturi sunt,

ac rursus post illos alii, neque unquam deficient fontis huius scatentes aquae nec metallorum hoc genus exhaurietur »[1].

Quae verissime sunt dicta; tam vastum enim est argumentum, quod B. Apostolus in epistolis tractat, ut hucusque nec sit exhaustum, nec unquam possit exhauriri. Namque in illis « totam fere theologiae doctrinam contineri » monet *S. Thomas,* et *Salmeron* nos per illas certiores fieri « de omnibus fere, sine quibus aut vita aut salus nostra aut denique evangelica doctrina constare non possit »[2]. Neque solam theologiam theoreticam rebus fidei explicatis tradit, sed eadem cum cura de practica agit praeceptis vitae christianae inculcatis. Quis unquam theologus de argumento quocunque theologico apte egit, quin ad epistolas illas recurreret, quas « promptuarium doctrinae Christi » S. Cyrillus appellavit? Nonne aeterni luminis radii in illis, velut in foco quodam, sunt collecti et congregati, atque ex illis, velut ex altero quodam sole, in Patrum theologorumque opera sese diffuderunt, ita quidem ut optima quaeque, quae de Deo divinisque rebus nobis tradiderunt, explanatio sint quaedam et enarratio eorum, quae Paulus a Spiritu S. illustratus docuerat[3]?

Unum autem est argumentum, quod in omnibus paene epistolis suis maiore cum diligentia et sollicitudine inculcat et contra omnes adversariorum obiectiones vehementius defendit : Christum, Dei filium, omnium omnino hominum esse redemtorem, a quo solo omnis gratia, iustitia, salus in omnes deriventur; omnes autem homines utpote in protoparente suo infectos peccato indigere illa gratia, neque alia via eam obtinere posse nisi per fidem vivam in Iesum Christum eiusque Evangelium; Legem mosaicam ipsam, etsi παιδαγωγὸς εἰς Χριστὸν fuerit, per se ad salutem consequendam non conferre, ideoque per Christi mortem iam esse abolitam, ut hac ratione pariete intermedio, qui Iudaeos et ethnicos separabat, destructo omnes in unum corpus coalescerent, cuius caput est ipse Christus. Quomodo hanc doctrinam cum multis aliis secundum varias earum partes evolvat, explicet, vindicet, infra in singularum epistolarum analysi videbimus; hoc autem loco nonnulla praemittenda sunt de adversariis, quorum obiectionibus adductus est, ut magis quam alii Apostoli in suis operibus hoc dogma explanaverit. Duplicis autem generis erant adversarii eius; alii enim iudaizantes Legem mosaicam in christianam doctrinam ingerere, alii gnosticis praeludentes fide in Christum non contenti altiorem quandam sapientiam praedicare volebant.

1. *S. Chrys.* De verb. Apost. Habentes autem Spiritum etc hom. 3, 1 (M. 51,291).

2. *S. Thom.* in Ep. ad Rom. Prolog.; *Salmer.* Comment. in omnes Pauli epist. I. Tract. 1. — Cfr. *Corn. a Lap.* Prooem. de praerog. Pauli. 3. « Epistolae Pauli continent medullam fidei et religionis christianae. Sane de gratia, de praedestinatione, de

Christi redemptione et tota eius in carne oeconomia, de matrimonio et iure coniugum, de coelibatu, de ven. sacramento et sacrificio, de novem ordinibus angelorum, de muniis episcoporum, presbyterorum, diaconorum totoque ordine hierarchico nullus ita plane, graviter, exacte et sapienter disseruit ac Paulus. Taceo naturalem eius scientiam...; christianam et divinam eius sapientiam intueamur, cuius praecellentiam et profunditatem satis ipse insinuat, quum asseveret se Evangelium non ab homine accepisse et didicisse, sed per revelationem Iesu Christi, et rursum quum se raptum asserat in tertium coelum ibique audivisse arcana verba, quae non licet homini loqui... Moyses in Sina collocutus cum Domino acceptis Legis tabulis inde prodiit quasi novus et coelestis legislator ad populum : Paulus vero non e Sina, sed e coelo quasi Propheta, imo quasi Angelus urano-gnomon in terram descendit, ut arcana legis evangelicae toti orbi panderet, atque eructaret mysteria aeternis temporibus tacita et abscondita a constitutione mundi ». Quae fuse Corn. a Lapide, ea tribus verbis complectuntur *S. Cyril. Alex.* Paulum appellans τῶν θείων ἡμῖν μυστηρίων ἱερουργόν (Quod unus sit Christus. M. 75,1304) et *S. Hieron.* eum dicens « Legis et Scripturarum armarium » (ad Paulin. ep. 53, 2. M. 22,542).

3. Soli Paulum comparant *S. Chrys.* De laud. Pauli hom. 4 (M. 50,493) et *Ps. Dionys. Areop.* de div. nomin. 7. Cfr. *Reithm.* Einl. p. 514 « Die geistreichsten unter den alten Kirchenlehrern forschten mit Liebe und Eifer in den paulinischen Briefen wie in goldreichen Schachten. In ihren Commentaren ist das in den Briefen concentrirte Licht weithin auseinander geflossen. Die Theologie und die theolog. Literatur der Kirche ist in ihrem gediegenen Theile eine Ab=und Widerspiegelung des Geistes unseres grossen Völkerlehrers ».

113. — A primis nascentis Ecclesiae primordiis difficultatem haud parvam creavit quaestio, quaenam Legis antiquae ad novam sit relatio, atque per multos annos Paulus non tantum inter Iudaeos incredulos, sed etiam inter iudaizantes Christianos hostes suos et adversarios invenit acerrimos. Apostoli, quum in universum mundum exire et omnes gentes docere iussi essent, Evangelium omnibus omnino hominibus esse destinatum, non ignorarunt; apertissime enim et frequentissime id Dominus docuerat; quanam autem ratione ad baptismum admittendi essent ethnici, num mediate an immediate, i. e. utrum prius per circumcisionem populo iudaico inserti, an ab omni ad Legem mosaicam obligatione soluti, disertis verbis Dominus non docuerat. Ideo quando Petrus singulari revelatione edoctus primos ethnicos non circumcisos ad baptismum admisit, mirati sunt Iudaeochristiani, « quod et gentibus poenitentiam dedisset Deus ad vitam » [1]. Atque eo quidem tempore quieverunt ex divina quadam dispensatione Cornelium cum sua familia immediate in Ecclesiam esse admissos arbitrati. Ad novam autem vitam resuscitata est quaestio, quando Antiochiae integra ecclesia est exorta, quae Ethnicochristianis non circumcisis nec Legem mosaicam observantibus constabat. Iudaeochristiani enim hierosolymitani illos, « nisi circumciderentur secundum morem Moysis, non posse salvari » crediderunt; quare in Concilio hierosolymitano Apostoli sollemni decreto declarare debuerunt, gentiles non circumcisos in Eccle-

siam esse admittendos, nec ullo modo admissos ad Legem observandam obligari [2].

At decreto hoc, quod Apostoli et Seniores hierosolymitani per Iudam et Silam ecclesiae antiochenae transmiserunt quodque Paulus in secundo suo itinere ecclesiis a se fundatis promulgavit [3], liti finem non esse impositum brevi post iam apparuit. Ethnicochristianos quidem antiqua Lege non teneri declaratum erat, de Iudaeochristianis autem nihil erat statutum; Ethnicochristianis salutem non posse negari ex decreto clarissime elucebat, at num Iudaeochristianis essent pares iisdemque, quibus Iudaeochristiani, iuribus omnibus gauderent, aeque clarum non erat. Imo decretum ipsum iudaizantibus argumentum videbatur offerre, quo Ethnicochristianis inferiorem quendam gradum in Ecclesia competere demonstrarent. Namque quatuor illa praecepta, quae Apostoli, ut mutuum Iudaeorum et ethnicorum conversorum commercium praepararent, neophytis antiochenis imponenda censuerant, abstinentia scilicet ab idolothytis, a fornicatione, a sanguine et suffocato, eadem sunt, quae Iudaei proselytis suis secundi gradus (« proselytis portae ») imponebant. Facile igitur fieri potuit, ut Iudaeochristiani, « aemulatores Legis », Ethnicochristianos illos, qui secundum decretum apostolicum solis illis noachicis praeceptis tenebantur, pro proselytis secundi gradus, Christianis non perfectis, haberent, quibus salutem quidem non denegabant, sed eadem secum iura non concedebant. Quae mitigata iudaizantium doctrina si praevaluisset, Legem mosaicam semper, velut parietem intermedium Iudaeos inter et ethnicos, unitatem Ecclesiae atque Ecclesiam ipsam destructuram fuisse evidens est.

Atqui perniciosam hanc doctrinam propagare conati sunt adversarii illi, quos Paulus primos habuit impugnandos. Brevi iam tempore post Concilium apostolicum illos Antiochiae offendit. Etenim fratres illi hierosolymitani, quorum gratia Petrus a familiari sua cum neophytis antiochenis conversatione sese subtraxit, non amplius docebant Ethnicochristianos sine circumcisione non posse salvari, sed indignos esse, quibuscum Petrus aliique Iudaeochristiani familiariter viverent. Hanc enim eorum doctrinam fuisse evidentissime Pauli apostrophe demonstrat, quae nequaquam in eo est, ut ethnicorum liberationem a Lege asserat, sed longe ulterius progressa Legem ad salutem nihil conferre docet eiusque abrogationem universalem, etiam pro Iudaeochristianis, proclamat. « Ego per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vivam... Si per Legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est » [4]. Quae utique non erat nisi legitima consequentia ex decreto apostolico, quod neophytos antiochenos non velut « hospites et advenas » sed tamquam « cives (συμπολίτας) sanctorum et domesticos Dei » in Ecclesiam admiserat,

utpote ipsos quoque « superaedificatos super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu »[5].

Legitimam autem hanc consequentiam iudaizantes nec viderunt, nec videre voluerunt; sed auctoritatem « magnorum Apostolorum », qui Legem mosaicam Ierosolymis observare non cessaverant, praetendentes, privilegia Iudaeorum promissionesque « semini Abrahae » factas semper in ore gerentes, de sanguine suo abrahamitico gloriantes « pseudapostoli illi, operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi » in ecclesias a Paulo fundatas irrepserunt, ut « adulterarent (vel, uti significantius textus graecus habet: *cauponarent*) verbum Dei », merae Christi doctrinae aquam antiquae Legis miscentes[6]; imo ut faciliorem sibi viam pararent, nec ipsi integram Legem observarunt, nec integrae Legis observationem a neophytis postularunt, eorum circumcisione contenti[7]. Simulac in secundo suo itinere Paulus in ecclesiis Galatiae decreto apostolico promulgato fideles ad sola praecepta apostolica obligavit, pseudapostoli post eius discessum Galatas, qui « ex auditu fidei Spiritum acceperant » et « spiritu coeperant », « carne consummare » i. e. circumcisione impertita ad perfectionem adducere studuerunt, Pauli doctrinam non velut erroneam impugnantes, sed velut mancam, cui aliquid sit addendum, calumniantes[8]. Quemadmodum vero illos in ecclesiis Galatiae docuisse ex epistola ad Galatas apparet, ita illos in Asia, Macedonia, Achaia docuisse merito supponimus, quamvis in epistolis ad Ephesios, Philippenses, Corinthios Apostolus hanc haeresin indirecte tantum impugnet, dignitate sua apostolica, quam illi negaverunt, asserta et vindicata, integumentis dissimulationis illorum evolutis nudatisque, perversis motivis, quibus ducebantur, detectis, unitate demum Ecclesiae, utpote corporis Christi, praedicata atque inculcata[9]. Doctrina autem, quam in epistolis ad Galatas et Romanos fuse et diserte proponit, adstruit, vindicat, mitigato illi Iudaismo opposita est, quem descripsimus quique in Ecclesia ipsa parietem intermedium inter Iudaeochristianos et neophytos ethnicos conservare voluit. Hinc illud : « Nunc autem sine Lege iustitia Dei manifestata est, testificata a Lege et Prophetis, iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi *in omnes et super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio* »; et iterum : « *Omnes* filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu; quicunque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis; *non est Iudaeus, neque Graecus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina.* Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu : *si autem vos Christi, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem haeredes* »[10].

1. *Act.* 10,1 - 11,18. Cfr. *supra* 130 p. 365 sqq.
2. *Act.* 15,1 - 29. Cfr. *supra* 88 et 103 p. 330 sqq. 366 sq.

3. *Act.* 15, 30 sqq. 41; 16, 4.

4. *Gal.* 2, 11-21; cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 440 sqq.

5. *Ephes.* 2,19 sqq.

6. 2 *Cor.* 11,5. 13; 2,17.

7. *Gal.* 5,3; 6,13. Si accuratius ad integrum quaestionis statum attendisset, Renan (St Paul p. 92) nunquam hisce ratiunculis authentiam decreti apostolici impugnasset : « Il est impossible d'admettre l'authenticité textuelle du décret rapporté *Act.* 15,23-29, d'abord parce que S. Paul (*Gal.* 2) invoquerait un tel décret s'il avait existé; 2° parce que *Gal.* 2,12 sqq. n'a plus de sens, si un tel décret eût été porté; 3° parce que le récit *Act.* 21,18 sqq. et même 16,3 [a] ne s'expliquent pas davantage en cette hypothèse; 4° parce que la doctrine de Paul sur les viandes immolées (1 *Cor.* 8-10) est en contradiction avec le décret; 5° parceque le parti judéochrétien nia toujours la légitimité de toute abrogation d'une partie de la Loi, ce qui ne se concevrait pas, si la question avait été canoniquement réglée par des personnes telles que Jacques et Pierre, dont le parti judéochrétien proclamait la suprême autorité ». Quaestio enim, quam, uti saepius diximus, Concilium Apost. tractavit, ea sola fuit, num Ethnicochristiani non recepta circumcisione *salvari* possent; de hac autem quaestione in tota epistola ad Gal. non agitur; neque decretum de obligatione Legis pro *Iudaeo*christianis quidquam directe statuerat; hinc tria priora argumenta prorsus non sunt ad rem. Contradictionem inter decretum et 1 *Cor.* 8-10 relate ad idolothyta non adesse, discere potuit Renan ab alio rationalista (*Lipsius* Der Apostelconvent in Schenkel Bibellexicon I. p. 206; cfr. *supra* 88 n. 11. p. 334.) Ultimam demum rationem refutat *Gal.* 5,3 et 6,13, quibus ex locis apparet iudaizantes pseudapostolos nec ipsos integram Legem observasse nec eam integram Galatis imposuisse. Neque id mirum, quandoquidem omnibus Iudaeis extra Iudaeam degentibus observatio *integrae* Legis de facto erat impossibilis. « Quomodo enim fieri potuit, inquit *Theodoretus* (in *Col.* 2,16. 17), ut Iudaei ter in anno ex Phrygia in Iudaeam excurrerent, ut Ierosolymis festa ex Lege peragerent? »

8. *Gal.* 3,2 sq.; 2,6.

9. *Phil.* 3,2 sqq.; *Eph.* 2,11-3,12; 1 *Cor.* 1,13 sqq.; 9,1 sqq.; etc; 2 *Cor.* passim; cfr. praesertim 10,1-13, 10.

10. *Rom.* 3,21. 22; *Gal.* 3,27-29 etc.

114. — Altera adversariorum classis ultimis praesertim vitae suae annis impugnanda fuit S. Paulo, gnosticorum scilicet iudaizantium. Quin gnosticismi initia ad ipsam Apostolorum aetatem ascendant, nemini est dubium, quamvis varia illa systemata, quae saeculum 2. produxit, apostolico tempore nondum sint exculta. Etenim quae de Simonis Magi, quem « haereticae pravitatis principem et auctorem fuisse accepimus » [1], doctrinis tradunt *SS. Irenaeus* et *Epiphanius*, illa gnosticismum iam redolent [2]. Neque id est mirum. Nam eodem tempore, quo Iudaei in Palaestina degentes pharisaicis placitis dediti totam suam perfectionem in mere externa Legis observantia posuerunt et humanis

a) Quid sibi velit in hac argumentatione *Act.* 16,3 nemo prudens intelliget. Paulus « circumcidit Timotheum propter Iudaeos, qui erant in illis locis; sciebant enim omnes, quod pater eius erat gentilis ». Num forte putat Renan, Iudaeos quoque, qui nondum crediderant et inter quos Paulus Timotheum socium sui apostolatus adhibere voluit, decretum apostolicum iam cognovisse et approbasse?

suis traditionibus spiritum Legis obscuraverunt, Iudaei extra Palaestinam degentes philosophicis Graecorum studiis sese tradere, utque eorum systemata cum libris suis sacris conciliarent, neglecta Legis litera omnia in allegorias convertere et transmutare coeperunt. Ita praecipuae gnosticorum doctrinae iam ab Iudaeis alexandrinis, praesertim a Philone, quodam modo praeformatae atque evolutae sunt; allegoricae autem interpretationis abusus eis inservivit, ut easdem doctrinas etiam in V. T. libris invenirent. Procul enim dubio Philonis « virtutes Dei », per quas Deus in materiam praeexsistentem agit, quaeque ipsae incorporeum quendam et mente sola intelligibilem mundum constituunt etc[3], a gnosticis aeonibus et pleromate parum distant. Recte igitur in Scripturis divinis praeter sensum literalem adesse censentes alterum occultiorem et altiorem, non recta via solo suo intellectu freti eum quaesiverunt, atque hac ratione primi auctores facti sunt « falsi nominis scientiae » (γνώσεως ψευδονύμου **1** *Tim.* 6, 20).

Variis formis haec « philosophia et inanis fallacia » (*Col.* 2, 8) maxime in Asia inter Iudaeos viguit, inter quos magicae quoque artes quam laetissime florebant et scientiae occultae quam maxime excolebantur, atque proin babylonicae illae sententiae de variis daemonum classibus et genealogiis erant propagatae[4]. Unde factum est, ut Iudaei illi, qui ante conversionem suam « curiosa erant sectati » et altiorem istam scientiam excoluerant, post conversionem facile ad vomitum reversi simplici Evangelii praedicatione non contenti eidem γνῶσιν suam superaddere aut suas « fabulas et genealogias interminatas » inserere conarentur[5]. Quantum periculum ex hac « falsi nominis scientia » doctrinae evangelicae imminuerit, satis clarum est; « a vera fide enim aberrantes, in vaniloquium conversi, volentes esse doctores, quamvis non intelligerent neque quae loquebantur, neque quae cum summa fiducia affirmabant »[6] pseudodoctores ad insanias illas, quas saec. 2. inter gnosticas sectas pullulare videmus, adduxissent fideles, nisi statim ab initio Apostoli gladio spiritus eorum doctrinas impugnassent. In quarto Evangelio S. Ioannem aliquas ex istis haeresibus indirecte refutasse, supra iam diximus (64. p. 241 sqq.); at ante eum Paulus in suis ad Coloss. et Ephes. et in pastoralibus epistolis primordia earum iam aggressus erat, uti etiam Petrus et Iudas eosdem haereticos respexerunt[7].

1. *Euseb.* H. E. II. 13 (M. 20,189).

2. *S. Iren.* c. haer. I. 23 (M. 7,670); *S. Epiph.* haer. 21 (M. 41,285 sq.).

3. Cfr. *Philon.* De confus. ling. 34 (Ed. Lips. II. p. 285) : « Deus, quum sit unus, innumeras circa se habet socias potentias, quae salutem rerum procurant, inque his ea, quae plectunt noxios... Per has potentias ille incorporeus et mente perceptus mundus compactus est, exemplar huius mundi visibilis : qui constat ex ideis invisibilibus, sicut hic noster ex corporibus visibilibus... Est et in aëre animarum incorporearum

sacratus chorus assecla illarum coelestium, quas solent angelos nominare divina oracula. Hic universus exercitus singulorum in suos ordines digestorum iussa summi imperatoris exsequitur » etc.

4. Quot Iudaei Asiae arcanis illis scientiis et magicis artibus fuerint dediti, satis elucet ex *Act.* 19,19.

5. *Tit.* 1,14; 1 *Tim.* 1,4.

6. 1 *Tim.* 1,6. 7.

7. De variis gnosticismi formis, quas Paulus et reliqui Apostoli impugnarunt, *infra* dicemus, ubi de singulis epistolis agemus.

§ 4. — *De externa epistolarum paulinarum forma*

115. — Omnium epistolarum paulinarum LINGUAM PRIMIGENIAM esse graecam communis est hodie sententia; revera id solum addubitari potest, annon epistola ad Hebraeos, id quod iam olim nonnulli Patres tradidere, a Paulo aramaice sit exarata atque ab uno ex eius discipulis graece reddita; sed de hac quaestione *infra* (176) erit agendum. Non defuerunt, qui duplici argumento permoti epistolae ad Romanos linguam primigeniam dicerent latinam; Latinis enim Apostolum non nisi latine scribere potuisse, atque scribae nomen, qui se ipse Tertium appellet (*Rom.* 16, 22), latinam eius originem prodere opinati sunt. Quibus argumentis nihil effici patet; primis enim christianae aerae saeculis in Italia atque in ipsa Urbe linguam graecam pervulgatam fuisse alibi iam ostendimus[1]; Tertii autem nomen aeque parum eum Latinum fuisse demonstrat, atque latina nomina Pauli, Marci aliaque similia quidquam de personarum genere docent.

« Imperitum sermone » (ἰδιώτην τῷ λόγῳ) se ipse quidem dicit Apostolus; at si Lucam excipis, graecae linguae puritate reliquis Novi T. scriptoribus praestare dicendus est, etsi non pauca habeat, quae quum a consueto loquendi usu aliena sint, difficultatem interdum creent. « Solet magni Pauli sapientia, inquit *S. Gregorius Nyss.*, libere uti verbis ad id, quod ipsi videtur et suo idearum nexui adaptare verborum significationes, etiamsi consuetudo usum dictionis ad alias mentis conceptiones indicandas determinaverit. Nam undenam sumtus est usus huius dictionis : ἐκένωσεν ἑαυτόν, et καύχημά μου οὐδεὶς κενώσει, et κεκένωται ἡ πίστις, et ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ? Ex quonam usu haec ad suum usum desumsit? Quis eum iudicaverit, quando dicit : ἱμειρόμενος ὑμῶν, quum hac expressione affectum dilectionis exprimat? Unde ad caritatis humilitatem exprimendam hausit vocabulum περπερεύεσθαι? Litigiosa autem et ad ultionem propensa contentio quomodo ab eo ἐριθεία appellatur, quum omnibus sit manifestum, ex ἐριουργία (lanificio) nominari ἔριθον (lanificum) et laborem circa ἔρια (vestes laneas) voce ἐριουργία exprimi? Attamen etymologiam frigidam omittens Paulus verbis, quae vult, exprimit ideas, quas intendit. Nam multa

quoque alia ab iis, qui diligenter eius linguam examinant, invenientur in verbis Apostoli, quae a consueto usu absona secundum propriam mentis conceptionem libere proferuntur consuetudine neglecta »[2]. Exempla a S. Gregorio allata non omnia quidem sunt apta; at certum est unam ex obscuritatis paulinae rationibus in eo esse sitam, quod haud raro vocabula a consueta sua significatione deflectat et ad aliam trahat.

S. *Hieronymus* non semel monet S. Paulum soloecismis frequenter uti : « Hebraeus enim ex Hebraeis profundos sensus aliena lingua exprimere non valebat, nec magnopere curabat de verbis, quum sensum haberet in tuto ». « Nos quotiescunque soloecismos aut tale quid adnotavimus, nec Apostolum pulsamus, ut malevoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus, quod Hebraeus ex Hebraeis absque rhetorici nitore sermonis et verborum compositione et eloquii venustate nunquam ad fidem Christi totum mundum transducere valuisset, nisi evangelizasset eam non in sapientia verbi, sed in virtute Dei... Iste (enim), qui soloecismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere sententiamque concludere, audacter sibi vindicat sapientiam et dicit : Quoniam secundum revelationem cognitum est mihi mysterium, sicut praescripsi in modico ». Atque etiam a cilicismis eum non abstinuisse monet : « Multa sunt verba, quibus iuxta morem urbis et provinciae suae familiarius utitur Apostolus... quibus usque hodie utuntum Cilices »[3].

At omnia haec, quemadmodum frequentes quoque, quos admittit, hebraismi, nihil aliud demonstrant, nisi Paulum in scribendis suis epistolis puritati linguae magnam diligentiam et sollicitudinem non impendisse[4]. Etenim optime eum linguam graecam calluisse atque, si voluisset, etiam puriorem linguam adhibere potuisse satis elucet ex multis synonymis, quibus semper aptissime utitur, ex magna particularum graecarum, quas adhibet, varietate, ex acutissimo modo, quo praepositionibus variatis etiam tenuissima idearum discrimina definire solet, ex magna vocabulorum copia, quibus idem argumentum haud raro evolvit, ex frequenti et aptissimo usu participiorum etc[5]. Procul dubio, nisi in graecis literis bene fuisset versatus imo exquisitam quandam linguae graecae scientiam habuisset, innumeras istas omnis generis paronomasias, quas in eius epistolis invenimus, adhibere non potuisset[6].

1. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 137. p. 381 sqq.

2. *S. Gregor. Nyss.* in illud : Quando sibi subiecerit etc. (M. 44, 1324). De vocabuli ἐριθεία etymologia et prima significatione sub iudice adhuc lis est. Certe nihil habet commune cum ἔριον, ut insinuat S. Gregor., nec cum ἔρις, id quod volunt alii, quae utraque breve *Iota* habent, quum ἔριθος, ἐριθεύω, ἐριθεία suum *Iota* producant Cfr *H.*

Steph. Thes. ling. graecae. III. Paris 1835 s. v., *Fritzsche* Pauli epistola ad Rom. Halae 1836. I. p. 143-148.

3. *S. Hier* in Gal. 6, 1; in Ephes. 3, 1; ad Algas. ep. 121, 10 (M. 26, 426. 478; 22, 1030).

4. Cfr. *S. Chrysost.* in 1 Cor. hom. 3, 4 (M. 61, 24) etc. Bene *Michaelis* Einl. Ed. 4. I. p. 117 : « Von allen neutestamentlichen Schriftstellern ist Paulus unterschieden : Hebraismen genug, Nachlässigkeiten genug, aber nicht das kurze Versmässige der hebr. Sprache, sondern im ganzen mehr griech. Wendung, so als wenn einer schriebe, der die Sprache verstände ohne an seine Schreibart im Geringsten Fleiss zu verwenden und der bloss auf die Sache dächte, von einem Ueberfluss an Gedanken zugleich, auch vom Affekt und bisweilen vom Genie hingerissen. Dass ihm die besten griech. Ausdrücke so geläufig sind, als die Hebraismen, sieht man, und sie wechslen ab, so wie ihm der eine oder andere zuerst beifällt. Bis zur lebhaftesten feinsten Satyre ist ihm das Griechische dienstbar, nur scheut er nie den unterlaufenden Hebraismus und verlangt gar nicht schön oder rein zu schreiben ».

5. Cfr. ex. gr. quomodo 2 *Cor.* 6, 14-16 ideam societatis quinque diversis vocabulis exprimat (μετοχή, κοινωνία, συμφώνησις, μερίς, συγκατάθεσις) et in suo quodque loco aptissime ponat. Quam apte adhibet synonyma *Eph.* 1, 19 κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ! Quam acute distinguit praepositiones, ubi suum Evangelium non esse asserit κατὰ ἄνθρωπον, quia illud non acceperit παρὰ ἀνθρώπου sed δι' ἀποκαλύψεως Iesu Christi (*Gal.* 1, 11; 12). Quam accuratus est in usu participiorum 1 *Thess.* 1, 2 sqq. : εὐχαριστοῦμεν... μνείαν ποιούμενοι... μνημονεύοντες... εἰδότες (cfr. 1 *Cor.* 15, 58) etc.

6. Cfr. ex. gr. ex duobus prioribus capp. ad *Rom.* 1, 19 φανερόν... ἐφανέρωσεν; 1, 20 τὰ ἀόρατα... καθορᾶται; 1,23 ἀφθάρτου θεοῦ... φθαρτοῦ ἀνθρώπου; 1,29 πορνείᾳ, πονηρίᾳ; φθόνου, φόνου; 1, 31 ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους; 2, 1 κρίνεις... κατακρίνεις... ὁ κρίνων... κρῖμα; 2, 8 τοῖς ἐξ ἐριθείας... τῇ ἀληθείᾳ etc.

116. — STYLUS EPISTOLARUM ab illa quidem pulchritudine et harmonia, qua graeci scriptores antiqui non pauci alios tantum non omnes superant, satis longe abest; at eximia quadam et prorsus singulari praestat energia, qua lectorum animos, intellectus, voluntates secum abripit. Egregie hanc paulini styli proprietatem describit *S. Hieronymus :* « Quotiescunque Paulum Apostolum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite epistolas eius et maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est; et videbitis eum in testimoniis, quae sumit de Vetere Testamento, quam artifex, quam prudens, quam dissimulator fit eius, quod agit. Videntur quidem verba simplicia et quasi innocentis hominis et rusticani, et qui nec facere nec declinare noverit insidias; sed quocunque respexeris fulmina sunt. Haeret in causa, capit omne quod tetigerit; tergum vertit, ut superet; fugam simulat, ut occidat »[1]. At si hostes terret velut tuba terrorem et bellum sonans, ut *S. Chrysostomi* verbis loquamur, etiam vocem convertere potest ac velut lyra cum iucunditate multa delectare animos morbosque absurdarum cogitationum sopire[2].

Nemo vel semel Pauli Epistolas legere poterit, quin artem illam dicendi admiretur, qua omnium attentionem excitet, occupet, detineat;

frequentissimas enim habet dicendi figuras, quibus vividam et acutam reddit orationem suam. Quot apud eum leguntur interrogationes, exclamationes, comparationes pulcherrimae, acutissimae antitheses, enumerationes, gradationes[3] etc! De quibus rectissime *S. Augustinus :* « In his si quis artis eloquentiae praecepta Apostolum secutum fuisse contendat, nonne a Christianis doctis indoctisque ridebitur?... Sicut (autem) Apostolum praecepta eloquentiae secutum fuisse non dicimus, ita quod eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus »[4]. Et re quidem vera Apostolus orator erat natus, qui artis praeceptis non indigebat, sed qui ex plenitudine cordis semper loquens nativam quandam et germanam eloquentiam possidebat, cui nunquam ad sublimes suas ideas exprimendas aptissimae deerant expressiones.

Quemadmodum autem in vocabulorum delectu puritatem graeci sermonis parum curabat, dummodo cogitationem suam plene exprimerent, ita etiam in vocabulorum compositione nec ad elegantiam nec ad ipsius grammaticae praecepta semper attendit. Hinc illa hyperbata, quae duram alicubi reddunt eius orationem; hinc ellipses et anacoluthi, quum novis affluentibus cogitationibus inchoatam periodum concludere negligat aut ad aliam constructionem transiliat; hinc nimis protractae illae atque continuis incisis interruptae verborum complexiones, quum omnes ideas, quae uberrimae scribenti affluebant, in unam eandemque phrasin contrahere conetur[5]. Quam styli paulini proprietatem iam animadverterunt Patres; namque « hyperbatis, inquit *S. Irenaeus,* frequenter utitur Apostolus propter velocitatem sermonum suorum et propter impetum, qui in ipso est, Spiritus ». Atque recte quoque monuerunt, in ea quaerendam esse praecipuam obscuritatis paulinae causam : « Apostolus, inquit *S. Epiphanius,* velut metuendus iaculator contortas (διεστραμμένας) verborum sententias in medium mittens sermonem suum obscurum facit et profundis sensibus occultum »; diu autem ante S. Epiphanium iam *Origenes* primam causam difficultatis epistolae ad Rom. in eo invenerat, « quod elocutionibus interdum confusis et minus explicitis utatur » Apostolus[6].

In fragmento quodam nobis conservato *Longinus,* quamvis ethnicus, enumeratis Graeciae oratoribus maximis Demostheni, Lysiae, Aeschini, Hyperidi, Isaeo, Isocratae adiunxit Paulum Tarsensem, qui praeprimis emineat animi affectibus atque commotionibus[7]. Acutissimum demonstrandi modum, quo Apostolus ex principiis revelatis argumenta thesium suarum clarissima deducit, ethnicus utique non perspexit; at iure merito Paulum laudat ob commotam eius orationem, qua non tantum intellectui veritates divinas imprimere clarasque reddere studet, sed simul etiam voluntatem permovere, ut illas omnibus suis viribus amplectatur. Nullus enim unquam, opinor, orator fuit, qui Paulo ma-

gis omnes omnino animi affectus exprimere atque in lectoribus excitare potuerit. Velut severus iudex terret Galatas (« Miror, quod sic cito transferimini ab eo, qui vos vocavit » etc., « O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus descriptus est crucifixus » etc), Iudaeos legem non observantes et nihilominus ethnicos despicientes (« Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas... Secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae » etc), Corinthios impudicos (« Omnino auditur inter vos fornicatio » etc), coram iudicibus ethnicis causas agentes (« Audet aliquis vestrum » etc), Hebraeos post conversionem iterum peccantes (« Voluntarie peccantibus nobis » etc) multosque alios[8]. Acerbissimis sarcasmis perstringit Corinthios pseudapostolis adhaerentes (« Libenter suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes » etc.), seductores Galatarum (« ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς ») etc[9]. At etiam velut bonus pater eosdem, quos terruit, ad bonam frugem revocat (« Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire... Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis etc) et innumeris aliis in locis; imo tenerrimo et vere materno amore eosdem tamquam filios, quos per Evangelium genuit, complectitur (« Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est » etc; « Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus » etc etc)[10]. Quid sublimius unquam dictum est, quam quae habet Paulus de viva fide omnia obstacula superante (« Si Deus pro nobis, quis contra nos? etc), de caritate omnibus aliis virtutibus praestante (« Si linguis hominum loquar » etc), de tribulationibus, quas ipse pro Evangelio perpessus est (« in laboribus plurimis » etc)[11]?

Sed fusius haec per singula persequi et evolvere nostri muneris non est; illud unum addamus oportet eloquentiam hanc Pauli sine ullo dubio fuisse nativam et ingenitam, at transfiguratam caritate illa divina, qua ardebat. Caritas Christi, quae eum urgebat, ex omnibus epistolarum phrasibus, quemadmodum ex omnibus, quae egit et pertulit, elucet; nihil aliud in eius epistolis ubique invenimus nisi maioris gloriae divinae studium et zelum animarum. Hinc factum est, ut « mirabiles nobis fluvios gigneret; non secundum paradisi fontes quatuor tantum, sed multo plures et quotidie fluentes, nec terram rigantes, sed animas hominum ad producenda virtutum germina suscitantes »[12].

1. *S. Hier.* ad Pammach. ep. 48,13 (M. 22,502).

2. *S. Chrys.* de statuis hom. 1,1 (M. 49,15 sqq.).

3. Quantopere attentionem lectoris excitat brevibus illis *interrogationibus* : τί οὖν; τί οὖν ἐροῦμεν; τί φημί; τί ἐστι; ἢ ἀγνοεῖτε; etc. (*Rom.* 2,4. 35; 3,5. 9; 4,1; 6,1. 3. 15. 16; 1 *Cor.* 6,19; 10,19; etc. etc.)! *Comparationes* raro evolvit (pulcherrimas habes evolutas 1 *Cor.* 12,12 sqq.; 14,7. 8. 10 sq. etc), at vocibus suis translatis eas indicat « *the*

saurizas tibi iram » *Rom.* 2,5; τὸ γὰρ παραυτίκα προσκαιρὸν καὶ ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως... καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν 2 *Cor.* 4,17; et quid pulchrius illo ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν, quod alia imagine simili reddit Vulg. : *desolati* a vobis 1 *Thess.* 2,17?). *Antitheses* acutas habes *Rom.* 2,21 sqq.; 2 *Cor.* 4,8 sqq.; 6,9 sqq. etc., *enumerationes Rom.* 1,28 sqq.; 2 *Cor.* 6,4 sqq. etc.; *gradationes Rom.* 5,3 sqq.; 8,29 sqq. etc etc.

4. *S. August.* de doctr. christ. IV. 7. (M.34,93). Eodem loco S. Doctor integrum locum 2 *Cor.* 11,16-30 rhetoricae analysi subiicit, ut ostendat, quam pulchre variata sint « caesa, quae κόμματα Graeci vocant, et membra et circuitus ».

5. *Anacoluthi Rom.* 5,12 sqq., ubi post ὥσπερ κτλ. frustra exspectas οὕτως; simili modo 2,17 εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος κτλ apodosin suam habet v. 21 forma non correspondente cfr. 9,22 sqq.; 16,25. 27 etc.; *breviloquentiae Rom.* 11,18 « quod si gloriaris, (scito quod) non tu radicem portas, sed radix te »; 1 *Cor.* 11,16; 2 *Cor.* 6,13 etc.; *longiores* multisque incisis interruptae *phrases Rom.* 1,1-7; 3,24-27; *Eph.* 1,3-14 etc.

6. *S. Iren.* c. haer. III. 7 (M. 7,865); *S. Epiph.* haer. 64,29 (M. 41,1116); *Orig.* in Rom. Praef. (M. 14,833).

7. *Longini* fragm. cfr. in *Fabric.* Biblioth. gr. IV. p. 445. « κορωνὶς δ'ἔστω λόγου πάντος καὶ φρονήματος ἑλληνικοῦ Δημοσθενῆς... πρὸς τούτους Παῦλος ὁ Ταρσεύς, ὄντινα καὶ πρῶτόν φημι προιστάμενον δόγματος ἀναποδείκτου. De cuius fragmenti authentia et genuina explicatione cfr. *Hug* Einl. II. p. 334-336.

8. *Gal.* 1,6 sq.; 3,1 sqq.; *Rom.* 2,1 sqq.; 1 *Cor.* 5,1. 2; 6,1 sqq.; *Hebr.* 10,26-31 etc.

9. 2 *Cor.* 11,19 sqq. (et toto illo cap. passim); *Gal.* 5,12.

10. *Gal.* 5,7 sqq.; 2 *Cor.* 6,11-13; *Gal.* 4,19 etc.

11. *Rom.* 8, 31-39; 1 *Cor.* 13, 1 sqq.; 2 *Cor.* 11, 23 sqq. etc.

12. *S. Chrys.* De laud. S. Pauli hom. 1. (M. 49, 473). — De Apostoli lingua et stylo prae ceteris egregie agit *Photius* Amphiloch. qu. 92. 93. (M. 101, 576 sqq.).

117. — Restat, ut pauca de epistolarum DISPOSITIONE addamus. Praeter ep. ad Hebr. Paulus omnes more antiquo a salutatione inchoat; in plerisque vero ad ecclesias datis sibi unum alterumve ex discipulis, qui ecclesiis illis cogniti erant, socium adiungit, longe frequentissime Timotheum, praeterea Silvanum et Sosthenem[1]. Epistolam ad Galatas scripsit in plenitudine apostolicae suae auctoritatis, quam in ipsa salutatione asserit; quamobrem nullum ex sociis suis nominare potuit, sed « fratres », qui tum temporis cum eo erant, omnes secundo loco ponit. Simile quid obtinuit in epistola ad Rom.; illo enim tempore, quo illis scripsit, nec ipse nec socii eius Romanis erant cogniti, ideoque in salutatione vocationem suam ad apostolatum inter gentes exercendum velut rationem affert, qua ad epistolam scribendam sit permotus; ratio autem haec ei erat propria. Cur in epistola ad Ephesios neminem sibi associaverit, non satis liquet; clarum autem est, eum in pastoralibus, quibus Timotheum et Titum docet, quomodo in ecclesiis regendis sese gerere debeant, alium socium apte nominare non potuisse.

Antiquam vero salutationis formulam (χαίρειν), quam in Iacobi epistola et in decreto apostolico retentam videmus, mutandam censuit : aut

enim fidelibus cum S. Petro « gratiam et pacem », aut cum S. Ioanne « gratiam, misericordiam et pacem » apprecatur[2] : qua de re egregie *S. Chrysostomus* : « O salutationem innumera bona afferentem! Hoc Christus Apostolos in domus intrantes primum pronuntiare iubet verbum; ideo Paulus sic ubique orditur, a gratia et pace. Neque enim Christus leve modicumque terminavit bellum, sed gravissimum, universale, diuturnum, idque non laboribus nostris, sed gratia sua. Quoniam igitur caritas gratiam, gratia pacem producit, hac salutationis forma precatur, ut ea maneat perpetua et immota, neve aliud excitetur bellum. Atque datorem rogat, ut illa firma conservet : gratia, inquiens, vobis et pax a Deo Patre nostro et Iesu Christo » etc[3].

Salutationi apostolicae subiungere solet gratiarum actionem de bonis ecclesiae illi, cui scribit, a Deo praestitis; qua non tantum indirecte fideles ad easdem gratias agendas exhortatur, sed simul etiam animos eorum sibi conciliat, quum ea, quae bene ab ipsis cum gratia divina sunt gesta, ab Apostolo aperte agnosci et commendari viderint; imo interdum eadem in gratiarum actione thema, de quo scripturus est, iam insinuat. In epistola ad Galatas autem gratiarum actione omissa immediate a salutatione ad increpandam eorum levitatem transit, atque in epistola ad Hebraeos, quae homiliae potius, quam epistolae, formam habet, sine ullo prooemio in medias res transiliens statim a principio thema suum aggreditur.

Quibus duobus, velut prooemio, praemissis suum argumentum tractare incipit; quam tractationem variam esse pro argumenti varietate, opus non est, ut dicamus. In plerisque tamen epistolis primo in loco dogmaticam quaestionem evolvere solet, illique postponere exhortationem ad virtutes illas, quas ecclesiae magis necessarias esse censebat.

Epilogus demum praeter salutationes, quas vix unquam omisit, benedictionem apostolicam continet, quam haud raro sua manu adscripsit.

1. Timotheus et Silvanus in 1 et 2 *Thess.*; Timotheus solus in 2 *Cor.*, *Philipp.*, *Coloss.*, *Philem.*, Sosthenes in 1 *Cor.*

2. Χάρις καὶ εἰρήνη in omnibus paulinis praeter pastorales, in quibus χάρις ἔλεος εἰρήνη; priorem formulam adhibet S. Petrus in utraque epistola ita tamen, ut verbum πληθυνθείη addat; alteram habet 2 *Ioan.* — *Iudas* singularem habet formulam : ἔλεος καὶ εἰρήνη καὶ ἀγαπὴ πληθυνθείη.

3. *S. Chrys.* in Rom. hom. 1,4 (M. 60,390). *S. Thom.* in Rom. 1. lect. 4 : « *Gratia* est primum inter Dei dona, quia per eam iustificatur impius; *pax* est ultimum, quod in beatitudine perficitur... Et sic per haec duo bona intelliguntur alia intermedia ». Ceterum hac de re in commentario erit agendum.

CAPUT II.

DE EPISTOLIS PAULINIS SINGULIS.

I. De Epistolis ante priorem Apostoli captivitatem scriptis.

§ 5. — *De duabus epistolis ad Thessalonicenses.*

118. — I. De Thessalonicensium urbe et ecclesia. Thessalonica, hodie Saloniki, illo tempore, quo S. Paulus divina visione invitatus cum Silvano, Timotheo aliisque sociis Macedoniae Evangelium attulit, praecipua erat istius regionis civitas. Cassander, Antipatris filius, antiquum Thermarum oppidum incolis vicinarum civitatum coactis amplificasse novaeque urbi in honorem uxoris suae Thessalonicae, Philippi Magni filiae, novum Thessalonicae nomen imposuisse dicitur; aliorum tamen opinio est, Philippum ipsum antiquis Thermis in memoriam victoriae de Thessalis reportatae nomen illud indidisse[1]. Quidquid est, inde ab Alexandri M. tempore urbem hanc crescere coepisse constat, ad summum autem fortunae culmen tunc tandem pervenisse, quando Macedonia a Romanis subiecta in provinciae formam redacta est (146 a. Chr.). Ab illo enim tempore caput erat Macedoniae secundae, sedes praetoris romani et quaestoris[2]. Situs autem opportunitas non parum ad eius incrementum contulit. Etenim ad sinum thermaicum posita optimoque portu praedita Thessalonica nodus simul erat coitusque viarum, quae ex mediterraneis partibus ad mare ducebant, atque centrum quodammodo viae egnatianae, quae a Dyrrhachio per Macedoniam et Thraciam ad ostia usque Hebri percurrens Italiam cum Hellesponto coniungebat. Unde factum est, ut inter imperii romani praecipua et ditissima emporia unum ex primis locis obtineret Corinthumque amplitudine opibusque fere aequaret. At eidem civitati morum corruptione et intemperantia libidinum vix quidquam cessisse fertur[3]. Longe maior incolarum numerus Graeci erant et Romani, sed Iudaeos quoque quam plurimos florentissimum urbis commercium attraxerat[4], qui pro more suo non paucos proselytos sibi adiunxerant.

1. Cfr. *Strab.* VII. 330; *Dionys. Halic.* Antiqu. Rom. I. 49; *Steph. Byz.* de Urbibus et populis s. v. Θεσσαλονίκη; *Iulian. Imper.* orat. 3.

2. *Liv.* XLV. 29; *Cic.* Planc. 41.

3. *Strabo* l. c.; *Lucian.* Asin. 46. — In regno byzantino Thessalonica secundum

post Constantinopolim locum occupabat; cfr. *Kiepert* Lehrb. der alten Geogr. Berlin 1878. p. 313.

4. Hodie quoque Saloniki inter septuaginta millia incolarum circiter viginti millia Iudaeorum numerat; de suo autem tempore haec *Salmer.* (in 1 Thess. Disp. 1. vol. XV 358) : « nunc autem civitas illa conventus est et emporium Iudaeorum, in quam confluunt omnes, qui in Occidente a Christo deficiunt ad Moysen »

119. — In florentissima hac Macedoniae civitate Apostolus gentium secundam suam in Europa ecclesiam fundavit[1]. Philippis enim, qua in colonia europaicam suam missionem inchoaverat, Iudaeorum incredulorum invidia pulsus cum Silvano per Amphipolim et Apolloniam a. 52. Thessalonicam venit, « ubi erat synagoga Iudaeorum ». Secundum consuetudinem suam introivit ad Iudaeos, « et per tria sabbatha disserebat eis de Scripturis, adaperiens et insinuans, quia Christum oportuit pati et resurgere a mortuis, et quia hic Christus est Iesus, quem annuntiavit eis ». Attamen, quemadmodum alibi, ita Thessalonicae quoque Iudaei plerique Evangelium respuerunt; ex eis enim pauci tantum (« quidam », τινὲς) « crediderunt et adiuncti sunt Paulo et Silae ». Fidem vero, quam inter contribules suos frustra quaesivit, invenit apud proselytas et ethnicos; nam « de colentibus gentilibusque multitudo magna et mulieres nobiles non paucae » in Ecclesiam intrarunt[2]. Interdiu manu sua laborans victum quotidianum quaerebat, noctes autem impendebat, ut gregem suum quotidie crescentem in Iasonis cuiusdam, apud quem devertebatur, domo congregatum erudiret fideique doctrinam atque mores christianos doceret[3].

Paucarum igitur hebdomadarum spatio fundata est ecclesia thessalonicensis; qui felix Evangelii progressus Iudaeorum iram provocavit Assumtis igitur otiosis subbasilicanis (ἀγοραῖοι), qui in magnis emporiis frequentissimi inveniuntur, seditionem movent, Iasonis domum adoriuntur, ut Paulum et Silvanum capiant; quibus non inventis Iasonem aliosque fratres ad magistratus attrahunt, criminis laesae maiestatis, novae scilicet religionis, quae pro imperatore Iesum quendam regem proclamet, propagatae accusant, magistratibus totique populo, qui Romanos timebant, non parvum terrorem incutiunt. Iason autem, qui vir nobilis fuisse videtur, cautionem dedit et Paulus, ne nascentem ecclesiam neophytosque in fide nondum plene confirmatos maiori periculo exponeret, civitatem ad tempus relinquere satius ducens cum Silvano Beroeam profectus est. At eius discessu ira et invidia Iudaeorum non quievit; etenim non tantum a neophytorum persecutione non destiterunt, sed quamprimum audierunt Apostolum inter Iudaeos beroeenses magno cum fructu Evangelium praedicare, eum secuti nova seditione excitata coegerunt, ut relicta Macedonia in Achaiam transfretaret. Athenas appulsus Timotheum et Silvanum, quos in Macedonia reliquae-

rat, ad se accersivit, advenientes autem mox reverti iussit, atque Timotheum quidem, quem Iudaei thessalonicenses cognitum non habebant, Thessalonicam misit, ut neophytos visitaret et in eorum tribulationibus consolaretur[4].

1. Fundationem ecclesiae thessalonic. narrat S. Lucas *Act.* 17,1 - 10. (Cfr. *supra* 104 p. 368).

2. Maiorem neophytorum thessalonicensium numerum ex ethnicis venisse docet 1 *Thess.* 1,9, quo ex textu etiam elucet plerosque ante Evangelium acceptum non fuisse proselytos iudaicos (« quomodo conversi *estis* ad Deum a *simulacris* »). Idem insinuat vulgatus textus *Actuum* : « et de colentibus gentilibus*que* multitudo magna » ; quam lectionem ex codicibus graecis tuentur A. D. cum nonnullis minusculis, ex versionibus praeter vulgatam etiam coptica. Reliqui quidem codices graeci atque aliae versiones omnes legunt τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων : veri autem similitudine caret haec lectio, quoniam expressio ὁ σεβόμενος Ἕλλην nusquam occurrit nec apud Lucam occurrere potest, cui Ἕλλην non est nomen nationis sed nomen religionis, atque proin ὁ σεβόμενος Ἕλλην « ethnicus verum Deum colens » est contradictio in adiecto. Unicus N. T. locus, in quo Ἕλλην barbaro oppositus Graecum natione designat, est *Rom.* 1, 14; in aliis omnibus Iudaeo opponitur et religionem indicat.

3. Cfr. *Act.* 17,6 sqq. cum 1 *Thess.* 2,9 - 12.

4. Cfr. *Act.* 17,15. 16 et 1 *Thess.* 3,1.

120. — II. Occasio et finis epistolae 1 ad Thess. — Paulus interea Athenis Corinthum profectus erat, qua in urbe, quum diutius commoraretur, Timotheus cum Sila ex missione sua macedonica redux de ecclesiae thessalonicensis statu certiorem eum fecit. Laeti in genere erant nuntii, quos attulit, id quod ex epistola priore satis elucet. Firmi neque persecutione fracti neophyti in fide accepta permanserant, atque uti fidem, ita etiam spem caritatemque suam opere ita probaverant, ut novae ecclesiae fama non tantum in Macedonia et Achaia esset propagata sed etiam in longinquis terris iam celebraretur; Pauli quoque, patris sui spiritualis, semper memores erant eiusque desiderio tenebantur[1]. At nonnulla minus grata referre debuit Timotheus; Iudaei enim increduli, ut neophytos a fide averterent, aperta persecutione non contenti calumniis quoque sparsis Pauli famam videntur esse aggressi, illum velut hominem describentes, qui avaritia vanaeque gloriae studio ductus doctrinas falsas spargeret, quique astutus se ipse quidem persecutioni subtraheret seductis medio in periculo relictis. Praeterea inter neophytos retulit Timotheus nonnullos a praecipuis ethnicorum vitiis, ab avaritia et libidine, nondum plane abstinere, alios, quia secundum Domini adventum instare crederent, otioso vitae generi sese dedisse, alios demum ob eandem causam de statu eorum, qui ante Domini adventum morerentur, inquietari et contristari[2].

Quibus nuntiis permotus est Apostolus, ut primam suam epistolam scriberet. Pro magno enim amore, quo omnes suos neophytos complec-

tebatur, gratias quidem egit Deo de virtutibus, quibus Thessalonicenses excellebant, at pericula, quae illorum fidei quum ab Iudaeis calumniatoribus tum ab illorum ipsorum debilitate imminebant, timens attentos illos reddere voluit, ne incauti perirent. Refutandas ideo censuit calumnias contra se sparsas, ne diminuta in magistrum fiducia fides ipsa periclitaretur, exhortandos fideles, ut ab omnibus omnino vitiis abstinerent, edocendosque ne erroneis de Christi adventu sententiis turbarentur. Haec tria igitur sibi in hac epistola proposuit, ut hac ratione neophytos in fide confirmaret vel, quemadmodum loquitur S. Thomas, « ut eos contra praesentes tribulationes praemuniret »[3].

Quae vero sibi proposuit, ea ita exsequitur, ut post gratiarum actionem, qua neophytorum virtutes commendat, in *priore historica* epistolae parte (2,1-3,13) calumnias indirecte refutet suo agendi modo, quem praesens et absens tenuerat, explicato, in secunda autem *paraenetica* (4,1-5,22) a vitiis absterreat et de secundo Christi adventu edoceat neophytos[4]. Accuratiorem idearum nexum exhibebit haec analysis.

1. 1 *Thess.* 1,3. 7; 3,6; 4,9 etc.

2. 1 *Thess.* 2,1 sqq. 17 sqq.; 4,3 sqq. 11 sqq. etc.

3. *Ambrosiaster* in 1 *Thess.* 2,3. 4. *polemicum* finem Paulo attribuit : « hoc propter pseudapostolos dicit, qui in dolo et fallacia praedicabant non missi, ut circumvenirent gentes ad serviendum legi factorum »; simili modo *Card. Hugo* Postilla in 1 *Thess.* 3; *Salmer* disput. 2. in 1 *Thess.* aliique antiquiores interpretes. At parum recte polemicum finem statui tota epistola docet, praesertim si ex. gr. cum 2 *Cor.* comparatur. Inter modernos autem interpretes controvertitur, num Paulus, ubi suam inter illos conversationem Thessalonicensibus in memoriam revocat, *apologeticum* quendam finem prae oculis habuerit, an lectores suos exhibito suo amore consolari tantum et exhortari voluerit. Priorem sententiam probabiliorem ducimus, quia melius explicat, non tantum cur tam fuse suum agendi modum Apostolus explicaverit, sed etiam cur acerbam illam diatriben contra Iudaeos Evangelii propagationem impedientes inseruerit. Istos enim, ubi aperta persecutione Apostolum attingere nequiverunt, calumniis sparsis eum impugnasse non temere admittimus, quamvis diserta calumniarum testimonia epistolae non contineant.

4. Duas epistolae partes iam agnoscunt *Card. Hugo*, *S. Thomas* aliique, sed non easdem, quas nos. *Card. Hugo* : « in prima parte (1,2-4,17) invitat lectores ad perseverantiam in fide et tolerantiam tribulationum, in secunda (5,1 sqq.) instruit eos in moribus »; *S. Thom.* : « in prima (1,2-3,13) laudat eos de praeterita perseverantia, in secunda (4,1 sqq.) monet eos ad bene agendum in futuro »; *Goldhagen* (Introd. in SS. Moguntiae 1768. III. p. 381) : « pars prima (1,2-3,13) ad communem pertinet totius ecclesiae thessalonicensis statum; secunda (4,1 sqq.) ad privatorum quorundam errores et emendationes »; *H. Kilber* (Analysis bibl. Ed. 2. Paris 1856. p. 481 sqq.) : pars prior paracletico paraenetica (1,2-3,13), altera didactico ethica 4,1-5,22); *Bisping* (Exeget. Handb. III. 1. Ed. 2. Münster 1865) priorem partem historicam (1,1-3,13) velut introductionem habet ad alteram partem paraenetico-didacticam (4,1-5,28); *Drach* (Les épitres de St Paul. Paris 1871. p. 514) : « La première partie (1,1-3,13) est plutôt historique;... la seconde (4,1-5,24) contient une partie dogmatique... et une partie parénétique »; *I. M. Guillemon* (Clef des épitres de S. Paul. Paris 1873. II. p. 136 sq.)

duas statuit partes, ita ut prior (1, 1-3, 13) exhortationes, altera (4, 1-5, 22) institutiones exhibeat; *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 606) quatuor, quarum prima (1,1-3,13) neophytorum fidem et constantiam laudat, altera 4,1-11) eorum vitia quaedam notat, tertia (4, 12-5, 11) eorum dubia de secundo Christi adventu removet, quarta (5, 12-28) veram vitam Christiani adumbrat. Alii aliter.

121. — III. Analysis epistolae 1 ad Thessalonicenses.

I. Exordium (1,1-10), quemadmodum in plerisque epistolis, constat

1. *inscriptione consueta* (Pauli, Silvani, Timothei) **1, 1**

2. et *gratiarum actione* ob fructus, quos Evangelium inter Thessalonicenses tulit (1,2-10).

a.) Continuas gratias agit Deo propter eorum fidem operantem, caritatem laborantem, spem sustinentem, quia certus est de eorum electione (1,2-4);

b.) quam certitudinem hausit ex eo,

α.) quod ipse quidem apud illos praedicare potuerit in virtute, in Spiritu sancto, in plenitudine multa (1, 5),

β.) illi autem non obstantibus tribulationibus cum gaudio fidem ita acceperint, ut aliis ecclesiis facti sint exemplar, quippe quae inde didicerint, quomodo ipse apud illos sit conversatus et quos fructus illi ex suò adventu hauserint (1,6-10).

II. In parte priore historica (2,1-3,13) illis in memoriam revocat, qualem se ipse praesens apud eos exhibuerit et quid absens illorum causa egerit, simulque commemorat, quales Thessalonicenses in sua praesentia et in sua absentia fuerint. Qua simplici narratione indirecte et Iudaeorum calumnias refutat et Thessalonicensibus, ut in bona via permaneant, animum addit eorumque erga se amorem excitat augetque.

1. *Qualis ipse praesens egerit et quales ipso praesente fuerint Thessalonicenses* (2, 1-16);

a.) Qualis ipse praesens fuerit (2,1-12) Thessalonicenses suis oculis viderunt (2, 1).

α.) Tribulationibus, quas Philippis passus erat, non fractus cum fortitudine inter eos Evangelium annuntiavit, quam fortitudinem hausit quum ex obiectiva praedicationis veritate, tum ex pura intentione, qua in praedicando soli Deo placere studuit (2,2-4).

β.) Neque enim apud eos favorem hominum quaesivit, nec divitias, nec gloriam (2,5-7), sed ob amorem suum erga eos id unum intendit, ut illis traderet Evangelium (2, 7. 8)[1].

γ.) Ideo etiam, ne eos gravaret, nocte et die laboravit, atque neophyti non minus quam Deus ipse testes fuerunt, quam sancte et iuste apud illos conversatus sit, quantaque cum sollicitudine paterna singulorum salutem promovere studuerit (2,9-12).

b.) Quales Thessalonicenses ipso praesente fuerint (2,13-16):

α.) Acceperunt nimirum Evangelium tamquam verbum Dei (2, 13),

β.) eiusque virtutem in ipsis operantem ostenderunt persecutione fortiter tolerata, qua fortitudine similes facti sunt primis Christianis

hierosolymitanis persecutionem passis etiam a Iudaeis, qui iam Dominum et Prophetas occiderunt et omnibus adversantur, quia gentibus Evangelium praedicari nolint (2,14-16).

2. *Qualis ipse absens fuerit et quales ipso absente neophyti* (2,17-3,10) in hac altera sectione ita coniunctim describit, ut tenerrimum suum erga illos amorem manifestet; etenim

a.) absens ad eos redire saepius et ardenter desideravit, sed quominus propositum exsequeretur, impeditus est a satana (2,17-20);

b.) quare saltem per Timotheum eos visitare voluit, ut eos exhortaretur et consolaretur, ne persecutione perdurante frangerentur; sciunt enim Christianos sine tribulatione esse non posse (3,1-5);

c.) neque minus tenerrimum suum amorem cognoscere possunt ex magno gaudio, quod expertus est, quum per Timotheum de eorum perseverantia in fide et caritate deque eorum erga se amore certus redditus esset; quibus nuntiis adductus est, ut abandantius Deo grates ageret ab eoque ardentius reditum suum ad illos precibus efflagitaret (3,6-10).

3. Concludit hanc partem precatione ad Deum, ut ipsi quidem ad Thessalonicenses reverti liceat, illi autem in virtute progrediantur (3,11-13.

III. In ALTERA PARTE PARAENETICA (4,1-5,22) lectores ad vitia vitanda virtutemque sectandam exhortatur et de secundo Domini adventu nonnulla edocet.

1. *Exhortatio ad vitia vitanda* (4,1-12).

a) Post generale monitum, ut observent omnia mandata, quae illis tradidit (4, 1. 2),

b.) speciali modo eos exhortatur,

α.) ut castitatem illam observent, quae uniuscuiusque statum deceat (4,3-5), ac praesertim caveant ab adulterio (4, 6)[2], cui monito motiva subiungit (4, 7. 8);

β.) ut crescant in caritate fraterna, qua iam excellunt (4, 9. 10),

γ.) ut quieti diligentesque omnibus sint bono exemplo (4, 11. 12).

2. *Nonnulla docet de secundo Christi adventu* (4,13-5,11).

a.) De sorte illorum, qui ante secundum Christi adventum moriuntur, inquietos et contristatos docet, illos esse ita resurrecturos, ut una cum eis, quos Christus adveniens vivos sit reperturus, Domino sint occursuri (4,13-17).

b.) De tempore adventus Christi curiosius inquirentibus in memoriam revocat ea, quae hac de re illis tradiderat, subitum et inexspectatum Dominum venturum esse (5,1-3), quare necesse esse concludit, ut omnes semper vigilent virtutibusque fidei, spei, caritatis velut armis sint induti (5,4-11).

3. Ad *exhortationem* reversus (5,12-22)

a.) mutua officia subditorum et superiorum inculcat; subditis commendans erga praepositos gratitudinem caritatemque et cum illis concordiam (5,12-13), praepositis autem, ut pro uniuscuiusque necessitate subditos promoveant (5, 14. 15),

b.) atque subiicit monita generalia ad gaudium spirituale, continuam precationem, sapientem usum donorum spiritualium, abstinentiam ab omni peccato (5,16-22).

IV. Epilogus praeter benedictionem apostolicam et salutationem ecclesiae continet mandatum, ut epistola publice legatur (5,23-28).

1. Interpungendum censemus : « Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis,... neque in occasione avaritiae,... neque quaerentes ab hominibus gloriam... quum (quamvis) possemus vobis oneri esse (ἐν βάρει εἶναι in honore esse), ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum. Tamquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes (i. e. diligentes) vos cupide volebamus tradere » etc. Hac enim ratione evitatur omne anacoluthum et servatur genuina lectio (νήπιος, non ἤπιος), quam cum Vulgata optimi codd. graeci (B. ℵ. C. D. F. G.), antiquiores Patres (Clem. Alex., Orig., Cyr. Alex.) et versiones copt. et aeth. tuentur. Pro more suo Apostolus negationi (non fuimus etc) opponit affirmativum membrum (« facti sumus parvuli », qui nec adulantur, nec opes vel honores quaerunt).

2. Moderni interpretes non pauci, praeeuntibus iam S. Thom., Lyr. aliisque, vers. 6 « ne quis supergrediatur » etc. de cavenda fraude in negotiis quotidianis intelligunt; at cum Chrys. reliquisque graecis interpp., S. Hier. (*ad Eph.* 5,5), Est., a Lap. etc. eum omnino de cavenda illa impudicitiae specie, qua simul ius proximi laeditur, i. e. de adulterio cavendo, intelligendum arbitramur. Sed haec in commentario sunt demonstranda.

122. — IV. Ubi et quando priorem hanc epistolam Apostolus scripserit, haud difficulter et magna cum veri similitudine, opinor, definiemus, si ea, quae Lucas de Timotheo et Silvano ex Macedonia reducibus refert (*Act.* 18, 5), cum illis contulerimus, quae epistola de Timotheo ad Paulum reverso tradit (1 *Thess.* 3, 6). Vix enim dubitatio suboriri potest, quin in utroque loco de eodem reditu sit sermo. Quare cum plerisque modernis interpretibus epistolam Corinthi scriptam arbitramur a. 53., i. e. integro fere post anno, quam Paulus thessalonicensem ecclesiam reliquerat. Nam tota epistola ita comparata est, ut ecclesiam vix natam supponat, atque modus, quo Paulus de sua inter Thessalonicenses conversatione loquitur, vividam ac recentem eorum, quae narrat, memoriam fuisse scribenti demonstrat. Longum ergo temporis spatium inter ecclesiae illius fundationem interque epistolae originem ponere non licet. Neque nimis breve interponendum est; nam intermedio illo tempore Paulus ecclesiam beroeensem fundaverat, Athenas transvectus discipulos suos ex Macedonia accersiverat, advenientes in Macedoniam reverti iusserat, neque nisi illa missione macedonica terminata, postquam aliae interea iam ecclesiae in Achaia fundatae erant (1 *Thess.* 1, 7), nuntios illos accepit, quibus ad scribendam epistolam permotus est : quae omnia integrum fere annum, aut saltem complures menses absumsisse evidens est.

Codices quidem multi graeci (inter quos etiam A. L. aliique), latini,

syriaci, coptici in subscriptione Athenis epistolam scriptam dicunt; quam sententiam Theodoretus quoque, Euthalius, Ps. Athanasius, Oecumenius ex Graecis, ex Latinis autem Card. Hugo, Lyranus, Dionysius Carth., Sixtus Sen. aliique non pauci sequuntur, atque ex modernis aliqui adoptaverunt[1]. At codicum illorum subscriptio ex verbis epistolae (3, 1) non satis intellectis videtur esse exorta, quum per Timotheum epistola Thessalonicensibus allata putaretur. Dubium autem non est, quin haec opinio prorsus sit erronea; ex illa enim missione Timotheus iam reversus erat, antequam epistola scriberetur (3, 6). Quare Euthalius iam aliique plerique alterum iter atheniense Paulo attribuerunt, ut codicum testimonia explicarent; at nec tantae sunt auctoritatis nec antiquitatis pleraeque illae subscriptiones, ut earum explicandarum gratia itinera Pauli sint fingenda, quorum vestigium in Scriptura non reperitur. Quod si moderni quidam non nisi post priorem Apostoli captivitatem a. 66. vel 67. epistolam scriptam censent, toto eius argumento et contextu satis refutantur.

1. *Theodoret.* (M. 82,656) Athenis quidem epistolam scriptam dicit, de tempore autem non loquitur; *Euthal.* Diac. (Argum. epp. Paul. M. 85,769), *Ps. Athan.* (Synops. 66. M. 28,421), *Oecumen.* (Comm. Prol. M. 119,57), qui ad verbum consentiunt, Athenis scriptam asserunt epistolam, postquam Paulus iam Corinthi multas tribulationes perpessus erat. Cum quibus fere consentiunt latini interpretes *Hugo, Lyran., Dion. Carth.* etc., qui a verbis antiqui prologi latini dependent : « Scribit eis ab Athenis per Tychicum diaconum et Onesimum acolythum ». — Modernos interpretes protestanticos, qui Athenis epistolam scriptam putant, enumerat *Lünemann* in Meyer's Krit. exeg. Handb. Ed. 3. X. p. 9 sq.

123. — V. Occasio et finis 2 ad Thess. Haud diu postquam priorem epistolam scripsit, Apostolus rescivit, quemnam fructum in Thessalonicensium ecclesia produxisset : fideles enim, etsi vehementer ob fidem suam impugnarentur, adversariorum impetus forti animo sustinebant; florebat inter eos caritas fraterna, et fides eorum creverat. De secundo autem Christi adventu nova exorta erat animorum perturbatio. Timor quidem ille, qui pridem ob conditionem mortuorum animos occupaverat, omnino evanuerat; satis clare enim, quid hac de re esset tenendum, Paulus in priore epistola docuerat. Opinio autem videtur invaluisse proximum esse Christi adventum; inde timor aliquorum, inquieta aliorum exspectatio, non paucorum desidia et negligentia in negotiis suis peragendis. Ad quam opinionem stabiliendam nonnulli ex divina revelatione se de mox instanti die iudicii edoctos dictitabant; imo eo usque aliqui progressi sunt, ut ficta Apostoli epistola errorem suum confirmare conarentur; forte illis quoque, quae in priore epistola de adventu Christi dicta erant, eum comprobabant terminis, quibus utitur Apostolus, falsa interpretatione in suum errorem detorsis[1].

Eiusmodi fuisse thessalonicensis ecclesiae statum, quum alteram suam epistolam Apostolus scriberet, ipsa evidenter nos docet; unde quemnam finem in ea scribenda sibi proposuerit, iam elucet. Perniciosus enim ille error de immediato Christi adventu eradicandus erat, atque vitia ex illo errore profluentia erant reprimenda. Cui duplici fini duae epistolae partes respondent, quarum prior *dogmatica* post inscriptionem et gratiarum actionem consuetam (1,1-12) errorem illum refutat docetque immediate instare non posse Christi adventum, quia signa, quae eum praecedere debeant, nondum apparuerint (2,1-16); altera autem *paraenetica* monet, ut secundum praecepta ipsis tradita ambulent vitentque desidiam et inquietudinem ex erronea illa opinione exortam (3, 1-16)[2].

1. 2 *Thess.* 2,2; 3,17. — 1 *Thess.* 4,13. De quibus ultimis verbis inter alios recte *Card. Hugo* : « Quia in praecedenti epistola dixerat Apostolus : Nos qui vivimus, qui residui sumus etc, hoc male intelligentes et timentes, quia adhuc imperfecti erant et pauca bona fecerant, desperabant, et propter hoc Apostolus eos revocat ab hoc timore » etc.

2. Quamvis duae epistolae partes satis clare videantur esse indicatae, interpretes tamen non eodem modo epistolam dividunt. Duas partes quidem agnoscunt *Card. Hugo*, *S. Thom.* et plerique, sed nonnulli cum iisdem gratiarum actionem ad priorem partem trahunt. S. Thomas priorem suam partem in duas sectiones (1,3-12 et 2,1-16) distribuit, quarum priorem de praemiis bonorum et poenis malorum, alteram de periculis temporis Antichristi agere censet; Hugo duo priora capita in minutas particulas discerpit. *Bisping* (l. c. p. 66) etiam nobiscum duas partes distinguit, dogmaticam et paraeneticam, sed gratiarum actionem dogmaticae parti inserit. Male in tres partes dividitur a *Lyrano* (Apostolus reddit lectores benevolos 1,3-12, cautos 2,1-11, docibiles vel doctos 2,12-3,16), *Goldhagen* (l. c. p. 385), *Kilber* (l. c. p. 485 sqq.), *Drach* (l. c. p. 546), *Guillemon* (l. c. p. 162 : pars gratulatoria 1, 1-12; dogmatica 2, 1-16 ; paraenetica 3, 1-15). Iuxta *Kaulen* (l. c. p. 609) Apostolus Thessalonicenses laudat ob fidelitatem (1, 1-12), docet de adventu Domini (2, 1-16), exhortatur ad constantiam (3, 1-5), vituperat ob otiositatem (3, 6-16), alii alio modo.

124. — VI. Analysis epistolae 2 ad Thessalonicenses.

I. Exordium (1,1-12) iterum constat
1. *inscriptione* consueta (1,1. 2.) (Paulus, Silvanus, Timotheus),
2. et *gratiarum actione* (1,3-12), quae ita comparata est, ut simul eos in tribulationibus consoletur et ad perseverantiam exhortetur; etenim
   a.) gratias agit Deo ob profectum Thessalonicensium in fide, in caritate fraterna atque maxime in patientia, qua tribulationibus toleratis dignos se reddiderint regno Dei (1,3-5);
   b.) iustum enim Deum in die iudicii illis, qui tribulantur, mercedem, persecutoribus autem aeternam poenam esse redditurum (1,6-10).
   c.) Ut autem magis eos consoletur et exhortetur, promittit se pro eis Deum semper precaturum esse, ut maioribus gratiis acceptis magis proficiant in omni virtute (1,11. 12).

II. In dogmatica parte (2,1-16), quid de tempore secundi adventus Christi sentiendum sit, exponit.

1. Cavendum monet, ne sive praetensa quadam revelatione sive ficta epistola persuaderi sibi sinant, diem Domini proxime instare (2,1. 2).
2. Nam antequam Christus adventurus sit, praecessuram esse generalem quandam defectionem a fide et apparitionem « hominis peccati » i. e. Antichristi, id quod coram iam praedicaverat illis (2,3-5). Antichristi signa quidem praecursoria iam apparuisse, ipsum autem non adventurum, nisi illud, quod ipsum retineat, e medio sit sublatum; quid autem eum retineat, scire Thessalonicenses ex orali sua institutione (2, 6.7)[1].
3. Ut autem Antichristum nondum venisse clarius cognoscant, describit illis modum, quo acturus sit inter suos, simul explicans rationem, ob quam Deus haec permissurus sit (2,8-11).
4. Terminat autem hanc partem gratias agens Deo, quod (a deceptione illius Antichristi praeservaturus sit Thessalonicenses), quippe quos ad salutem elegerit et vocaverit (2,12. 13); quare sua ex parte Thessalonicenses fideles permaneant oportet collaborantes cum gratia, quam iis apprecatur Apostolus (2,14-16)[2].

III. In parte paraenetica (3,1-15)

1. rogat eos, ut precibus suis a Deo profectum Evangelii petant et ipsi Apostolo liberationem ab ipsius adversariis (3,1. 2).
2. Sperans autem fore, ut cum gratia Dei perseveraturi sint in praeceptis implendis, quae eis tradidit (3,3-5),
   a.) exhortatur eos ut abstineant a societate fratrum, qui praecepta illa non observent (3,6),
   b.) atque suo exemplo suoque praecepto in memoriam revocatis (3,7-10) illos, quos inquietos et desidiosos esse audivit, admonet ut se corrigant (3,11. 12).
   c.) Ad omnes iterum conversus vult, ut in virtute proficiant, abstineant a conversatione cum fratribus, qui monita Apostoli audire noluerint, eosque corripiant (3,13-15).

IV. Epilogus (3,16-18) continet benedictionem apostolicam salutationemque propria manu ab Apostolo additam, ex qua genuinam esse epistolam cognoscant.

1. Ita quidem secundum consuetam explicationem, quae de eo, quod Antichristi adventum retardet, sermonem esse censet. At altera est nova quorundam interpretum (*l. Grimm* Der κατέχων des 2 Thessalonicherbriefes. Stadtamhof 1861. p. 11 sqq.; *Danko* Hist. revel. N. T. p. 373 sqq.; *Simar* Theologie des h. Paulus. Freiburg 1883. p. 266) sententia, τὸν κατέχοντα et τὸ κατέχον esse ipsum Antichristum, qui quia nondum apparuerit, retineat adventum secundum Christi. Ex eorum igitur sententia 2,6. 7 nihil aliud dicunt nisi nunc, postquam Apostolus praecedentem suam doctrinam illis in memoriam revocaverit, scire Thessalonicenses, quid adhuc Domini adventum retardet, quum venturus non sit, antequam Antichristus apparuerit. Utra ex his sententiis praeferenda sit, in commentario erit explicandum.

2. Ab aliquibus versus 2,12-16 ad partem paraeneticam trahuntur : obstat autem,

quod 3,1 terminus τὸ λοιπόν partem finalem epistolae inchoari docet (cfr. 1 *Thess.* 4.1; 2 *Cor.* 13,11; *Phil.* 4,8; *Eph.* 6,10), quodque etiam gratiarum actio hoc in loco non explicatur, nisi deceptis ab Antichristo fideles thessalonicenses opponi dicantur.

125. — VII. De tempore et loco, quo secunda haec epistola scripta est, ambigendi vix est locus. Omnino enim cum S. Chrysostomo, Theodoreto aliisque interpretibus fere omnibus tenendum est, eam non diu post priorem esse datam [1]. Eosdem enim, quos in priore, socios in inscriptione Apostolus nominat, Silvanum et Timotheum; Silvanum autem post alteram Pauli expeditionem apostolicam non amplius apud eum invenimus [2]. Idem quoque in secunda, qui in priore, epistola supponitur ecclesiae thessalonicensis status; creverant tantum desidia, inquietudo, curiositas aliquorum, quae vitia in priore epistola (4, 11) leviter iam erant insinuata. Hinc Corinthi epistolam scriptam censemus a. 53. exeunte vel ineunte 54. Namque importuni illi homines, a quorum persecutione precibus Thessalonicensium liberari vult Paulus, omnino videntur esse Iudaei corinthii, qui eum ante Gallionis tribunal attraxerunt [3].

Codicum quidem graecorum (A. K. L. P. multorumque iuniorum), copticorum, syriacorum subscriptiones Athenis scriptam epistolam dicunt, quibuscum consentit Theodoretus; aliqui vero codices syriaci Laodiceae in Pisidia, atque Euthalius, Ps. Athanasius, Oecumenius Romae eam scriptam esse volunt [4]; quonam autem fundamento opiniones hae nitantur, non apparet.

Secundam nostram ad Thess. epistolam secundo in loco esse positam, quia tardius, quam prior, ecclesiis innotuerit, quamvis prior tardius, quam secunda, ab Apostolo sit scripta, contendunt Grotius atque moderni nonnulli interpretes protestantici [5]. At prioritatem temporis prioris nostrae epistolae non tantum constans traditio tuetur, sed secunda quoque nostra demonstrat, quae toto suo argumento priorem iam scriptam supponit. Grotius suae sententiae invenit « magnum argumentum in fine epistolae, ubi Apostolus vult eos, ad quos scripta haec est, observare, quod sit manus suae signum in subscribendis literis; id quod minime fecisset, si iam antea aliqua ab ipso epistola Thessalonicam venisset »; at illud Pauli monitum fictam aliquam epistolam reprobat, qua nonnulli ecclesiam illam in errorem inducere voluerant (2 *Thess.* 2, 2), nullo modo autem excludit genuinam priorem. Quod si praeterea censet, secundam hanc epistolam scriptam esse ad Iudaeochristianos, qui iam ante Pauli adventum Thessalonicae degebant, *Actibus* (17, 1 sqq.) contradicit, qui ecclesiam integram thessalonicensem a Paulo fundatam esse tradunt. Ad hanc opinionem autem adductus non est, nisi falsa sua 2 *Thess.* 2, 4 interpretatione, quum in « homine peccati », « qui in templo Dei sedet, ostendens se tamquam sit Deus », Caium Caligulam videre vellet, qui statuam suam in templo hierosolymitano collocare co-

natus est. Ceterum 2 *Thess.* 2, 14 priorem epistolam iam ad eosdem Christianos scriptam esse evidentissime docet, quare etiam modernorum interpretum sententiae, qui temporalem epistolarum ordinem invertere voluerunt, vix quemquam invenerunt, qui illas probarent.

1. *S. Chrys.* in 2 Thess. hom. 1. (M. 62,467 sqq.), *Theodoret.* in 2 Thess. arg. (M. 82,657) etc.

2. Silvanus una cum Iuda Barsaba, ut decretum apostolicum ecclesiae antiochenae afferret, ab Apostolis missus (*Act.* 15,22 sqq.) Paulo socium secundi itineris sese adiunxit (*Act.* 15,40 sqq.), cum eodem in Europam transgressus Philippis in carcerem iniectus et liberatus Thessalonicam pervenit (*Act.* 16,19-17,1); Thessalonica quoque fugatus cum eo Beroeam profectus est (*Act.* 17,10), ibique ab eo relictus postea Athenas arcessitur (17,15) et in Macedoniam reverti iussus Corinthi se iterum Paulo adiunxit (18,5). Dein in *Actibus* non amplius nominatur; S. Petrus (1 *Petr.* 5,12) autem eum nominat; videtur igitur a Paulo ecclesiis asiaticis, quibus prior Petri epistola inscripta est, invigilandis a Paulo esse praepositus eodem modo, quo postea Titus cretensibus et Timotheus ecclesiis provinciae Asiae praepositus est.

3. 2 *Thess.* 3,1; *Act.* 18,12 sqq.

4. Codicum subscriptiones exhibet *Tischend.* N. T. gr. Ed. 8. II. p. 778. Cfr. *Theodoret.* in Comm. (M. 82,673), *Euthal.* Arg. epp. Paul. (M. 85,772); *Ps. Athan.* Synops. 67 (M. 28,424); *Oecum.* Comm. (M. 119,105) etc.

5. *Grotii* Opp. theolog. Basileae 1782. III. p. 936 et 948 (Adnot. ad. 1 et 2 Thess.). — *Ewald* (Sendschreiben des Apostels Paul. Göttingen 1857. p. 17 et Gesch. des apost. Zeitalters. Gött. 1858. p. 455 sqq.), *Laurent* (Studien u. Krit. 1864. p. 497 sqq.), *Davidson* (Introduction to the N. T. London 1868. I. p. 3. 16. 30 sqq.) utriusque epistolae authentia agnita in priore secundam supponi censent; simili modo, sed epistolarum authentia negata, *F. C. Baur* (Der Apostel Paulus. Ed. 2. II. p. 364 sqq.) secundam immediate post occisionem Galbae (a. 68.) scriptam dicit, priorem autem non nisi post eversa Ierosolyma scribi potuisse censet. Erroneis interpretationibus sententias has inniti interpretes demonstrant.

126. — VIII. De utriusque ep. ad Thess. authentia usque ad nostram aetatem dubitatum non est, nec a prudente dubitari potest; unanimis enim antiquitatis christianae consensus eam tuetur. Quod ut ostendamus, antiquiora dumtaxat testimonia afferemus ab exeuntis saec. 2. scriptoribus ad apostolicos Patres ascendentes.

Primus igitur testis nobis est *S. Irenaeus*, qui disertis verbis epistolas nostras tamquam « primam » et « secundam » ad Thess. allegat frequenterque eas adhibet [1]. *Tertulliani* testimonia omnia afferre longum est; illud unum dicemus, integro capite eum argumenta, quae ex utraque resurrectioni probandae inserviunt, collegisse atque simili modo duobus integris capitibus ex utraque Marcionem impugnasse [2]. Eodem autem tempore romanam ecclesiam eas in canone suo habuisse, testatur *fragmentum Murator.*, in quo legimus Paulum Thessalonicensibus « pro correptione » bis scripsisse [3]. Ecclesiae alexandrinae scriptorem unum citabimus *Clementem*, qui frequentissime priorem, rarius alteram adhibet [4]. Atque hi quidem testes exeuntis sunt saec. 2.

Medio autem eodem saeculo *S. Iustinus*, si « hominem iniquitatis » (ὁ τῆς ἀνομίας ἄνθρωπος) vel « hominem defectionis » (ὁ τῆς ἀποστασίας ἄνθρωπος) nominat, « qui grandia adversus Altissimum locuturus sit », sine ullo dubio ea prae oculis habuit, quae S. Paulus de « homine peccati (ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας), qui extollitur supra omne, quod dicitur Deus » et qui magnam apostasiam provocabit, in altera sua epistola ad Thess. docuit [5]. Paullo ante Iustinum etiam *Marcionem* utramque nostram epistolam in suo canone habuisse, tradunt Patres, qui contra eum scripserunt [6].

Ex Patribus demum apostolicis *Hermas* phrasin : εἰρηνεύοντες ἐν ἑαυτοῖς (pacifici inter sese), qua saepius utitur, ex priore epistola videtur desumsisse [7]; atque *S. Polycarpus*, si Philippenses admonet, ne Valentem presbyterum eiusque coniugem avaritiae deditos « sicut inimicos existiment », ad literam Pauli monitum ex altera ep. ad Thess. repetit [8]. Leviores allusiones, quas in epistolis S. Barnabae, S. Clementis Rom., S. Ignatii non admodum infrequentes esse docent indices scripturistici editionibus Patrum apostolicorum additi, omittimus [9]; plane enim sufficiens est authentiae argumentum, quod ex integri saec. 2. unanimi ecclesiarum quam maxime dissitarum testimonio desumitur.

1. *S. Iren.* c. haer. V. 6 et IV. 27 (M. 7,1138. 1061. — 1 *Thess.* 5,23; 2 *Thess.* 1,6). Cfr. praeterea 1 *Thess.* adhibitam a S. Iren. c. haer. V. 30 (M. 7,1205); 2 *Thess.* c. haer. III. 6. 7; IV. 25. 33. 36; V. 25. 28. 36. (M. 7, 863. 865. 1064. 1093. 1189 sqq. 1198.) etc.

2. *Tertull.* de resurr. carn. 24; c. Marc. V. 15. 16 (M. 2,827 sqq. 308 sqq.).

3. *Fragm. Murat.* lin. 53-55; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 184.

4. *Clem. Alex.* allegat 1 *Thess.* 2,5 - 7. Paedag. I. 5 et Strom. I. 1 (M .8,272. 693); — 1 *Thess.* 4,3 - 9. Strom. II. 11; IV. 12 (M. 8,984. 1296); — 1 *Thess.* 5,5 - 8. Paedag. II. 9; IV. 22 (M. 8,493. 1352; — 1 *Thess.* 5,13 - 22. Paedag. III. 12; Strom. I. 11 (M. 8,676. 752). — 2 *Thess.* 2,4. Strom. VII. 12; 2 *Thess.* 3,12. Strom. V. 3. (M. 9,497. 36).

5. *S. Iustin.* c. Tryph. 32. 110 (M. 7,544. 729) cfr. 2 *Thess.* 2,3. 4.

6. Inter alios cfr. *S. Epiph.* haer. 42, 11. (M. 41,721).

7. *Hermae* Pastor. Vis. III. 6. 9. 12; Simil. 7,2 et cfr. 1 *Thess.* 5,13.

8. *S. Polyc.* ad Philipp. 11; cfr. 2 *Thess.* 3,15.

9. Cfr. Indicem locorum S. Script. in *Funk* Patr. apost., qui in *S. Barn.* epistola duas, in *S. Clem. Rom.* 1 *Cor.* tres, in *S. Ignat.* M. epp. duas allusiones adnotat.

127. — Testimonia, quae attulimus, satis explicant, cur usque ad nostrum saeculum nemo unquam epistolarum nostrarum authentiam addubitare ausus sit; postquam vero rationalistica principia, secundum quae testimoniis externis, etsi gravissimis, posthabitis et reiectis interna sola argumenta authentiam operis demonstrant, in scholis protestanticis praevalere coeperunt, primae hae Pauli epistolae reliquis libris sacris associatae eandem, quam illi, sortem subierunt. Ineunte nostro saeculo primus *I. E. Chr. Schmidt* secundae epistolae originem paulinam in dubium vocavit, sed eius obiectiones vix

quemquam, ut ei assentiret, permoverunt. Mutata autem est rerum conditio, quum neotubingianorum parens, *F. Chr. Baur*, ipse in aciem progressus utriusque authentiam impugnare coepisset; non paucos enim, qui sibi adhaererent, invenit, attamen ne ipsis quidem asseclis suis omnibus persuadere potuit, utramque esse confictam, et maior discipulorum eius numerus solius secundae genuinitatem hodie negat[1]. Magni quidem momenti argumenta, quibus stabilire conantur sententiam suam, non sunt; praecipua tamen afferemus, ne quid demonstrationi nostrae deesse videatur.

Obiectiones contra 1 Thess. igitur sunt hae : 1.) Epistola Paulo est indigna; etenim si 4,13-18 excipitur, nullum argumentum dogmaticum tractat, sed integra generalibus nonnullis monitis constat et repetitione verbosa historiae conversionis Thessalonicensium, quae illis satis nota fuit quamque falsarius ex Actibus videtur hausisse. « Levitas et inanitas argumenti, atque absentia certae et determinatae occasionis, quae epistolam provocare potuit, iam sufficiunt, ut eam Paulo abiudicemus »[2]. — At, quaeso, si tam leve et inane epistolae est argumentum, quid falsarium permovit, ut eam componeret? Num forte stylum dumtaxat exercere orationemque paulinam imitari voluit? Epistolae enim stylum Paulo esse dignum ne ipse quidem adversarius noster negat. Quod si ex Actibus hausit historiam conversionis Thessalonicensium, quomodo fit, ut multi interpretes rationalistici epistolam nostram Actibus contradicere asserant[3]? Sed his omissis inane et leve argumentum esse is solus asserere audebit, qui epistolam non intellexit. Etenim per paucas tantum hebdomades Thessalonicenses Apostolum cognoverant et audierant; post eius discessum gravissima persecutione premebantur; quid ergo mirum, si Apostolus eorum defectionem timens calumnias, quibus Iudaei persecutores apostolicam auctoritatem destruere conabantur, refutandas censuit; quomodo autem melius quam recordatione eorum, quae praesens et absens pro iis egerat, illas refutare potuit? Num singularis ille et vero paternus amor, qui in tota epistola apparet, a Thessalonicensibus etiam spernebatur, quemadmodum a neotubingianis vilipenditur? Atque praecepta moralia, quibus abundat epistola, neophytisne illis levia erant et inania et nullius momenti?

2.) Epistola haec ab epistolis ad Corinthios dependet; eaedem enim ideae in illis sunt expressae, imo eadem verba adhibita[4]. — Operae pretium non est textus, quibus hanc obiectionem stabilire vult, singulos examinare; eodem enim argumento, quo Baur epistolae nostrae dependentiam ab epistolis ad Corinth. demonstrare conatur, alius earum a nostra dependentiam demonstrare potest. Utrumque autem in gravissimo errore versari nemo non videt, quum ecclesias illas iisdem fere in circumstantiis nascentes iisdem monitis non indiguisse gratis supponant et eundem scriptorem de iisdem rebus scribentem eadem verba adhibere posse sulte negent. Ceterum quam plurimae ex illis similitudinibus, quas affert, prorsus non sunt ad rem[5].

3.) Epistola nostra paucis mensibus post ecclesiae thessalonicensis fundationem scripta esse vult; atqui non pauca continet, quae eo tempore scribi non potuere. Quo enim cum iure neophyti nascentis illius ecclesiae omnibus credentibus in Macedonia et Achaia exemplaria fuisse dicuntur? Quo cum iure « non solum in Macedonia et Achaia, sed in omni loco » fides eorum iam lau-

dabatur? Quomodo post tam paucos menses Apostolus dicere potuit se iam « semel et iterum » eos visitare voluisse? Num iam post paucos menses monita illa ad otiositatem vitandam, ad castitatem observandam etc, necessaria fuerunt[6]? — Obiectio haec, si quid valeret, ad summum demonstraret epistolam tardius esse scriptam, quam vulgo admittitur; at ne hoc quidem demonstrat. Quemadmodum primi Christiani hierosolymitani unanimitate sua iam primis diebus excelluerunt et velut exemplaria proponebantur, ita Thessalonicenses, quum ab initio persecutioni essent expositi, statim fortitudinis exemplaria facti sunt. Quod terminus ille « in omni loco » non magis sit premendus et urgendus, quam similis expressio « in omni mundo » (*Rom.* 1,8), est evidens. Monita autem necessaria fuisse nemo mirabitur, qui thessalonicensium ethnicorum perversos mores consideraverit et baptismo perversas inclinationes non destrui non negaverit. Atque cur Paulus violenta persecutione impeditus, ne in civitate illa, quae tam avide Evangelium acceperat, diutius remaneret uberioresque fructus colligeret, quam citissime in illam reverti desiderare non potuerit, nemo prudens videbit.

4.) Comparatio Thessalonicenses inter et Iudaeochristianos (2,14-16) affectata est et longe arcessita, nec decet Apostolum, qui nunquam Iudaeochristianos ethnicis conversis imitandos proponit; multo minus autem decuit Paulum Iudaeis obiicere, eos esse « odium generis humani »[7]. — At tantum abest, ut comparatio illa sit longius quaesita, ut magis obvia et aptior non inveniatur; utraque ecclesia, palaestinensis et thessalonicensis, persecutionem patitur, utraque ipsos suos contribules persecutores habet, utraque eandem in persecutione fortitudinem exhibet. Profecto stipes tertium comparationis videre potest. Nec sane dedecuit Apostolum de Christianis palaestinensibus, qui eius erant contribules, gloriari, quod fidei causa tot tantasque tribulationes tam fortiter superaverint. Ultimam autem obiectionem non protulisset Baur, si versum sequentem legisset; vidisset enim Paulum Iudaeos incredulos non eo sensu dixisse « omnibus hominibus aversari », quo illis ab ethnicis « odium generis humani » obiiciebatur; nam iam S. Thomas monuit: « adversantur autem in hoc, quia prohibent et impediunt praedicationem gentilium eorumque conversionem ».

1. *Schmidt* Einl. ins N. T. 1804. II. p. 256 sq.; *Baur* Der Apostel Paulus. Ed. 2. II. p. 94 sqq. Anhang p. 341 sqq. Utriusque epistolae authentiam etiam negant *Noack* Der Ursprung des Christenthums. Leipz. 1857. II. p. 313 sq.; *van der Vries* De beiden brieven aan de Thessalonicensen. Leyden 1865; *Volkmar* Mose Prophezie und Himmelfahrt. Leipz. 1867. p. 114 sq. — Alterius tantum authentiam impugnant *Lipsius* in Stud. u. Krit. 1854. p. 905 sq.; *Weisse* Philos. Dogmat. Leipz. 1855. I. p. 146; *van Manen* De echtheid van Paulus brieven aan de Thessal. Utrecht 1865; *Pfleiderer* Der Paulinismus. Leipz. 1873. p. 28; *Holtzmann* in Schenkel's Bibellex. 1875. V. p. 503 sqq.; *eiusdem* Einl. ins N. T. Ed. 2. 1886 p. 236 sqq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 642 sqq. etc.

2. *Baur* Der Apostel Paulus. p. 94 sq.

3. Cfr ex gr. *Renan* Les Apôtres. Introd. p. XIV; *Davidson* Introd. I. p. 28 sqq. « It is not easy to bring the epistles (to the *Thess.*) into exact correspondance with the *Acts*, neither is it important (?!). The history of the latter may be supplemented and *corrected* (?!?) by the notices of the former »; *Jülicher* Einl. 1894. p. 38.

4. *Baur* l. c. p. 95 et fusius p. 342 sqq.

5. Statim primum, quod affert, exemplum nec eandem ideam exprimit nec in verbis concordat. 1 *Thess.* 1,5 : ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη εἰς ὑμᾶς ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει. 1 *Cor.* 2,4 : καὶ ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Iure merito ipse *Jülicher* (l. c. p. 37) asserit : « In Sprache, Wortschatz, Haltung steht er (sc. 1 Thess. den vier Hauptbriefen so nahe wie möglich ».

6. *Baur* l. c. p. 97 sqq.

7. *Baur* l. c. p. 96.

128. — Quibus nugis neotubingianis omissis, antequam obiectiones contra secundae epistolae authentiam proferri solitas proponamus, difficultas quaedam remanet solvenda, quae ex hac epistola contra Apostoli inspirationem desumitur. Etenim non tantum protestantici interpretes quam plurimi, sed etiam pauci nonnulli catholici contendunt S. Paulum erronee putasse et *docuisse* in secundo Christi adventu se adhuc in vivis fore [1]. Num Apostolus hoc speraverit annon, inquirendum non est, sed num hoc revera docuerit atque ita sit locutus, ut eius verba aliam eamque commodiorem explicationem non admittant. Etenim verba, quibus utitur : « *nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini* » (ἡμεῖς οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Ἰησοῦ [2]), si nude spectantur, illam explicationem admittere libentes fatemur; in suo autem contextu considerata illam prorsus excludere contendimus.

Namque paucis post versibus huius adventus tempus accurate se definire nolle asserit, quoniam ea, quae hac de re scitu sint necessaria, praesens iam docuerit : « de temporibus autem et momentis non indigetis, ut scribamus vobis; ipsi enim diligenter (ἀκριβῶς) scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet ». Interrogatus igitur a neophytis de adventus Christi die procul dubio idem illud respondit, quod Dominus ipse interrogantibus discipulis responderat : « De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater »; « sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis... Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Filius hominis venturus est » [3]. Praeterea, quum neophyti nonnulli thessalonicenses eius verba male intellexissent, in altera epistola errorem hunc corrigit explicitis verbis docens Christum venire nondum posse, quia signa praecursoria nondum apparuerint [4]. Si quis vero illud pronomen *nos* urgere vellet, ad absurdam illam conclusionem perveniret, ex Pauli sententia nec ipsum nec quemquam ex neophytis thessalonicensibus ante Christi adventum esse moriturum; eadem enim prorsus ratione, qua Apostolus, Thessalonicenses, quibus epistola erat scripta, pronomine illo comprehenduntur.

Ne Apostolum igitur sibi ipsum in hac epistola et in sequente contra-

dixisse et aliquid absurdi docuisse statuamus, alia est verborum explicatio quaerenda; aliae autem ab aliis sunt propositae. Sunt, qui Pauli phrasin hypotheticam esse putent; interrogatus enim, num illi, qui ante parusiam mortui fuerint, peioris sint conditionis, quam superstites, respondisse dicitur possibilitatem imminentis iam iudicii supponens, sed non approbans : « Si nos adveniente Christi supererimus, nullum prae illis, qui iam mortui sunt, habebimus commodum ». Quae explicatio, etsi latino textui forte accommodetur, graeca lectione excluditur; si enim ille fuisset Pauli sensus, non potuit dicere : ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, sed ἡμεῖς ζῶντες καὶ περιλειπόμενοι. Melius SS. Patres plerique difficultatem solverunt dicentes per personarum enallagen pronomine illo fideles designari, quos Christus adveniens in vivis reperturus sit. « *Nos* non de se ipso dicit, inquit *Chrysostomus*, quia non erat mansurus usque ad resurrectionem, sed fideles intelligit », atque *S. Augustinus* : « Illorum, quos viventes inventurus est Christus, personam in se atque illos, qui tunc vivebant, transfigurabat Apostolus »[1]. Contra quae obiicitur sensu communicativo pronomen hoc in loco non apte explicari, quia duae classes ab Apostolo distinguantur et inter se opponantur : ἡμεῖς οἱ ζῶντες et οἱ κοιμηθέντες; ideo scribi debuisse ἡμῶν οἱ ζῶντες et ἡμῶν οἱ κοιμηθέντες. Quare tertia sententia praeferenda, quae Apostolum ex mente Thessalonicensium eorumque falso supposito loqui et quasi ad hominem argumentari tenet. In duplici enim errore versatos esse neophytos eorum tristitia demonstrat; quoniam proximum esse Christi adventum putarunt, statum defunctorum cum suo comparantes contristabantur dicentes : « nos, qui vivimus, qui relinquimur in adventum Christi, melioris sumus conditionis, quam fratres nostri defuncti; praeveniemus enim illos in beatitudine regni messianici ». Utrumque quidem errorem, de meliore superstitum conditione et de immediate instante adventu Christi, refutare vult Apostolus, sed unum post alterum. Quare quaestione illa de adventus tempore interim seposita assumit verba Thessalonicensium, quae forte per Timotheum resciverat, et respondet : « nos qui vivimus melioris conditionis non sumus, neque praeveniemus fratres nostros mortuos, sed illi prius resurgent, atque nos cum illis simul obviam rapiemur Christo advenienti ». Omnino igitur ab illa quaestione temporis abstrahens fideles vivos mortuis opponit, ac deinde alterum errorem aggreditur : De temporibus autem et momentis non indigetis, ut scribamus vobis; scitis enim, quae hac de re docui, nihil scilicet de ea constare, sed semper nobis esse vigilandum, quia sicut fur in nocte veniet ille dies.

1. Inter catholicos ita senserunt *Ad. Maier* Einl. p. 244; *Bisping* Exeget. Handb. Ed. 2. III. 1 p. 47; *Seisenberger* Die Auferstehung des Fleisches. Regensburg 1868. p. 163. — Ex Protestantibus *Grotius* (i. h. l. Opp. theol. III. 943) iam in hac senten-

tia videtur fuisse; modernos enumerat *Lünemann* (Meyer Krit. exeg. Handb. Ed. 3. X. p. 128), cui si credimus, ille solus, qui praeiudiciis dogmaticis est imbutus, Paulum negabit in illa opinione fuisse. « Ieder nicht schon im Voraus durch dogmatische Voraussetzungen Befangene *muss* auerkennen, dass Paulus an unserer Stelle sich selbst so wie die Thessalonicher denjenigen beizählt, welche die Parusie noch erleben würden ».

2. 1 *Thess.* 4,14 sqq.

3. *Marc.* 13,32; *Matth.* 24,27. 42.

4. 1 *Thess.* 5,1 sqq.; 2 *Thess.* 2,1 sqq.

5. *S. Chrys.* in 1 Thess. hom. 7,2; cfr. in 1 Cor. hom. 42,2 (M. 62,436; 61,364); *S. August.* Civ. Dei XX. 20 (M. 41,688) etc.

129. — Iam ad OBIECTIONES CONTRA 2 THESS. veniamus. Sunt autem hae :

1.) In fine epistolae signum authentiae omnium epistolarum paulinarum indicatur, quod in plerisque deest : « Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. Ita scribo »[1]. — At falsarium illum, quem supponunt rationalistae, epistolas paulinas cognovisse docet eius stylus; quomodo igitur tali signo, quod non invenitur, indicato se ipse prodere potuit? Necesse ergo est, illud « in *omni* epistola » ad certam epistolarum classem restringamus. Ex 2 *Thess.* 2,2 autem apparet Thessalonicenses literis sub nomine Pauli fictis in errorem esse inductos; omnino igitur requirebatur, ut eiusmodi error in posterum praecaveretur, ideo in suis *ad Thess.* epistolis se hoc signo usurum esse promittit.

2.) Secunda epistola contradicit priori; in priore enim adventus Christi tam vicinus esse dicitur, ut Paulus ipse et Thessalonicenses advenienti Christo vivi sint occursuri; in altera vero signa praecursoria nondum apparuisse dicuntur[2]. Quid haec obiectio valeat ex illis, quae *supra* (128) diximus, satis apparet.

3.) Omissis illis vocabulis, quae, quia paulinae non esse dicuntur, Hilgenfeld contra epistolae authentiam afferre non dubitavit[3], illam unam obiectionem addemus, qua veluti ariete omnes epistolae adversarii eam funditus evertere se posse putant. Doctrina enim de Antichristo, quam tradit (2 *Thess.* 2,1 sqq.), ab aliis dicitur iudaica fictio Paulo prorsus indigna (Schrader), ab aliis ex Apocalypsi desumta ac proin post Pauli mortem exorta (Baur), ab aliis inventum Montanistarum (Schmidt); alii in Antichristo descripto recognoscunt Neronem ideoque descriptionem Neronis morte iuniorem dicunt (Kern), alii in « mysterio iniquitatis » gnosticae haereseos vident initia ideoque Traiani tempore epistolam scriptam censent (Hilgenfeld). Sed quis omnia rationalistarum commenta enumeraverit? Antequam ex hoc loco authentiam epistolae nostrae impugnare velint, de eius explicatione inter se rationalistae consentiant necesse est, ne alter alterius systema evertat: multiplicibus autem suis explicationibus, quae inter se pugnant, id unum ostendunt se ad genuinum huius loci sensum percipiendum nondum pervenisse, ac proin suas obiectiones omni solido fundamento privant. Patres quoque et interpretes catholicos de hoc textu inter se dissentire non diffitemur; est enim una ex interpretum crucibus, de quibus procul dubio in posterum quoque disputabitur. Neque id mirum, quoniam nobis cognita non sunt ea, quae Apostolus

ibi Thessalonicensibus cognita supponat, quippe quae praesens eos docuerit (2 *Thess.* 2,5. 6.). Ob obscuritatem autem textus alicuius authentiam epistolae negare non licet; multo minus autem licet absurdam obscuri textus interpretationem aliquam fingere et dein propter hanc fictionem textum reiicere. Sanae criticae et hermeneuticae praecepta postulant, ut libri cuiuscunque, cuius authentia solidissimis testimoniis historicis demonstrata est, interpretatio nulla admittatur, quae authentiam negat. Ceterum in commentario ostendemus, non deesse interpretationem, quae, etsi insanae curiositati non satisfaciat, aptissime tamen locum explicat; si vero nulla adesset, dicendum foret cum *S. Augustino:* « melius est premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere » [4].

1. 2 *Thess.* 3,17. Cfr. *Baur* Der Apostel Paulus II. p. 105; *Kern* Tüb. Zeitschrift für Theol. 1839. p. 218; *Holtzmann* in Schenkel Bibellex. V. p. 504 sq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 646. Ut responsum obiectioni datum refutent, contendunt a. 53. epistolas Paulo afflictas non esse. « Untergeschobene Paulusbriefe, inquit Hilgenfeld, waren Ende 53 oder bald darauf gewiss noch nicht zu besorgen ». At haec non asserenda, sed probanda erant, quum 2,2 de ficta epistola sit sermo, atque eiusmodi epistola non difficilius a. 53., quam a. 66., ut vult Baur, aut a. 98., ut vult Hilgenfeld, fingi potuerit.

2. *Baur* l. c. p. 102 (qui ob eandem rationem contradictionem invenit cum 1 *Cor.* 15, 52); *Hilgenfeld* l. c. p. 645; Holtzmann l. c. p. 506 sq.

3. *Hilgenfeld* l. c. p. 646 sq. duos dumtaxat terminos « non paulinos » affert. Paulus nomine « ὁ κύριος, » nisi ex V. T. textum allegat, solum Christum designat; atqui 2 *Thess.* 2,13; 3,3. 5. 16. hoc nomine designatur Deus. At quomodo demonstratur in locis allegatis non designari Christum? Evidentissime designatur Christus 2,13, in quo eodem versu θεός praecedit et sequitur. Idem quoque fieri 3,3. 5 apparet, si 2,15 et 1 *Thess.* 3,12 sq. comparantur. Cur vero Christus a Paulo vocari non possit ὁ κύριος τῆς εἰρήνης, nemo intelliget, qui *Eph.* 2,14 sqq. aliosque multos similes textus paulinos legit. — Alteram expressionem « non paulinam » invenit 2 *Thess.* 1,11, quo in loco ἡ κλῆσις designet vocationem ad martyrium, quum apud Paulum semper designet vocationem ad fidem. De martyrio autem in loco obiecto non esse sermonem luce clarius est. — *Holtzmann* l. c. p. 509 invenit expressiones ex ep. *ad Galatas* a falsario mutuatas; eas adscribere idem est atque eas refutare. 2 *Thess.* 2,2 : ταχέως σαλευθῆναι ἀπὸ τοῦ νοός ex *Gal.* 1,6 οὕτως ταχέως μετατίθεσθαι ἀπὸ τοῦ καλέσαντος (sc. in utroque loco invenitur ταχέως!); 2 *Thess.* 3,4 πεποίθαμεν ἐν κυρίῳ ἐφ' ὑμᾶς ὅτι ex *Gal.* 5,10 : ἐγὼ πέποιθα εἰς ὑμᾶς ὅτι; 2 *Thess.* 3,13. μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες ex *Gal.* 6,9 : τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν. Haec sunt omnia eius argumenta.

4. *S. August.* de doctr. christ. III. 9. (M. 34,71).

§ 6. — *De epistola ad Galatas.*

130. — I. De Galatia eiusque ecclesiis. Galatia, regio fertilis in media fere Asia Min. sita, nomen suum a Gallis traxit, qui Κελτοί, Καλτοί vel Γαλάται a Graecis nominabantur. Saec. 4. enim a. Chr. celticae nonnullae tribus, pristinis suis in Gallia sedibus relictis, partim in Ita-

liam irruperant, partim in Illyria et Pannonia consederant, unde frequentes in Macedoniam et Graeciam incursiones fecerunt, usque dum post Alexandri M. mortem Hellespontum transgressi a Nicomede, Bithyniae rege, cui auxilium in bello contra fratrem eius attulerant, parte aliqua Phrygiae donati sunt ibique sedes fixerunt (c. a. 278); hinc illa Phrygiae pars Galatia vel ob Graecos Gallis permixtos Graecogallia appellata est[1]. Tres tribus terram illam occupabant; Trocmi partem orientalem, cuius caput Tavium, Tolistoboii partem occidentalem, cuius caput Pessinus, Tectosagi partem intermediam, cuius caput Ancyra, incolebant. Foedere inter se iunctae singulae a quatuor tetrarchis regebantur; duodecim autem tetrarchae una cum concilio trecentorum virorum res confoederationis communes gerebant. Continuis suis, quas in vicinas terras faciebant, incursionibus terror erant totius Asiae Min., donec ab Attalo I., rege Pergami, magna clade devicti (a. 225) atque a Romanis prorsus subiecti sunt (a. 189). A quo tempore semper a Romanorum partibus stabant. Deiotarus, princeps eorum, quum Pompeium in bello contra Mithridatem adiuvisset, regis titulo ornatus novisque provinciis donatus est; Amyntas vero, Deiotari successor, ab Antonio et Augusto partes Lycaoniae, Pisidiae, Pamphyliae ipsamque Isauriam accepit, ut potentissimus esset rex Asiae Min. At post violentam eius mortem Romani regnum eius integrum in formam provinciae redigere satius duxerunt (24. a. Chr.), quae ex Amyntae regno nomen Galatiae retinuit, quamvis regio illa, quam Galati proprie dicti incolebant, parva dumtaxat provinciae novae esset pars[2].

Ex quibus apparet Galatiae nomen duplici sensu antiquitus esse usurpatum; quapropter quaestio exorta est, utrum « ecclesiae Galatiae », quibus Apostolus suam epistolam inscribit (ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας) in Galatia proprie dicta, an potius in illis Lycaoniae, Pisidiae et Pamphyliae partibus, quae Amyntae regno additae erant, sint quaerendae. Patres et antiqui interpretes de hac quaestione nihil certi tradidere; moderni interpretes, qui eam attingunt, longe plerique Galatiam proprie dictam intelligendam esse asserunt; nihilominus probabiliorem censemus eorum sententiam, qui ecclesias Galatiae volunt esse ecclesias illas, quas in primo suo itinere apostolico Paulus Antiochiae Pisidiae, Iconii, Lystris, Derbae in Lycaonia « universaque in regione in circuitu » fundavit[3]. Quae sententia hisce praecipue argumentis nititur.

1. *Liv.* XXXVIII. 16; *Iustin.* XXIV. 4 sqq.; XXV. 1 sqq.; *Strabo* XII. 5 etc. Cfr. *Contzen* Die Wanderungen der Kelten. Leipz. 1861. p. 187 sqq. etc. — Inter protestanticos interpretes nonnulli sunt, qui tribus istas, quae in Galatia sedes fixerunt, non Celtas sed Germanos origine fuisse arbitrantur atque hanc nostram epistolam ad Germanos scriptam esse gloriantur. Ita primus, ut videtur, *Stennecker* (Oratio de Galatis, in eius Comment. in omnes epp. Paul. Lipsiae 1595. p. 345) : « Quum ad

Galatas Paulum scripsisse legimus, ad nostros maiores, Germanos, cum scripsisse sciamus; Germani ergo epistolam hanc sibi vindicent ut haeredes et posteri » (!!?); quem sequuntur *Olshausen*, *Baumgarten-Crusius*, *Rückert*, *Wieseler*, *Meyer* (in suis commentariis), *Hilgenfeld* (Einl. p. 250), ex catholicis solus *Hug* (Einl. II, p. 353). Praecipuum eorum argumentum est, quod teste S. Hieronymo, qui satis diu Treviris commoratus est et iter per Galatiam instituit, « Galatae excepto graeco sermone, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam, eandem paene quam Treviri » habuerint (in Gal. Prooem. in l. II. M. 26,357); Treviros autem Germanos « circa affectationem germanicae originis ultro ambitiosos » fuisse tradit Tacitus (Germ. 26). At neque certum est S. Hieronymum, qui nec Trevirorum linguam addidicit neque brevi suo in Galatia itinere linguam Galatarum addiscere potuit, idoneum esse identitatis linguarum illarum testem, neque constat Treviros originis esse germanicae; Caesar enim et Hirtius Treviros a Germanis distinguunt (Bell. gall. III. 11; VIII. 45), Tacitus autem (l. c.) eorum originem germanicam negat potius, quam affirmat (« Treviri et Nervii circa affectationem germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur »); Nervios enim Celtas fuisse docet Caesar (Bell. gall. II. 4). Alia argumenta, quae ex ducum eorum nominibus (Lotarios [= Chlotahar?!], Leonorios, Deiotaros etc) desumuntur minoris sunt auctoritatis, quippe quae in celtica quoque lingua suas etymologias habeant. Fuse de hac quaestione agunt *Grimm* (in Stud. u. Krit. 1876. p. 208 sqq.), *A. Bertrand* (Revue archéol. 1875. I. p. 281 sqq. 391 sqq.) et *Arbois de Iubainville* (Rev. arch. 1875. II. p. 4 sqq.). Quidquid autem de gallica vel germanica Galatarum origine statuitur, Pauli epistolam ad omnes Christianos pariter pertinere patet.

2. Cfr *supra* n. 86. *n.* 9 et n. 102. *n.* 5 (pp. 326. 365), *Comment.* in 2 Cor. et Gal. p. 360 sq. — De *provinciae* Galatiae extensione cfr *Ptolem.* V. 4, 11 sq.; Plin. Nat. hist. V. 146 sq.; *Perrot* De Galatia provincia rom. Paris. 1867. p. 43 sqq., *Contzen* l. c. p. 268, *Renan* St Paul, p. 48 sqq., ac praesertim *W. M. Ramsay* The Galatia of S. Paul and the Galatic territory of the Acts (Studia biblica et eccles. by members of the Univers. of Oxford. 1896. p. 15 sqq.).

3. *Act.* 14,1 sqq. — Sententiam hanc ab *I. P. Mynster* (Kleine theol. Schriften. Kopenh. 1825) invectam inter alios adoptarunt *Niemeyer*, *Böttcher*, *Thiersch*, *Renan* (St Paul p. 47 sqq.), *Hausrath* (Neutestam. Zeitgesch. Ed. 2. 1872. p. 528 sqq.), *A. Iacobsen* (Quellen der Apostelgesch. 1885. p. 17), *Weizsäcker* (Das apost. Zeitalter. 1886. p. 236 sqq.), *Ramsay* (The church in the Roman empire, 1893. p. 13 sqq.) aliique multi. Cur hanc sententiam praeferamus, ex argumentis patet, quae afferemus.

Illud quidem urgere nolumus, quamvis in hac quaestione vi sua persuadendi nequaquam careat, quod in suis epistolis S. Paulus romano loquendi more adoptato nomina Asiae, Achaiae, Macedoniae ita semper usurpet, ut antiquiore vel vulgatiore eorum significatione neglecta provincias romanas designet[4]. Sed maioris est auctoritatis, quod epistola ipsa ecclesias Galatiae ante Concilium Apostolicum fundatas esse nos doceat. Etenim si Apostolus se subintroductis falsis fratribus, qui Ierosolymis Titi circumcisionem postulaverant, ne ad horam quidem cessisse asserit, « ut veritas Evangelii *permaneret apud eos* », obvius sine ullo dubio verborum sensus suadet, illo tempore, quo haec acciderunt, Evangelii veritatem iam apud eos fuisse. Atqui in Galatiam proprie dictam teste S. Luca Apostolus non nisi in secundo suo itinere pervenit[5].

Praeterea de Barnaba in hac epistola ita loquitur S. Apostolus, ut facile appareat, eum inter Christianos, quibus scribit, magna auctoritate esse gavisum; socium enim suum eum fuisse in itinere ad Concilium, secumque eum a columnis Ecclesiae agnitum esse cui concreditum sit Evangelium in gentes, non sine emphasi quadam refert, et tamquam rem, de qua lectores ipsi non mirari non possint, conqueritur, quod vel ipse Barnabas Antiochiae a neophytorum ethnicorum societate abstinuerit. Iam vero in prima quidem expeditione apostolica, in qua fundatae sunt ecclesiae in Lycaonia, Barnabas Pauli socius fuit, in secunda autem, quum « galaticam regionem », i. e. Galatiam proprie dictam, pertransiret Apostolus, cum eo amplius non fuit[6].

Porro omnibus fatentibus interpretibus integra epistola supponit S. Paulum non breve tempus inter Galatas esse commoratum: ipse autem Galatis in memoriam revocat, se, quum prima vice ad eos venisset, « per infirmitatem carnis » illis praedicasse, quae infirmitas tanta fuit, ut neophytis tentatio ad Evangelium respuendum fieri potuerit. Quae vero Lucas de Apostoli secunda et tertia expeditione refert, non permittunt, ut illum diu in Galatia proprie dicta commoratum esse dicamus, nec quidquam de « infirmitate carnis » eius, sive persecutio aliqua sive morbus aliquis hoc termino intelligitur, insinuant. Quam apte autem haec omnia explicantur, si ecclesias Galatiae dicimus illas esse, quas Iconii, Lystrae, Derbae et in omni illa regione fundavit! Diu enim Apostolum cum Barnaba illis in civitatibus commoratum esse diserte asserit Lucas : Antiochia Pisidiae a magistratibus eiecti venerunt Iconium, qua ex urbe contumeliis affecti et lapidati fugere coguntur; Lystrae iterum lapidatus est Paulus et pro mortuo relictus; ita tandem pervenit Derben. Tanta, ni fallor, « infirmitas carnis », tantae persecutiones neophytos ab Evangelio recipiendo absterrere potuerunt, et mirum non est, quod in hac sola epistola Apostolus « stigmata Domini Iesu, quae in corpore suo portet » commemorare voluerit; in fundandis enim ecclesiis illis prima acceperat lectoresque ipsi in eius corpore suis oculis ea spectarant[7].

Neque illud est omittendum, descriptionem eorum, quae Ierosolymis in Concilio Apostolico et Antiochiae in Pauli et Petri controversia acciderunt, in hac epistola tradi tam vividam atque expressam, ut res ante nostros oculos quasi geri videamus; unde concludamus oportet, non multos annos a Concilio Apost. usque ad scriptam epistolam effluxisse; in secundo igitur itinere apostolico scripta est, ideoque Galatae, quos saltem iam bis, antequam illis scripsit, visitaverat, incolae Galatiae proprie dictae esse non possunt[8]. Quibus demum addamus, omnium ecclesiarum ab Apostolo fundatarum, quibus epistolas scripsit, thessalonicensis, corinthiae, philippensis, ephesiae, historiam S. Lucam in Ac-

tibus studiosius et accuratius retulisse; solas Galatarum ecclesias silentio praeterisset, si in Galatia proprie dicta quaerendae essent[9]. Quae quum ita sint, nomine Galatiae in epistolis paulinis provinciam romanam huius nominis designari tantum non certum videtur esse.

Paucissima enim ad alteram demonstrandam in medium afferuntur, eaque, opinor, non magni roboris. Nam quid sibi vult, quod Scripturae loquendi usus adducatur, ex quo constet Galatiam sensu strictiore esse intelligendam? Nomen enim, si paulinas epistolas excipis, semel tantum occurrit; et si S. Petrum nomini huic strictiorem sensum attribuere concederemus, num Paulus quoque, qui Tarsi in vicinia provinciae Galatiae natus a puero nomine hoc adiacentes terras Lycaoniae et Pisidiae designari audierat, eodem stricto sensu illud adhibere debuit? Aut quia Lucas nomine « *galaticae regionis* » Galatiam proprie dictam intelligit, Paulum nomine *Galatiae* eandem regionem designasse dicemus[10]? At neophytorum, inquiunt, quibus Paulus scribit, indoles suadet, ut Galatas proprie dictos intelligamus; levitatis enim accusantur ab Apostolo neophyti, quod animi vitium ab antiquis scriptoribus etiam in Celtis vituperatur. Num forte illud Celtis ita erat proprium, ut in aliis populis non inveniretur aut inveniatur? Num Lystrenses satis evidens levitatis suae argumentum non dederant, quum Paulum, cui velut deo sacrificia offerre voluerant, paucis diebus post lapidarent[11]? Iam haec omnia sunt argumenta, quibus altera sententia fulcitur; illa autem, quum tam pauca et infirma sint, nostrae confirmandae potius, quam infirmandae inservire arbitramur.

4. Achaia *Rom.* 15,26; 1 *Cor.* 16,15; 2 *Cor.* 1,1; 9,2; 11,10; 1 *Thess.* 1,7. 8, uti Macedonia *Rom.* 15,26; 1 *Cor.* 16,5; 2 *Cor.* 1,16; 2,13 etc; *Phil.* 4.15; 1 *Thess.* 1,7; 4,10 certissime intelliguntur provinciae romanae; item Asia 1 *Cor.* 16,19; 2 *Cor.* 1,8; 2 *Tim.* 1,15, ac similiter Syria et Cilicia *Gal.* 1,21.

5. *Gal.* 2,5. Non negamus textum hunc, si altera sententia *demonstraretur*, etiam apte explicari *posse;* licet putemus eo in casu Paulum potius scripsisse : « ut veritas Evangelii *perveniat ad vos* ».

6. *Gal.* 2,1. 9. 13. Obiicitur quidem Barnabam etiam 1 *Cor.* 9,6 commemorari, quamvis Corinthi nunquam fuerit; facile autem apparet, obiter tantum et leviter de eo sermonem esse ad Cor., at in epistola ad Gal. eum afferri velut virum, cuius auctoritas magna erat apud lectores.

7. *Act.* 16,6 « *Transeuntes* (διῆλθον) autem Phrygiam et galaticam regionem » ; 18,23 « *Perambulans* ex ordine (διερχόμενος καθεξῆς) galaticam regionem et Phrygiam ». *Gal.* 4,13 sq., 6,17.

8. *Gal.* 2,1 sqq.; cfr. 4,13 τὸ πρότερον; etsi vocabulum hoc *per se* cum Vulg. verti possit « iam pridem », omnino tamen videtur abundare, nisi priorem commorationem ab altera distinguere voluit Paulus.

9. *Act.* 16,12-40 (Philippensium conversio); 17,1-10 (Thessalonicenses); 18,1-18 (Corinthii); 19,1-40 (Ephesii); de « galatica regione » nihil nisi 16,6: 18,23 (« pertransiit »).

10. 1 *Petr.* 1,1. Ceterum S. Petrum nomine Galatiae strictiore sensu usurpasse non

constat; reliqua nomina, quae adiungit, etiam provinciarum romanarum sunt nomina. S. Lucas (*Act.* 16,6; 18,23), qui Galatiam proprie dictam videtur intelligere, eam vocat τὴν Γαλατικὴν χώραν; 1 *Mach.* 8,2 autem afferri non potest, quia ibi de solis incolis est sermo, sed non de eorum terra.

11. *Gal.* 1,6. *Howson* (The Speaker's Commentary. N. T. III. p. 488), ut Celtarum levitatem demonstret, affert *Caes.* (Bell. gall. IV. 5 « sunt consiliis capiendis mobiles ») et *Thierry* (Hist. des Gaulois. Préf. qui eis attribuit « une mobilité extrême, point de constance, une répugnance marquée aux idées de discipline et d'ordre si puissantes chez les races germaniques, beaucoup d'ostentation, enfin une désunion perpétuelle, fruit d'une excessive vanité »), sed omnium horum in Pauli Galatis vestigium non invenimus. — *S. Hier.* (in Gal. 3,1. M. 26,355 sq.) alteram Galatas inter et Celtas invenit indolis similitudinem, quae aeque parum est ad rem et (cum tanti Doctoris honore sit dictum) non satis iustam continet incusationem. Quum « stultos et insensatos » Galatas suos vocet Paulus, « non est mirum, inquit S. Doctor, stultos et ad intelligentiam tardiores esse appellatos Galatas, quum et Hilarius, latinae eloquentiae Rhodanus, Gallus ipse et Pictavis genitus, in Hymnorum carmine Gallos indociles vocet. Et quod nunc oratorum fertiles sunt, non tam ad regionis diligentiam, quam ad rhetoricorum clamorem pertinet; maxime quum Aquitania graeca se iactet origine et Galatae non de illa parte terrarum, sed de ferocioribus Gallis sint profecti... Scit mecum qui vidit Ancyram, metropolim Galatiae civitatem, quot nunc usque schismatibus dilacerata sit, quot dogmatum varietatibus constuprata. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas et Manichaeos : nota enim iam haec humanae calamitatis vocabula sunt. Quis unquam Passaloryngitas et Ascodrogos et Artotyritas et cetera magis portenta quam nomina in aliqua parte romani orbis audivit? Antiquae stultitiae usque hodie manent vestigia ».

131. — In prima igitur expeditione apostolica a Paulo et Barnaba fundatae sunt ecclesiae, quibus epistola nostra est scripta. Apostolo ipso teste ab illis, quibus scribit, quum prima vice ad illos venisset, non obstante « infirmitate carnis suae », quae tanta erat, ut neophytos absterrere potuerit, magno cum gaudio sicut angelus Dei, imo sicut ipse Christus receptus est; praedicatio autem eius tanta illos implevit beatitudine, ut si necesse fuisset, vel ipsos oculos suos eruere et Paulo dare parati essent[1]. Neque id mirum, quum magno etiam cum zelo se illis praedicasse testetur atque Christi praesertim mortem tam vividis coloribus depinxisse, ut crucem velut praesentem oculis fidei cernerent[2]. Baptismo initiati et Spiritus S. donis ditati in via Domini « bene currere » et persecutiones cum animi fortitudine tolerare inceperant[3].

Quae de Galatiae ecclesiarum initiis ex epistola nostra hausta complere possumus iis, quae Lucas de iconiensis, lystrensis, derbensis ecclesiarum fundatione tradit. Quam primum Paulus et Barnabas ex Pisidia eiecti Iconium venerunt et synagogam ingressi Evangelium annuntiaverunt, credidit Iudaeorum et proselytarum copiosa multitudo; multo autem tempore ibi demorati nec Iudaeorum infidelium persecutione deterriti sed fiducialiter agentes in Domino, qui signis et prodigiis verba eorum confirmavit, maiorem etiam ethnicorum numerum

(praeter proselytos) ad fidem adduxerunt, ita ut multitudo civitatis esset divisa et alii quidem essent cum Iudaeis infidelibus, alii autem cum Apostolis. Praevalentibus demum persecutoribus contumeliis onerati et lapidati fugerunt Lystram et Derben atque propagarunt Evangelium in toto circuitu. A magno miraculo, claudi qui ab utero matris non ambulaverat sanatione, Lystrae apostolicum ministerium inchoantes pro diis habiti sunt, quibus offerenda essent sacrificia; avide ideo eorum doctrina recepta est, donec infideles Iudaei ab Antiochia Pisidiae et Iconio supervenientes persecutionem excitarent, in qua Paulus iterum lapidatus et quia mortus credebatur extra civitatem tractus est. At surgens et in civitatem regressus postridie cum Barnaba Derben abiit, ubi etiam multos docuerunt. Deinde iterum Lystram, Iconium, Antiochiam Pisidiae reversi neophytos confirmaverunt, ad perseverantiam in fide et constantiam in persecutionibus exhortati sunt, ac tandem postquam illis presbyteros praefecerunt, primo apostolico itineri finem imposuerunt[4].

Haec de ecclesiarum illarum fundatione S. Lucas : ex quibus apparet ecclesias illas ex Iudaeis et ethnicis conversis quidem coaluisse, praevaluisse autem ethnicorum numerum. Lystrae enim et Derbae Iudaei non commemorantur, in circuitu civitatum istarum Iudaeos fuisse parum est probabile, atque Iconii quoque praeter proselytos multi ethnici fidem acceperant. Ex epistola autem nostra etiam videmus duplici illo elemento iudaico et ethnico Galatiae ecclesias constitisse : Galatas enim ait Paulus « Deum ignorantes iis, qui natura non sunt dii, servisse »; nihilominus Legem mosaicam atque Scripturas eis cognitas supponit, quum ex iis argumenta sua desumat; innuit quoque lectores secum sub Lege esse custoditos et a Lege velut a paedagogo ad Christum esse adductos. Unde concludere licet maiorem numerum neophytorum ex « proselytis portae » venisse; circumcisi enim non erant[5].

In secundo suo itinere, quod post Concilium Apost. una cum Silvano suscepit, Paulus iterum ecclesias illas, « quae confirmabantur fide et abundabant numero quotidie », perambulabat illisque tradebat « custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Ierosolymis ». Interea enim controversia illa de legalibus exorta erat, et Paulus Antiochiae Syriae iam viderat, aliquos iudaizantes nihil non moliri, ut ethnicos neophytos ad Legis observationem adducerent. Quare decretis Concilii Apost. traditis eos contra adversariorum suorum conatus praemunivit gravissimis simul verbis eos admonens : « si quis evangelizaverit vobis praeter id, quod accepistis, anathema sit »[6]. Non diu hac vice videtur remansisse; latior enim campus ei aperiebatur. Assumto igitur Timotheo Lystrensi, cui « bonum testimonium reddebant qui in Lystris erant et Iconio fratres » eoque circumciso

« propter Iudaeos, qui erant in illis locis » per Phrygiam et Galatiam proprie dictam iter suum persecutus a Spiritu S. in Europam ductus est[7]. Ex brevi hac Actuum relatione iterum apparet, ecclesias illas ex Iudaeis et ethnicis conversis coaluisse, ethnicorum autem multos, quemadmodum Timotheum, proselytos portae ante acceptum Evangelium fuisse.

In tertio itinere easdem procul dubio ecclesias visitavit, licet diserta earum mentio in Actibus non habemus; inter Pauli autem socios praeter Timotheum nominatur Caius Derbeus, quem ecclesias illas pertransiens videtur secum sumsisse[8]. At ante hoc tertium iter probabiliter epistola nostra scripta est.

1. *Gal.* 4,13 sqq.
2. *Gal.* 3,1. Cfr. *S. Chrys.* i. h. l. (M. 61,618).
3. *Gal.* 3,2-4; 5,7.
4. *Act.* 14,1-25.
5. *Gal.* 4,8; 3,23. 24.
6. *Act.* 16,4. 5; *Gal.* 1,9.
7. *Act.* 16,1 sqq. Qui « ecclesias Galatiae » in Galatia proprie dicta quaerendas esse censet, is illarum fundationem secundo huic itineri adscribat oportet, in quo Apostolus forte diuturno morbo (« infirmitate carnis »), quem Lucas silentio praetermiserit, in galatica regione retentus Evangelium inter eius incolas propagavit; quis autem ecclesiarum illarum fuerit status ex sola epistola desumere poterit, sicut supra indicavimus.
8. *Act.* 18,23; 19,1; cfr. 20,4.

132. — II. Occasio et finis ep. ad Gal. — Vix e Concilio Apost. Antiochiam reversus Apostolus novum periculum suis ecclesiis a iudaizantibus imminere iam viderat; quia Ethnicochristianis non circumcisis salutem denegare non amplius poterant, saltem inferiorem eis locum in Ecclesia assignare conabantur. Plenam enim et perfectam cum illis societatem habere Iudaeochristianis non licere asserentes divisionem et discordiam in ecclesiam antiochenam introduxissent et neophytos ethnicos ad circumcisionem recipiendam indirecto modo coegissent, nisi Paulus summis viribus sese opposuisset et Petrum, qui ne iudaizantibus scandalum praeberet ab ethnicis conversis sese retraxerat, ad suas partes traduxisset[1]. Antiochiae autem repulsi victas manus non dederunt, sed callidiore modo conatus suos persequentes ecclesiis a Paulo fundatis absente Apostolo perversam suam doctrinam instillare studuerunt, ut ad circumcisionem ethnicos neophytos adducentes « in eorum carne gloriarentur ». Rebus Antiochiae compositis Paulus in secundo suo itinere Galatis decreta apostolica promulgaverat eosque contra novum iudaizantium Evangelium monitis suis praemunierat, quum mox post eius discessum apparuerunt pseudapostoli isti atque gravissimam in florentibus illis ecclesiis perturbationem excitarunt. Apostolica quidem decreta nec impugnarunt nec in dubium vocarunt;

salutem igitur neophytis non circumcisis non negarunt, at maiorem eos assecuturos esse perfectionem docuerunt, si circumcisioni Legique mosaicae sese submisissent.

Neque fucata illis defuerunt argumenta, quibus novam suam doctrinam stabilirent. Ante omnia enim Galatis primariorum Apostolorum, Petri, Iacobi, Ioannis exemplum proposuerunt, qui Iesum semper secuti ab eoque ipso edocti iudaicos ritus studiose observarent, ecclesiasque ab iisdem Ierosolymis et in Palaestina fundatas ostenderunt, quae eandem viam tenerent; Pauli igitur auctoritati auctoritatem « magnorum Apostolorum », « columnarum Ecclesiae » opposuerunt; Paulum diu post Christi mortem conversum missionem suam et doctrinam ab hominibus accepisse, illos vero ex ipso ore Domini veritatem hausisse et ab ipso Apostolos esse constitutos monuerunt; quemadmodum ergo Paulus non sit nisi Apostolus secundarius, ita neophytos ab illo conversos non esse perfectos Christianos, nisi circumcisione accepta dignos se reddiderint societate magnorum Apostolorum; quare Legem, etsi ad salutem assequendam absolute necessaria non sit, utilissimam esse et multum conferre, quandoquidem per Legem evasuri sint veri filii Abraham, cui datae sint promissiones. Addidisse quoque videntur, ne iugum illis imponerent, quod Iudaei ipsi portare non potuerant, circumcisionem solam iam sufficere neque omnium legum iudaicarum observationem requiri; accepta autem circumcisione eos etiam facilius Iudaeorum persecutiones a sese esse aversuros; imo ad ipsum Pauli exemplum, uti iam monet S. Chrysostomus, videntur provocasse, qui revera « propter Iudaeos » Lystrae Timotheum circumciderat, quando eum itineris socium assumserat : ac si non circumcisus dignus non esset, qui Apostolorum in societate semper viveret[2].

Quod simplices fideles eiusmodi argumentis ad iudaizantium partes attrahi se siverint, nemo mirabitur; Apostoli enim doctrinam facile addubitare potuerunt, quamprimum apostolicam eius auctoritatem addubitare coeperunt. Nihilominus finem suum nondum attigerant Pauli adversarii nec iam Galatas ad circumcisionem adduxerant, quando subintroductorum fratrum machinationes periculumque ecclesiis Galatiae imminens rescivit. Quis eum his de rebus certiorem fecerit, ignoramus; at quam grave illud periculum existimaverit, ipsa epistola, qua illi occurrendum esse censuit, evidenter demonstrat. Inter epistolas enim paulinas alia non est, in qua tanta appareat animi commotio imo concitatio; quare etiam dubium non est, quin tristibus illis nuntiis vix allatis eam scripserit[3].

In ea autem scribenda illum solum sibi proposuit finem, ut neophytos suos a magno, in quo versabantur, periculo defenderet et in bona via, in qua bene currere inceperant, fideles retineret. Quamobrem

duo debuit praestare : apostolicam suam auctoritatem doctrinaeque suae cum aliorum Apostolorum doctrina conformitatem a iudaizantium calumniis vindicare, atque intrinsecam veritatem doctrinae suae de iustificatione per fidem vivam in Christum adipiscenda demonstrare, ut hac ratione clarius appareret, nec Legem integram nec circumcisionem quidquam perfectionis fidelibus afferre. Unde duae praecipuae sunt epistolae huius partes; in quarum priore (1,11-2,21) *apologetica* auctoritatem suam et doctrinae suae cum doctrina aliorum Apostolorum conformitatem defendit, dum in altera (3,1-4,31) *dogmatica* doctrinam suam ex Scripturis demonstrat. Quibus duabus addit tertiam (5,1-6, 10) *paraeneticam*, in qua ex doctrina proposita sequelas practicas deducit et monita quaedam specialia tradit[4]. Idearum nexum trademus in sequente analysi.

1. Cfr. quae *supra* (113 p. 385 sqq.) de legalium controversia diximus.

2. *Gal.* 1,11 sqq. 2,1 sqq.; 5,2. 11 (cfr. *S. Chrys.* i. h. l. M. 61,667); 6,12 etc. Nescio annon ex eo, quod satis fuse de Tito non circumciso loquitur Apostolus, novum argumentum deducere possimus epistolam hanc Lycaoniae ecclesiis esse scriptam, in quibus Timothei circumcisio facilius a iudaizantibus contra Apostolum urgeri potuit.

3. Imo minime improbabile est, Paulum integram epistolam sua manu conscribere voluisse. Cfr. *S. Chrys.* in Gal. 6,11 (M. 61,678) : « Ceteras epistolas dictabat quidem, alius vero scribebat; hanc autem totam ipse scripsit. Fecit autem hoc coactus, non ob caritatem modo, verum etiam ad tollendam malam suspicionem. Quoniam enim traducebatur de iis factis, quibus obnoxius non erat, dicebaturque circumcisionem profiteri, dissimulans tamen quasi eam non profiteretur, ideo compulsus est epistolam sua manu scriptam mittere, deposito apud illos scripto testimonio ».

4. Antiquiores interpretes, *Card. Hugo*, *S. Thom.*, *Lyran.* etc, fere omnes duas partes distinguunt, dogmaticam (1-4) et moralem (5. 6), sed S. Thom. iam dogmaticam ipsam in duas sectiones dispertitur, quarum prior (1,5-2,21) « per auctoritatem evangelici documenti » altera (3,1-4,31) « per rationem Veteris Test. » Galatarum errorem impugnet. Moderni plerique *Kilber* (Analys. bibl. II. p. 453), *Goldhagen* (Introd. III. p. 363) *Windischmann* (Erkl. des Br. a. d. Gal. Mainz 1843. p. 8 sq.), *Reithmayr* Comment. (München 1865. p. 19 sqq.), *Drach* (l. c. p. 322), *Bisping* (l. c. VI. 1. p. 169), *Guillemon* (l. c. I. p. 410 sqq.) etc tres partes distinguunt eodem fere modo, quo nos, in tertia sola dissentientes, quam Kilber et Windischmann incipiunt a 5,12, Reithmayr a 4,8, Drach a 5,7, Bisping a 4,31, Guillemon a 5,13. Solus fere *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 587) post exordium (1,1-5) quatuor partes facere mavult, quibus Paulus 1. divinam muneris sui originem suamque praedicationem de fidei iustitia vindicet (1,6-2,21), 2. hominem non nisi fide iustificari demonstret (3,1-5,8), 3. mores christianos commendet (5,9-7,10), 4. agendi rationem iudaizantium doctorum cum sua vita comparet (6,11-18).

133. — III. Analysis Epistolae ad Gal.

I. Exordium (1,1-10) constat

1. *inscriptione* longiore, in qua duplex iam epistolae argumentum innuitur : « Apostolus non ab hominibus sed per Iesum Christum » (1,1. 2) et salus per solum Iesum Christum (1,3-5);

2. et *increpatione in Galatarum seductores* (1,6-10). Dum in aliis epistolis inscriptionem actio gratiarum excipiat de profectu eorum, quibus scribit, in hac statim stuporem suum de Galatarum levitate exprimit (1,6) atque seductoribus, qui doctrinam a sua diversam praedicant, anathema dicere non veretur (1,7-9), quippe qui non hominibus sed soli Deo placere velit (1,10).

II. In APOLOGETICA PARTE (1,11-2,21) apostolicam suam auctoritatem adstruit (1,11-24) suaeque doctrinae cum aliorum Apostolorum praedicatione conformitatem (2,1-21).

1. Ut *apostolicam suam auctoritatem* vindicet, se nec doctrinam nec missionem ab hominibus accepisse ostendit ex vitae suae historia (1,11-24), atque

a.) statuit thesin suam se Evangelium immediate a Christo accepisse (1, 11. 12), eamque

b.) probat in memoriam revocans lectoribus se, quamdiu in Iudaismo vixerit, persecutorem fuisse Ecclesiae et aemulatorem rituum iudaicorum (1,13. 14); quamprimum autem ad fidem vocatus sit et missionem ad gentes receperit, se non ad Apostolos Ierosolyma perrexisse sed longe ab eis in Arabia et Damasci vixisse (1,15-17); tribus annis post conversionem se utique Ierosolyma esse profectum, ut videret Petrum, sed quindecim dies tantum apud eum peregisse nec alium Apostolum praeter Iacobum vidisse (1,18-20). Quae iuramento confirmans (1,21) se postea in Syria et Cilicia vixisse asserit ignotum ecclesiis Iudaeae, quae nihil sciverunt, nisi illum, qui antea persecutor fuisset, nunc iam propagare Evangelium (1,22-24).

Unde satis clarum est, eum doctrinam et missionem suam non ab aliis Apostolis accepisse, sed eodem cum iure, quo reliquos Apostolos, immediatum discipulum Christi esse appellandum. Conclusionem autem hanc verbis non exprimit, sed

2. pergit ad ostendendam *doctrinae suae cum aliorum Apostolorum doctrina conformitatem* (2,1-21). Quem in finem duo facta in medium affert.

a.) Atque primum quidem quum quatuordecim annis post prius iter commemoratum denuo Ierosolyma venisset suumque Evangelium toti Ecclesiae et privatim Apostolis palam proposuisset (2,1. 2), illud reliquorum doctrinae conforme esse inventum patet

α.) ex eo, quod Titus, quem non circumcisum secum adduxerat, ad circumcisionem non sit coactus, quamvis pseudofratres id postulaverint (2,3-5);

β.) ex eo, quod suo Evangelio a reliquis nihil sit additum (2,6);

γ.) ex eo, quod columnae Ecclesiae videntes, ipsi esse concreditum Evangelium praeputii ipsiusque labores gratiis concessis a Deo esse approbatos, dexteras societatis ipsi dederint et tamquam genuino Apostolo conversionem gentium velut provinciam propriam assignaverint (2,7-10).

b. Idem autem ex sua cum Petro controversia apparere docet; nam

α.) Petrus Antiochiae cum ethnicis conversis ethnice vivens doctrinam Pauli vitae ratione approbavit (2,11. 12);

β.) neque minus illam approbavit tacitus Pauli reprehensionem admittens, quum ad Iudaeochristianorum scandalum vitandum sese ab ethnicorum societate separasset exemploque suo alios atque ipsum Barnabam ad idem faciendum perduxisset (2,12-14);

γ.) approbasse etiam censendus est rationes, quibus reprehensionem suam communivit Paulus,

αα.) quod Iudaeochristiani ipsi in Christum crediderunt, quia persuasum illis erat, hominem non ex operibus Legis sed per solum Christum iustificari, ita ut illi non peccent, qui Legem propter Christum relinquunt, sed ii peccent, qui relictam iterum assumunt (2,15-18);

ββ.) quod Christiani omnes, utpote Christo inserti, cum Christo in cruce per Legem Legi sint mortui, atque cum Christo resurgentes novam vitam agant in Christo (2,19. 20);

γγ.) quod Christi mors superflua esset, si Lex iustificaret (2,21).

III. Verbis suis, quae Petro coetuique antiocheno dixerat, relatis iam ipsam doctrinam suam demonstrare inceperat Paulus; fusius nunc eandem in DOGMATICA PARTE (3,1-4,31) evolvit, ostendens Legem ad iustificationem nihil conferre. Iudaizantes nomine filiorum Abrahae abutebantur, ut suam doctrinam de utilitate Legis et circumcisionis stabilirent, argumento hoc fucato usi: Ut aliquis benedictionum Abrahae particeps fiat, filius Abrahae sit oportet; atqui filius Abrahae fit homo circumcisione et Legis observatione, quibus populo electo inseritur; ergo perfectus Christianus sine illis esse nequit. Iam in hac parte dogmatica Paulus totus in eo est, ut hoc argumentum refellat et destruat. Ideo

1. provocat *ad experientiam Galatarum* (3,1-7). Dona enim Spiritus S. acceperant, quamprimum crediderant, etsi Legem non observassent; unde iam apparet in circumcisione perfectionem non esse quaerendam (3,1-5), quandoquidem Abrahae ex fide iustificato assimilati ac proin eius filii facti sint (3,6. 7);

2. provocat ad *doctrinam in V. T. iam revelatam* (3,8-4,20). Teste enim Scriptura Deus Abrahae promisit, fore ut in eo benedicerentur omnes gentes; (atqui benedictionem hanc Lex non confert); ergo ex fide eam gentes assequantur oportet (3,8. 9). Quum de Maiore constet,

a.) probat et evolvit Minorem, quam supposuerat. Testatur enim Scriptura Legem afferre maledictionem, quum nemo omnia Legis praecepta implere possit (3,10); maledictionem autem hanc Lex ipsa auferre non potest, quia Scriptura docet hominem ex fide vivere, Lex autem non agit de credendis sed de faciendis (3,11. 12). Christus vero hanc maledictionem abstulit, quum in cruce moriens illam in semet ipsum susciperet, ut Lege sublata per ipsum gentes fierent participes Spiritus Sti, i. e. benedictionis Abrahae promissae (3,13. 14).

b.) Occurrit obiectioni, annon promissio illa Abrahae facta post Legis promulgationem iam a Lege dependeat, etsi Lex benedictionem non

conferat. Quam obiectionem ita solvit, ut quis sit finis Legis et quaenam eius indoles, simul ostendat (3,15-4,7).

α.) Si foedera inter homines mutare non licet, multo minus licet mutare foedus Deum inter et homines initum; ergo etiam promissionem Abrahae et semini eius (i. e. Christo omnibusque Christianis, utpote uni Christo insertis) factam Lex superveniens nec irritare nec nova addita conditione mutare potuit (3,15-18).

β.) Lex autem ideo inutilis non est dicenda, quum data sit, ut homo suam infirmitatem cognosceret; promissione autem inferior est, quia ad tempus tantum, nec immediate per Deum sed per Angelos, nec immediate populo sed Moysi est data (3,19. 20).

γ.) Neque tamen Lex, quia provocat transgressiones, promissioni adversatur, nam adversaretur quidem, si ipsa iustificaret, quia iustificatio tunc non iam esset gratuita, sed ex operibus (3,21); manifestans autem infirmitatem homines impulit ad quaerendum medicum fuitque paedagogus ad Christum (3,22-24).

Attamen nunc post revelatam fidem homo non iam indiget paedagogo, neque ideo, quia Iudaei per Legem ad Christum adducendi erant, eodem paedagogo nunc indigent ethnici; per fidem enim et baptismum Christo inseruntur, ita ut ethnici et Iudaei in Christo unam personam mysticam constituant ac proin omnia communia habeant: omnes sunt semen Abrahae et ius habent ad eandem haereditatem (3,25-29).

Quae per filii minoris, qui sub tutoribus est, analogiam explicans docet tempus Legis fuisse tempus praeparationis et educationis (4,1-3), quod iam nunc sit finitum, quia Christus adveniens omnes in libertatem vindicaverit; libertatis autem testem esse Spiritum S. omnibus datum, in quo tamquam filii adoptivi Deum patrem nostrum dicimus ac proin ius ad haereditatem habemus (4,4-7).

c.) Dilutis obiectionibus brevi exhortatione (4,8-20) secundum argumentum terminat,

α.) monens, ne in servitutem, in qua antea ignorantes servierunt, iam nunc scientes revertantur, neque sibi ipsi fructus suorum inter ipsos laborum eripiant (4,8-11);

β.) obsecrans, ut pristini erga ipsum amoris memores suum exemplum imitentur (4,12-16);

γ.) docens cavendos esse pseudapostolos, qui ipsos perdituri sint (4,17. 18),

δ.) ac demum tenerrime eos deprecans (4,19. 20).

3. provocat ad *typicam interpretationem historiae filiorum Abrahae* (4,21-31).

a.) In memoriam revocat historiam; Abrahae duo nati sunt filii, unus ex serva secundum carnem, alter ex libera secundum promissionem datam (4,21-23);

b.) eandem explicat docens duas matres typice significare duo foedera. Hagar (Arabs natione) et serva, generans servum repraesentat Vetus

foedus, quod datum est in Sina, Arabiae monte, qui cum terrestri Ierusalem connexus est (4,24. 25); Ierusalem autem coelestis, quae etsi sterilis per repromissionem multo plures filios generat, inter quos etiam nos sumus, repraesentatur per Saram (4,26-28);

c.) In explicatione pergens in sorte duorum filiorum Abrahae praefiguratam videt sortem infidelium et fidelium. Ismael quidem persecutus est Isaacum, at tandem secundum voluntatem Dei e domo eiectus et haereditate privatus est (4,29. 30).

d.) Atque concludit quasi triumphans nos filios liberae esse, in quam libertatem nos Christus vindicavit (4,31).

IV. In TERTIA PARTE PARAENETICA (5,1-6,10) ex doctrina proposita deducit conclusiones nonnullas practicas (5,1-25), quibus adnectit monita quaedam specialia (5,26-6,10).

1. Inter *conclusiones practicas* (5,1-25)

a.) prima est, ut caveant, ne iugum servitutis iterum assumant (5,1); qui enim circumcisioni se subiiciunt, eo ipso ad totam Legem obligantur (5,2.3), e gratia Christi autem excidunt (5,4); in regno Christi enim Iudaeos et ethnicos esse aequales, quum in illo nihil aliud valeat, nisi fides, quae caritate est informata (5,5. 6).

b.) Altera est, ut bene attendant, non a Deo id venisse, quod viam, in qua bene currere incepissent, nunc iam reliquissent (5,7-9), seductores ipsorum autem iudicium non esse evasuros (5,10). Per transennam simul refutat calumniam, quod ipse adhuc circumcisionem praedicet (5,11. 12).

c.) Tertia demum est, ne libertatem a Lege male interpretantes carni servire incipiant; lex enim Christi, quae tota praecepto caritatis continetur, observanda est et spiritu ambulandum (5,13-16). Quae explicaturus enumeratis operibus carnis, quae a regno Dei excludant (5,17,21), et spiritus fructibus (5,22. 23) ostendit hoc in ipsa Christianismi natura esse fundatum, quum Christi discipuli cum Christo in cruce morientes carnem suam cum vitiis et concupiscentiis morti iam tradiderint (5,24. 25).

2. Ad *monita specialia* (5,26-6,10) transiens

a.) vitandum praecipit inanis gloriae studium (5,26),

b.) vitandam quoque superbiam, quae in aliorum contemtu maxime apparet, quum potius se invicem adiuvare debeant (6,1-5),

c.) exercendam autem gratitudinem in magistros (6,6), atque beneficientiam erga omnes, maxime erga fideles (6,7-10).

V. In EPILOGO (6,11-18), quam sua manu addit (6,11)[1]

1. *revelat illis perversa motiva pseudapostolorum*, qui legalia quaedam observant, ut persecutionibus se subtrahant, et legalium observationem postulant, ut in aliorum carne glorientur (6,12. 13), quibus se ipse opponit, qui in sola cruce Christi gloriam quaerit (6,14);

2. *repetit generale epistolae argumentum*, nec circumcisionem nec praeputium quidquam valere sed solam unionem cum Christo, qua sola ad pacem perveniatur (6,15.16);

3. *monet, ne ulterius ipsum impugnent,* quia genuinus Apostolus Christi ex tribulationum, quas pro Christo pertulit, stigmatis cognoscatur (6,17);
4. et *concludit benedictione apostolica* (6,18).

1. Num verba « qualibus literis scripsi vobis mea manu », de integra epistola, an de sola clausula sint intelligenda, controvertitur; alteram sententiam longe esse probabiliorem ostendimus in *Comment.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 604 sq.

134. — IV. Quo tempore et quo loco S. Paulus gravissimam hanc epistolam Galatis scripserit, iam inter Patres erat controversum, et vix alia est inter paulinas, de cuius tempore magis inter se dissentiunt interpretes, quoniam alii eam omnium primam, alii ultimam omnium dicunt. *Theodoretus* eam Romae in primis vinculis ab Apostolo scriptam esse suspicatur, secumque consentientes habet *S. Hieronymum, Euthalium, Ps. Athanasium, Oecumenium,* codicum nonnullorum graecorum versionumque syriacae et copticae subscriptiones[1]; *S. Chrysostomus* vero eam ante epistolam ad Romanos scriptam declarat eique consentire dicendi sunt codices illi, qui in subscriptione Ephesum locum originis nominant[2]. Prior sententia hodie ab omnibus interpretibus reiicitur, idque iure merito; nulla enim vinculorum fit mentio, sicut aliis in epistolis ex captivitate scriptis (quae enim *Gal.* 6. 17 leguntur, de illis intelligi non possunt), neque valde longum tempus ab ultima eius inter Galatas commoratione usque ad scriptam epistolam effluxisse satis elucet ex *Gal.* 1, 6.

Goldhagen iam communem dicit sententiam, quae Ephesi in tertio Pauli itinere epistolam exaratam tenet[3]; ac profecto haec sententia ab omnibus admittenda est, qui illam Galatiae proprie dictae incolis scriptam esse volunt. Sine ullo enim dubio ex ea colligitur, Apostolum, antequam eam scriberet, bis iam inter neophytos illos fuisse, et post ultimam eius visitationem non multum temporis effluxisse : Actuum autem testimonio constat, eum in secundo itinere prima vice galaticam regionem pertransisse et in tertio itinere finita sua per galaticam regionem peregrinatione per triennium fere Ephesi commoratum esse.

Ab hac vero sententia nobis recedendum est, quia epistolam romanae provinciae Galatiae ecclesiis destinatam esse censemus (*supra* 130); ideoque eam secundo iam Pauli itineri attribuimus, imo nescimus, annon recte viderint illi, qui nostram epistolam paulinarum omnium primam fuisse arbitrantur. Supra enim iam innuimus, illa quae in Concilio Apostolico de Titi circumcisione acta sunt, Pauli cum columnis Ecclesiae privatum consessum, eius cum Petro controversiam tam vividis coloribus depingi, ut illa ex recenti memoria hausta esse videantur. Vix nobis persuadere possumus ab illis usque ad scriptam epistolam quatuor vel quinque annos esse elapsos; tot autem saltem interponendi

essent, si Ephesi epistola esset scripta. Inter duo priora Pauli itinera interiacent initia controversiae eius cum iudaizantibus illorumque novi conatus, postquam Concilium Apost. decreto suo controversiam priorem iam diremit; quare facile concipitur, cur Apostolus, quum ecclesiis provinciae Galatiae decretum promulgaret, simul anathema dixerit illis, qui aliam doctrinam praeter eam quam ipse docuerat docere auderent; neque ullo modo verba illa nos cogunt, ut iam ante secundum Apostoli adventum iudaizantes ipsos in ecclesias galaticas irrepsisse statuamus.

Ut igitur secundo Pauli itineri epistolam adscribamus, omnia suadent, nec quidquam in ea integra invenitur, quod cum aliqua veri similitudine huic sententiae opponatur. Si quis vero ulterius quaerit, initione an medio an fini itineris sit attribuenda, fatemur idoneas rationes, quibus quaestio definiatur, prorsus deesse. Etenim non videmus, quid certi illi opponatur, qui eam, antequam Paulus in Europam transiiceret, scriptam esse asserit. Forte Troade per Lucam, qui ibi se ei adiunxit, rescivit Apostolus eosdem adversarios, quorum causa Antiochiae brevi antea Petrus ab ethnicorum societate sese subtraxerat, ipsum esse secutos et ecclesias galaticas perturbare coepisse; epistolam autem esse scriptam immediate postquam hac de re certior factus est, extra dubium est positum. Propter Patrum tamen catholicorumque interpretum auctoritatem, qui epistolas ad Thessalonicenses illam ad Galatas praecessisse asserunt (*supra* 111), Corinthi Paulum periculum Galatarum rescivisse eique occurrisse admittere malumus. Quoniam post epistolas Thessalonicensibus scriptas Silvanum, qui in secundo itinere Apostoli socius in visitandis ecclesiis Galatiae fuerat, non amplius in eius societate invenimus, suspicari licet per eum epistolam Galatis esse allatam; eius enim auctoritas, quippe qui ab Apostolis ipsis ad decretum hierosolymitanum Antiochiae promulgandum esset electus, non parum ad iudaizantium arrogantiam confutandam conferre potuit; revera aliquot annis postea, quando S. Petrus priorem suam epistolam « electis advenis dispersionis Ponti, *Galatiae*, Cappadociae, Asiae et Bithyniae » scripsit, Silvanum in illis Asiae Min. partibus magna auctoritate gaudere videmus (1 *Petr.* 5,12).

1. *Theodoret.* Comm. in ep. Paul. Praef. (M. 82,41 et 504); *S. Hier.* in Gal. 4,20 et 6,11 (M. 26,414. 452. « si confessionis vincula me non retinerent »; « prohibebatur vinculis »); *Euthal. diac.* Argum. epp. Paul. (M. 85,760); *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 62 (M. 28,417); *Oecum.* Comm. in epp. Paul. (M. 118,1089). Codicum subscriptiones exhibet *Tischend.* N. T. gr. Ed. 8. II. p. 662.

2. *S. Chrysost.* in Rom. hom. 1,1 (M. 60,393) : « videtur mihi epistola ad Gal. illam, quae ad Rom. est, praecessisse ».

3. *Goldhagen* Introd. III. 361; recentissimi interpretes catholici eiusdem sunt sententiae; inter Protestantes autem *Bleek-Mangold* (Einl. Ed. 3. 1875. p. 487) eam vocat « pervagatam ».

135. — V. De authentia ep. ad Gal. quidquam addere vix opus videtur, quia tota libelli indoles paulinam eius originem tam clare prodit[1], ut vel ipsi Neotubingiani eam agnoverint. Recentissime quidem post *Brun. Bauer*, qui olim iam toto Novo T. repudiato famam sibi nomenque colligere voluerat, pauci quidam « critici » batavi et helveti unitatem et authentiam epistolae nostrae ex Actibus, quos ex S. Lucae libro sibi ipsi confinxerunt, aggredi et convellere connisi sunt[2], sicuti antea Neotubingiani ex nostra epistola Actuum auctoritatem evertere conati erant. Eorum argumenta accurato examinare iudicio vel ideo operae pretium non esse existimamus, quia a longe maiore « criticorum » ipsorum, maxime germanicorum, numero velut futilia aut plane negliguntur aut obiter tantum et cum contemtu quodam tractantur[3].

Itaque externa testimonia nonnulla paucis subiungere malumus, quibus epistolae authentia extra dubium ponitur. In apostolorum Patrum, *SS. Clementis Rom.*, *Ignatii M.*, *Polycarpi* epistolis iam sententiae quaedam leguntur, quae saltem magna cum probabilitate pro allusionibus ad nostram epistolam habentur[4]. Sine ullo autem dubio saec. 2. medio a *S. Iustino M.* eiusque discipulo *Tatiano*, encratitarum parente, et *S. Melitone* adhibetur, neque ullum quoque dubium est, quin eadem aetate haeretici *Marcion* et *Valentinus* eam in suo canone habuerint[5]. Exeunte demum saec. 2. eam in omnibus ecclesiis pro paulina et canonica habitam esse testimoniis constat *Fragm. Murat.*, *S. Irenaei, Tertulliani* in Occidente et *S. Athenagorae* ac *Clementis Alex.* in Oriente[6], uti etiam versionum quum *latinae* tum *syriacae* et *copticae*.

1. Optime *Windischmann* (Comment. p. 2.) : « Der Angreifer spricht sich selbst das Urtheil der Unfähigkeit, Wahres vom Falschen zu unterscheiden ».

2. *Br. Bauer* Kritik der paulin. Briefe. Leipzig 1850-53; *A. Pierson* et *S. A. Naber* Verisimilia. Amsterdam 1886; *Lomann* Quaestiones paulinae (in Theol. Tijdschr. Leyden 1882-86), *Rud. Steck* Der Galaterbr. nach seiner Echtheit untersucht. Berlin 1888; *Dan. Voelter* Die Composition der vier paulin. Hauptbriefe. 1890. p. 89 sqq.; *Friedrich* Unechtheit des Galaterbr. 1891.

3. Cfr ex. gr. *Holtzmann* Einl. Ed. 2. 1886. p. 246; *Meyer Sieffert* Exeg. Handb. VII. Ed. 7. 1886. p. 25; *Lipsius* in Holtzm. Handcomm. II. 2. Briefe an die Gal. etc. 1891. p. 8 sq. — *Jülicher* (Einl. 1894) totam quaestionem praetermittit; accuratius autem eam tractat *Godet* Introd. au Nouveau Test. 1893. I. p. 272 sqq.

4. Cfr *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 5. et *Gal.* 2,9; 1 Cor. 49. et *Gal.* 1,4; 2 Cor. 2. et *Gal.* 4,27. — *S. Ign.* ad Philad. 1 et *Gal.* 1,1; ad Magn. 8. 10. etc. et *Gal.* 1,13; 2,14. — *S. Polyc.* ad Phil. 3. et *Gal.* 4,26; ad Phil. 5. et *Gal.* 6,7.

5. *S. Iust.* Coh. ad Graec. 5. (M. 6,237 sq.) cfr *Gal.* 4,12; 5.20 sq.; c. Tryph. 95 sq. (M. 6,701) et *Gal.* 3,13; c. Tryph. 90. 96 et *Gal.* 3,10. 13; 4,27. — *Tatian.* apud S. Hier. in Gal. 6,8 (M. 26,431; pro *Cassianus* lege *Tatianus*). — *S. Melit.* orat. ad Antonin. Caes. (in Cureton Spicil. syriac. p. 41 sqq.). — De *Marcione* cfr Tert. c. Marc. V. 2 sqq. (M. 2, 470 sqq.); de *Valentino* autem *Tert.* de praescr. 38 (M. 2,52) etc.

6. *Fragm. Mur.* lin. 52 (*Introd. gen.* Ed. 2. p. 183); *S. Iren.* c. haer. III. 6. 7 et passim; *Tert.* de praescr. 6. 23. et passim; *S. Athenag.* Leg. pro Christ. 16 (M. 6,921); *Clem. Alex.* Strom. III. 15; IV. 7. 8. etc. (M. 8,1200. 1256. 1272 etc).

§ 7. — *De epistolis 1 et 2 ad Corinthios.*

136. — I. Corinthus eiusque ecclesia. Eo tempore, quo Paulus ex Macedonia expulsus Achaiae Evangelium attulit, Corinthus « prima Graeciae civitas multis florebat ornamentis et commodis atque opum abundantia ceteris omnibus praestabat; quapropter ex scriptoribus profanis aliquis locum vocavit opulentum (ἀφνειόν); ad mercimonia admodum opportuna, oratoribus quoque et philosophis erat plena » [1]. Antiqua iam civitas ultimis libertatis Graeciae temporibus tamquam caput concilii Achaeorum inter graecas omnes primum locum occupaverat, usque dum Graecia a Romanis subiecta et « lumen totius Graeciae » a L. Mummio exstinctum est (a. 146); at centum annis postea a Caesare restituta et secundum eius nomen Colonia Iulia Corinthus appellata (a. 44), ab Augusto autem caput provinciae Achaiae facta (a. 27) brevi tempore pristinam opulentiam et celebritatem recuperavit. In Isthmo enim inter duo maria opportunissime sita (διθάλασσος vel ἀμφιθάλασσος ideo a graecis, *bimaris* a latinis poetis dicta) duobusque optimis portibus, Lechaeensi versus Italiam et Cenchreensi versus Asiam, praedita commercium integri imperii fere arripuerat. Quanta vero erat urbis opulentia, tanta erat morum eius corruptio; unde factum est, ut verbo κορινθιάζεσθαι Graeci vitam luxuriosam et libidinosam designarent, S. Chrysostomus autem civitatem illam τῶν οὐσῶν τε καὶ γεγενημένων ἐπαφροδιτοτάτην appellare non dubitaret; celeberrimum enim ibi Aphrodite Pandemas habebat fanum, in quo mille scorta impurae deae et luxuriae serviebant. Quamvis Caesar et Augustus multos colonos italos Corinthum misissent, longe maior tamen incolarum numerus graecae originis erat; quemadmodum autem omnia imperii romani emporia, a multis quoque habitabatur Iudaeis, quorum numerus auctus est, quum Claudius decreto suo omnes Iudaeos ex Italiae finibus expulisset.

Inter illos, qui hac in occasione ex Urbe Corinthum transmigrarunt, Aquila quidam fuit cum uxore suo Priscilla, apud quos Paulus, quia idem, quod illi, opificium exercebat, domicilium suum constituebat. Annus 52., ut videtur, ad finem vergebat, quando Apostolus, qui Athenis paucos admodum fructus laborum collegerat, in opulentissimam et sceleratissimam Graeciae civitatem ingressus est, ut octodecim mensium spatio florentissimam ibi fundaret ecclesiam [2]. Atque pro more suo ab initio Iudaeis Evangelium oblaturus singulis sabbathis in synagoga docebat, dum per hebdomadem labore manuum suarum victum quotidianum sibi acquireret. Postquam autem Silvanus et Timotheus ex Macedonia reduces eum adiuvare coeperunt, « instabat verbo Paulus testificans Iesum esse Christum ». At frustra; longe maior enim Iudaeorum

numerus salutiferam doctrinam respuebat; imo tumultus excitabant, quibus Apostolus synagogam relinquere est coactus. Igitur « excutiens vestimenta sua dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum! Ab interitu vestro castus mundusque sum; ecce ex hoc me ad gentes convertam », et in domum synagogae vicinam proselyti cuiusdam Titi Iusti neophytos congregabat. Pauci admodum Iudaei eum secuti sunt, inter quos Aquila et Priscilla atque archisynagogus Crispus cum tota eius familia; at opimam messem inter ethnicos fecit; nam « multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur », atque Deus ipse, quum Apostolus crescentibus difficultatibus cedere vellet, eum exhortatus est, « ne timeret neve taceret, neminem enim ei esse vim illaturum atque magnum esse numerum eorum, quos in illa civitate sibi elegisset ». Neque urbis limitibus Apostoli zelus continebatur, sed in vicinis quoque Achaiae civitatibus bonum nuntium praedicabat et ecclesias fundabat, quarum Corinthus fuit quasi metropolis[3].

Laeta igitur fuerunt ecclesiae corinthiae initia, etsi ex nobilibus potentibusque civibus et ex sapientibus philosophis, quibus urbs gloriabatur, admodum pauci Evangelium accepissent[4]. Quare minime mirum, quod Iudaei infideles prospero Evangelii progressu irritati nova persecutione Apostoli labores impedire sint conati. Vix ineunte a. 54. Gallio, novus Achaiae proconsul, provinciae administrationem susceperat, quum uno animo Iudaei in Paulum insurgentes eum ad tribunal adduxerunt, « quia hic contra legem persuadet hominibus colere Deum ». Proconsul vero, antequam Apostolus causam dicere coepisset, Iudaeos de sola sua Lege violata conqueri perspiciens, accusatorem Sosthenem, principem synagogae, ita repulit, ut adstantes eundem praesente praeside percutere non dubitarent. Nihilominus Paulus, ne maiori periculo neophytos exponeret, ad tempus Corinthum reliquit in Illyriam, ut videtur profectus (*supra* 104. n. 4. p. 369). Qua ex expeditione post paucos menses redux ecclesiam in felici illo statu, quem reliquerat, non inveniens cum severitate abusus nonnullos, qui irrepserant, reprimere debuit[5]. Omnibus autem rebus compositis una cum Aquila et Priscilla Ephesum profectus est.

1. *S. Chrys.* in 1 Cor. hom. 1. (M. 61,9. 10); citat autem *Hom.* Iliad. II. 570.

2. *Act.* 18,1-18; de anno, quo Paulus Corinthum advenit, cfr. *supra* 93. p. 343.

3. Cfr. 1 *Cor.* 1,2; 2 *Cor.* 1,1; 1 *Thess.* 1,7. 8.

4. 1 *Cor.* 2,26-29.

5. 2 *Cor.* 2,1 « Statui autem hoc ipsum apud me, ne *iterum in tristitia venirem ad vos* ». Semel igitur « in tristitia », i. e. tristitiam afferens ad eos venerat; ita enim verba esse explicanda docent sequentia : « Si enim ego constristo vos » etc. Tristitiam autem attulit, quatenus abusus supprimendos invenit.

137. — II. Occasio et finis ep. 1 ad Cor. Non diu postquam Aposto-

lus Corinthum reliquerat, alii doctores christiani eo advenerunt; inter quos primus fuit Apollos (Appollonius), Alexandrinus genere, qui Ephesi iam, quamvis Ioannis dumtaxat baptisma recepisset, diligenter ea quae sunt Iesu docuerat. Ab Aquila autem et Priscilla, quos Paulus, ut Ierosolyma et Antiochiam reverteretur, Ephesi reliquerat, diligentius viam Domini edoctus atque literis commendaticiis ad fideles corinthios munitus in Achaiam profectus est. Magno cum fructu in ecclesia corinthia aliquamdiu laborans « multum his, qui crediderant, contulit; vehementer enim Iudaeos revincebat ostendens per Scripturas Iesum esse Christum ». Quamdiu ibi manserit, nescimus; illud unum constat, Ephesum illum esse reversum, antequam Paulus Ephesi priorem suam epistolam Corinthiis scripsit[1].

Quoniam Apollos ab Aquila et Priscilla, Pauli discipulis, doctrinam evangelicam acceperat, dubium non est, quin eandem, quam Paulus, Corinthi praedicaverit; neque enim Paulus eum operis sui continuatorem agnovisset neque eum, ut Corinthum reverteretur, invitasset, si doctrinam differentem proposuisset[2]. At alium docendi modum videtur tenuisse « vir eloquens, in Scripturis potens, Alexandrinus genere ». Inter Iudaeos alexandrinos enim illo tempore allegorica quaedam Scripturae interpretandae methodus floruit, neque veri similitudine caret eorum opinio, qui eandem ab Apollonio Corinthi adhibitam esse censent; praeterea utpote vir eloquens, graecae eloquentiae magis se, quam Paulus, accommodavit; quare facile fieri potuit, ut sublimior eius docendi ratio nonnullis Corinthiis magis, quam Pauli simplicitas, placeret : imo forte etiam doctrinae capita nonnulla, quae Paulus, quia sublimiora erant, Corinthiis tradere nondum voluerat, publice iam docuerat. Unde illud Corinthi accidit, quod alibi saepe accidere videmus, ut alii neophyti Paulum primum suum magistrum et patrem, alii vero Apollonium eloquentiorem praeferrent; atque ita dissensus quidam est exortus, qui tamen tantus non fuit, ut Paulini et Apolloniani aperto schismate ab invicem recederent.

Eodem fere tempore pseudapostoli illi iudaizantes, qui omnes ecclesias ab Apostolo fundatas perturbabant, Corinthum videntur venisse et Petri auctoritatem extollentes apostolicam Pauli dignitatem impugnasse. Aperte eos circumcisionem Legisque observantiam commendasse, ex epistolis nostris non apparet, at viam sibi ad Legem imponendam paraverunt Iudaeorum privilegiis et praerogativis exaltatis et commendatis[3]. Quare neophyti corinthii illi, qui ex circumcisione venerant, non parvo expositi erant periculo, ne Paulum despicerent doctrinamque ab eo traditam iudaizantium erroribus deturparent; imo nonnulli, etsi errorem iudaizantium nondum accepissent, Petri se esse gloriari inceperunt. Quibus tribus factionibus, quae satis facile distinguuntur[4], num quarta ac-

cesserit, non omnino constat. Non pauci enim interpretes censent, illos quoque qui, quoniam alios omnes hominum nominibus gloriari videbant, ipsi hominum nominibus reiectis se solius Christi esse asserebant, superbia quadam abreptos Apostolis ministrisque Christi despectis schismatico spiritu esse ductos discordiamque auxisse[5].

Aperti igitur schismatis periculum imminebat ecclesiis achaicis; at hoc non erat unicum. Neophyti corinthii plerique ex ethnicis venerant; ethnicos corinthios autem luxuriae et libidini quam maxime fuisse addictos nemo ignorat; libido et fornicatio ab illis pro peccato non habebatur. Nonnullos neophytos non statim post conversionem pristinos suos mores ethnicos deposuisse dolendum quidem, sed non mirandum est. In priore quadam epistola hodie deperdita Corinthios iam monuerat Paulus, ut a societate fratrum fornicatorum abstinentes eos ad meliorem frugem reducerent[6]; at illa fructus omnes, quos speraverat, non produxerat, atque res eo paullatim adducta est, ut unus ex neophytis uxorem patris sui defuncti ducere attentavisset. Alii praeterea abusus irrepserant. Iudaei quidem in omnibus locis, in quibus certus eorum numerus erat, lites suas contribulibus suis diiudicandas derelinquebant[7]; ethnicos autem eas ad magistratus suos detulisse atque neophytos ethnicos in hoc usu, qui per se illicitus non fuit, perseverasse patet. Primis vero fidei temporibus hac agendi ratione scandalum facile dari potuit atque simul nova discordiarum causa iudaicos inter et ethnicos neophytos exoriri. Negligentia quoque et licentia quaedam in coetibus sacris celebrandis irrepserant, de doctrinae capitibus nonnullis variae exortae erant sententiae; ut uno verbo dicamus, post Pauli discessum numero quidem creverat ecclesia corinthia, interna autem eius conditio deterior erat facta.

1. *Act.* 18,24-28; 1 *Cor.* 16,12

2. 1 *Cor.* 3,6 : « Ego plantavi, Apollo rigavit »; 16,12 : « *multum* rogavi eum, ut veniret ad vos ».

3. 2 *Cor.* 10. 11. 12. passim.

4. Mirum est quanta cum sollertia et sagacitate moderni interpretes (praesertim protestantici et rationalistici) in corinthiarum factionum doctrinas investigarint et quantopere in iis distinguendis et describendis desudaverint : quaecunque in duabus ad Cor. epistolis leguntur, ad factiones illas referenda et inter illas distribuenda esse censent. Qui labor plane inutilis est, quandoquidem ea sola, quae Paulus de schismate tradit (1 *Cor.* 1,10-4,20), ad factiones cognoscendas cum certitudine adhibentur, reliqua magis minusve arbitrarie afferuntur. — *S. Chrys.* (in 1 *Cor.* hom. 3,1. M. 61,24), *Theodoret.* (in 1 *Cor.* 1,12 M. 82,232), *Amb*^{ter} (in 1 *Cor.* 1,12. M. 17,186) aliique non pauci interpretes censent Apostolum vera factionum nomina non posuisse, sed Petrum, Apollo seque ipsum nominasse, ut efficacius schismata vitanda doceret, innuens ne secundum praestantissimos quidem doctores partes in ecclesia esse distinguendas; quam sententiam ut probent, provocant ad 4,2 : ταῦτα μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλώ. At rectius *S. Augustin.* (de unic. bapt. 5. M. 43,598) : « Temporibus Apo-

stolorum qui dicebant : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephae, quamvis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant ». Revera *S. Clemens Rom.* (1 *Cor.* 47), testis hac in quaestione, utpote Apostolorum coaevus et de corinthiis rebus optime edoctus, omni exceptione maior, partes corinthias secundum Pauli, Petri, Apollo nomina inter se fuisse divisas tradit.

5. Antiquiores interpretes fere omnes usque ad Caietanum tres tantum factiones Corinthi adfuisse docent, et de tribus tantum loquitur *S. Clem. Rom.*; illi igitur, qui dicebant : *Ego sum Christi*, veram tesseram erroneis opponebant, aut uti aliqui explicant, Paulus ipse hominum nominibus reiectis suam ipsius tesseram opposuit : « Puto autem, inquit *S. Chrys.* (l. c.), eum hoc ex suis adiecisse, ut graviorem faceret accusationem et ostenderet vel ipsum Christum hac ratione uni parti adscriptum esse, etiamsi illi hoc non facerent ». Moderni tamen multi quatuor factiones fuisse putant; sed de factionum quaestione cfr *Comm.* in 1 Cor. 1890. p. 28 sqq.

6. 1 *Cor.* 5,9. De huius poenae fine cfr. 2 *Thess.* 3,14. 15.

7. *Tanchuma* fol. 29 b : « Statutum est, ad quod omnes Israelitae obligantur, quod is, qui litem cum alio habet, eam non debet coram gentilibus tractare, quoniam scriptum est : Haec sunt statuta, quae ipsis propones (*Exod.* 21,1). Traditio est R. Simeonem dixisse : Quocunque in loco inveneris iudices gentiles, etiamsi idem iudicium pronuncient, quod Iudaei solent, tamen non debes te illis adiungere. Scribitur enim in verbis modo laudatis : ante facies *eorum* pones haec statuta, non vero coram facie gentilium ». (*Schoettgenii* Horae hebr. et thalm. p. 600. in 1 *Cor.* 6,1).

138. — Dum Corinthi internum ecclesiae periculum paullatim crescebat, Paulus ineunte a. 55. tertiam suam expeditionem ingressus Phrygia et Galatia peragratis Ephesum pervenerat ibique per biennium residens in florentissima Asiae ecclesia fundanda erat occupatus. Qua in urbe, quae continuum cum Achaia et Corintho habebat commercium, quum per Aquilam et Priscillam tum per Apollo ex Achaia reducem et per Chloes, mulieris cuiusdam corinthiae, familiam de ecclesiae illius conditione certos nuntios accepit. Quibus non solum permotus est, ut primam illam, quae hodie deperdita est, iis scriberet epistolam, qua eos a fornicariorum societate averteret, sed duos ex suis discipulis, Timotheum et Erastum, in Macedoniam missurus Timotheum quoque iter Corinthum usque pergere iussit, ut ecclesiam corinthiam visitaret neophytosque ad meliorem frugem revocaret[1].

Brevi postquam Timotheus profectus est, tres legati corinthii, Stephanas, Fortunatus et Achaicus, Ephesum advenerunt epistolam ecclesiae Paulo afferentes. Prima enim, ut videtur, epistola, quae fornicarios vitandos esse praescripsit, dubium quoddam provocaverat, num ethnici quoque peccatores essent vitandi. Quod dubium Apostolo in epistola sua subiicientes eundem simul de variis doctrinae capitibus, de quibus inter se disceptabant, interrogarunt. At per legatos, quantum esset periculum, in quo ecclesia versabatur, accuratius didicit; quare perterritus diutius non esse cunctandum nec Timothei in urbem adventum exspectandum censuit, sed periculo gravissimo gravissima epistola occurendum. Per eosdem igitur legatos illam misit, quam hodie 1 ad Cor.

vocamus, ut ea, quae corrigenda erant, indicaret et ad quaestiones propositas responderet.

Secundum duplicem hunc finem duas quoque praeter exordium et epilogum distinguimus epistolae partes: in priore enim (1,10-6,20) Corinthios ob partium studium, ob peccatores non vitatos, ob lites coram gentilibus actas, ob fornicationem severo modo reprehendit, in altera longiore (7,1-15,58) Corinthiorum literis respondens de matrimonio et coelibatu, de idolothytorum manducatione, de decoro in coetibus sacris servando, de charismatis, de mortuorumque resurrectione fuse disserit[2]. Multae igitur eaeque gravissimae quaestiones in hac epistola tractantur, nec est ulla, quae de primorum Christianorum vita accuratius nos edoceat.

1. *Act.* 19,22; 1 *Cor.* 4,17.

Genuinam epistolae divisionem iam indicat *Prologus Glossae*, qui eam multas et diversas causas complecti dicit, quarum partem relatione fratrum, partem literis Corinthiorum Apostolus cognovisset, atque undecim doctrinae capita enumerat. Minus recte scholastici interpretes, qui praecipuum argumentum doctrinam de sacramentis esse statuerunt, epistolam diviserunt. *Card. Hugo* sex distinguit partes : De baptismo (1,10-4,21), de matrimonio (5,1-7,40), de Eucharistia (8,1-11,34), de schismatibus (12,1-14,40), de resurrectione (15,1-58), de eleemosynis (16,1-28.). Melius quam Card. Hugo, sed etiam a vero aberrans *S. Thomas*, quem omnino sequitur *Lyran.* : « In sacramentis tria sunt consideranda, ipsum sacramentum, res significata et contenta sc. gratia, res significata et non contenta sc. gloria resurrectionis : hinc primo de sacramentis ipsis (1,10-11,34 : baptismus 1,10-4,21; matrimonium 5,1-7,40; Eucharistia 8,1-11,34), dein de ipsis gratiis (12,1-14,40), tertio de gloria resurrectionis (15,1-58). *Goldhagen* (l. c. p. 355), *Kilber* (l. c. p. 425 sqq.), *Bacuez* (Manuel VI. p. 236 sqq.) eandem, quam nos, divisionem tradunt; *Ad. Maier* (Comm. über d. 1. Korintherbr. Freib. 1857. p. 17 sqq.) varia argumenta enumerat, quae tractantur, sed divisionem non indicat; *Bisping* (l. c. V. 2. p. 8 sq.), quem omnino sequitur *Drach* (l. c. p. 123 sq.), quatuor facit partes (1,10-4,21 vituperatio schismaticorum et apologia Pauli; 5,1-11,1 vituperatio fornicationis et responsa Apostoli ad Corinthiorum quaesita de vita matrimoniali deque idolothytis; 11,2-14,40 de cultu religioso; 15,1-16,24 refutatio falsi spiritualismi, qui resurrectionem negabat, et monita varia); *Kaulen* autem (Einl. Ed. 3. 1893. p. 574) quatuor partes statuit pro auctorum, a quibus Paulus de rebus corinthiis edoctus sit, varietate (de schismate, quod rescivit a Chloes familia 1, 10-4, 21; de variis vitiis, quae in ecclesia corinthia adesse communis erat fama 5, 1-6, 20; de iis, quae Corinthii in sua epistola interrogarant 7, 1-10, 33; de iis, quae a Corinthiorum legatis perquisierat 11, 1-15, 58); *Guillemon* (Clef des épitres de S. Paul. I. p. 212 sq.) eo fere modo, que Ad. Maier, argumentis enumeratis undecim sectiones distinguit (Contre les divisions cpp. 1-4; Contre l'inceste cp. 5; Contre les procès 6, 1-12 etc.)

139. — III. Analysis ep. 1 ad Cor.

I. Exordium epistolae (1,1-9) complectitur

1. *inscriptionem* (1,1-3) Paulus et Sosthenes[a] ecclesiae corinthiae vicinisque Achaiae ecclesiis (cfr. 2 Cor. 1,1),

a) Num Sosthenes ille sit, qui *Act.* 18,17 archisynagogus Corinthi fuisse et Paulum coram

2. *gratiarum actionem* (1,4-9), quam Deo offert, qui fideles muneribus suis ita ditavit, ut in verbo doctrinae eiusque intelligentia abundent, et quem pro fidelitate sua etiam illos esse usque in finem confirmaturum sperat.

II. In PRIORE PARTE (1,10-6,20) Corinthios ob varios abusus reprehendit.

1. Atque primum quidem EORUM DISCORDIAM AGGREDITUR (1,10-4,21). Etenim generali exhortatione ad unitatem servandam praemissa (1,10) et facto, de quo eos reprehensurus est, exposito (1,11.12)

A.) *rationes affert, ob quas eorum discordia vituperanda sit* (1,13-3,17)

a.) Prima et praecipua ratio est, quod a solo Christo sint redemti eique soli per baptismum inserti; quis enim baptismi minister fuerit, nihil interest, id quod ex ipsius agendi ratione appareat (1,13-16).

b.) Neque ob humilem et simplicem ipsius praedicationem Corinthiis (illis, qui se Apollo esse dicebant) ab ipso recedere et schisma incipere licuit (1,17-3,4). Nam

α.) non sine ratione simplici hoc docendi modo usus est. Etenim ne virtutis suae laude crux Christi defraudaretur, Apostoli non sunt missi, ut arte et sapientia humana mundum converterent (1,17. 18). Id iam constat ex Scriptura, quae sapientiam humanam reprobatum iri praedixit (1,19); id ex experientia quoque constat, qua teste Deus nec sapientes huius mundi ad praedicandum elegit, ut ita magis appareret divina Evangelii virtus et sapientia (1,20-25), nec multos sapientes et potentes, sed simplices potius et pauperes primos ad fidem vocavit, ne quis suis dotibus naturalibus suam vocationem adscriberet (1,26-31). Quare ipse quoque inter Corinthios sublimi sapientiae sermone non est usus, ne eorum fides humanis verbis, sed divina virtute niteretur (2,1-5).

β.) Neque sine ratione ab altioribus doctrinis tradendis abstinuit. Etenim Apostoli quoque, sed non nisi inter perfectos, sapientiam praedicant (2,6) et talem quidem, quae creato intellectui impervia (2,7-9) a solo Spiritu S., qui mysteria omnia novit, quique Apostolis datus est, revelari possit (2,10-12), atque spirituali modo cum spiritualibus communicanda sit (2,13-16). Corinthiis vero hanc sapientiam tradere nondum potuit, quippe qui suis schismatis se etiam nunc carnales esse demonstrent (3,1-4).

c.) Absurda esse schismata demonstrat ex eo, quod omnes Evangelii praedicatores, utpote unius Dei ministri, inter se coniuncti sint et esse debeant ac proin etiam eorum discipuli concordes sint oporteat (3,5-9). Quo ex argumento sua sponte fluit monitum pro

Gallione accusasse refertur, an alter quidam, quem *Eusebius* (H. E. I. 12. M. 20.117) inter septuaginta Domini discipulos enumerat, incertum est. Patres plerique priorem intelligunt, quem persecutione illa, ut Christianis se adiungeret, permotum putant. Inter Pauli discipulos quidem vel socios alibi non nominatur; eum tamen Corinthi auctoritate multum valuisse ipsa inscriptio docet. Cfr. *Comm.* in 1 Cor. 1890. p. 14 sq.

illis doctoribus, qui actu inter Corinthios laborant, ut bene atte dant, quasnam doctrinas fundamento, quod ipse posuit, supe struant, quoniam vel levissimos errores, quia fidelibus (temp Dei) nocent, Deus sit puniturus (3,10-17).

B.) *Ex proposita hac doctrina practicas conclusiones deducit* (3,18-4,13):

a.) Ne fideles in doctoribus suis, quos sapientes esse putant, glorientur (3,18-21), multo minus autem in uno solo glorientur, quia omnes sunt in eorum utilitatem dati (3,22.23);

b.) ne unum super alterum extollentes diiudicent doctores suos; Deo enim soli competit eiusmodi iudicium (4,1-6);

c.) ad doctores ipsos se convertens exhortatur eos, ut humiliter de se ipsis sentiant (4,7.8), suumque reliquorumque verorum Apostolorum conditionem eis ob oculos ponit, ut ex hoc exemplo videant, num genuini sint doctores (4,9-13).

C.) Primum hoc *vituperium tenerrima exhortatione concludit* tamquam pater filios deprecans, ut se ipsum imitentur. Rogat quoque, ut Timothei, quem ad eos miserit, verba bene recipiant, ne ipse, quando venturus sit, severe erga eos agere cogatur (4,14-21).

2. Illos OB NON VITATOS PECCATORES VITUPERAT (5,1-13).

A.) Quia unus ex neophytis matrimonium cum patris defuncti uxore attentaverat, vehementer eos increpat, quod illum ex ecclesia non expulerint (5,1.2), atque apostolica sua auctoritate eum excommunicat (5,3-5), ratione indicata, cur peccatores ex suo coetu expellere debeant (5,6-8);

B.) atque simul explicat praeceptum, quod in praecedente (deperdita) epistola de fornicariis vitandis dederat, intelligendum esse de fratribus peccantibus; de illis vero, qui extra ecclesiam sunt, iudicium Deo esse relinquendum monet (5,9-13).

3. Vituperat eos OB LITES CORAM IUDICIBUS ETHNICIS ACTAS (6,1-11)

A.) Facto, quod reprehensurus est, exposito (6,1) omnino *dedecere ostendit Christianos ab ethnicis iudicibus causarum decisionem petere*, quoniam ipsi, qui aliquando totum mundum atque ipsos Angelos sint iudicaturi, certe de minutiis istis iudicare possint (6,2.3); huic enim muneri vel infimos Christianos esse pares, a fortiore sapientes, qui inter illos sint (6,4-6).

B.) *Imo Christianos iam dedecere docet lites agere,* siquidem iniuriae potius patienter sint ferendae (6,7), vehementer simul vituperans eos, qui iniurias inferunt; illos enim aeque parum atque reliquorum criminum ethnicorum, quae enumerat, reos regnum coelorum posse possidere (6,8-11).

4. Invehitur IN FORNICATIONEM ET IMPUDICITIAM (6,12-20).

A.) Rationem, qua aliqui fornicationem velut rem indifferentem, ut videtur, excusare conati erant, refutat ostendens principium illud, quod omnia adiaphora etiam sint licita, aliquas restrictiones postulare (6,12), atque fornicationem nequaquam reliquis naturalibus appetitibus assimilari (6,13. 14);

B. imo duplici ex capite ostendit, quam grave sit peccatum fornicatio, quia nimirum abusus sit membrorum Christi (6,15-17) et violatio templi Spiritus S. (6,18-20).

III. Altera pars (7,1-15,58) varias quaestiones a Corinthiis propositas solvit.

1. de matrimonio et coelibatu (7,1-40).

A. *De coniugibus* (7,1-24).

a.) De matrimonii usu (7,1-9).

Quamquam per se melius est, ut homo ab eo abstineat (7,1), usus matrimonii tamen licitus est ob incontinentiam vitandam (7,2. 3), neque nisi ex mutuo consensu ad tempus propter altiores rationes interrumpendus (7,4-6), imo semper quoque ab eo abstinere licet[a], si donum continentiae habeant, quod omnibus quidem hominibus desiderat, sed quod non omnibus dari insinuat (7,7-9).

b.) De matrimonii indissolubilitate (7,10-24).

α.) Matrimonii vinculum ex voluntate divina absolute indissolubile est inter fideles (7,10. 11);

β.) relative autem indissolubile est fidelem inter et infidelem: nam separatio nec necessaria nec suadenda, si infidelis cum fideli cohabitare velit sine iniuria creatoris (7,12-14), licita autem, si pars infidelis abscedat (7,15. 16). Non temere autem est agendum; sed quantum religio christiana permittit, matrimonium ante conversionem initum eodem modo est retinendum, quo alii vitae status ante conversionem initi retinentur (7,17-24).

B. *De relatione inter matrimonium et coelibatum* (7,25-40).

a.) De virginibus[b] (7,25-38).

α.) Virginibus coelibatus non praecipitur quidem, sed suadetur ab Apostolo (7,25-28).

β.) Ratio autem, cur virginibus coelibatus suadeatur, illa est, quod in brevi hoc tempore, quod homini restat, virgines facilius, quam illi, qui in matrimonio vivunt, Deo servire possint (7,29-35).

γ.) Qua ex doctrina fluunt practicae nonnullae regulae, quas parentibus tradit (7,36-38).

b.) De viduis. Etsi secundae nuptiae licitae sint, illis praeferenda tamen est viduitas (7,39. 40).

a) In v. 6 « hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium », pronomen *hoc* nec cum *Oecum.*, *S. Thom.*, *Est.* aliisque ad v. 2 referimus (« unusquisque suam uxorem habeat » etc), nec cum modernis multis interpretibus ad integrum praecedentem versum (« Nolite *fraudare* invicem » etc), sed ad solum ultimum membrum (« iterum revertimini ad idipsum »); haec enim sola ex tribus conditionibus, ob quas usum matrimonii interrumpere licet (ex mutuo consensu, *ad tempus*, ob orationem i. e. ob rationem altioris ordinis) non est absoluta. In. v. 7. sequimur lectionem : « volo *omnes homines* esse sicut me ipsum », quam praeter codices graecos et versiones reliquas ex latinis codicibus tuentur *Amiat.*, *Fuld.*, quamque sequuntur *Ambter*, *S. Thom.*, *Lyran.* etc.

b) Vocabulum παρθένος, quamvis penes scriptores profanos de solis mulieribus adhibeatur, a S. Paulo de utroque sexu intelligi clare apparet ex v. 32 sq.

2. DE IDOLOTHYTORUM MANDUCATIONE (8,1-11,1) interrogatus Apostolus

A.) *theoreticam quaestionis solutionem* (8,1-13) ita tradit,

a.) ut ostendat, quum idola nihil sint, etiam illa, quae idolis offeruntur, per se non coinquinari (cf. 10,19), ac proin illorum usum licitum esse iis, qui hoc sciunt, illicitum iis, qui hoc ignorant (8,1-7).

b.) Quia vero eorum usus non est necessarius nec quidquam ad salutem confert (8,8), etiam illis, qui meliorem scientiam habent, ab iis est abstinendum, quandocunque eorum usus proximis scandalo esse potest (8,9-13).

B.) *Suo exemplo proposito* ostendit, quomodo Christiani in omnibus actionibus attendere debeant, ne offendiculo sint fratribus, et quomodo ad maius bonum assequendum a licitis interdum sit abstinendum (9,1-10,13). Sub duplici autem respectu apostolicam suam vitam pro exemplo proponit, quem utrumque ab initio duabus interrogationibus indicat : « Non sum liber? Non sum Apostolus »?[a]

a.) Quamvis genuinus sit Apostolus, usus non est privilegio Apostolorum relate ad sustentationem (9,1-18). Quod argumentum evolvit ita, ut

α.) ostendat se verum et genuinum esse Apostolum (9,1-3),

β.) Apostolos autem ius habere ad sustentationem a fidelibus accipiendam (9,4); id quod constat ex agendi ratione aliorum Apostolorum (9,5. 6), illustratur analogiis ex vita quotidiana desumtis (9,7), demonstratur argumento scripturistico (9,8-11), comparatione Apostolorum cum aliis doctoribus et templi ministris (9,12. 13), Domini ordinatione (9,14).

γ.) Nihilominus se hoc iure usum non esse nec in posterum uti velle asserit, ob maiorem, ad quam anhelet, perfectionem assequendam maiusque praemium obtinendum[b] (9,15-18).

b.) Quamvis liber fuerit qua Apostolus ita, ut a suis discipulis non dependens eam docendi et agendi rationem, quam bonam habuit, eligere potuerit, tamen omnibus sive Iudaeis sive ethnicis sese accommodans omnium servus fieri voluit, ut omnes salvans suam ipsius salutem securius operaretur (9,19-23).

a) De ordine quaestionum non satis constat. Ordinem, quem Vulgata Clem. habet, tuentur ex graecis codd. ℵ. A. P. et nonnulli minusculi, ex Patribus graecis *Origenes*, inter versiones copt., arm., aeth. et codices nonnulli syriaci; ex Patribus latinis *Tertull.*, *Ambros.*, *August.*, *Pelag.* — Alterum autem ordinem (« Non sum Apostolus? Non sum liber?») quem Apostolus in sua argumentatione tenet, tuentur longe plerique codices graeci et inter Patres graecos *Chrysost.*, *Theodoret.*, *Euthal.*, *Damas.*; eundem habent versiones *bashm.*, *goth.*, antiqui *Italae* codices (d. e. f. g.) et Fuldensis, atque sequitur Ambr^{ter}. Si ad dispositionem epistolae animum advertimus, alter hic ordo videtur esse praeferendus

b) Cum *Chrysostomo* aliisque graecis interpretibus, quos etiam *Salmeron* aliique moderni interpretes sequuntur, pro certo supponimus, vocabula ἑκών et ἀκών v. 17. ita usurpari, ut ἑκών sit ille, qui sua sponte nullo praecepto coactus agat, ἀκὼν vero ille, qui praecepto ad opus faciendum adigitur, sermonem igitur esse de opere supererogatorio, quod Deus singulari praemio sit remuneraturus.

c.) Unde ad exhortationem transiens

α.) proposita agonis comparatione monet non sufficere ad salutem assequendam, ut quis Christianus sit, sed secundum suum exemplum magno cum zelo esse laborandum, ut finem assequantur (9, 24-27);

β.) quam conclusionem confirmat ex Israelitarum historia. Qui omnes quidem ex Aegypto educti et in itinere iisdem beneficiis ditati sunt, sed longe plerique finem itineris non attingentes ob peccata sua in deserto perierunt (10,1-5). Quare cavendum Christianis, ne ex Aegypto i. e. ex mundo egressi peccatis Israelitarum, idololatriae, fornicationi, tentationi Dei, murmurationi se dedant (10,6-11); omnes igitur, qui stant, videant ne cadant, et confidant in Deo, qui hominem supra id quod potest tentari non sit permissurus (10,12. 13).

C.) Ad quaestionem ex longa digressione, quae tamen intime cum argumento connexa est, regressus *practicam eius solutionem tradit* (10,14-11,1).

a.) Omnino abstinendum est ab indirecta illa idololatria (10,14), quae committitur participatione in coenis sacrificalibus (10,15-21).

Christiani enim susceptione panis et vini in altari oblati participes fiunt corporis et sanguinis Christi intimeque cum eo coniunguntur (10,15-17), sicut olim Iudaei ex sacrificiis Domino oblatis cum Domino coniungebantur (10,18). Unde sequitur eos, qui coenis sacrificalibus ethnicis accumbunt, intime coniungi cum daemonibus, quibus realiter ethnica sacrificia offeruntur; at Christiani simul cum Christo et cum daemonibus uniri contradictio est (10,19-22).

b.) Ad idolothyta extra coenas sacrificales proposita quod attinet,

α.) pro regula generali ponit, inter res adiaphoras illam esse praeeligendam, quae utilis est et alterius aedificationi inservit[a] (10,22-24); unde

β.) anxie inquirendum non est, num quid, quod in macello venit aut in mensa apponitur, idolothytum sit necne (10,25-27), sed

γ.) si quis ab altero monetur, cibum appositum esse idolothytum, abstineat oportet, ne scandalum det (10,28-30)

δ.) In omnibus autem ad gloriam Dei attendant, neve ulli sint offensioni, Apostolum imitantes, qui ipse Christum imitatur (10,31-11,1).

3. DE DECORO IN COETIBUS RELIGIOSIS SERVANDO (11,2-34).

A.) Post brevem captationem benevolentiae (11,2) relate ad *externum habitum, quo coetibus sacris intersint* (11,2-16),

a.) praescribit, ut vir non velato capite, mulier autem velato capite oret vel prophetet (11,3-6);

a) Ex contextu satis patet ultimam phrasin v. 22. « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt », quum de adiaphoris agat, non cum praecedentibus, sed cum sequentibus esse coniungendam. Ex eodem constat 11,1 omnino cum praecedentibus esse coniungendum.

b.) cuius praecepti rationes dat tres,

α.) viri et mulieris ad Deum et inter se relationem (11,7-12),

β.) sensum naturae communem (11,13-15),

γ.) usum in Ecclesia receptum (11,16).

B.) *Ad decorum in celebrandis agapis et Eucharistia observandum* (11,17-34) transiens

a.) abusum exponit, qui irrepserat, quum ob schismata sua fideles communem agapen non celebrarent, sed unusquisque ea, quae attulerat, manducaret, adeo ut alii abundarent alii egerent; quem abusum, utpote contemtum ecclesiae Dei et caritatis fraternae defectum, vehementer reprehendit (11,17-22).

b.) Reprehensionis rationem explicans docet eiusmodi agapen non esse debitam praeparationem ad Eucharistiam celebrandam. Nam in SS. Eucharistia fidelibus, id quod ex institutionis verbis elucet, traditur verum corpus et verus sanguis Domini ad commemorationem passionis eius (11,23-26); quare recipienda est post debitam praeparationem, ne indigne recipiatur (11,27-29); atqui conditio ecclesiae corinthiae ostendit Eucharistiam ibi a multis indigno (et minus digno) modo recipi (11,30-32); ergo apparet eorum agapas non esse debitam praeparationem ad Christi passionem in Eucharistiae celebratione annuntiandam. Conclusionem autem hanc non exprimit, sed statim

c.) pauca de modo agaparum celebrandarum praescribit accuratiorem hac de re instructionem se coram daturum promittens (11, 33. 34).

4. DE CHARISMATIS EORUMQUE USU (12,1-14,40) duo monenda habuit[a]. Quum enim non omnes fideles eadem dona acciperent, alii aliis dona, quae maiora esse credebant, videntur invidisse atque praesertim donum linguarum, quippe quod maximum haberent, desiderasse. Alii autem, qui linguarum dono erant ditati, illud ad ostentationem potius, quam ad Ecclesiae utilitatem adhibebant. Hinc Apostolus argumentum hoc ita tractat, ut quid de charismatis in universum (12,1-13,13) et de donis prophetiae et linguarum in specie sentiendum sit (14,1-25) doceat, atque practicas regulas de duobus his charismatis adhibendis tradat (14,26-40).

A.) *De charismatis in universum* (12,1-13,13).

a.) Generale statuit principium, ex quo omnia, quae in statu extraordinario dicuntur vel aguntur, diiudicanda sint; si fidei in Dominum N. J. Chr. augendae inserviunt, a Spiritu S. sunt (12,1-3).

b.) Quo principio statuto varia quidem esse dona Spiritus docet, at varietate hac unitatem Ecclesiae non destrui, quoniam omnia ab uno Spiritu et eundem in finem dentur (12,4-11). Hinc iam sua sponte

a) « Totus hic locus, inquit *S. Chrys.* (in 1 Cor. hom. 29,) valde obscurus est; obscuritatem autem hanc efficit ignorantia eorum, quae tunc quidem contingebant, nunc autem non amplius accidunt ». Propter obscuritatem autem loci analysi pauca quaedam inserenda duximus, ut idearum nexus clarior evaderet.

deducitur neminem alteri debere donum quodcunque invidere neque dona ipsa posse esse causam divisionum in Ecclesia. Quod ut magis evolvat,

c.) similitudinem humani corporis adducit et explicat (12,12-30)

α.) ostendens recte Ecclesiam cum corpore humano comparari, quatenus ex utraque parte habeatur unitas totius et multitudo partium, quae singulae ipsae quoque totum aliquod constituant (12,12-14);

β.) similitudinem autem sub duplici respectu evolvit. Ne aliqui Christiani donis acceptis non contenti aliud desiderent, ostendit membra omnia, etsi diversa sint, eodem modo ad corpus pertinere atque sapienter a Deo diversitatem membrorum esse constitutam, ut omnia officia, quibus corpus ad suam conservationem indiget, expleantur, et ut corpus aliquod ordinatum efficiatur (12,15-20). Ne vero Christiani, qui altiora dona accepisse sibi videntur, alios despiciant, ostendit nobiliora membra corporis indigere auxilio minus nobilium, imo infirmiora magis esse necessaria, et natura duce hominem illis membris, quae minus honesta habentur, maiorem honorem tribuere, atque demum uniuscuiusque membri incrementum vel decrementum aliis omnibus aut prodesse aut nocere (12,21-27).

γ.) Quam similitudinem applicans ostendit varietatem donorum in Ecclesia (12,28-30) et lectoribus relinquit concludendum, eam a Deo sapientissimo esse institutam ad totius Ecclesiae et singulorum membrorum utilitatem, ac proin Spiritui S. dona pro suo beneplacito distribuenti esse acquiescendum, neque cuiquam licere alterum ob minora dona despicere aut alteri ob maiora invidere.

d.) Quamvis fideles donis acceptis contenti esse debeant, non prohibet Apostolus, quominus maiora accipere studeant, sed praeprimis vult, ut excellentiorem viam, quam eis ostendit, ingrediantur, viam scilicet caritatis, quae dona gratis data superat (12, 31). Hinc adducitur Apostolus, ut caritatis excellentiam celebret, qua digressione id assequitur, ut Corinthios intelligentes, quid revera valeant charismata, avertat ne integrum suum studium in illis assequendis ponant.

Excellentior igitur via, quam eis ostendit, est caritas; eam autem donis gratis datis praevalere demonstrat triplici ex capite:

α.) ex eius omnimoda necessitate, siquidem homini, qui caritate caret, charismata ipsa prorsus sint inutilia (13,1-3);

β.) ex eius dotibus, quas vero hymno ita celebrat, ut caritas quasi mater et radix aliarum virtutum esse videatur (13,4-7);

γ.) ex eius aeternitate, quoniam charismatis omnibus cessaturis ipsa sit permansura etiam altera in vita (13,8-12) atque ipsam fidem et spem superet (13, 13). Unde merito concludit: διώκετε τὴν ἀγάπην (14, 1).

B.) *De donis prophetiae et linguarum in specie* (14,1-25). Apostolus, qui fideles maiora charismata anhelare vult (14, 1), quum Corinthios donum linguarum prophetiae dono praeferre sciret, comparatione duorum istorum charismatum instituta docet praeferendam esse prophetiam[a].

a.) Ob maiorem prophetiae utilitatem (14,1-19); nam

α.) qui linguis loquitur, nisi simul dono interpretationis gaudeat, ut aliis ea, quae dicit, interpretari possit, soli Deo et sibi loquitur, aliis vero prorsus inutilis est, dum ille, qui prophetiae dono utitur, alios aedificet et exhortetur (14,1-6).

β.) Variis argumentis inutilitatem hanc doni linguarum nude spectati confirmat; atque primum quidem similitudine desumta ex instrumentis musicis, quae pulsata, si eorum melodia non discernitur aut eorum melodiae significatio cognita non est, nihil prosunt (14,7-9), deinde similitudine desumta ex vita quotidiana, in qua nemo prudens linguam adhibebit, quae a collocutore eius non intelligitur (14,10-13), tertio quia donum linguarum, utpote quod in privata oratione iam parum utilitatis habeat, siquidem non integrum hominem iuvet, in publica oratione non nisi irrationabiliter adhibeatur (14,14-17), demum suo ipsius exemplo in medium allato, qui, quamvis hoc donum summo in gradu possideat, publice eo non utatur (14, 18. 19).

b.) Ob finem, propter quem utrumque donum a Deo conceditur (14, 20-25),

α.) Praemisso monito, ne parvulorum more de rebus iudicent (14, 20) typica verborum Isaiae (28, 11) interpretatione ostendit finem doni linguarum illum esse, ut infidelibus sit signum, quo eorum attentio excitetur, dummodo recto modo adhibeatur (14,21-23);

β.) Finis autem prophetiae est, ut infidelis convertatur (14, 24. 25).

C.) *Praecepta quaedam de charismatum, praesertim linguarum et prophetiae, usu* (14,26-40) :

a.) Omnia ita adhibenda praemittens, ut aedificationi inserviant (14, 26);

b.) docet, quomodo et quando uti liceat dono linguarum (14, 27. 28);

c.) et quomodo adhibenda sit prophetia (14,29-33);

a) Per se patet S. Paulum aeque parum atque S. Lucam (*Act.* 10, 46 ; 19, 6 et etiam 2,4-13) de illo linguarum dono loqui, quod Deum ad praedicandum interdum ministris suis concessisse scimus, sed de illo, quo quis linguis alienis, quas non didicerat, in oratione Deum celebrat. Quod bene describit *Caietanus* (i. h. l.) : « Scito, quod de ratione doni linguarum non erat intelligi ab aliis nec etiam intelligi ab ipso loquente verba, quae Spiritus S. porrigebat; sed ille, qui hoc donum accepit, movebatur a Spiritu S. ad loquenda magnalia Dei, prout Spiritus S. dabat ei loqui : nec solum movebatur lingua ad illa verba proferenda, sed simul movebatur loquentis affectus in Deum motu cuiusdam devotionis ad laudandum Deum (quin tamen intellectus de sensu verborum prolatorum edoceretur). Haec omnia ex textu habentur ». Prophetiae donum autem in N. T. eadem fere ratione, qua in V. T., dabatur ad exhortandum et reformandum populum in veri Dei cultu adnexamque habuit facultatem cognoscendi et revelandi occulta cordis atque interdum etiam praedicendi futura (*Act.* 11, 27 sq. ; 21, 4. 8 sqq.).

d.) sed quominus mulieres donis istis publice utantur prohibet (14,34-36),

e.) atque demum praecepta haec velut divina agnosci iubens (14,37-39) concludit tractatum monito generali, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant (14, 40).

3. DE MORTUORUM RESURRECTIONE (15,1-57), de qua, quia neophyti quidam de ea dubitaverunt, Corinthii Apostolum interrogaverant, ita agit, ut primum illam certo futuram esse demonstret (15,1-34), dein eius modum, quantum fieri possit, explicet (15,35-58).

A.) *Veritatem dogmatis futurae resurrectionis adstruit* triplici argumento (15,1-34).

a.) Primum et praecipuum futurae resurrectionis argumentum desumit ex Christi resurrectione : Christus resurrexit, ergo et nos resurgemus (15,1-28);

α.) atque antecedens quidem probat primum monens se praedicationem apud eos a Christi morte et resurrectione inchoasse (15,1-4), de qua ipsa omnino certo constat ex variis Christi resuscitati apparitionibus, inter quas ultima ipsi facta est (15, 5-13). Dein de eadem constare ostendit ex absurdis, quae illa negata sequerentur (15,14-19).

β.) Consequens autem probat ex intima nostra cum Christo coniunctione. Eadem enim Christum inter et nos intercedit relatio, quae Adamum inter et nos (15,20-22), neque integrum erit regnum, quod Patri Christus traditurus sit, antequam cum omnibus Christi adversariis etiam mors erit devicta et evacuata (15,23-28).

b.) Duo alia argumenta primi sunt confirmationes :

α.) Ad hominem argumentans interrogat, cur aliqui pro illis, qui morte abrepti baptismum non receperunt, baptizari velint, nisi timeant, ne illi male aut omnino non sint resurrecturi [a] (15, 29).

β.) Pericula et labores, quibus Apostoli sese exponunt, certe non susciperent, nisi eis de futura resurrectione constaret (15,30-34).

B.) *Modum resurrectionis exponit* (15,35-57), quia ex eo desumebantur difficultates, ob quas veritas resurrectionis negabatur.

a.) Analogiis ex natura desumtis corpus resuscitatum idem quidem esse docet, ac corpus quod mortuum est, at simul plane ab eo diversum, utpote aliis qualitatibus exornatum (15,35-42), quas enumerat (15,42-44);

b.) Mutationem autem hanc possibilem esse demonstrat, quia in re-

a) In analysi supponitur ille verborum sensus, quem admiserunt *Tertull.* (c. Marc. V. 10; de resur. carn. 28. M. 2, 494. 865), *Ambrosiaster*, *Glossa ordin.* et *interlin.*, *Herveus*, *S. Thomas Aq.* aliique interpretes bonae notae. Mirum quidem est, quod Apostolus, quamvis multo leviores abusus (velato capite orare in viris, non velato capite orare in mulieribus etc) acriter carpat, ex hoc tam foedo nonnullorum errore argumentum desumere voluerit nullo vituperii verbo addito. At num una ex aliis interpretationibus, quas multas Patres et iuniores interpretes excogitaverunt, sit praeferenda, in Commentario erit inquirendum.

suscitato corpore dominabitur principium spiritale (τὸ πνεῦμα), dum nunc in eodem dominetur animale (ἡ ψυχή) (15,45-49);

c.) imo ita necessariam esse mutationem hanc, ut illi ipsi, qui non sunt morituri[a], hanc mutationem subeundam habeant (15,50-53), ut ita plenissima et omnimoda victoria de morte et peccato reportetur (15,54-57).

C.) Concludit tractatum *exhortatione*, ut firmi stent in hac fide et in spe futurae resurrectionis omnia peragant (15, 58).

IV. In Epilogo (16,1-24)

1. monet, ut quemadmodum in ecclesiis Galatiae, ita Corinthi collectae fiant pro pauperibus hierosolymitanis (16,1-4);
2. promittit se mox ad eos venturum et diutius apud eos esse remansurum (16, 5-9);
3. rogat, ut Timotheum bene recipiant rationemque dat, cur Apollo nondum veniat (16,10-14);
4. commendat legatos, quos Corinthii ad ipsum miserant (16,15-18);
5. addit varias salutationes (16, 19. 20)
6. concluditque epistolam sua manu benedictionem apostolicam adscribens (16,21-24).

140. — IV. Occasio et finis ep. 2 ad Cor. — Postquam priorem epistolam Corinthiis per eorum legatos miserat, S. Paulus de rei exitu, quoniam neophytos ob multos et graves abusus non sine acerbitate aliqua vituperaverat, sollicitus Titum cum alio fratre Corinthum mittendum existimavit, ut quem prior epistola fructum tulisset, videret; brevi post ipse quoque illud iter, de quo in priore epistola loquitur, ingredi et per Macedoniam in Achaiam proficiscens Troade Titum exspectare voluit, ut secundum nuntios allatos quid facto opus esset decerneret[1]. Timotheus quidem, quem antea iam in Macedoniam et Achaiam miserat, ad Apostolum iam erat reversus, at illa, quae per eum rescivit, parum videntur fuisse fausta[2], quandoquidem tanta cum anxietate Titi reditum desideravit, antequam in Europam transiiceret.

Seditione autem illa, quam Demetrius argentarius excitavit, maturius quam voluerat Ephesum relinquere coactus Troade Titum non invenit et anxius in Macedoniam transfretavit, ubi obviam habuit legatum suum, qui satis laeta ei annuntiavit. Gravissima enim epistola commoti Corinthii incestuosum ex ecclesia eiecerant eumque hac ratione ad poenitentiam agendam adduxerant; plerique fideles quam maxime dolebant, quod patrem suum contristassent, eumque mox apud se videre desiderabant[3]. At minus laeta quoque annuntiavit Titus; non omnes enim fideles eadem, qua antea, cum caritate Apostolo suo ad-

b) In 15, 51 praeferendam esse eam, quam sequimur, lectionem : « *Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur* », et testimonia critica et contextus ratio et loci paralleli suadent.

haerebant pseudapostolorum verbis seducti. Iudaizantes enim nonnulli, ut Corinthi doctrinas suas erroneas spargere possent, Pauli famam non sine aliquo successu convellere erant conati; levitatis, inconstantiae, arrogantiae etc eum accusaverant apostolicamque eius auctoritatem et dignitatem diminuere et deprimere studuerant.

Quapropter Apostolus, antequam Corinthum veniret, altera epistola viam sibi praeparandam iudicavit; ne enim durius severiusque praesens in nonnullos agere cogeretur utque maiore cum fructu inter eos laborare posset[4], suam agendi rationem eis explicare, apostolicam auctoritatem ab adversariorum calumniis vindicare, pseudapostolos confundere literis maluit. Occasionem autem (vel si mavis, praetextum) iterum Corinthiis scribendi, antequam iter suum pergeret, collectae praebuerunt, quas in priore epistola pro ecclesia hierosolymitana faciendas indixerat atque per Titum, cui alteram hanc epistolam deferendam tradidit, ante adventum suum terminari iussit[5].

Totam igitur epistolam apologiam quandam Pauli apte appellamus, quae tanta cum arte rhetorica proponitur, ut nonnulli eam sub hoc respectu Demosthenis orationi pro Corona aequiparare non dubitaverint. *S. Augustinus* iam adducta epistolae huius pericope exclamavit : « Quanta sapientia ista sint dicta, vigilantes vident : quanto vero etiam eloquentiae concurrerint flumine, etiam qui stertit animadvertit », atque postquam laudatum locum brevi analysi rhetoricae subiecit, « longum est, inquit, cetera persequi : quid si etiam figuras elocutionis, quae illa arte (rhetorica) traduntur, in iis, quae de Apostoli eloquio commemoravi, ostendere voluissem? Nonne facilius graves homines me nimium, quam quisquam studiosorum sibi sufficientem putaret? Haec omnia, quando a magistris docentur, pro magno habentur, magno emuntur pretio, magna iactatione venduntur. Quam iactationem etiam ego redolere vereor, dum ista sic dissero. Sed maledoctis hominibus respondendum fuit, qui nostros auctores contemnendos putant, non quia non habent, sed quia non ostentant eloquentiam »[6]. Atque *Erasmus* magis ad totius epistolae dispositionem idearumque nexum, quam ad stylum attendens : « Sudatur, inquit, ab eruditissimis viris in explicandis poetarum ac rhetorum consiliis, at in hoc rhetore plus sudoris est, ut deprehendas quid agat, quo tendat, quid velit : adeo stropharum plenus est undique, — absit invidia verbis. Tanta vafrities est, ut non credas eundem hominem loqui. Nunc ut limpidus fons sensim ebullit, mox torrentis in morem ingenti fragore devolvitur, multa obiter secum rapiens, nunc placide leniterque fluit, nunc late velut in lacum effusus exspatiatur; rursum alicubi se condit atque diverso loco subitus emicat, quum visum est; miris Maeandris nunc has nunc illas lambit ripas, aliquoties procul digressus reciprocato flexu in sese redit »[7].

Revera maxima est affectuum varietas in hac epistola, atque quemadmodum facile ab uno affectu ad alterum transit, ita etiam non raro una idea relicta ad alteram prorsus diversam videtur transire. Quare difficile est idearum nexum totiusque epistolae distributionem accurate indicare; imo non defuerunt, qui illam aut diversis temporibus ita scriptam esse putarent, ut priorem partem (1-7), antequam Titus Corintho reversus Apostolo res corinthias retulerit, postremam vero post Titi reditum exaratam dicerent, aut illam ex variis Apostoli epistolis a librario quodam compositam existimarent. Quae falsa esse omnique fundamento carere evidens est, quandoquidem vera et genuina unitas epistolae nequaquam deest. Simili enim modo, quo Demosthenes in suae Apologiae priore parte rationem suam agendi pacatius et quietius defendit, ut in altera accusatorem suum Aeschinem vehementissime aggrediatur et confundat, Paulus quoque ab initio magna cum mansuetudine sese ab adversariorum accusationibus defendit, versus finem autem acerbissime et fortissime eosdem reprobat atque affligit.

Tres autem praeter prologum et epilogum distinguimus partes, in quarum prima et tertia praecipuum suum finem prosequitur, ut suam agendi rationem defendat (1,12-7,16) et adversus pseudapostolorum calumnias apostolicam suam auctoritatem vindicet (10,1-13,10), inter quas magna cum arte alterum suum argumentum de collectis faciendis inserit (8,1-9,15). Primam autem et tertiam partem non sine multis digressionibus, quae tamen cum argumento intime cohaerent et ad finem intentum obtinendum conferunt, tractat, uti ex analysi apparebit[8].

1. 2 *Cor.* 12,18; 2,12 sqq.; 1 *Cor.* 16,5.

2. 2 *Cor.* 1,1. Num Timotheus illo in itinere Corinthum pervenerit, non satis constat; S. Lucas (*Act.* 19,22) loquitur tantum de Timothei et Erasti itinere in Macedoniam, forte quia, quamquam a Paulo Corinthum usque ire iussus erat, certis rationibus permotus ex Macedonia iam Ephesum erat reversus aut quia Paulus ipse citius, quam voluerat, iter ingressus eum adhuc in Macedonia invenit.

3. 2 *Cor.* 2,13; 7,6. 7. 13. 14; 8,17; 9,2.

4. 2 *Cor.* 2,1; 12,20 etc.

5. 1 *Cor.* 16,1 sqq.; 2 *Cor.* 7,5 sqq

6. *S. August.* Doctr. christ. IV. 12-14. M. 34,94 sqq.

7. *Erasm.* Paraphr. Dedic. Cfr. eundem ad 2 *Cor.* 6,13 de stylo huius epistolae : « Sic totus hic sermo per contraria, per membra, per comparia, per similiter desinentia, per ἀναδιπλώσεις aliaque id genus schemata variatur, volvitur ac rotatur, ut nihil esse possit nec venustius nec ardentius ».

8. Antiquiores interpretes minus recte epistolam videntur divisisse. *Card. Hugo*, qui in hac epistola videt « speculum praelatorum », tot facit partes, quot capita, in quibus singulis boni praelati qualitas aliqua commendetur, in primo patientia tribulationum et veritas sermonum, in secundo pietas relaxationum et fructus praedicationum etc. Melius *S. Thomas*, quem iterum sequitur *Lyran.*, censet post benevolentiae captationem (1. 2.) in prima parte Apostolum commendare ministerium N. T. ex

eius dignitate (3), usu (4), praemio (5) et exhortari ad eius usum (6-9), in secunda autem vituperare malitiam pravorum ministrorum (10-12) eorumque asseclarum (13). *Goldhagen* (l. c. p. 358) etiam monita de eleemosynis (cpp. 8.9.) ad apologiam trahit, ac similiter *Kaulen* (Einl. Ed 3. p. 581) ea cum apologia arcte connectit. *Kilber* vero (l. c. II. p. 443 sqq.) praeter exordium et epilogum tres quidem partes statuit, sed alias ac nos (1,15-5,17 pars apologetico-paracletica; 5,18-9,15 pars paraenetica; 10,1-13,10 pars diacritico-apologetica). Moderni tamen interpretes plerique, *Bisping* (l. c. VI. 1. p. 4), *Ad. Maier* (Comm. über den 2 Kor. Freiburg 1865. p. 6 sqq., *Drach* (l. c. p. 239 sqq.), *Guillemon* (l. c. II. p. 338 sq.), *Bacuez* (l. c. IV. p. 283 sqq.) etc. eandem, quam nos, epistolae divisionem praeferunt.

141. — V. Analysis ep. 2 ad Corinthios.

I. *Prologus* (1,1-14) constat

1. *inscriptione* consueta (1,1. 2; Paulus et Timotheus ecclesiis Corinthi et Achaiae);
2. *gratiarum actione* (1, 3-11), quae quia maximum suum erga fideles corinthios amorem exprimit, animos praeparat ad apologiam bene recipiendam. Gratias enim agit Deo, quo efficiente omnes suae sive consolationes sive tribulationes utilitati inserviant fidelium, qui suarum tribulationum et consolationum socii sint (1,3-7); quumque id sciat, refert periculum, quod in Asia subiit (*Act.* 19,23 sqq.) sed Deo adiuvante effugit (1,8-10);
3. *transitione* ad argumentum tractandum (1,11-14). Precibus enim Corinthiorum adiutum etiam in posterum sese pericula evasurum confidit ob bonam suam conscientiam, qua certus est se semper quidem, maxime autem Corinthi, summo cum animi candore esse conversatum, quem eundem candorem semper in ipso illos inventuros esse sperat.

II. In prima parte (1,15-7,16) suam agendi rationem ab adversariorum calumniis vindicat.

1. Prima calumnia erat levitatis et inconstantiae. Quoniam enim itineris promissi (1 *Cor.* 16,5) consilium mutaverat, eum levem et inconstantem vel in ipsa praedicatione esse calumniati erant adversarii (1,15-2,17). Hinc

a.) *proponit factum*, ex quo illa calumnia trahebatur (1,15-17),

b.) contra quam statim *Apostolorum in genere constantiam asserit*, quippe qui Christum, in quo non sit mutabilitas, et promissiones Dei semper verissimas praedicent, atque Spiritus Sancti gratia sint confirmati (1,18-22).

c.) Deinde testem invocans Deum *rationem explicat mutati consilii* (1,23-2,13).

α.) Noluerat enim eos in suo adventu tristitia afficere; quare gravissimo illo scelere, cuius auctorem ex suo coetu non expulerant, audito prius illis scripsit, non ut eos contristaret, sed ut suum ipsius amorem patefaceret (1,23-2,4).

β.) Commemorato illo scelere adducitur, ut in digressione quadam quid de peccatore illo agendum sit doceat, quem poenitentiam

egisse audivit; illi poenam condonans facto ostendit, revera se illis non tristitiam sed gaudium afferre velle (2,5-11).

γ.) Ad itineris consilium reversus narrat, quomodo etiam post priorem epistolam scriptam anxietas ipsius adeo perduraverit, ut vel ipsam Evangelii praedicandi opportunitatem Troade neglexerit (2,12. 13).

d.) Particulae huic finem imponit *gratiis Deo actis* de auxilio accepto, quo etiam in tribulationibus suis tamquam bonus Christi odor Evangelium propagare potuerit atque ita genuinum Apostolum sese exhibere (2,14-17).

2. Ultimo versu, quo se tamquam genuinum Apostolum verbum Dei non adulterare sed illud sincere praedicare asseruit, ad ALTERAM CALUMNIAM ARROGANTIAE ET SUPERBIAE transit, quam ex priore epistola videntur deduxisse adversarii, quod scilicet in ea se ipsum Corinthiis imitandum proposuisset (7,40; 11,1), altiorem sapientiam et maiora dona Spiritus se habere esset gloriatus (2,6. 16; 14,18), imo se aliis Apostolis praetulisset (9,1 sqq.). Quare Apostolus, ut calumniam refelleret, ostendere simul debuit, quonam ex fonte hanc loquendi fiduciam (παῤῥησίαν), quam superbiam et arrogantiam adversarii eius appellabant, hauserit (3,1-4,6).

a.) Quoniam igitur ei obiiciebatur, quod se ipse commendaret, praemittit commendatione nulla nec a Corinthiis nec ad Corinthios sese indigere, quia ipsa ecclesia corinthia sit sua commendatitia epistola ab ipo Spiritu scripta (3,1-3). Ne vero hoc ipsum pro nova sui ipsius commendatione habeatur, rationem addit, cur tanta cum fiducia loquatur, quoniam nimirum scit se haec habere a Deo, qui ipsum fecit idoneum ministrum Novi T. (3,4-6).

b.) Quibus praemissis ostendit *Novi T. ministerium tam excelsum esse, ut illis, qui hoc ministerio fungantur, fiducia loquendi* (παῤῥησία) *uti liceat* (3,7-4,6).

α.) Quem in finem demonstrat Novi T. ministerium praestare Veteris T. ministerio, propterea quod Testamentum N. ipsum Veteri praestet relate ad modum, quo utrumque datum est (3,7. 8), ad utriusque effectum (3,9. 10) et durationem (3,11). Quare opus non habent N. T. ministri, ut velamine sicut Moyses, faciem occultent (3,12. 13), quod velamen (per parenthesin haec inserit, ut ab iudaizantium errore eos retrahat) Iudaei etiamnunc gerunt, dum Christiani revelata facie Christum intuentes eidem assimilentur in eiusque imaginem transformentur (3,14-18).

β.) Propter hanc igitur ministerii N. T. excellentiam ipse quoque tanta cum fiducia et tanta cum claritate loquitur (4,1. 2), et sermo eius obscurus illis solis est, qui a satana occaecati sunt (4,3. 4), quia ipse non semetipsum, sed Christum praedicans a Deo constitutus est genuinus N. T. minister (4,5. 6).

3. Consectarium porro, quod utpote ex superioribus per se manifestum non exprimit (scil. eum, qui tantam sibi formaverit notionem mini-

sterii, illud sine animi candore non esse administraturum) confirmat DESCRIPTA RATIONE, QUA APOSTOLI SUO MUNERE FUNGANTUR (4,7-6,10).

a.) Itaque praeprimis Apostolos illum solum prosequi monet *finem ut Christo placeant, quippe a quo laborum praemium sint accepturi* (4,7-5,10). Id autem hoc modo explanat :

α.) Incipit ab obiectionis tacitae, quae fieri potuit, refutatione : Si tam excelsum est ministerium et tu illo bene fungeris, unde continuae tuae tribulationes? Quae ut refutet, optime se scire ait se huic excelso ministerio esse imparem, at Deum tam debile instrumentum elegisse, ut magis appareat divina virtus, quae ipsum in innumeris tribulationibus perire non permittens in ipso Christum morientem et resurgentem repraesentat (4,7-12).

β.) Quoniam ipse autem eodem, quo olim Psalmista, spiritu fidei in tribulationibus confortatur, ideo etiam cum fiducia praedicat, et quoniam suam ipsius et fidelium futuram resurrectionem firmiter sperat, omnia propter illos suffert (4,13-15) ad aeternam gloriam respiciens, quam transitoriae tribulationes procuraturae sint (4,16-18).

γ.) Quam resurrectionis spem fusius confirmans (5,1-5) disertis verbis asserit, id unice se in tota sua agendi ratione prae oculis habere, ut placeat Christo, a quo praemium aut poenam omnes tandem sint accepturi (5,6-10).

d.) Altero argumento idem consectarium confirmaturus se haec ideo scribere praemonens, ut ipsi discant quomodo Apostolum suum defendere possint (5,11-13), *se sociosque suos in exercendo apostolico munere impelli et dirigi docet caritate Christi pro omnibus morientis suoque exemplo omnes excitantis, ut non iam sibi sed ipsi soli vivant* (5,14-6,10).

α.) Caritas enim Christi pro omnibus morientis, ut omnes peccato mortui Domino soli vivant (5, 14. 15), urget Apostolos, ut in nova hac sua vita per Christum accepta tamquam eius vicarii illud idem munus reconciliationis, quod ipse erga Apostolos exercuit, erga fideles et infideles exerceant (5,16-6,2);

β.) quomodo autem caritate hac Christi impulsus munere hoc functus sit, ita describit [a], ut clare appareat, ipsum non verbis sese commendare sed tota sua agendi et patiendi ratione (6,3-10).

4. Calumnias refutaverat, magna cum παῤῥησία et sine ullis involucris totam suam vitam apostolicam, eius finem et motivum, Corinthiis ex-

a) Pro « exhibeamus » (6,4) legendum esse participium *exhibentes*, ita ut non exhortationem, sed descriptionem habeamus, pro certo supponimus. Participium enim non tantum textus graecus et reliquae versiones habent, sed in antiqua latina quoque versione adfuit, id quod ex commentario Ambrosiastri apparet (quamvis textus commentario praemissus habeat : exhibeamus) et ex S. Augustino (Doctr. christ. IV. 20; de Trin. VIII. 9. M. 34, 109; 42, 959). Merito eandem lectionem praeferunt Estius, Sa, Menoch., Gordon aliique multi. Lectio hodierna Vulgatae ex Missali (Dom. 1. Adv.), in quo integer locus ad omnes fideles accommodatur, desumta est.

planaverat; APOLOGIAM AUTEM NUNC TERMINAT AFFECTUOSISSIMA EXHORTATIONE, in cuius fine eos ad secundam partem praeparat (6,11-7,16).

a.) *Tenerrime eos obsecrat*, ut sibi eandem, quam ipse illis exhibuerat, caritatem rependentes monita illis tradita observent et plene sese a mundo separent (6.11-7,1);

b.) *Magnum dein suum amorem erga eos denuo manifestans* animos eorum omnino sibi devincit apologiaeque suae novam vim attribuit, dum Titum commendans, quem ad collectas terminandas mittere voluit, alteram partem praeparat (7,2-16).

α.) Post brevem enim amoris et fiduciae suae assertionem (7,2-4) refert, quantam consolationem ex bonis nuntiis a Tito allatis hauserit (7,5-7); tristitia nam, qua illos afficere debuerat, ipsi nunc est causa consolationis (7,8-13);

β.) Quae consolatio non parum aucta est consolatione, quam Titus apud eos invenit, et amore, quo Titus quoque eos nunc complectitur (7,14-16).

III. In SECUNDA PARTE (8,1-9,15) de collectis pro ecclesia hierosolymitana faciendis hac ratione agit.

1. *Collectas faciendas in genere commendat* (8,1-15).

a.) Magnis laudibus Macedonum liberalitate celebrata (8,1-5) annuntiat se Titum mittere, ut Corinthi eleemosynas illas colligat (8,6);

b.) Exprimit spem suam fore, ut Corinthii, quemadmodum aliis virtutibus, liberalitate excellant (8,7). Imperare quidem hac in re non vult, suadet autem, ut Christi pro nobis egeni facti memores et ad utilitatem suam respicientes illa nunc terminent, quae ab anno praecedenti iam inceperant (8,8-11), monetque pro viribus, non supra vires, esse dandum (8,12-15).

2. *Commendat Titum aliosque fratres duos*, quos ad terminandas collectas mittit (8,16-24) simul rationem indicans, cur non solus hoc ministerio fungatur.

3. *Commendat demum, ut cito, abundanter, hilariter dent* (9,1-15)

a.) Atque cito quidem, ne ipse erubescere debeat coram Macedonibus secum venientibus (9,1-5);

b.) abundanter autem et hilariter (9, 6. 7), quia Deus retribuere potest et certissime retribuet iis, qui hac ratione daturi sint (9,8-11), quandoquidem hoc misericordiae opus in maiorem Dei gloriam cedat (9,12-15).

IV. In TERTIA PARTE POLEMICA (10,1-13,10) pseudapostolos confundens apostolicam suam auctoritatem vindicat; hinc prima persona singulari utens solos fere semper adversarios suos directe alloquitur.

1. Ex abrupto magna cum emphasi adversarios suos, ut se corrigant, exhortans POTESTATEM SUAM IN UNIVERSUM ADSTRUIT (10,1-16).

a.) Rogat adversarios, ut se corrigant, ne praesens contra eos armis illis uti debeat, quae carnalia quidem esse calumnientur, quae spiritualia autem sint (10,1-6),

b.) Sibi vero hanc potestatem competere ita apertum esse asserit, ut sibi magis quam adversariis de ea gloriari liceat, neque absens tantum per epistolas, quemadmodum illi calumniantur, de ea glorietur, sed praesens quoque eam exercere audeat (10,7-11); neque enim agit sicut illi, qui aliam gloriationis mensuram quam se ipsos non cognoscentes insaniunt[a], sed gloriatur tantum secundum mensuram laborum suorum (10,12-16).

2. Ad particularia dein veniens OSTENDIT SE ADVERSARIIS IN NULLA RE INFERIOREM ESSE (10,17-12,18).

a.) *Transit ad hanc particulam* confitens vanam esse omnem gloriam, quam Deus non approbat (10,17. 18) et Corinthios deprecans, ut sibi indulgeant, si gloriosa quaedam de se locuturus sit, quoniam id ob eorum utilitatem facturus sit (11,1-4).

b.) Dein thesin suam, *se adversariis non esse inferiorem statuit* (11,5. 6) *illamque demonstrat*

α.) in memoriam revocans, quod suae ipsius utilitatis prorsus immemor gratis illis praedicaverit, ut pseudapostolis omnem calumniarum praetextum abscinderet (11,7-15);

β.) Nova excusatione praemissa (11,16-21) adversariis se parem in donis naturalibus, de quibus glorientur (11,22), superiorem esse asserit in ministerio apostolico propter maiores labores susceptos et tribulationes toleratas (11,23-33), superiorem quoque in donis supernaturalibus, revelationibus et visionibus (12,1-5), at in his gloriari non vult infirmitatis suae memor (12,6-10).

γ.) Demum provocat ad Corinthiorum testimonium, qui sciunt, quanto cum fructu et quanta cum integritate inter eos et ipse conversatus sit (12,11-16) et socii eius (12,17. 18).

c.) Ne vero Corinthii putent, haec esse dicta ac si illos constitueret iudices suos, addit se haec ob eorum aedificationem dixisse et ut ipsi sese corrigerent (12,19-21); illis vero, qui corrigi nolunt, se velut severum iudicem venturum esse annuntiat (13,1-7); erga alios vero se apostolica sua auctoritate usurum non esse promittit (13,8-10).

V. EPILOGUS (13,1-13), qui paucis verbis absolvitur, praeter generalem quandam exhortationem salutationem continet et benedictionem apostolicam.

142. — VI. QUO LOCO ET QUO TEMPORE utramque epistolam scriptam esse censeamus, ex illis, quae supra diximus, satis iam apparet; priorem enim S. Apostolus Ephesi exaravit brevi antequam urbem illam in tertio suo itinere apostolico reliquit, alteram paucis mensibus postea in Macedonia. Quare si codicum nonnullorum subscriptiones priorem

a) Sequimur lectionem, quam habet *S. August.* (in Ps. 34, 18; Civ. Dei XII. 17; c. Faust. XXII. 47. M. 36, 339; 41, 367; 42, 429 « *Comparantes semetipsos semetipsis non intelligunt* »), quum contextui magis conveniat et textui graeco respondeat. Vulgata enim duo, vocabula οὐ συνιοῦσιν vel οὐ συνιᾶσιν omisit; formam autem συνιοῦσιν non pro dat. Partic. sed pro 3. pers. plur. cum *S. Chrysost.* aliisque Graecis explicamus, sicut etiam Vetus Latinus iam fecerat.

Philippis in Macedonia exaratam dicunt, recte iam monet latina quaedam subscriptio : « Ad. Cor. 1 scripta est e Filippa, ut dixerunt quidam, verum potius videtur secundum ipsius apostoli indicium scripta esse ex Asia »[1]. Item erronee Fuldensis cum aliis codicibus alteram Troade compositam esse tradit, quia Apostolus ipse se Troadem, antequam scripsit, iam reliquisse asserit[2]. Sed his immorandum non est, quum omnes hodie de tempore et loco originis epistolarum consentiant[3].

1. Subscriptiones exhibet *Tischend.* N. T. gr. Ed. 8. II. p. 568. Ceterum cfr. 1 *Cor.* 16,8. 19.

2. Cfr. 2 *Cor.* 2,12. 13. Num Philippis, an alia in Macedoniae civitate scripta sit, definiri non potest.

3. Qui chronologicas indicationes, quas in Actibus et epistolis habemus, perpenderit, satis accurate tempus definiet. Verno tempore a. 55. tertium iter ingressus peragratis Phrygia et Galatia ante auctumnum Ephesum non pervenit, ubi resedit duobus annis et aliquot mensibus (*Act.* 18,23; 19,8. 10), i. e. usque versus Pascha a. 58. Consentit 1 *Cor.* 16,8, quo in loco se « usque Pentecosten » Ephesi mansurum dicit, at quominus consilium exsequeretur, prohibitus est seditione a Demetrio excitata (*Act.* 19.21); circa Pascha a. 58. igitur scripta est prior epistola. Epheso in Macedoniam et Achaiam profectus teste S. Luca tres menses in Achaia peregit, atque ex Achaia per Macedoniam revertens Philippis pascha celebravit (*Act.* 20,6) et Miletum eo anni tempore advenit, ut ante Pentecosten (a. 59.) se Ierosolyma perventurum esse speraret (*Act.* 20,2. 3. 16); mense igitur Februario exeunte vel Martio ineunte Corinthum reliquit eoque advenerat mense Novembri (a. 58.) exeunte vel Decembri ineunte. Altera igitur epistola versus mensem Septembr. 58. videtur esse scripta.

143. — VII. De utriusque epistolae authentia et integritate pauca dicenda remanent. Tot autem et tam praeclara testimonia apostolicam prioris originem extra dubium ponunt, ut nemo, qui ullam fidem historicis documentis adhibet, eam negare sit ausus. *S. Clemens Rom.* enim, Apostolorum discipulus, in priore sua ad Corinthios epistola non tantum caritatem commendans paulinum hymnum de caritate evidenter prae oculis habuit, sed disertis quoque verbis epistolam nostram commemorat imo inspiratam eam dicit : « Epistolam (τὴν ἐπιστολήν) beati Pauli in manus sumite. Quid primum vobis in principio evangelii (termino hoc S. Clemens procul dubio non de epistola qualicunque loquens usus esset) scripsit? Certe divinitus inspiratus (πνευματικῶς) de se ipso, de Cepha et Apollo ad vos literas dedit, quia etiam tum inter vos factiones et partium studia fuerunt »[1]. Neque minus clarum est alterius Patris apostolici, *S. Polycarpi*, S. Ioannis discipuli, testimonium : « Nescitis sanctos mundum esse iudicaturos, quemadmodum Paulus docet »[2]? Quibus testibus alios adiungere prorsus superfluum est.

Ex eo autem, quod S. Clemens de una sola epistola loquitur, immerito aliquis deduxerit, eum alteram non cognovisse; illam allegat

(τὴν ἐπιστολήν), quae testimonium, quo indiguit, continebat. Eodem loquendi modo utitur *S. Irenaeus*, qui de priore loquens haec habet : « Et hoc autem Apostolum in epistola, quae est ad Corinthios (in Graeco probabiliter fuit : ἐν τῇ πρὸς τοὺς Κορινθίους ἐπιστολῇ aut ἐν τῇ ἐπιστολῇ τῇ πρὸς τοὺς Κορινθίους) manifestissime ostendisse dicentem : Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt » etc. Nihilominus alteram quoque diserte allegat : « Quod autem dicunt aperte Paulum in *secunda* ad Corinthios dixisse : in quibus Deus saeculi huius excaecavit mentes infidelium » etc [3]. Iam ante S. Irenaeum *Athenagoras* utriusque epistolae testimonia coniungit : εὔδηλον παντὶ τὸ λειπόμενον, ὅτι δεῖ κατὰ τὸν Ἀπόστολον τὸ φθαρτὸν τοῦτο καὶ διασκεδαστὸν ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, ἵνα ἕκαστος κομίσηται δικαίως ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν εἴτε ἀγαθὰ εἴτε κακά [4], eodemque modo penes auctorem *Philosophumenon* non semel utriusque epistolae textus coniunctos invenimus [5]. Quibus testibus *Clementem Alex.* addamus, qui innumeris vicibus alteram aeque ac priorem adhibet [6], *Tertullianum*, qui non rarius utramque allegat, auctorem *fragm. Murator.*, qui Paulum « propter correptionem » Corinthiis bis scripsisse tradit [7]. Quamvis igitur secundae epistolae in Patrum apostolicorum non nisi allusiones dubiae leguntur [8], ante finem saec. 2. tamen eam in universa Ecclesia in eodem prorsus honore atque priorem invenimus; atque iure concludimus eodem tempore utramque ab ecclesiis particularibus esse receptam, alteram autem a Patribus apostolicis non esse allegatam, quia ad sua argumenta evolvenda minus aptam eam habebant.

1. *S. Clem. Rom.* 1 *Cor.* 47. — 1 *Cor.* 1,49 : « Vinculum caritatis quis potest enarrare? quis pulchritudinis eius magnificentiam eloqui valet? Altitudo, ad quam evehit caritas, inenarrabilis est. Caritas nos Deo agglutinat, caritas peccatorum multitudinem tegit, caritas omnia sustinet, omnia patienter tolerat; nihil sordidum in caritate, nihil superbum; caritas schisma non habet, seditionem non movet, omnia in concordia facit; in caritate omnes Dei electi sunt perfecti, sine caritate nihil Deo acceptum est » etc. Cfr. 1 *Cor.* 13,1 sqq.

2. *S. Polyc.* ad Philipp. 11. Cfr. 1 *Cor.* 6,2.

3. *S. Iren.* c. haer. IV. 27; III. 7 (M. 7,1059. 804) cfr. 1 *Cor.* 10,1; 2 *Cor.* 4,4.

4. *S. Athenag.* de resurr. 18 (M. 6,1012); cfr. 1 *Cor.* 15,53; 2 *Cor.* 5,10.

5. *Philosoph.* V. 8; VII. 26 (M. 16,3146. 3315). In priore loco 2 *Cor.* 12,2-4 et 1 *Cor.* 2,13. 14; in altero *Eph.* 3,3 et 2 *Cor.* 12,4.

6. *Clem. Alex.* Strom. IV. 21 (M. 8,1340 sqq.), ut « verum gnosticum » depingat, saltem septem diversos textus ex 2 *Cor.* et duos ex 1 *Cor.* adhibet.

7. *Tertull.* c. Marc. V. 10-12 (M. 2,494) per tria integra capita Marcionem ex 2 *Cor.* impugnat.

8. Cfr. *Funk* Patres apost., qui in Indice locorum SS. in *S. Clem.* 1 *Cor.* sex, in *S. Ignatii M.* epistolis unam, in *S. Polyc.* ad Phil. tres, in *ep. ad Diogn.* tres allusiones indicat.

144. — Rationalistarum parens Semler primus *integritatem* vel potius *unitatem alterius epistolae* in dubium vocavit nec ei defuerunt sequaces. Secundum Semlerum genuina Pauli epistola octo priora capita sola complectebatur, quibus pro conclusione addita erant *Rom.* 16 et 2 *Cor.* 13,11-13; at alteram quoque epistolam Paulus Corinthiis scripserat, quae quatuor ultima capita continebat (10,1-13,10); demum folium quoddam de collectis faciendis (9,1-15) ecclesiis Achaiae miserat. Quae omnia postea conglutinata nostram epistolam constituerunt[1]. Rationes, quibus nugas has demonstrare conatus est, ex diverso modo desumsit, quo Apostolus loquitur; in priore enim parte magna cum caritate et mansuetudine Corinthios alloquitur, in altera acerbum et vehementem se exhibet; argumentum quoque de collectis capite 8. omnino absolvi asserit Semler, ita ut quid sibi velit 9,1-15 non appareat. At nemo non videt rationalistam hisce rationibus nihil aliud demonstrasse, nisi se ipsum epistolam non intellexisse; quid enim mirum, quod Apostolus Corinthios seductos benigne alloquatur, seductores autem graviter castiget? Quid mirum, quod Corinthios, postquam terminari iussit collectas, docere voluerit, quare et quomodo eleemosyna sit facienda?

Neque minus ineptum est, si Ewald particulam 6,14-7,1 ex alia epistola in nostram insertam esse definiat[2]; namque optimo nexu cum praecedentibus et sequentibus cohaeret, illum enim erga se amorem Apostolus a Corinthiis efflagitat, quem ipse eis exhibuerat, i. e. qui non verbis sed actionibus sese manifestet.

Inter modernos demum rationalistas nonnulli priorem nostrae epistolae partem non apte explicari censent, nisi Paulus inter duas illas, quas hodie possidemus, intermediam tertiam quandam, vehementiorem et severiorem, Corinthiis scripsisse supponatur. In nostra enim secunda allusiones ad praecedentem severissimam legi asserunt (praesertim 2,4;7,8.12), quae ex nostra 1 Cor. sufficientem explicationem non habeant. Quapropter aliqui supposititas illas intermedias literas in 2 *Cor.* 10,1-13,10 inveniunt, quae a reliqua epistola sint avellenda[3]. Respondemus autem eorum conclusionem latius quam praemissas patere. Si enim vera essent, quae obiiciuntur, nihil sequeretur, nisi deperditis paulinis etiam hanc secundam vel potius tertiam ad Cor. esse adnumerandam; quo autem cum iure ultima capita ideo a nostra secunda divellantur, non apparet. Logicas igitur regulas melius observant interpretes illi, qui revera intermediam talem epistolam esse deperditam statuunt[4]. At ne illis quidem adstipulamur, quia solido fundamento caret obiectio. Cum omnibus enim antiquis interpretibus 2 *Cor.* 2,4-10 de incestuoso (1 *Cor.* 5,1-8) explicamus ac de eodem 2 *Cor.* 7,8.12. aptissime intelligi arbitramur. Accedit autem, quod non tantum 2 *Cor.* 1,15.16. evidentissime ad 1 *Cor.* 16,5 respiciat, sed in priore quoque tot severa (1 *Cor.* 4,18-21; 5,1 sq.; 6,8; 11,17-22 etc) et tot alia, quae ab Apostoli adversariis arrogantiae incusari potuerunt (1 *Cor.* 2,16; 4,1; 9,1 sq.; 14,8; 15,8 sqq.), legantur, ut nulla prorsus remaneat ratio, cur nova quaedam intermedia epistola, quae toti antiquitati fuit incognita, statuatur.

1. *Semler* De duplici appendice ep. ad Rom. Halae 1767; eiusdem Paraphr. Halae 1776; *Weber* De numero epp. ad Cor. rectius constituendo Wittenb. 1798.

2. *Ewald* Sendschr. des Ap. Paul. p. 231. 282 sq.; *Renan* St Paul, p. LXII etc.

3. *Hausrath* Der Vier-Capitelbr. an die Korinth. 1870 etc.

4. *Bleek* Einl. p. 473; *Kloepper* Untersuchung über 2 Kor. 1869. p. 1-28; *Hilgenfeld* Einl. p. 281 sq. etc. — Qui multa miraque « criticorum » commenta de compositione epistolae cognoscere desiderat, adeat *Schmiedel* (in Holtzm. Handcomm. Ed 2. 1892. II. 1. p. 60-89), *Jülicher* Einl. 1894. p. 58-67 etc.

§ 8. — *De epistola ad Romanos.*

145. — I. De ecclesiae romanae initiis. Romanae ecclesiae fundationem Patres antiquiores omnes uno ore SS. Petro et Paulo adscribunt. *S. Ignatius M.* enim, si semetipsum Romanis non praecipere sicut Petrum et Paulum asserit, procul dubio duos hos Apostolos ecclesiae romanae fundatores esse insinuat; disertis autem verbis *S. Dionysius Cor., S. Irenaeus, Caius presb., Tertullianus* idem testantur [1]. Quoniam vero iam diu, antequam Paulus in Urbem advenit, Romae non tantum Evangelium esse praedicatum, sed ecclesiam quoque florentissimam exstitisse ex epistola nostra luce clarius patet, Patrum testimonia eo sensu sunt intelligenda, quod Petrus seminaverit, Paulus rigaverit, uterque sanguine suo effuso foecundaverint agrum romanum Deo ipso incrementum dante.

Cum *Ambrosiastro* multi protestantici paucique catholici interpretes « Iudaeos quosdam conversos » Romanis Evangelium attulisse neque ullum Apostolum ante Paulum Romae docuisse censent [2]; sed immerito. Prima quidem Evangelii semina forte ab advenis romanis illis, qui primae S. Petri praedicationi adfuerunt, Romam allata esse negare nolumus, atque fieri etiam potuisse concedimus, ut inter multos Iudaeos, qui tum temporis Urbem incolebant, asseclas nonnullos Evangelium invenerit [3] : at ecclesia illa, cuius fides a. 58., quando Paulus suas dedit literas, in universo orbe iam celebrabatur, non potuit nisi unum ex praecipuis Apostolis habere fundatorem. Quis sibi persuaserit, Apostolos, qui quum Samariae post Philippi diaconi praedicationem multos Evangelium recepisse audissent, Petrum et Ioannem miserunt, ut ecclesiae illi fundandae praeessent, atque iterum Barnabam Antiochiam ablegarunt, ut primae ethnicorum ecclesiae curam gereret [4], in capite imperii romani neophytos sibi ipsis reliquisse? Iam vero tota retro antiquitas, si Ambrosiastrum excipis, alium praeter Petrum non cognovit, qui « exordio regni Claudii Romam venit et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit potentissimisque virtutibus comprobavit », « ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit » [5].

Illud dicere profecto in animo nobis non est S. Petrum post primum in Urbem adventum domicilium suum in ea ita fixisse, ut eius portas amplius non sit egressus; simili enim modo et eodem fere tempore, quo Paulum Antiochiam, Petrum Romam centrum apostolicarum suarum excursionum elegisse contendimus. Nobis igitur contraria non sunt, quae velut argumenta certa contra sententiam nostram semper afferri solent, a. 44. scilicet Petrum Ierosolymis, a. 51. Ierosolymis et Antiochiae fuisse, in epistolis, quas Paulus Romae scripsit, nullam Petri fieri mentionem et alia eiusmodi. Quae omnia verissima esse concedimus, sed quo cum iure ex illis Petrum a. 42. Romam non venisse demonstretur, nemo nisi protestanticis praeiudiciis abreptus videbit[6].

Praeter fundatoris nomen admodum pauca certa de romanae ecclesiae primordiis nobis sunt tradita, quapropter solis coniecturis magis minusve probabilibus, quis primus eius fuerit status, consequi nobis licet. Quo tempore Petrus Romam advenit, Antiochiae iam multi ethnici Evangelium receperant; nihilominus S. Petrum, qui novem annis postea in concilio hierosolymitano sibi circumcisionis praecipue Evangelium vindicavit, etiam Romae ab initio inter contribules suos apostolico munere functum esse iure coniicere nobis videmur; quare verisimillimum est, ex Iudaeis conversis formatum esse primum ecclesiae romanae nucleum. At Romae procul dubio satis magnus quoque fuit proselytorum iudaicorum numerus, qui ad Evangelium recipiendum ubique magis erant propensi, nec defuit principi Apostolorum, qui Cornelium centurionem in Ecclesiam receperat, occasio, ut ethnicis quoque bonum nuntium afferret. Quapropter quum una cum Iudaeis etiam Christiani, qui ex circumcisione erant, Claudii decreto a. 51. ex Urbe expellerentur[7], illa ecclesiae romanae pars remansit intacta, quae ex proselytis et ethnicis erat collecta. Quorum numerus auctus est, quando Petrus post Concilium Apost. Romam redux deficientibus Iudaeis totam suam curam et diligentiam convertendis ethnicis impendere coactus est. Ab eo igitur tempore in romana ecclesia ethnici conversi omnino praevaluerunt, atque tanta exinde facta est Iudaeorum post Claudii mortem Romam reversorum et Christianorum separatio, ut a. 62. « primis Iudaeorum » id unum « de hac secta (Christianorum) notum esset, quod ubique ei contradiceretur ». Revera ex S. Pauli epistola ad Rom. haud obscure elucet, maiorem Christianorum romanorum numerum ex ethnicis venisse. Quamquam enim inter eos, quos in fine epistolae salutat, plerique sunt Iudaei atque interdum quoque ad neophytos iudaicos sermo dirigitur[8], universam tamen ecclesiam, ac si solis ethnicis conversis constiterit, plerumque alloquitur[9].

1. *S. Ignat. M.* ad Rom. 4. « Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν ». *S. Dionys Cor.* (apud Euseb. H. E. II. 25. M. 20,209); *S. Iren.* c. haer. III. 1. 3 (M. 7, 845.849)

Petrum et Paulum vocat θεμελιώσαντας καὶ οἰκοδομήσαντας ἐν Ῥώμῃ τὴν Ἐκκλησίαν; simili modo *Caius presb.* (apud Euseb. H. E. II. 25. M. 20,209) : Ego Apostolorum possum trophaea ostendere; nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophaea τῶν ταύτην ἰδρυσαμένων τὴν Ἐκκλησίαν; *Tertull.* de praescr. 32. 36 (M. 2,45. 49); *Firmilian. Cappad.* (in opp. Cypr. ep. 75. M. 3,1207) etc.

2. *Ambr*ter Prol. in ep. ad Rom. (M. 17,45); ex catholicis interpretibus modernis vix non solus *Ad. Maier* (Comm. über d. Br. Pauli an die Roemer Freiburg 1847. p. 1-11) hanc sententiam tueri conatur, qui (mirabile dictu) ex ipsa epistola ad Rom. tam certo constare asserit Petrum ecclesiam romanam non fundasse, quam Paulum epistolam illam scripsisse, nam Petrum in tota epistola non nominari et *Rom.* 15,20. ab Apostolo non potuisse scribi, si fundamentum ecclesiae romanae a Petro esset iactum. Quam levia haec sint, evidens est; Paulus ipse enim Romae ecclesiam « aedificare » noluit, sed « *praeteriens* Romanos videre et ab illis in Hispaniam deduci, postquam Romanis primum ex parte fruitus esset » (*Rom.* 15,23. 24). Petri autem mentio diserta facienda non erat, si eo tempore absens erat. Protestanticorum argumenta adscribere supersedemus, quia alio tantum modo eadem, quae Maier, evolvunt.

3. *Act.* 2,10. — Maximum eo tempore fuisse Iudaeorum Romam incolentium numerum ex eo apparet, quod Iudaeorum legatis, qui post Herodis M. mortem Romam venerunt, octo millia Iudaeorum romanorum sese adiunxerint teste *Fl. Ioseph.* Antiqu. XVII. 11,1. Tiberii tempore quatuor millia Iudaeorum in Sardiniam deportati sunt teste *Tacit.* Ann. II. 85 etc.

4. *Act.* 8,14 sqq.; 11,20 sqq.

5. *Oros.* Hist. eccl. VII. 6 (M. 31,1072); *S. Hier.* de vir. ill. 1. (M. 23,607); cfr. *Euseb.* H. E. II. 14 (M. 20,172) etc.

6. Ceterum de hac quaestione, quae proprie ad historiam ecclesiasticam pertinet, cfr *Comment.* in ep. ad Rom. 1896. p. 2 sqq. et opera ibi allegata.

7. Etenim Aquilam et Priscillam iam ante eorum in Achaiam adventum Christianos fuisse et Paulum ideo, quia Christiani erant, apud eos deversatum esse Lucas diserte quidem non dicit, sed insinuat. Quum ex praecipuis Pauli cooperariis essent, eorum conversionem, si per Paulum facta esset, Lucas non tacuisset.

8. *Rom.* 16,3 sqq.; 4,1 sqq.; 7,1 sqq.

9. *Rom.* 1,5. 6. 13; 6,17 sqq.; 11,12; 15,15 sq. etc.

146. — II. Occasio et finis epistolae ad Romanos. Ambrosiastri et S. Augustini sententiam, quae in Glossam transierat, secuti mediae aetatis interpretes longe plerique et moderni non pauci occasionem huius epistolae scribendae natam esse censent « ex contentione, quae Romae inter iudaicos et ethnicos neophytos suborta erat de meritis et iustificatione, dum scilicet utrique suis meritis Evangelii gratiam arrogarent »; « etenim quum in illa epistola fere totus sit Apostolus in docendo iustificationem gratuitum esse Dei donum, cur hoc potius quam aliud argumentum tractasset, nisi quia certa relatione compertum haberet Romanos in hac potissimum re institutione indigere[1] »?

Attamen integra in epistola nullum prorsus invenimus vestigium, ex quo appareat romanae ecclesiae conditionem ipsam scribendae epistolae occasionem dedisse; imo quoniam de ecclesiae illius conditione iudicium ex alio fonte, quam ex nostra epistola, haurire non possumus, dicendum potius est, gratuito prorsus et sine ullo fundamento neophy-

tis romanis foedum illum errorem affingi. Alium ingredi Apostolum, si apertum errorem impugnare et schismata auferre vult, epistolae ad Galatas et Corinthios satis demonstrant; nulla autem in nostra polemicae rationis contra Christianos romanos umbra vel species; quae enim polemica sunt, ea contra ethnicos et Iudaeos infideles diriguntur. Quid quod Apostolus, qui toties se non hominibus sed soli Deo placere velle asserit, tot laudibus fidem Romanorum celebret eosque « repletos omni scientia » appellet? Annon si ecclesiae a se non fundatae fidem corrigere vel ei quidquam addere voluisset, super alienum fundamentum aedificasset, id quod se unquam facturum esse negat[2]? At thema quoque eius non est, ut gratuitum dumtaxat Dei donum iustificationem esse doceat, sed « *virtutem Dei esse Evangelium omni credenti* » ipse pro argumento indicat; num forte tecte tantum et quasi per ambages et cuniculos errorem aggredi ausus est? Ad quid demum excusationes illae de epistola deque eius argumento, si Romani ipsi gravi suo errore epistolam provocassent[3]?

Hac igitur sententia utpote parum probabili omissa modernorumque quorundam interpretum opinionibus, qui cum Eichhorn putant Romanos contra seductores iudaicos fuisse praemuniendos, aut cum Sabatier dicunt contra iudaizantes Apostolum doctrinam et apostolicam suam dignitatem defendisse, utpote prorsus arbitrariis et omni omnino fundamento carentibus prorsus reiectis[4], alteram epistolae occasionem non assignamus praeter illam, quam a Paulo ipso indicatam *S. Chrysostomus* evolvit : « Aliis, inquiens, ob aliam causam et rationem scribit, id quod ipse declarat, ubi Corinthiis dicit : *De iis autem, quae mihi scripsistis,* et Galatis statim ab initio et per totam epistolam idipsum significat. His vero cur et qua de causa scribit? Testificare enim videtur illos esse virtute et scientia omni repletos, ita ut possint alios docere. Cur ergo illis scribit? *Propter gratiam Dei,* inquit, *quae data est mihi, ut sim minister Iesu Christi.* Ideoque ab initio dixit : *Debitor sum, ut pro virili mea parte vobis, qui Romae estis, Evangelium praedicem.* Verba enim eius, ex. gr., quod possint alios admonere, laudem praecipue prae se ferunt et tacitam quandam exhortationem; ac necessaria his quoque erat excitatio per literas. Quia enim nondum istuc venerat, duplici ratione excitavit illos, literis suis utilissimis et adventus sui exspectatione. Talis namque erat sancta illa anima, totum complectebatur orbem et omnes secum circumferebat, consanguinitatem maximam illam esse putans, quae secundum Deum est. Atque ita omnes amabat, ac si eos omnes genuisset, imo maiorem prae se ferebat, quam quivis pater, dilectionem »[5].

Intime scilicet S. Paulo persuasum erat, « propter gratiam, quae data erat ipsi a Deo, ut esset minister Iesu Christi *in gentibus* » et propter

« Apostolatum, quem acceperat ut obedientiae fidei subiiceret *omnes gentes* », se omnibus factum esse debitorem; quapropter etiam promtus erat iis, qui Romae erant, evangelizare[6]. Itaque postquam per quatuordecim fere annos Syriam, Asiam Min., Macedoniam et Graeciam peragravit et « ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum propagavit Evangelium Christi », novum vastissimumque laborum apostolicorum campum sibi in terminis Occidentis elegerat atque praeprimis Hispaniam iugo Christi subiicere sibi proposuerat. In hoc autem itinere hispanico satisfacere se posse sperabat desiderio, quod iam a multis annis foverat, ut romanam ecclesiam, cuius fides in toto imperio celebrabatur, invisens « aliquid impertiretur illis gratiae spiritualis ad confirmandos eos, ut per mutuam fidem, eorum et suam, se invicem exhortarentur »[7]. Doctrinae igitur romanae quidquam deesse non censebat, sed hac sua epistola iter suum romanum, quod brevi se ingressurum sperabat, quasi praeparare volebat. Quoniam enim Romae diu permanere noluit, sed praeteriens eos videre iisque frui, Romanis iam antea praecipua fere Evangelii sui capita atque imprimis doctrinam illam, quam ultimis annis ubique contra iudaizantes defendere debuerat, omnibus scilicet hominibus, Iudaeis et ethnicis, Evangelium eodem modo esse destinatum, exponendam duxit, ut brevis sua inter eos commoratio fructum aliquem spiritualem producere posset.

1. *Ambr^ster* ad Rom. Prol. (M. 17,45); *S. August.* Expos. inchoat. ep. ad Rom. 1 (M. 35,2088); similem sententiam indicare videtur *S. Hieron.* in Gal. 5,2 (M. 26,422), quamvis alibi non semel fidem romanam ab Apostolo laudatam asserat (ad Pamm. et Ocean. ep. 84,8; in Gal. l. II. Prol. M. 22,750; 26,381). *Glossa ordin.* in Rom. « Pro altercatione scribit Romanis confutans modo Iudeos modo Gentiles, docens eos humiliari, ut omnia attribuant gratiae Dei. Iudaei salutem generi suo, Gentiles autem ingenio et naturae attribuebant ». Cfr. « Prolog. ex operibus doctorum collectum » (apud Card. Hugon.), in quo haec fuse exponuntur. Multi quoque inter iuniores (cfr *Est. a Lap. Frass. Picon. Nat. Calm.* etc.) et modernos (cfr *Hug. Beel. Lamy, Danko* etc.) hanc sententiam tenent, uti etiam plurimi acatholici. — Cfr *Comment.* in ep. ad Rom. 1896. p. 9. sqq.

2. *Rom.* 1,8. 12; 16, 19; 15,14. 20. Mirum, quod *Ambrosiaster* (l. c.) scribere potuerit : « Romanis autem irasci non debuit, sed *et laudare fidem illorum*; quia nulla insignia virtutum videntes nec aliquem Apostolorum, susceperant fidem Christi ritu licet iudaico, *in verbis potius quam in sensu*; non enim expositum illis fuerat mysterium crucis Christi ».

3. *Rom.* 1,16; 15,15 sqq.; 1,5.

4. *Eichhorn* Einl. III. p. 217; *Sabatier* L'Apôtre Paul. p. 216. Neque magis refutatione digna est sententia *F. C. Baur*, qui contendit ecclesiam romanam, quam integram fere Iudaeis conversis constitisse censet, epistolam provocasse, quia Pauli doctrina privilegia sua nationalia primatumque suum, ad quem propter sanguinem abrahamiticum haberent ius, destrui putassent (Der Apostel Paulus I. p. 343 sqq.).

5. *S. Chrysost.* in Rom. hom. 1. (M. 60,394).

6. *Rom.* 1,5. 14. 15; 15,16.

7. *Rom.* 15,19-24; 1,11. 12. Cfr. *S. Chrys.* in Rom. hom. 2,4 (M. 60,405).

147. — Ne breve igitur illud tempus, quod inter Romanos commorari sibi proposuerat, sine fructu perageret, conspectum quendam sui Evangelii in nostra epistola illis exhibuit. « In epistola hac, inquit *S. Augustinus*, quantum ex eius textu colligi potest, quaestionem habet talem : utrum Iudaeis solis Evangelium D. N. Iesu Christi venerit propter merita operum Legis, an vero nullis operum meritis praecedentibus omnibus gentibus venerit iustificatio fidei, quae est in Christo Iesu, ut non, quia iusti erant, homines crederent, sed credendo iustificati dein iuste vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit *omnibus* venisse gratiam Evangelii D. N. Iesu Christi. Quod propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum iustitiae redditum est, sed *gratuito datum* »[1]. In Evangelio revera viam ac rationem manifestatam esse, quam Deus ad omnes homines salvandos elegerit, in hac epistola S. Paulus ita evolvit, ut *iustificationis per fidem in Christum obtinendae universalitatem et gratuitatem demonstret.*

Omnes interpretes duas praeter exordium et epilogum longiorem distinguunt partes, quarum prior dogmatica, ut *S. Thomae* verbis utamur, » ostendit virtutem evangelicae gratiae » (1,16-11,36), altera paraenetica « exhortatur ad exsecutionem operum huius gratiae » (12,1-15,13). In priore autem et praecipua parte distribuenda maior est interpretum dissensus; S. Thomam ducem secuti tres sectiones distinguendas censemus. Tota enim pars dogmatica circa illam thesin versatur, quam Apostolus ipse disertis verbis a principio indicat, « Evangelium virtutem Dei esse omni credenti, Iudaeo primum et Graeco », i. e. evangelicam doctrinam esse efficacem ad salutem omnibus iis conferendam, qui illam fide viva recipiant sine ulla Iudaeos inter et gentiles distinctione. Iam thesin hanc Apostolus primum *demonstrat* (1,19-4,25), « sine gratia Christi in Evangelio revelata nec cognitionem veritatis gentibus, nec circumcisionem et Legem Iudaeis profuisse ad salutem » (*S. Thom.*) ; deinde eandem *evolvit* (5,1-8,39) bonis, quae gratia Evangelii affert, enumeratis et commendatis; demum eam ab obiectionibus, quae ab Iudaeis afferri potuere, *vindicat* (9,1-11,36)[2]. Alii interpretes quatuor sectiones distinguere malunt, ita ut in prima (1,18-3,20) Paulus omnes homines, sive ethnicos sive Iudaeos, quum peccato sint obnoxii, iustificatione indigere demonstret, in altera (3,21-5,20) ad eam neminem pervenire ostendat nisi per fidem et ex meritis Christi, in tertia (6,1-8,39) eam debito modo in vita christiana esse exprimendam doceat, in quarta demum (9,1-11,36) mysterium distributionis huius gratiae explicet, in quantum id fieri potest. In analysi tamen S. Thomae partitionem pro fundamento ponendam arbitrati sumus, quia accuratius et clarius Apostoli argumentationem exprimit[3].

1. *S. August.* Exposit. inchoat. in ep. ad Rom. 1 (M. 35,2087).

2. *S. Thom.* in Rom. 1. lect. 6.; c. 5. lect. 1.; c. 9. lect. 1.

3. *Card. Hugo,* qui in hac epistola fere solam Glossam explicat, divisionem non indicat; *Lyranus* S. Thomam sequitur. — *Salmeron* (Praef. in ep. ad Rom. Opp. Col. 1614. XIII. p. 276) tres quoque sectiones agnoscit, sed alias : « Quinque primis capitibus de iustificatione plenissimam habet disputationem...; deinde dubitationes quasdam ex priore disputatione exortas a c. 6. ad 11. usque persequitur; tertio ab 11. usque ad 12. occurrit scandalo paucitatis credentium ex Iudaeis ». — *Kilber* (l. c. II. p. 412 sqq.) in dogmatica parte duas theses demonstrari vult, positivam (fidem esse medium ad veram iustitiam) et negativam (philosophiam et Legem non esse media ad salutem, sed potius occasionem vindictae); negativam probari 1,19-4,24, positivam 5,1-9,5, utramque autem confirmari 9,6-11,36. — *Goldhagen* (l. c. III. p. 325 sqq.) : a.) Necessitas fidei probatur ex sceleribus Gentilium et Iudaeorum 1,18-3,31; b.) eadem adstruitur ex indigentia Legis, quae in ipso Abrahamo non sufficiebat 4,1-8,39; c.) quid de Iudaeorum reprobatione sentiendum sit, explicatur 9,1-11,36. — *Drach* (l. c. p. 9) omnino a *Bisping* (l. c. V. 1. p. 68 sq.) dependens haec habet : « Le premier paragraphe (1,18-5,21) traite de la justification par la foi; le second (6,1-8,39) des effets de cette justification; le troisième (9,1-11,36) traite des rapports présents et futurs des Juifs avec le Christianisme ». — *Reithmayr* (Comm. z. Br. a. d. Roem. Regensb. 1845. p. 28 sqq.) simili modo, quo nos, sequitur S. Thomam. — *Ad. Maier* (Comm. Freib. 1847. p. 18 sqq.) 1,18-8,39 in minutas particulas discerpit, quarum nexus non satis indicatur, et 9,1-11,36 pro appendice habet. — *Bacuez* (Manuel IV. p. 190 sqq.) duas tantum partes hac ratione facit : 1.) Preuve négative de la thèse ou réfutation des sentiments contraires (1,18-3,31); 2.) Preuve positive, directe (4,1-5,21) et indirecte (6,1-11,36). — Duas quoque sed alias partes *Guillemon* (Clef des ep. de St Paul, I. p. 60 sqq.) statuit : « Preuves de la justification et du salut par la foi et par la grâce (1,18-5,21); Réponse aux objections contre la doctrine exposée de la justification (6,1-11,36) ». — *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 564) quatuor distinguit partes : « Von der *Nothwendigkeit* der Rechtfertigung für die Heiden und für die Iuden (1,18-3,8); Vom Glauben als *Mittel* der Rechtfertigung (3,9-4,25); Von den *Wirkunger* der Rechtfertigung (5,1-8,39); Von dem offenbarungsgeschichtlichen *Hergang* der Rechtfertigung (9,1-11,36) ». — Haud minor est divisionum varietas apud acath.

148. — III. Analysis epistolae ad Rom.

Exordium (1,1-15) constat

1. *inscriptione longiore* (1,1-7), in qua iam, quum muneris sui apostolici dignitatem ex Evangelii, quod praedicat, celsitudine profluentem (1,2-4), et extensionem ad omnes gentes asserat (1,5. 6), rationes innuit, ob quas ecclesiae romanae scribat;
2. *captatione benevolentiae quadam* (1,8-15), quatenus una ex parte gratias agit Deo ob Romanorum fidem in toto orbe celebratam (1, 8), altera vero ex parte bonam suam erga eos voluntatem manifestat, quae ex continuis suis pro eis precibus (1,9. 10) et ex continuo suo eos adeundi desiderio (1, 11. 12) elucet. Quod desiderium ex ipsa sua vocatione derivat, qua omnibus debitor factus etiam Romanis fructum aliquem spiritualem afferre cogatur (1,13-15).

Pars prior dogmatica (1,16-11,36). Ad eam transiens, suam thesin, quam

evolvere vult, pro ratione affert, cur ab Evangelii praedicatione nihil eum retineat; Evangelium enim solum efficax esse, ut omnibus omnino hominibus iustificationem afferat, quippe quae fide (minime vero operibus ante fidem et sine fide positis) acquiratur (1, 16. 17).

I. Iam ut THESIN HANC DEMONSTRET (1,18-4,25) hominem in triplice statu, legis naturalis, legis mosaicae, legis evangelicae considerat ostendens omnes homines in legis naturalis statu (ethnicos) et in statu legis mosaicae (Iudaeos) peccato obnoxios sub ira Dei fuisse (1,18-3,20), in Evangelio autem revelatam esse viam, qua omnes omnino ad salutem pervenire possint (3,21-4,25).

1. *Omnes homines peccato ideoque irae Dei fuisse obnoxios demonstrat* per partes,

A.) incipiens a gentilibus (1,18-32), de quorum culpa ex iudicio Dei super illos constet (1, 18.). Nam

a.) quamquam verum Deum cognoscere debuerunt et ex operibus cognoscere potuerunt (1, 19. 20), ei tamen debitum honorem non exhibuerunt, atque licet sapientes se esse putaverunt, in absurdam idololatriam sunt prolapsi (1,21-23);

b.) in cuius turpissimae idololatriae poenam Deus permisit, ut in turpissima peccata prolaberentur, immunditiae aliisque omnis generis vitiis dediti, quamvis cognoscerent, non tantum eos, qui illa peragunt, sed etiam eos, qui illa approbant, gravissima dignos esse poena (1,24-32).

B.) Iudaeos quoque peccato et interitui esse obnoxios, quoniam id magis addubitari poterat, fusius demonstrat (2,1-3,20). Immerito enim Iudaei (quos ante v. 17. non nominat sed tamquam « iudicantes » designat, qui ipsi igitur perfectiorem sibi scientiam attribuunt) gentilibus peccata obiiciunt; quia enim eadem faciunt, sese ipsos condemnant (2, 1).

a.) Namque iudicium Dei est secundum veritatem, neve quisquam ob illius dilationem illud se effugere posse speret (2,2-4); secundum opera enim unumquemque iudicabit Deus (2,5-8) sine ulla personarum distinctione (2,9-11), illam adhibens normam, quam Iudaei in sua Lege scripta, reliqui in lege cordibus insculpta possident (2,15-17). Iam vero secundum hanc normam Iudaei in maiore sunt culpa, quia de legis scientia quidem gloriantes aliorum duces esse volunt, at eadem peccata committentes efficiunt, ut nomen Dei inter gentes blasphemetur (2,18-24).

b.) Solvit obiectiones, quibus Iudaei sese forsitan defendere conentur (2, 25-3,8).

α.) Frustra enim provocabunt ad circumcisionem suam; siquidem illa, nisi Lex observatur, nihil prodest, si quis autem incircumcisus Legem observat, haec observatio coram Deo circumcisionem supplet; Deus enim non carnis, sed cordis quaerit circumcisionem (2,25-29).

β.) Neque hac doctrina omnis differentia Iudaeos inter et gentiles tollitur. Namque sua Iudaeis manent privilegia, atque imprimis concredita illis sunt eloquia (promissiones) Dei. (Alia privilegia Apostolus hoc in loco argumento suo inhaerens omittit postea praesertim 9, 4 sqq. illa allaturus). Aliquorum autem incredulitas (infidelitas) has promissiones, quum Deus fidelis sit, irritare nequit, sed Dei fidelitatem et iustitiam magis manifestabit (3,1-4). Ex quo tamen absurde aliquis deduceret, Deum infidelitatem, quandoquidem ad ipsius gloriam manifestandam inserviat, non esse puniturum : Deus enim iudex iustus est, nec facienda sunt mala, ut eveniant bona (3,5-8).

c.) Concludit hanc argumentationis particulam argumento scripturistico (3,9-20). Iudaei enim, etsi sua habeant privilegia, non simpliciter praestant ethnicis, quia omnes peccato sunt obnoxii (3, 9). Nam multis Scripturae testimoniis, quae longa serie afferuntur (3,10-18), nullum hominem iustum esse coram Deo constat. Atqui testimonia haec de solis ethnicis intelligi non licet, quandoquidem ea, quae in Scripturis dicuntur, proxime ad eos spectant, quibus Scripturae datae sunt (3, 19). Unde merito colligit Apostolus Legem ipsam hominem non iustificare, sed ei cognitionem solam peccati exhibere (3, 20).

2. Ultimis verbis sibi iam viam patefecit ad alteram argumenti propositionem. *Iustificationem* enim, quam Lex non praestat, *exhibet Evangelium, in quo via et ratio est revelata, qua omnes homines iustificationem obtinere possunt* (3,21-4,25).

a.) Viam hanc, quam Lex et Prophetae iam affirmaverunt (3, 21), accuratius describit.

α.) Iustificatio autem haec est per fidem in Iesum Christum, et parata est omnibus omnino hominibus sine ulla distinctione, quia omnes utpote peccato obnoxii illa indigent (3, 22. 23); est Dei donum prorsus gratuitum; pretium enim solvit D. N. Iesus Christus sanguine suo, qui hominibus per fidem applicatur, ut hac ratione Dei, qui peccata tempore ignorantiae ante Christi adventum commissa ob longanimitatem quodammodo praetermisit, tum iustitia manifestetur, quatenus Christum pro omnibus satisfacere voluit, tum misericordia, quatenus peccatores gratis iustificat, dummodo credant (3,24-26).

β.) Unde clare apparet inanem esse Iudaeorum gloriationem, quum haec iustitia ex operibus Legis non sit, sed ex fide, et ad omnes homines sese extendat, quia Deus non minus est gentilium, quam Iudaeorum Deus (3,27-30).

b.) Haec autem doctrina de iustitia per fidem adipiscenda non destruit Legem, sed eam confirmat (3, 31), quandoquidem in Lege et Prophetis iam est proposita (4,1-26). Namque

α.) gratuitam esse iustificationem iam constat ex exemplo Abrahae, quem non ex operibus iustificatum esse docet Scriptura; qua

teste fides ei *reputata* est in iustitiam; sed si fides ei *reputata* est in iustitiam, patet eius opera ad iustitiam nihil contulisse (4, 1-5). Eadem quoque iustitiae gratuitas a David celebratur, ubi beatum dicit hominem, cui Deus ob misericordiam suam peccati veniam concedit (4,6-8).

β. Neque minus ex Scriptura apparet hanc per fidem iustificationem ad solos Iudaeos non restringi, sed esse universalem. Etenim

S. Scriptura hanc iustitiam Abrahamo ante eius circumcisionem attribuit, ita ut circumcisio non sit nisi signaculum iustitiae iam antea acceptae; ante circumcisionem autem (per fidem) accepit iustitiam, ut demonstraretur pater omnium credentium incircumcisorum, quibus etiam fides reputatur ad iustitiam, et pater credentium circumcisorum, qui fidem cum circumcisione coniungunt (4,9-12).

Neque promissio haereditatis Abrahamo seminique eius facta Legi erat alligata; secus iam esset abolita, quia Lex per se hominem irae divinae subiicit (4,13-15); sed fide nititur, quum hac sola ratione verificari possit promissio omni semini facta, ad quod semen teste Scriptura pertinent etiam gentes (4,16-17).

Quaenam vero sit haec fides iustificans in Abrahae exemplo describitur, qui humanis rationibus, quas promissioni obstare videbat, spretis sine ulla diffidentia vel haesitatione Deo credidit promittenti et hac ratione glorificavit Dei omnipotentiam (4,18-22). Iam vero haec de eius fide scripta sunt, ut omnes eandem imitantes, quemadmodum ille per fidem iustificatus est, ipsi quoque iustificentur credentes Iesum propter nostra delicta esse mortuum et resurrexisse ad gratiam nobis applicandam (4,23-25).

II. Postquam thesin suam, Evangelium efficax esse ad salutem omnibus praestandam, demonstravit, EANDEM NUNC EVOLVIT ET COMMENDAT DESCRIPTIS FRUCTIBUS ET PROPRIETATIBUS IUSTITIAE, QUAE EST PER GRATIAM (5,1-8,39).

1. *Primus fructus est pax ad Deum*[a] *et spes gloriae filiorum Dei*, quae inde dependet (5,1-21)

A.) Namque per Christum accessum habuimus ad iustificationem, ergo per eum etiam habemus pacem cum Deo et spem futurae gloriae

a) De lectione 5,1 non satis constat; cum Vulgata (« Iustificati ergo ex fide pacem *habeamus* ») atque plerisque aliis versionibus et nonnullis Patribus multi boni codd. graeci legunt ἔχωμεν, atque hanc lectionem recentissimi editores (Lachm., Tischend. Ed. 8., Hort-Westcott) receperunt. At Peschito cum aliis bonis codicibus aliisque Patribus habent indicativum ἔχομεν. Quam lectionem cum Toleto et Estio praeferendam censuimus ob contextus rationem; « nondum enim adhortationi, sed doctrinae adhuc intendere Apostolum », rectissime monet Estius; illud quoque, quod sequitur : « et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei » procul dubio est coordinatum nostro « pacem habemus »; ex v. 3. enim satis clarum est, illud ab uno ex pronominibus relativis, quae praecedunt, dependere non posse. Ceterum S. Thomas, quamvis exhortativum « habeamus » legeret, tamen heic novam sectionem inchoari recte vidit; eam autem ab assertione melius, quam ab exhortatione inchoari manifestum est.

filiorum, qua in ipsis quoque tribulationibus gloriamur, quandoquidem mercedis, cuius pignus per Spiritum S. iam accepimus, certi sumus (5,1-5).

Prob. Conseq. Si enim Christus maximum caritatis suae argumentum nobis exhibere non recusavit moriens pro nobis, inimicis suis (5,6-8), certe multo magis nunc per ipsum iustificati etiam ab ira Dei liberati sumus (ac proin pacem ad Deum habemus) et spem salutis aeternae ita habemus, ut in Deo (qui aliquando merces nostra erit) iam nunc gloriari possimus (5,9-11).

B.) (In hac argumentatione Apostolus supposuit Christum impiorum loco mortem oppetisse et vicaria sua morte eos cum Deo reconciliasse. Quia vero vicaria haec satisfactio difficultatem quandam Christianis creare potuit), salutem per Christum pro omnibus satisfacientem acquisitam comparat cum condemnatione, quam Adam in omnes suos posteros attraxit (5,12-21).

Quia enim, ait, nunc reconciliati sumus per Christum vicaria sua morte pro nobis satisfacientem, eadem relatio Christum inter et nos intercedit relate ad iustitiam, quae Adamum inter et nos intercedit relate ad peccatum. Quemadmodum enim unius Adami inobedientia omnes homines constituit peccatores — id quod ex universalitate mortis, quae peccati poena est, elucet — ita per unius Christi, qui Adami antitypus est, obedientiam vita in omnes transiit (5,12-14).

(Qua argumentatione, quamvis ad proximum finem eius sufficiens esset, non contentus Apostolus, ut beneficium a Christo collatum magis commendet, ulterius progressus) gratiam per Christum allatam superare condemnationem per Adamum introductam ostendit ex eo, quod gratia Dei in se sit efficacior (5, 15), et quod non illud unum peccatum Adami dumtaxat deleat, sed etiam peccata omnia, quae proprio actu homines perpetrarunt (5,16-17).

Comparationem hanc terminat iterum asserens eandem viam tenuisse Deum in tradenda iustitia per unum Christum, quam tenuerat genus humanum, quum in protoparente suo sese peccato obnoxium faceret (5,18-19).

Quia vero ex statu generis humani ante Legem datam argumentatus erat (5, 13) ac proin aliquis putare poterat, universale illud peccati regnum adveniente Lege esse sublatum, paucis exponit, quid de Lege relate ad illud regnum sit sentiendum. Lex nimirum peccatorum numerum et gravitatem auxit; ubi vero delictum abundavit, superabundavit gratia (5,20-21).

2. *Secundus fructus est liberatio a servitute peccati* (6,1-14).

A.) Transitum facit ab obiectione, quam ex ultimis eius verbis carnales homines desumere potuerunt, peccandum scilicet esse aut in peccatis permanere licere, ut divitiae gratiarum manifestentur; qua reiecta, quum ille, qui peccato sit mortuus, in eo vivere nulla ratione possit (6,1-2),

B.) ex ipsa baptismi idea demonstrat iustificatos peccato esse mortuos.

Per baptismum enim Christo morienti et sepulto inserti cum Christo resurgente ad novam vitam resurgunt. Qui enim Christo morienti assimilati sunt, ei resurgenti assimilantur (6,3-5). Utrumque iam explicans membrum

a.) ex eo, quod vetus noster homo cum Christo mortuus sit, deducit eum a servitute peccati liberum esse et liberum manere debere (6, 6.

b.) ex eo, quod cum Christo semper victuro homo in baptismate resurgat, deducit eum semper sicut Christus cum Deo (i. e. in gratia) vivere debere (6,8-10);

c.) inde ad brevem exhortationem transgressus monet, fidelibus id incumbere munus, ut caveant, ne peccato iterum se subiiciant membrisque suis ad peccatum abutantur, quoniam non amplius sub Lege sint, sed sub gratia (6,11-14).

3. *Tertium iustificationis fructum*, quem ultimis suis verbis (« non enim sub Lege estis, sed sub gratia) indicaverat Apostolus, *libertatem scil. a servitute Legis*[a], *nunc amplius explicat* (6,15-7,25); atque

A.) primum quidem, quia hac sententia carnales homines abuti potuerunt, ut se non amplius lege teneri ac proinde peccandi licentiam sibi esse concessam arbitrarentur, illationem hanc a principio reiicit (6, 15), atque iure merito eam reiici demonstrat hoc argumento: Cui se quis ad serviendum devovet, eius servus est (duobus autem dominis sibi oppositis nemo servire potest); atqui fideles, qui olim peccati servi fuerunt, obedientiae Dei sese devoverunt; ergo iustitiae servi facti Deo servire tenentur (6,16-18); ad quod servitium deinde lectores suos exhortatur (6, 19), diversis peccati et iustitiae fructibus ante oculos positis (6,20-23)[b].

B.) Qua obiectione praeoccupata demonstrat fideles a servitute Legis esse liberatos ex eorum insertione in Christum morientem (*cfr.* 6, 6; *Gal.* 2, 19). Namque lex tamdiu dumtaxat homini dominatur, quamdiu homo vivit, id quod apparet in lege matrimoniali, quae uxorem viro subiicit, quamdiu vir (ac proinde ipsa unio matrimonialis) vivat (7,1-3); atqui fideles cum Christo moriente mortui sunt, ergo non amplius sunt sub dominio Legis, sed Christo resuscitato in-

a.) Iure merito *Tolet.* (in Rom. 7. Annot. 1) multum differre dicit locutiones *cessasse Legem* et *cessasse dominium* vel *statum* vel *servitutem Legis*. Licet enim Lex moralis in Evangelio non cessaverit, cessavit tamen adveniente Evangelio status Legis, in quo Lex pura consideratur, ita ut homo vires non habeat, quibus praecepta Legis impleat « Lex enim quantum ex se est, obligat sed virtutem non dat, qua id quod iubet fiat; hoc enim facit virtus fidei et gratiae, quae ad Evangelium pertinet. Qui ergo in Legis statu erant, sub Lege et eius dominio esse dicebantur, a quo statu et servitute Legis gratia Evangelii liberat, quia secum habet gratiam, per quam Lex impletur. Quae quidem gratia dabatur olim in statu Legis exsistentibus, at non ratione status, sed propter futurum Christum, in quem fide et spe et caritate ferebantur, quae ad Evangelium Christi proprie pertinent ».

b.) Haec particula (6, 15-25) vix minus apte ad secundum, quam ad tertium iustificationis fructum trahitur; cfr. *Comm.* in ep. ad Rom. 1896. p. 332 sq.

time uniti fructus novae vitae iustitiae producere possunt ac debent (7,4-6).

C.) Ne quis vero ex eius verbis (« passiones peccatorum, quae per Legem erant » v. 5) Legem ipsam esse malam deducat, docet quid de Lege sub hoc respectu sentiendum sit.

a.) Quamvis enim per se nec peccatum sit nec directe ad peccatum inducat, homini tamen, quippe qui peccato originali infectus in se fomitem peccati habeat, facta est peccandi occasio, quum cognitionem quidem peccati daret ideoque concupiscentiam hominis incitaret, vires vero ad praecepta obervanda non afferret (7, 7-12).

b.) Fusius deinde Legem esse sanctam et bonam ex pugna demonstrat, quae inter legem bona praecipientem sed vires ad ea facienda non tribuentem exoritur et inter hominem carnalem ad mala proclivem[a]. Secundum interiorem hominem approbatur quidem bonum et lex peccatum prohibens (7,13-16); sed inest in homine aliud elementum, quod legem aversatur et ad eius transgressionem hominem adducit (7,17-23), et a quo sola gratia Christi eum liberare potest (7,24-25).

4. *Quartus iustificationis fructus est beatitudo hominis in Christo renati* (8, 1-30).

A.) Colligens ea, quae hucusque disputavit, ante omnia repetit nihil amplius damnationis adesse in iustificatis, qui non iam secundum carnem ambulant (8, 1). Etenim illud, quod Lex praestare nequit, Deus nobis dedit per Christum, qui in munda sua carne legem peccati et mortis devicit nobisque Spiritum Dei tribuit, ita ut iam nunc Deo placere possimus (8,2-8). Illi autem, qui hunc Spiritum Dei habent, simul veram vitam habent, et si secundum hunc Spiritum degunt, Deus qui Christum resuscitavit illos quoque propter Spiritum in eis inhabitantem resuscitabit (8,9-11).

B.) Secundum hunc Spiritum igitur, et non secundum carnem, vivendum est; caro enim generat mortem, Spiritus autem vitam, quia nos facit filios Dei adoptivos (8,12-16).

a) Inde a S. Augustini aetate celebris est controversia, utrum Apostolus pronomine *ego* (7,14-21) in persona hominis sub peccato constituti loquatur, an in persona sua propria i. e. hominis sub gratia constituti. Ante S. Augustini aetatem Patres inde a S. Irenaeo (c. haer. III. 18. M. 7,937) omnes priorem sententiam tenuerant eamque ipse August. secutus erat, usque dum in sua cum Pelagianis controversia alteram praeferre coepit (cfr. Retract. I. 23. M. 32,620). S. Augustini auctoritate multi iuniores interpretes, ut eandem praeferrent, adducti sunt (*S. Thom.* in Rom. 8. lect. 3. tamen utramque probabilem habet); at quum Pseudo Reformatores ea abuterentur, ut perversum suum dogma de externa iustitiae imputatione et de permanentia peccati originalis in iustificatis stabilirent, catholici interpretes plerique ad antiquiorem Patrum interpretationem reversi sunt; idque iure merito. Tota enim Pauli argumentatio ostendit, eum de homine adhuc sub Lege constituto loqui; ergo pronomine « ego » suam propriam personam non designat. Cfr. *Tolet.* Tractat. in Rom. 7. (In fine Comm. in Rom. Romae 1602. p. 874 sqq.); *Reithm.* Roemerbrief p. 368 sqq., aliosque commentatores.

C.) Si vero filii Dei sumus, cohaeredes etiam sumus Christi ac proinde certi futurae nostrae gloriae, cuius tamen gloriae ea est conditio, ut cum Christo patiamur (8, 17). Ne quis vero hac conditione absterreatur, monet Apostolus futuram gloriam omnes tribulationes temporales longe superare, eamque certam esse (8, 18). Certam autem eam esse quadruplici argumento demonstrat; namque

a.) tota creatio liberationem a servitute corruptionis exspectat et desiderat; quod desiderium expleri non potest, nisi antea glorificati sint filii Dei (8,19-22);

b.) dona illa, quae iam accepimus, ad gloriam nos propellunt et spes nostra, quam Spiritus nobis tamquam adoptivis Dei filiis inseruit, frustrari nequit (8,23-25);

c.) Spiritus quoque nos in illa prosequenda adiuvat et nobiscum illam efflagitans exaudiatur necesse est (8,26-27);

d.) Deus ipse efficit, ut iis, qui ipsum diligunt, omnia cooperentur in bonum, et quos ipse vocavit et iustificavit, hos etiam glorificabit (8,28-30).

5. *Secundam hanc particulam magnifico concludit epilogo,* in quo ostendit iustificatis nihil esse timendum, omnia autem speranda; salutem enim eorum Dei et Christi erga ipsos amore niti, a quo nihil eos separare possit (8,31-39).

III. Tertio demum loco THESIN SUAM VINDICAT A NONNULLIS IUDAEORUM OBIECTIONIBUS (9,1-11,36). Universalitatem Evangelii salutisque fide acquirendae asserenti Apostolo illum Iudaeorum errorem negligere non licuit, quo sibi vel solis vel saltem prae ethnicis ob sanguinem suum abrahamiticum privilegiaque Legi mosaicae annexa ius ad regnum messianicum eiusque bona vindicarent. Qui error, omnium Iudaeorum mentibus profundissime insitus, necessario erat refutandus, ut in eorum oculis argumentatio apostolica esset completa. Cum eo autem altera difficultas intime erat connexa, de qua Ethnicochristiani quoque edocendi erant. Messiam enim et regnum messianicum Deus revera proxime et directe Iudaeis promiserat; at longe maior Iudaeorum pars ab illo regno videbatur esse exclusa. Ratio igitur erat explicanda, ob quam tot Iudaei promissionum, quae illis datae erant, non essent facti participes; quam rationem explicans simul etiam, ut Iudaeochristianos de infidelium contribulium sorte consolaretur, Apostolus ostendere debuit, gentem iudaicam a Deo non esse reiectam. Tres igitur sunt difficultates, quas in tertia hac sectione sibi solvendas proponit.

1. Atque primum quidem Iudaeos refutans ostendit *sanguinem et naturalem generationem ius ad salutem non dare;* quare si Iudaei multi nunc a regno et salute Messiae videantur exclusi, Deum accusari non posse, quod promissis suis non steterit (9,1-29).

A.) Praemittit captationem benevolentiae dolore suo de Iudaeorum infidelitate expresso, ardenti suo salutis eorum desiderio manifestato, magnis eorum privilegiis agnitis et exaltatis (9,1-5).

B.) Ad argumentum deinde transiens Dei promissiones, si non omnes Iudaei salutis participes fiant, irritas non esse demonstrat

a.) ex eo, quod sanguis solus non constituat verum Israelitam, id quod iam patet ex historia Abrahae, cuius duorum filiorum unus solus, Isaac, simul erat filius promissionis (9,6-9);

b.) atque idem elucet ex historia filiorum Isaac; quamvis enim ab eodem patre et eadem matre eodem tempore essent generati, ille tamen, qui post alterum ex utero matris egressus est, iam ante nativitatem non iure operum, quae non habuit, sed gratuita Dei benevolentia constitutus est patriarcha populi electi (9,10-13).

C.) Ne quis vero dicat Deum, quum unum prae altero elegerit, iniustum esse,

a.) docet Apostolus electionem illam omnino esse indebitam nec ullo modo dependere a contentione humana; ex positivis enim Scripturae testimoniis scimus Deum pro sua voluntate misereri, cuius vult, et non misereri, cuius non vult (9,14-18);

b.) reprimit hominis temeritatem de divinae providentiae ordine expostulantis (9, 19) duplici responso, altero indirecto, altero directo:

α.) Os obstruit obloquenti proposita figuli similitudine, qui cur unum vas in honorem, aliud in ignominiam praeparet, rationem reddere non tenetur (9,20-21).

β.) Quid autem [a] homini conquerendum restat, si Deus vasa illa, quae se ipsa ad interitum aptant ideoque tamquam vasa irae iustitiam divinam provocant, in multa patientia sustinet, ut tandem ostendat iram suam? Quid, si Deus, ut *divitias* gloriae suae in vasa misericordiae ostenderet, ea non tantum ex Iudaeis eligere voluit, sed etiam ex gentibus (9,22-24)? Ita enim exsequitur illud, quod iam praedixerat per Osee, se vocaturum esse gentes, et per Isaiam, se salvaturum esse reliquias Israel (9,25-29).

2. Loquens de *reliquiis Israel* salvandis alteram difficultatem iam attigit, quam secundo loco explicat, *cur magna Iudaeorum pars promissionum particeps non sit facta,* multi vero gentiles iustificationem sint assecuti (9,30-10,21).

A.) Difficultatem, quae ex immediate praecedentibus sua sponte exoriebatur, proponit (9,30-31) et paucis verbis solvit: Iudaei non ea via, qua sola inveniri potuit, i. e. non ex fide sed ex operibus iustitiam quaesiverunt ideoque in lapidem offensionis, qui eis praedictus erat, offenderunt (9,32.33).

a) Ne similitudo figuli, quae homini ius non competere docet, ut a Deo rationes expostulet, ob quas hunc providentiae ordinem elegerit, ad alienum sensum detorqueatur, Apostolus indirecto huic responso alterum directum adiungit et *opponit*, quo non eadem ratione, qua figulum, Deum agere insinuat. Quae oppositio in latino *Quod si* non clare apparet, clarius in graeco εἰ δέ (*sin, sin autem*), quod satis docet responsum v. 20. 21. datum non amplius continuari. — Notandum quoque, in Vulgata nostra initio v. 23. ante « *ut ostenderet* » omissam esse coniunctionem *et*, quam praeter plerosque graecos codd. Patresque Peschito et antiqua Itala (uti ex S. August. et Ambstr. patet) agnoverunt. Ideo eam supra in analysi supplentes duas constructiones anacoluthicas supposuimus; parum recte enim illud καὶ ἵνα γνωρίσῃ a nonnullis praecedenti θέλων ἐνδείξασθαι parallelum poni arbitramur.

B. Fusius hanc solutionem explicat praemissa brevi benevolentiae captatione (10,1-3), qua Iudaeorum zelum laudat, sed non prudentem esse asserit; atque

a.) assertum probat ex eo, quod Iudaei verae Dei iustitiae suam fictam praetulerint, quum non intelligerent totam Legem praeceptis et figuris suis homines ad Christum adducere voluisse, ut in eum omnes credentes salvi fierent (10,4. 5). Quam imprudens autem illud sit, elucet ex comparatione, quam Apostolus instituit inter iustitiam fictam Iudaeorum, quae totius Legis impletione acquiratur (10.6), et inter iustitiam veram, quam ipsa Lex facillimam esse, quoniam fide eiusque professione acquiratur, et ad omnes homines se extendere testetur (10,7-13).

b.) Hanc autem viam Iudaeos quoque cognoscere potuisse demonstrat ex eo, quod Deus ex sua parte omnia fecit, ut illam cognoscerent missis praedicatoribus, sicut per Prophetam promiserat (10,14-18); atque eos praedicationem etiam intelligere potuisse patet ex eo, quod, sicut iam praedictum erat, gentiles eam intelligebant ac proin a fortiori Iudaei intelligere potuerunt (10,19. 20).

c.) Unde patet conclusio, quam denuo verbo prophetico tradit: Israel promissionum particeps factus non est, quia ipse noluit (10,21).

3. Ad tertiam difficultatem transit, quae intime cum secunda cohaeret: *num ex eo, quod magna Iudaeorum pars Evangelium non acceperit, sequatur Deum populum suum reiecisse* (11,1-36).

a.) Id quidem minime; nam Apostoli ipsi quoque sunt Iudaei, et quemadmodum olim Eliae tempore, qui se solum Deo fidelem mansisse putavit, septem millia non curvaverant genua ante Baal, ita etiam nunc praeter Apostolos alii Iudaei salutem consecuti sunt, non quidem ex operibus, sed ex fide; reliqui autem occaecati secundum praedictiones veram viam cognoscere ipsi noluerunt (11,1-10).

b.) At ne ipsis quidem in infidelitate remanentibus Iudaeis Deus spem salutis abstulit, id quod praeclare ostendit ratione patefacta, ob quam Deus temporaneam eorum infidelitatem permisit. Evangelium enim ab illis repudiatum citius ad gentes allatum est, quarum conversio stimulus erit, ut Iudaei se convertant; plena autem Iudaeorum conversio maximae omnium utilitati erit (11,11. 12.). Ideo quoque Apostolus ipse apostolatum inter gentes exercet, ut contribules suos ad aemulationem cum gentibus excitet (11,13-16). Ne vero gentiles conversi superbiant et Iudaeos despiciant, docet eos quidem in ramorum fractorum loco insertos esse, sed si naturales rami frangi potuerunt, insertos quoque frangi posse (11,17-21). Ita igitur Dei bonitas et severitas appareret; severitas erga incredulos, bonitas erga eos, qui inseri volunt, sive ethnici, sive Iudaei sunt (11,22-24).

c.) Imo postquam gentes omnes fidem acceperint, etiam Iudaeos omnes fidem accepturos asserit, quemadmodum Prophetae hoc prae-

dixerunt. Etsi enim de facto nunc sint inimici Dei, ut ethnici Evangelium accipiant, tamen propter Patriarchas sunt Deo carissimi, et Deus promissionibus suis stabit (11,25-29). Mira igitur inter gentes et Iudaeos apparet similitudo : infidelitas Iudaeorum ad fidem adducit gentes, quae ipsae fide sua Iudaeos ad fidem adducent; utrosque igitur ex infidelitate salvat Deus et ipsi sibi mutuo sunt auxilio (11,30-32).

d.) Unde iure merito totam hanc partem dogmaticam terminat magnificans divitias sapientiae Dei, qui viis, quas homo non intelligit, omnes ad salutem perducere satagit (11,33-35).

Pars secunda paraenetica (12,1-15, 13) variis constat admonitionibus et praeceptis; satis apte autem duas sectiones distinguimus, quarum prior (12, 1-13, 14) monita quaedam generalia continet; altera autem (14,1-15, 13) de mutuis officiis Iudaeorum et ethnicorum conversorum agit.

I. monita generalia (12,1-13, 14) ita proponit, ut

1. *de eorum, qua Ecclesiae membrorum, officiis* loquatur (12,1-8).

a.) Obsecrans eos, ut Deo se exhibeant tamquam sacrificia vera eique praestent cultum rationabilem secundum eius voluntatem (12, 1. 2),

b.) apostolica cum auctoritate eos exhortatur, ut dona spiritualia, quae varia varii acceperunt, ita adhibeant, ut semper memores sint, se esse membra mystici corporis Christi (12,3-8).

2. *Ad vitam privatam* transiens, longa serie virtutes, quas exercere debent, ita enumerat, ut omnibus simul verae vitae christianae tradat descriptionem (12,9-21).

3. *De vita civili* agens (13,1-10) -

a.) obedientiam inculcat erga superiores reipublicae, quippe quibus utpote a Deo ipso in bonum commune constitutis parendum sit non ex timore sed propter conscientiam (13,1-6);

b.) erga alia autem reipublicae membra, quae omnia secundum gradum, quem tenent, tractanda sunt; praesertim exercenda est caritas, qua omnia officia continentur (13,7-10).

4. Ad omnia autem haec officia implenda instigare nos debet exspectatio secundi adventus Christi; die enim appropinquante, a tenebrarum operibus abstineamus oportet (13,11-14).

II. Quemadmodum Corinthios (1 *Cor.* 8) monere debuerat Apostolus, ne idolothytorum manducatione scandalum darent infirmis in fide, ita in aliis quoque ecclesiis disceptationes exortae videntur de ciborum distinctione et de festorum iudaicorum observatione. Num hac de re Romae quoque disceptatum sit, an Apostolus id velut possibile tantum supposuerit, ignoramus; certum est eum monitum speciale de infirmo in fide sustinendo non inutile habuisse (14,1-15,13). Illud autem ita tradit, ut

1. *omnes alloquens* doceat

a.) nec eum, qui a certis cibis abstinendum aut certos dies observandos sibi esse putat, alios, qui haec non faciunt, iudicare debere, (ac si peccatum committant), nec eum qui haec non facit alios;

qui ita agunt, spernere debere (ac si superstitiosi sint) (14,1-5);

b.) unusquisque potius in suo sensu abundet, omnia faciat propter Deum, et iudicium soli Deo relinquat, coram quo omnes rationem reddituri simus (14,6-12).

2. *Ad eos dein solos se convertens, qui omnium ciborum usum sibi licitum credunt*, monet eos,

a.) ut vitent omne scandalum, neve ob adiaphora illa aut animam fratris perdant, aut caritatem violent, aut ecclesiae unitatem destruant (14,13-23);

b.) ut sustineant infirmos in fide, neve suum commodum quaerant, sed imitentur Christum, qui non id, quod ipsi soli utile erat, quaesivit, sed, uti praedictum erat, omnibus improperiis se subiecit in nostram utilitatem (15,1-6). Christus autem omnes suscepit, et illos, qui de circumcisione erant, promissionum participes faciens, et gentes ad Deum adducens, ita ut iam impleta sint vaticinia, quae gentes una cum populo electo Deum laudaturas esse annuntiaverant (15,7-14).

In longiore Epilogo (15,14-16,27)

1. *quaedam de sua ad ecclesiam romanam relatione affert* (15,14-33).

a.) Explicat enim rationes, quibus ut audacius ad ecclesiam illam scriberet sit permotus. A Deo enim Gentium Apostolus est constitutus, atque hunc Apostolatum Christus signis et miraculis ubique terrarum, a Palaestina usque ad Illyricum, fructuosum reddidit: ita autem munere suo functus est, ut non super alienum fundamentum aedificaverit; ideoque etiam hucusque ad eos non venit. Nunc autem ampliorem laborum campum in Hispania quaerere volens in suo itinere eos praeteriens visurus adventum suum hac epistola praeparare voluit (15,14-24).

b.) Accuratius dein itineris consilio exposito (15,25-28) eorum precibus se commendat, ut Ierosolymis adversariorum insidias effugere et a fidelibus bene receptus cum gaudio ad eos pervenire possit (15,29-32), terminatque hanc epilogi particulam benedictione apostolica (15, 33).

2. Commendat Phoeben, quae epistolam Romam allatura sit (16,1-2) et salutat multos Christianos nominatim (16,3-16).

3. Monet fideles, ut ab iis, qui schismata inducunt, diligenter caveant et iterum illis gratiam D. N. Iesu Christi apprecatur (16,17-20).

4. Sequuntur aliae salutationes (16,21-24) atque

5. demum totam epistolam terminat doxologia (16,25-27).

149. — IV. Quo tempore et loco epistola nostra sit scripta, satis certis indiciis nobis assequi licet. S. Paulus enim illam scripsit, quum in eo esset, ut eleemosynas in Macedonia et Achaia collectas Christianis hierosolymitanis deferret. Nullum autem est dubium, quin de illis eleemosynis loquatur, quas Corinthiis in utraque sua epistola colligendas

praeceperat quasque ipse se Ierosolyma perlaturum esse promiserat[1]. In fine igitur tertii itineris apostolici epistolam scripsit, quando nimirum, uti habet S. Lucas, « transita Macedonia et Achaia Ierosolyma ire voluit dicens : Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre »[2]. Iter hoc quintum hierosolymitanum, in quo magna pericula se Ierosolymis subiturum non ignoravit, verno tempore a. 59. ingressus est, Corintho brevi ante Pascha profectus in Macedoniam; Philippis enim anni illius pascha celebravit[3]. At tres tantum menses in Achaia peregerat, unde epistola exeunte a. 58. aut ineunte a. 59. scripta est.

Corinthi autem eam scriptam esse communior et probabilior est sententia. Etenim in fine epistolae commendat « Phoeben sororem, quae est in *Cenchris* », atque salutationem quoque adscribit Caii hospitis sui corinthii[4]. Corinthum quoque plerorumque codicum subscriptiones nominant. Olim interpretes nonulli latini, quoniam Glossa Athenis scriptam epistolam asseruit, hanc sententiam cum communiore ita conponere voluerunt, ut Athenis epistolam inchoatam Corinthi terminatam dicerent[5]; at tanta non est Glossae auctoritas, ut communis sententia sit relinquenda aut mutanda.

1. *Rom.* 15,25. 26; cfr. 1 *Cor.* 16,1-4; 2 *Cor.* 8,1 sqq.
2. *Act.* 19,21; cfr. *Rom.* 15,28.
3. *Act.* 20,6. Cfr. *supra* 142. n. 3 p. 455.
4. *Rom.* 16,1. 23; cfr. 1 *Cor.* 1,14.
5. *Card. Hugo* Prol. in Ep. ad Rom.; *S. Thom.* Prol. in omnes epp. Paul.; *Lyran.* in explic. Prol. Glossae etc.

150. — V. De authentia ep. ad Romanos. — Sicut alii omnes fere libri sacri, ita nostra quoque epistola et antiquis temporibus et nostro saeculo invenit adversarios suos, qui eius aut divinam auctoritatem aut paulinam originem repudiarunt. Ebionitae quidem aliaeque sectae iudaicae eam a Paulo scriptam esse non negarunt, sed Pauli utpote « apostatae legis » apostolica dignitate et auctoritate negata eam cum aliis omnibus paulinis e canone suo eiecerunt[1]. Nostro autem saec. post *Evanson* in Anglia et *Br. Bauer* in Germania « critici » quidam recentiores in Batavia et Helvetia eius authentiam aggressi sunt. At parvo vel potius nullo cum successu; postquam enim Neotubingiani eam iam inter quatuor Novi T. libros numerarunt, quos solos habuerunt authenticos, illorum successores imitatoresque germanici collegarum suorum batavorum et helveticorum argumenta spernunt ac rident[2]. Reliqui autem interpretes protestantici epistolam vel ideo impugnare non audent, quia in illa errores suos de iustitia externe imputata et de sola fide iustificante tradi sibi persuadent.

Unanimis autem fere hic consensus in epistolae nostrae authentia admittenda minime ex eo exoritur, quod multo plura, quam reliqui N.

T. libri, habeat authentiae testimonia; fatendum potius est, testimonia illa historica, quamvis prudenti plane sufficiant, nec numero nec auctoritate nec certitudine illis praestare, quae ad aliorum librorum genuinitatem vindicandam afferri solent; unde arbitrarius adversariorum nostrorum agendi modus (per transennam hoc sit dictum) satis patet, qui in nostra epistola defendenda ad eadem testimonia provocant, quae, si pro aliis libris afferuntur, velut nullius momenti et futilia reiicere non erubescunt.

Uti plerique alii N. T. libri, epistola ad Romanos ante finem 2. saeculi addito auctoris nomine non citatur; at antiquioribus tamen Patribus iam cognita erat ab iisque eodem modo, quo reliqui libri sacri, adhibebatur. *S. Clementem Rom.* peccata, quae Christiani abiicere debent, enumerans eorumdem peccatorum enumerationem a Paulo factam prae oculis habuisse ex eorum ordine satis clare elucet; aliae eius allusiones minus certae sunt. *S. Ignatius M.*, si Christum vocat ἀληθῶς ὄντα ἐκ γένους Δαυὶδ κατὰ σάρκα, υἱὸν θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν θεοῦ tam prope ad dictiones, quibus S. Paulus in principio epistolae nostrae utitur, accessisse est dicendus, ut vix sit dubium, quin eas prae oculis habuerit. Certius tamen est *S. Polycarpum*, ubi asserit, nos omnes debere παραστῆναι τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ καὶ ἕκαστον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον δοῦναι, verba sua ex nostra epistola esse mutuatum. *S. Theophilus Antioch.* primus est, qui disertis verbis eam Scripturis S. accenset, quum τὸν θεῖον λόγον nos exhortari dicat, ut omnibus omnia demus : cui honorem, honorem, cui timorem, timorem etc. Circa idem tempus *S. Iustinus M.* ad Iudaeorum perversitatem describendam eosdem Psalmorum textus, quos Paulus, eodemque ordine coniungit, ut dubitari nequeat, quin eos ex S. Pauli epistola transumserit[3].

Aliis allusionibus, quae magis minusve certae penes Patres apostolicos et Apologetas primos inveniuntur, omissis *haereticos* nonnullos saec. 2., qui epistolae nostrae authentiam et auctoritatem divinam agnoverunt, citabimus. Atque teste auctore Philosophumenon *Balisides* compluribus textibus ex ea desumtis, ut perversas suas stabiliret doctrinas, abusus est; *Marcionem* epistolam nostram, utique truncatam, in suo canone habuisse, testantur Tertullianus et S. Epiphanius; neque minus certum est *Valentinum* eiusque discipulos *Ptolemaeum, Heracleonem* et *Theodotum* epistolam nostram pro auctoritate usurpasse[4].

Sed haec sufficiunt; Patrum enim, qui ab exeunte saec. 2. floruerunt, testimonia afferre supersedemus, quandoquidem S. Irenaei, Tertulliani, Clementis Alex. aliorumque opera nemo vel obiter evolvere potest, quin innumeris vicibus nostram epistolam allegatam videat.

1. Cfr. *S. Iren.* c. haer. I. 26. (M. 7, 687).

2. *Evanson* The dissonance of the Evangelists. 1792. p. 259; *Br. Bauer* Kritik d. paulin. Briefe III. p. 47 sqq. etc. — *A. Pierson* et *S. A. Naber* Verisimilia. (Amstelod. 1886.); *A. D. Lomann* Quaestiones paulinae. (Theol. Tijdschr. Leyden 1882-86); *Rud. Steck* Der. Galaterbrief nach seiner Echtheit untersucht (Berlin 1888) *Dan. Voelter* in Theol. Tijdschr. 1889. et die Composition der vier paulin. Hauptbriefe. Tübingen 1890. p. 8.-88); quorum ineptas et inter se pugnantes opiniones de nostra epistola, quae non nisi saec. 2. sit exorta, paucis retulimus in *Comment.* in ep. ad Rom. 1896. p. 17 sq.; cfr etiam *supra* p. 431. — Quam nihil ponderis illis germanici « critici » attribuant, apparet ex *Holtzmann* Einl. Ed. 2. 1886. p. 192 sq., *Lipsius* in Holtzm. Handcomm. II. 2. 1891. p. 73 etc.

3. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 35. cfr *Rom.* 1, 29 sqq.; aliae *tredecim* allusiones ex 1 Cor. et *septem* ex 2 Cor. indicantur a *Funk* Patres apostol. I. p. 569. 571. — *S. Ign. M* ad Smyrn. 1. cfr *Rom.* 1, 3; ad Ephes. 15. cfr *Rom.* 2, 21 — *S. Polyc.* ad Phil. 6. cfr *Rom.* 14,10 sq. — *S. Theoph.* ad Autol. I. 14 cfr *Rom.* 2, 6. 8; III. 14 cfr *Rom.* 13, 7 sq. (M. 6, 1141. 1146). — *S. Iust.* c. Tryph. 27 cfr *Rom.* 5, 13 sq.; 8, 19 (M. 6, 533).

4. De Basilide *Philosoph.* VII. 25 cfr *Rom.* 15, 13 sq. (M. 16, 3312). — De Marcione *Tert.* c. Marc. V. 13 sq. (M. 2, 503 sqq.); *S. Epiph.* haer. 42. (M. 41, 803) etc. — De Valentino *S. Iren.* c. haer. I. 3 cfr *Rom.* 11, 36 (M. 7, 473). — De Ptolem. in ep. ad Flor. *S. Epiph.* haer. 33. cfr Rom. 7, 12 (M. 41, 565). — De Heracleone *Orig.* in Ioan. XIII. 25 (M. 14, 441) et *Philosoph.* VI. 35 (M. 16, 3250). — De Theodoto *Clem. Alex.* Excerpta ex scriptis Theodoti 49. 52. cfr *Rom.* 8, 20; 7, 23 etc. (M. 9, 681. 684 etc.).

151. — VI. Multo magis quam paulina origo INTEGRITAS epistolae a modernis rationalistis impugnatur. Coniecturas Weissii, qui totam epistolam interpolatam censuit, omittere possumus, quia argumentis coniecturas suas stabilire omisit [1], at duo ultima capita a quamplurimis hodie aut S. Paulo abiudicantur aut saltem ad nostram epistolam non pertinere dicuntur : disiecta enim ea esse aliarum epistolarum paulinarum fragmenta a librariis nostrae epistolae assuta.

1.) S. Paulo capita illa abiudicant *F. C. Baur* eiusque discipuli *Schwegler* et *Zeller* [2], praecursorem autem iam saec. 2. habuerunt *Marcionem.* « Caput hoc (sc. doxologiam in fine epistolae 16,25-27) Marcion, a quo Scripturae evangelicae atque apostolicae interpolatae sunt, de hac epistola penitus abstulit, et non solum hoc, sed ab eo loco, ubi scriptum est : *omne autem, quod non ex fide est, peccatum est* (14, 23) usque ad finem cuncta dissecuit » [3]. Procul dubio eodem modo, quo Baur, etiam Marcion in hac epistolae parte iudaizantes quasdam sententias invenerat, quas ab Apostolo Gentium scribi non potuisse censuit. Integra enim in hac parte secundum Neotubingianorum sententiam id unum agit auctor, ut Iudaeochristianos sibi conciliet, quod S. Paulus nunquam fecisset. Nonne, inquiunt, Christus *minister circumcisionis* (15, 8) vocatur, qui ideo venerit, ut promissiones Patriarchis factas impleret? Nonne textus scripturistici (15, 9 sqq.) eum solum in finem congeruntur, ut Iudaeochristiani propter ethnicorum admissionem irati pacentur? Nonne omnia, quae 15,1-13 dicuntur, melius iam 12, 1. 2. dicta erant? Nonne excusatio illa, quae 15, 15 legitur, Apostolo est indigna? Numquid cogitari potest, Apostolum dixisse, sibi in Oriente campum laboris non amplius adesse? etc. etc. Operae pretium non est, ut reliquas dubitandi rationes ad-

scribamus : praecipuum enim eius argumentum contra capitum horum authentiam, ad quod alia reducunur, illud est, quod reliquae epistolae contradicant[4].

At contradictio haec asseritur quidem, sed non demonstratur; quid quod rationalistae se ipsi refutare voluisse videantur, quandoquidem disertis verbis asserant, integram pericopen 15,1-13 nihil continere, nisi quod Apostolus iam 12, 1 sq., et melius quidem, dixerat[5]? Ceterum, qui ultimis in capitibus sententias iudaizantes deprehendit, easdem 1, 16; 3, 2; 9, 1-5; 10. et 11., imo in tota epistola inveniat oportet. Tota ergo obiectio non procedit nisi ex Neotubingianorum errore fundamentali de partium studio in ecclesia apostolica[6].

1. *Weisse* Philosoph. Dogmatik. Leipz. 1855 sqq. I. p. 146.

2. *F. C. Baur* Der Apostel Paulus. Ed. 2. I. p. 393-409; *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter II. p. 123 sqq.; *Zeller* Apostelgesch. p. 488; *Lucht* Ueber die beiden letzten Kapitel des Römerbr. Berlin 1871. etc.

3. *Origen.* Comment. in Rom. X. (M. 15,1290).

4. *Baur* l. c. p. 394 « Weit wichtiger als alle in dieser Beziehung geäusserten, nur an Einzelnes sich haltenden Bedenklichkeiten ist... der Contrast, in welchem die beiden Kapitel zu dem ganzen Character und Inhalt des Briefes stehen ». p. 498 : « Es kann somit die Kritik der beiden letzten Kapitel nur mit dem Resultat geschlossen werden, dass sie einem Pauliner gehören, welcher im Geiste des Verfassers der Apostelgeschichte dem scharfen Antijudaismus des Apostels zu Gunsten der Iudaisten und im Interesse der Einigung ein milderndes Gegengewicht entgegensetzen wollte ».

5. *Baur* l. c. p. 394. « Der Abschnitt 15,1-13 enthält nichts, was nicht der Apostel schon 12,1 ff. besser als hier gesagt hätte ».

6. Cfr. quod *Renan*, ceterum fidelis Bauri discipulus, de hac magistri sui sententia iudicat : « Faut-il, avec Marcion et avec Baur, déclarer apocryphes les deux derniers chapitres de l'épître aux Romains? On est surpris, qu'un critique aussi habile que Baur se soit contenté *d'une solution aussi grossière* ». (St Paul. Introd. p. LXXI.)

2.) Nemo igitur mirabitur, quod Neotubingianorum parens ne inter suos quidem fideles asseclas invenerit multos, qui eum in paulina duorum ultimorum capitum origine neganda sequi voluerint. Multo maior autem modernorum « criticorum » est numerus, qui paulina eorum origine agnita a nostra epistola ea avellenda decernunt; si vero interrogas, cuinam ecclesiae et quem in finem haec a Paulo sint scripta, quomodo et cur nostrae epistolae addita, non duos, opinor, invenies, qui eadem statuant. *Semlero* cap. 16. est catalogus quidam presbyterorum ecclesiarum, quibus tabularii exemplar epistolae tradere debuerint, cap. 15. autem separata epistola iisdem presbyteris solis destinata; *Paulusius* cap. 15. dicit epistolam illis scriptam, qui fortes erant in fide, cap. 16. autem schedulam Phoebae traditam, ut recordaretur, quosnam in itinere Paulus a se salutari vellet; ex variis schedis collectum esse cap. 16. *Griesbach* docuit, cum quo fere consentit *Eichhorn*, qui in eo tantum dissentit, quod pericopen 16,1-20 non Romanis, sed Corinthiis scriptam asserat; alii cap. 16. ex epistola ad Ephesios missa transumtum esse malunt. Reliquis omissis coniecturis, quae omnes inter se pugnant, pro clausula afferamus novam *Renani* inventionem : epistolam no-

stram nec integram Romanis esse destinatam, nec solis Romanis : encyclicis enim scribendis Paulum esse delectatum, atque encyclicam quoque nostram esse epistolam, cuius pars (1-11 et 15) Romanis sit missa, alia longior pars (1-14 et 16,1-20) Ephesiis, eadem longior pars cum altera clausula (1-14 et 16,21-24) Thessalonicensibus, ac demum eadem pars cum tertia clausula (1-14 et 16,25-27) ecclesiae cuidam ignotae; omnes demum istas clausulas a librario nostrae epistolae esse assutas [7].

Tempus perderemus, si omnes has coniecturas, quibus sagacitatem suam demonstrare voluerunt rationalistae, examini subiiceremus; illud unum sufficiet, ut sine idonea ratione capita illa a nostra epistola resecari ostendamus. Haec autem argumenta ab adversariis nostris afferuntur, quibus capita illa ad eam non pertinere demonstrent.

a.) Praeprimis ad Marcionis auctoritatem provocant, qui in suo canone duo haec capita epistolae ad Rom. non adiunxit, monentque tempore Origenis etiam aliis in codicibus, « qui a Marcione non erant temerati », doxologiam, quae hodie epistolam terminat (16,25-27), immediate post finitum cap. 14 positam fuisse [8]. At Marcionis auctoritatem hac in quaestione nullam esse non est cur demonstremus; qui eum sequi voluerit, etiam 10,5-11,32 eiiciat aliosque eius textus arbitrarie truncatos et mutilatos recipiat [9]. Neque opus fuit, ut ex Origenis testimonio doxologiam in nonnullis exemplaribus finito capiti 14. additam fuisse demonstrarent, quoniam satis magnus codicum superstitum numerus eodem in loco eam habet [10]; quaestio autem illa est, quomodo haec codicum discordia explicetur. Iam vero facile apparet ultimum caput, quod integrum fere (16,1-16,21-23) salutationibus constat, lectioni publicae parum fuisse adaptatam; quapropter in pleraque lectionaria non est receptum. Magna tamen illa ac magnifica doxologia, qua caput terminatur, carere noluerunt Christiani, et quia brevior erat, quam quae sola lectionem integram constituere potuerit, alteri pericopae est adnexa; caput 15 autem suam iam habuit clausulam aptam (15,33), ideo addita est finito capiti 14; revera sabbatho ante Dom. Quinquages. (πρὸ τῆς τυροφάγου) *Rom.* 14,19-23 et 16,25-27 in Officio divino legebantur [11].

b.) Complures deinde asserunt adesse clausulas (15,33; 16,20; 16,24; 16, 25-27), quas eidem epistolae a Paulo additas esse veri simile non esse censent. Notemus autem ante omnia 15,33 pro integrae epistolae clausula nor magis haberi posse, quam 15,13 et 11,36 similesque formulae, quibus haud raro Apostolus epistolae particulam terminat [12]. Num 16,24 sit genuina pars, iure dubitatur; Lachmann, Tischendorf, Hort et Westcott versum illum omiserunt, quia in quatuor antiquissimis codd. graecis (B. ℵ. A. C.), antiquissimis Vulgatae exemplaribus (Amiat., Fuld., Harl. etc.), in versionibus copt. et aeth. deest; alii autem codd. (D. E. F. G. et Italae d. e. f. g.), qui eum exhibent, eius in loco 16,20 verba : *gratia D. N. Iesu Chr. vobiscum* omittunt [13]. Non quatuor igitur, sed ad summum duas clausulas habemus; at simile aliquid invenimus in 2 *Thess.* 3,16. 18. Forte Apostolus immediate post 16,20 magna doxologia adiecta epistolam terminare voluit, sed recordatus se suas quidem, sed non sociorum suorum salutationes adscripsisse, eas inter clausulam 16,20 et inter magnam doxologiam inserere quam omittere maluit,

quemadmodum 2 *Thess.* inter duas clausulas signum inseruit, ex quo authentiam epistolarum ipsius cognoscerent Thessalonicenses.

c.) Paulus, inquiunt, qui Romae nondum fuit, tot personas, quot salutantur (16,3-16), cognitas ibi certo non habuit; inter personas autem illas nominantur quaedam, quae Ephesi potius quam Romae eo tempore, quo epistola scripta est, fuisse dicendae sunt. Priscilla enim et Aquila Ephesum habitarunt, quum priorem suam ad Corinthios epistolam scriberet; Epanaetus vocatur « primitiae *Asiae* in Christum », inter viginti quatuor alia nomina sedecim sunt graeca, septem latina, unum hebraicum; nonne igitur salutationes has Ephesum rectius, quam Romam, missas esse dicemus[14]? Id quidem minime. Tam frequens enim eo tempore Asiam inter, Achaiam et Romam erat commercium, ut nullo modo sit mirandum, quod Paulus triginta vel quadraginta Christianos Romae cognoverit, etsi ipse Romae nondum fuerit. Aquila et Priscilla utique cum Apostolo Ephesi fuerunt, quando ille Corinthiis scripsit, i. e. brevi ante Pascha 58.; sed num forte est improbabile, eos quoque, postquam Apostolus persecutione Demetrii argentarii Ephesum relinquere est coactus, Epheso relicto Romam esse reversos, imo eadem persecutione, qua Apostolum, ipsos quoque, qui in fundanda ecclesia ephesia magnam partem habuerant (*Act.* 18,24), Epheso eiectos esse[15]? Titulus autem, qui Epanaeto datur, « primitiae Christianorum in Asiae », non minori honori ei erat Romae, quam Ephesi. Demum ad nomina graeca quod attinet, non intelligimus, quomodo ex eis quidquam concludatur. Apostolus Romae nondum fuerat; Christianos igitur *romanos* non cognovit, sed Christianos asiaticos, macedonicos, achaicos Romae degentes, quorum nomina utique fuerunt graeca. Illud potius admirationi esset, quod tertia nominum pars sit latina, nisi sciremus illo tempore etiam in Oriente nomina latina non fuisse rara; inter octo illos, quorum salutationes suis addit Paulus (16,21-23), quatuor nomina latina gerunt, etsi saltem *unus* ex eis (Lucius Pauli cognatus) Latinus non esset.

Haec omnia sunt adversariorum argumenta, quae tantum abest ut unanime totius antiquitatis testimonium destruant aut infirment, ut ipsa sua futilitate et inanitate illud potius corroborent et confirment[16].

7. *Semler* De duplici appendice ep. ad Rom. Halae 1767; *Paulus* De origin. ep. ad Rom. Ienae 1801; *Griesbach* Histor. text. gr. epp. Paulin. sect. II. § 3. (Opuscula ed. Gabler. Ienae 1825. II. p. 63 sq.); *Eichhorn* Einl. III. p. 232 sqq.; *Renan* St Paul. Introd. p. LXXII sqq. « Saint Paul, en avançant dans sa carrière, avait pris legoût des épîtres encycliques, destinées à être lues dans plusieurs Églises (Quot encyclicas ante hanc, quae dicitur encyclica, iam scripserat Paulus?). Nous supposons (Quo cum iure?) que le fond de l'épître aux Romains fut une encyclique de ce genre. Saint Paul au moment de sa pleine maturité (!!) l'adresse à ses plus importantes Églises, au moins à trois d'entre elles, et par exception, il l'adresse aussi à l'Église de Rome » etc. Merae coniecturae, quas ne specie quidem argumenti cohonestare conatur! Ecclesiam thessalonicensem, cui epistola haec missa supponitur, Paulus paucis hebdomadis, antequam scripsit, inviserat et paucis hebdomadis postea iterum invisurus erat; idem valet de ecclesia ephesia, cuius presbyteros saltem paucis post hebdomadis Miletum ad se vocavit. Quem igitur finem habuit Apostolus in ea mittenda? Num forte « le goût des épîtres encycliques » est ratio sufficiens!

8. *Orig.* in Rom. X. (M. 15,1290). Ceterum num verba haec sint Origenis, an Rufini interpretis, non satis constat.

9. Cfr. *Tertull.* c. Marc. V. 14 (M. 2,507).

10. Cfr. *Tischend.* N. T. Ed. 8. II. p. 442, quo teste ex maiusculis L, ex minusculis autem fere ducenti et lectionaria doxologiam illam post 14,23 exhibent.

11. Cfr. Synaxarion graecum penes *Scrivener* Introd. to the Criticism of the N. T. p. 82.

12. Cfr. 1 *Thess.* 3,11-13; 2 *Thess.* 2,15 etc.

13. Cfr. *Tischend.* l. c. p. 456; Westcott et Hort Appendix p. 110 sqq.

14. Fuse et diffuse hoc argumentum evolvit *Renan* l. c. p. LXV-LXX; cfr. etiam *Davidson* Introd. I. p. 137 sqq.; *Schenkel* in Bibellexicon V. p. 114 sq.

15. *Renan* l. c. magnam hic videt difficultatem : « Aquila et Priscille étaient partis une première fois de Rome, chassés par un édit; nous les trouvons ensuite à Corinthe, puis à Ephèse; *les ramener à Rome, sans que leur sentence d'expulsion eût été rapportée,* juste le lendemain du jour où Paul vient de leur dire adieu à Ephèse, *c'est leur prêter une vie par trop nomade.* Ajoutons que l'auteur de la deuxième épître apocryphe (?!) de Paul à Timothée suppose Aquila et Priscilla à Éphèse, ce qui prouve que la tradition les *fixait* là ». Totam hanc obiectionem, quae solis praeiudicatis auctoris opinionibus nititur, sua sponte evanescere perspicuum est, si actatis apostolicae eorumque, quos Paulus muneris sui apostolici socios cooperatoresque sibi assumserat, conditio perpenditur.

16. Cfr *Comm.* in ep. ad Rom. 1896. p. 18 sqq. 769 sqq. 791 sqq.

II. De epistolis in priore Apostoli captivitate scriptis.

§ 9. — *De epistola ad Philippenses.*

152. — I. De ecclesia philippensi. « Philippi urbs est (Macedoniae), quae olim Datos et prius Krenides (κρηνῖδες fonticuli) appellabatur; nam fontes multi sunt circa collem, in quo posita est. Philippus autem (Alexandri M. pater) hunc locum utpote contra Thraces opportunum munierat (a. 356.), et de suo nomine Philippos nominaverat »[1]. In Macedoniae et Thraciae finibus, duodecim fere millibus passuum a mari aegaeo sita portum habebat Neapolim, qui usque ad Vespasiani aetatem ad Thraciam pertinebat, ita ut Philippi a mari venientibus « prima (istius) partis Macedoniae civitas » esset[2]. Augustus post celebrem victoriam, quam in agro philippensi de Bruto et Cassio reportavit, civitatem illam fecit « coloniam » iureque italico donavit (a. 42.). Praeter Macedones atque posteros veteranorum illorum, quibus Augustus agrum philippensem diviserat quorumque numerum post proelium actiacum non parum auxerat[3], Iudaei quoque illam incolebant, pauci tamen numero, quandoquidem iustam synagogam ibi non habebant sed προσεύχην quandam prope flumen, ad quam singulis sabbathis conveniebant.

Ecclesiae philippensis initia nobis narrat S. Lucas[4]. In secundo itinere apostolico Paulus, postquam ecclesias in provincia Galatiae fundatas

confirmavit eisque decreta apostolica tradidit, in aliis Asiae Min. provinciis Evangelium annuntiare a Spiritu S. prohibitus Troadem venerat. Qua in civitate ab eodem Spiritu S. ut Macedoniae bonum nuntium afferret invitatus est. Nocte enim vir Macedo quidam ei apparuit « stans et deprecans eum et dicens : Transiens in Macedoniam adiuva nos ». Divinae invitationi obsecutus statim cum sociis suis, Sila, Timotheo, Luca, navem ascendit et in Thraciae portum Neapolim advectus sine mora iter perrexit « Philippos, quae est prima partis Macedoniae civitas, colonia ». Pro more contribulibus suis Iudaeis ante reliquos Evangelium offerre desiderans primo sabbatho ad eum locum prope flumen se contulit, in quo Iudaei coetus suos sacros celebrabant. Paucas tantum ibi invenit mulieres, at unius ex illis, Lydiae, purpurissae civitatis Thyatirenorum et proselytae iudaicae[5], Deus aperuit cor, ut praedicante Paulo ad fidem sit conversa. Cum tota familia sua per baptismum in fidelium coetum recepta Apostolum sociosque eius invitavit, ut diutius in domo sua remanerent. « Multis diebus » igitur Paulus Philippis commoratus est; non paucos eo tempore ad fidem esse adductos Lucas diserte quidem non tradit, innuit autem, quum Apostolum civitatem relinquere coactum antea « fratres » videre et consolari voluisse referat[6]: neophytos vero illos plerosque aut ex ethnicis aut ex proselytis venisse quum ex visione, qua ut *Macedones* adiuvaret invitatus est, tum ex incolarum conditione iure colligere nobis videmur.

At non solis Philippensibus Evangelium erat annuntiandum, quare Deus Philippis quoque, uti antea Antiochiae Pisid., Iconii, Lystris etc, persecutionem exoriri permisit, qua Apostolus civitatem relinquere coactus est. Etenim quum ex puella, quae a spiritu malo obsessa divinatione dominis suis magnum quaestum praestabat, daemonium fatidicum eiecisset, una cum Silvano velut civitatis perturbator et religionis illicitae propagator ante magistratus raptus flagellis caedi et in carcerem detrudi iubetur. Nocte insequente, dum Paulus et Silas in carcere orabant, vehemens exortus est terrae motus, portae carceris apertae, captivorum omnium vincula soluta. Quibus perterrefactus carceris custos et captivos effugisse arbitratus sibi ipse gladio necem inferre voluit, sed a Paulo admonitus, ne quid sibi mali faceret, quia nemo aufugisset, miraculum agnovit et a Paulo Silaque veritatis viam edoctus eadem nocte cum omnibus, qui erant in domo eius, baptismum recepit. Postridie a magistratibus, qui Paulum civem romanum esse audierant, honorifice e carcere educti sunt Apostolus eiusque socius, at simul quoque rogati, ut civitatem relinquerent. Quapropter Timotheo et Luca relictis Thessalonicam abierunt; brevi autem post Timotheus Apostolum Beroeam est secutus, Lucas autem Philippis videtur consedisse, usque dum a. 59. in tertia sua expeditione apostolica Paulus ite-

rum tertioque civitatem illam invisit eumque itinerum socium individum assumsit[7].

Quot quantosque fructus Pauli sociorumque eius labores in prima hac, quam in Europa fundavit, ecclesia tulerint, ex epistola eius ad Philippenses satis superque elucet. Namque eam « gaudium suum coronamque suam » appellat; se continuo fideles philippenses in corde habere eosque tenerrimo amore complecti testatur; eos laudat, quod non solum in Christum credant, sed etiam pro illo patiantur, idem certamen habentes, quale in ipso Apostolo viderant et audierant; neque fidei tantum et passionum pro fide toleratarum testimonium eis dat, sed beneficentiae quoque non semel erga ipsum exhibitae.

1. *Arian.* Bell. civ. IV. 105.

2. *Act.* 16,12 cfr *supra* 42. n. 6. p. 155.

3. Cfr. *Plin.* Hist. nat. IV. 18; *Dio Cass.* LI. 4, qui refert Augustum eos praesertim, qui ex parte Antonii fuerant, Philippos misisse.

4. *Act.* 16,12-40.

5. Thyatira in Lydia colonia erat macedonica (*Strabo* XIII. 4) et officinis suis purpurariis antiquitus celebris (cfr. *Sponii* Miscell. erud. antiquit. Lugduni Bat. 1685. p. 113).

6. *Act.* 16,18. 40. Secundum *Renan* (St Paul p. 147) ecclesia philippensis *integra fere mulieribus constabat* (« une petite Église, presque toute composée de femmes »), atque pro argumento *Act.* 16,13 et *Phil.* 4,2. 3. affert, quibus in locis revera *tres* mulieres christianae philippenses nominantur. Ceterum si *Act.* 16,33, *Phil.* 2,25; 4,3 legere voluisset, totidem viros christianos philippenses nominari vidisset, atque *Act.* 13, 40 integramque epistolam ad Philipp. satis clare docere, ecclesiam illam eodem prorsus modo, quo reliquas, viris, mulieribus, pueris constitisse. Stultam illam criminationem, quod S. Paulus et Lydia matrimonium inierint (l. c. p. 148 sq.) ex *Phil.* 4,3 non derivasset, si praecepta grammaticae tenuisset (cfr *supra* p. 353 *n.* 7).

7. *Act.* 16,40 cfr. 16,16; 17,15; 20,5. 6.

8. *Philipp.* 1,7 sq. 29 sq.; 4,1. 10-16 etc.

153. — II. Quo tempore et quo loco epistola sit exarata, ipsa nos satis clare edocet. Vinculorum enim suorum non semel mentionem iniicit Apostolus, at simul spem exprimit fore, ut e carcere liberatus Philippos reverti possit, unde omni cum iure colligimus, in priore sua captivitate eum epistolam hanc scripsisse; in secundis enim vinculis spem libertatis recuperandae nec fovit nec fovere potuit[1]. Hac in re omnes fere interpretes consentiunt; si autem quaeritur, utrum priore illo captivitatis biennio, quod Caesareae, an altero, quod Romae peregit, illam scripserit, nonnulli moderni interpretes a communi antiquorum sententia, qui Romae epistolam scriptam esse tradunt[2], recedere malunt. At cur ab illa recedatur, nulla idonea adest ratio. Sine ullo enim dubio, si de praetorio loquitur, in quo vincula sua manifesta facta sint, et salutationes eorum, « qui de domo Caesaris sunt », epistolae adiungit, Apostolus Romae se habitare demonstrat. Romae enim, ubi

in custodia libera vivens semper secum habuit militem, qui illum custodiret, vincula eius « in omni praetorio » (i. e. in toto praetorianorum militum ordine, ex quo custodes desumebantur) manifesta fieri et ad profectum Evangelii conferre potuerunt, uti etiam per eos, qui ad eum ingrediebantur et ab eo illa, quae sunt de Domino Iesu Christo, edocebantur, eadem vincula « inter ceteros omnes » manifesta facta sunt et profectui Evangelii inservierunt. Quomodo autem Caesareae, ubi « praetorium Herodis » carcer eius erat, vincula fidei inter milites et alios promovendae inservierint, non intelligitur[3]. Quae deinde de iis, « qui ex Caesaris domo sunt », dicuntur, aliam explicationem non admittunt, nisi aut aliquos ex imperatoris propinquis aut aliquos ex eius domesticis et servis fidem esse professos[4]. Neque illud est omittendum Apostolum sperasse quidem fore, ut mox ex vinculis liberaretur, sed certam hac de re scientiam non habuisse, quare etiam vicinam suam mortem velut possibilem supponit[5]; atqui Caesareae capitis sententia ei non erat timenda, quoniam civi romano ad Caesarem appellare licuit.

Romae igitur in priore Apostoli captivitate epistolam nostram esse exaratam pro certo tenemus; utrum vero ante illas ad Ephes., Coloss. et Philem. sit scripta, an post illas, eadem cum certitudine non constat[6]. Tres enim has epistolas etiam Romae in primis Pauli vinculis esse scriptas, communis est sententia, quam *infra* (**161**) veram esse demonstrabimus; de temporis autem relatione, quae nostram inter et reliquas intercedit, dissentiunt interpretes. Illis vero nos assentimur, qui epistolam ad Philippenses ante reliquas datam esse asserunt. Namque Apostolus, quando eam scribebat, futuram suam liberationem speravit quidem, sed certus de ea nondum fuit; in epistola autem ad Philemonem, quam eodem tempore quo Coloss. et Ephes. scripsit et per eosdem socios transmisit, de *mox* recuperanda libertate tam securus fuit, ut hospitium sibi parandum mandaret[7]. Non longo tamen temporis spatio nostra ab illis distare arbitramur; ea enim, quae Apostolus Philippensibus de suorum laborum fructibus scribit, eum iam satis diu Romae versatum esse insinuant; haud longe igitur a vero aberrabimus, si eam in aestate a. 63. scriptam dicimus.

1. *Philipp.* 1,7. 13. 17. 26; 2,24. Cfr. 2 *Tim.* 4. 6.

2. *S. Chrys.* Argum. ep. ad Philipp. 1. (M. 62,178); *Theodoret.* Argum. ep. (M. 82,560); *Euthal. Diac.* Argum. (M. 85,764); *Ps. Athan.* Synops. 64 (M. 28,420) etc. Consentiunt codd. subscriptiones, quae in nomine loci ex quo scripta sit epistola non variant, Cfr. *Tischend.* N. T. Ed. 8. II. p. 725.

3. *Philipp.* 1,12. 13. Cfr. *Act.* 28,16. 30 sq.; 23,35.

4. *Philipp.* 4,22.

5. *Philipp.* 2,17; 1,27.

6. *S. Hieronymo* (in Philem. 1 M. 26,641) omnes quatuor epistolae eodem tempore scriptae et per eundem Tychicum transmissae esse « *videntur* »; at Tychicus eiusve

socius Onesimus in tribus aliis quidem nominatur (*Eph.* 6,21; *Col.* 4,7; *Philem.* 10) sed in nostra non commemoratur.

7. *Philipp.* 1,26; 2,24; cfr. *Philem.* 22.

154. — III. Occasio et finis ep. ad Philipp. Epistola haec non est prima, quam Philippensibus scripsit Apostolus; nam satis clare in hac ipsa ad priorem quandam alludit, quae hodie deperdita est[1]. Similis autem occasio, quae ad hanc, etiam ad priores scribendas eum videtur impulisse. Prae ceteris enim hanc ecclesiam amavit, quam primam in Europa visione divina advocatus fundaverat, quare ab ea sola eleemosynas in suum usum recipiebat. Iam in secundo eius itinere, paullo postquam fidem receperunt, Thessalonicae et Corinthi indigentiae eius succurrerant[2]; scriptis autem literis Apostolum eis de hac caritatis significatione gratias egisse veri est simillimum. In tertio suo itinere ultimum ante suam captivitatem pascha cum eis celebraverat; deinde vero profectus Ierosolymis in vincula coniectus et post biennium Caesareae peractum Romam adductus est, ut coram Caesare causam diceret. Quamprimum Philippenses eum Romae vinctum esse resciverunt, Epaphroditum miserunt, qui magistro dilecto novum caritatis suae munus deferret. Ex Epaphrodito autem, quem « fratrem, cooperatorem et commilitonem suum, Philippensium vero apostolum et ministrum necessitatis suae » appellat[3], didicit Apostolus, quisnam ecclesiae illius praedilectae, quam a plus tribus annis non viderat, status esset. Eum in genere optimum fuisse tota nostra epistola docet; « facile animadvertere licet, inquit *S. Chrysostomus*, Paulum in sua epistola honorifice eos tractare nec quidquam inserere, quod obiurgandi vim habeat. Quod magnum illorum virtutis documentum est, nullam eos dedisse doctori occasionem obiurgandi omniaque ad eos non reprehensionis sed exhortationis modo esse scripta »[4]. Quemadmodum autem pro humana fragilitate fieri fere solet, etiam hac in ecclesia nonnulla erant minus bona; aliquorum enim vanae gloriae studium discordias disceptationesque quasdam videtur provocasse, quae, etsi graves non essent, vigilantis magistri attentionem non effugerunt. Gravius vero erat periculum, quod a iudaizantibus doctoribus ecclesiae imminere vidit; in prioribus deperditis literis eorum iam animos ad hanc rem converterat, at monitum suum repetendum duxit. Licet enim in ipsam ecclesiam philippensem iudaizantes nondum irruperant, in vicinis tamen perversas suas doctrinas spargere iam coeperant[5].

Hisce igitur rationibus permotus est Apostolus, ut per Epaphroditum, quum hic post gravem et diuturnum morbum, quo Romae laboraverat, Philippos reverteretur, eis hanc epistolam scriberet. Cuius argumentum ipsae circumstantiae suggerebant : gratiae enim agendae erant de eleemosynis missis, exhortandi fideles, ut in bona via permanerent,

monendi, ut leves illos, qui occurrerant, defectus emendarent, attenti reddendi, ut periculum imminens vitarent. Inter epistolas a B. Paulo integris ecclesiis scriptas haec maxime familiaritatis, ut ita dicam, characterem prae se fert et reliquis propius ad genus epistolicum accedit. In aliis omnibus superiorem magis et doctorem agit Apostolus, qui publica cum auctoritate fideles docet et corrigit, in hac autem bonum potius se exhibet patrem, qui cum dilectis filiis amanter conversatur, amice eos edocet, benigne et blande eos admonet. In aliis dogmata, quae tradit, accurata argumentatione evolvit et proponit, ut dogmaticum potius tractatum, quam epistolam, interdum scribere videatur; in hac dogmata obiter tantum attingit eumque in finem fere affert, ut exhortationem efficaciorem reddat. Liberior igitur et familiarior in hac epistola incedit; neque tamen, etsi dogmaticam partem a paraenesi, sicut in aliis epistolis, in hac non distinguat, omnem ordinem neglexisse putandus est; severum quidem ordinem logicum, quem in suis dogmaticis dissertationibus tenet, in hac epistola non reperimus, sed familiari modo argumenta, quae proponenda erant, aliud post aliud evolvit atque monita nonnulla illis, quae de suis rebus Philippensibus scribit, apte interserit. Praeter prooemium (1,1-11) et epilogum (4,8-23) duas partes distinguere nobis licet, in quarum priore (1,12-3,1) ita eos de suis rebus certiores reddit, ut simul eos ad perfectam concordiam et humilitatem exhortetur, in altera autem (3,1-4,7) periculum a iudaizantibus imminens eis ob oculos ponit aliaque pauca monet[6].

1. *Philipp.* 3,1. « *Eadem vobis scribere* mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium ». Cfr. *supra* 109. p. 378.

2. *Philipp.* 4,10-16; 2 *Cor.* 11,9; *Act.* 18,3.5.

3. *Philipp.* 2,25. Non immerito *S. Chrys.* (in Philipp. hom. 1,1. cfr. hom. 9,2 M. 62,183. 247) ex prioribus appellationibus deducit Epaphroditum ex clero istius ecclesiae fuisse; « apostolus Philippensium » autem vocari videtur tamquam eorum legatus. Cfr. 2 *Cor.* 8,23.

4. *S. Chrysost.* in Philipp. Praef. (M. 62,180).

5. *Philipp.* 2,2 sqq.; 3,1 sqq.

6. *Card. Hugo* praeter prologum (1,1-11) distinguit tres partes : exhortationem ad tolerantiam passionum (1,12-2,30), ad cavendos pseudapostolos (3,1-4,7), ad perfectionem morum (4,8-23); simili modo *S. Thomas* post prooemium vult proponi exempla imitanda (1,12-2,30), exempla vitanda (3,1-21), et terminari exhortatione morali (4,1-23); *Lyranus* praedilectam suam divisionis rationem retinet : Philippenses primo redduntur benevoli (1,3-30), secundo dociles (2,1-30), tertio attenti (3,1-4,20); *Kilber* (l. c. II. p. 469 sqq.) praeter exordium (1,1-11) et epilogum (4,2-23) distinguit partem *paracleticam*, in qua eximitur sollicitudo, quae habebatur pro Paulo (1,12-26), *stereoticam*, in qua erigitur sollicitudo religioni timens (1,27-2,30); *apolyticam*, in qua exploditur sollicitudo, quae est a pseudodoctoribus (3,1-4,1). *Guillemon* (l. c. II. p. 71) tres sectiones facit (1,1-11 félicitations; 1,12-26 consolations; 1,27-4,23 exhortations); *Bacuez* (l. c. IV. p. 334) duas (1,1-30 « Félicitations et actions de grâces »;

2,1-4,23, « avis et exhortations »); *Bisping* (l. c. VI. 2. p. 157), *Drach* (l. c. p. 433), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 598) vix non sola argumenta tractata enumerant.

155. — IV. Analysis epistolae ad Philippenses.

I. Exordium (1,1-11) more solito constat

1. *inscriptione* epistolae (1,1. 2) (Paulus [a] et Timotheus fidelibus philippensibus et clero)
2. et *gratiarum actione* (1,3-11), quam Deo ob ardorem offert, quo fideles a primo conversionis die semper promoverint Evangelii propagationem (1,3-5), quum persuasum ei sit, Deum in illis bonum opus, quod incepit, esse perfecturum (1,6-8). Quare etiam pro eis Deum precari non cessat, ut in omni bono semper crescentes in secundo Christi adventu non tantum integri, sed etiam pleni fructibus iustitiae inveniantur (1,9-11).

II. Pars prior (1,12-2,30) historica non inepte dicitur, quoniam in ea de suis ipsius suorumque sociorum rebus Philippenses certiores reddit monitis nonnullis insertis.

1. Atque ante omnia quidem *de se suisque rebus loquitur Apostolus* (1,12-26), de quibus procul dubio Philippenses per legatum suum aliquid audire desideraverant.
   a.) Laetus igitur illis annuntiat vincula sua Evangelio propagando profuisse, quia non tantum ipse inter milites et inter alios illud annuntiaverit, sed plerique quoque fratres vinculis ipsius in fide confirmati audaciores ad illud praedicandum sint effecti (1,12-14);
   b.) non omnes quidem fratres in illo propagando eadem pura intentione duci, aliquos enim id simul intendere, ut ipsi noceant; at parum sua interesse, dummodo Christus annuntietur (1,15-18);
   c.) se enim id solum quaerere atque etiam per eorum orationes se obtenturum sperare, ut Christum glorificet sive per vitam sive per mortem suam (1,19-21). Quidnam ex duobus praeferendum sit, se ignorare fatetur; una ex parte se mortem desiderare, altera ex parte se vitam suam fidelibus adhuc necessariam credere, ideoque se confidere fore, ut periculo mortis ereptus ad Philippenses reverti possit (1,22-26).
2. Hinc occasionem arripit, ut *monita quaedam* adiungat (1,27-2,18).
   a.) Dignos enim Evangelio illos ambulare vult, ut sive praesens sive absens semper audiat illos inter se unitos et fortes secum pro fide pugnare, quandoquidem illam gratiam a Deo acceperint, ut non tantum credant, sed etiam pro fide patiantur (1,27-30).
   b.) Cui generali monito alterum speciale ad concordiam perfectam adnectit, quae ex vera humilitate et sui abnegatione exoriatur (2, 1-4). Quod ut efficacius inculcet, Christi exemplum illis in memoriam revocat, quoniam eodem, quo Dominus, affectu animati sint

a) Quod S. Paulus in inscriptione dignitatis suae apostolicae mentionem non faciat, indicium est, epistolam familiarem potius esse, quam publicam.

oporteat (2,5). Iam vero Dominus, quum verus esset Deus, tamen servi natura assumta humilitatem exercuit perfectissima sua usque ad mortem obedientia, qua exaltationem gloriamque altissimam meruit (2,6-11).

c.) Quo exemplo proposito excitat Philippenses, ut, quemadmodum ipso praesente Christum imitati divinis iussis obtemperaverint, ita ipso absente salutem suam maiore cum sollicitudine operari studeant, memores se Deum habere cooperatorem (2,12.13). Libenter igitur et prompte omnia faciant, ut integritate sua et simplicitate veluti luminaria in tenebris luceant atque hac ratione ipsi Apostolo suo gloriandi causam offerant in die iudicii (2,14-18).

3. Post quae monita *de sociis suis nonnulla addit* (2,19-30).

a.) Illis annuntiat se Timotheum ad eos esse missurum, quem gravissimis verbis et propter eius erga Philippenses sollicitudinem et propter eius erga ipsum pietatem illis commendat (2,19-22); hunc ergo se missurum esse, quamprimum de causae suae exitu certitudinem habeat, promittit spemque exprimit se ipsum quoque mox ad eos esse venturum (2,23.24).

b.) Interea autem nunc iam mittit Epaphroditum, cuius gravi morbo Philippenses aeque atque ipse contristati fuerint (2,25-27); cum gaudio eum esse recipiendum et in honore habendum monet, quia propter opus Christi haec perpessus sit (2,28-30).

III. Pars altera (3,1-4,7) paraenetica recte vocatur, quia tota in eo est, ut Philippenses contra periculum praemuniat, quod a iudaizantibus eis imminet, eosque aliis monitis ad virtutem exercendam excitet.

1. Quum literas terminaturus ultima monita tradere iam incepisset [a], periculi, quod Philippensibus ab iudaizantibus imminebat, recordatus Apostolus contra illud lectores suos praemuniendos censuit, ideoque *gravissimum monitum de iudaizantibus* (3,1-4,1), quod iam in priore epistola tradiderat, repetere voluit (3,1).

a.) Cum vehementia quadam ex abrupto illis ob oculos ponit adversarios suos, quos *concisionem* acerba cum ironia appellat, veram enim *circumcisionem* (i. e. populum electum) esse Christianos, qui in Christo gloriantur et non in carne circumcisa fiduciam ponunt (3, 2.3).

b.) Ne vero quis putet eum carnalia illa, quibus gloriabantur iudaizantes, spernere, quia illis ipse careat, ostendit se magis, quam iudaizantes, illa possedisse (3,4-6), at se omnia illa sprevisse et adhuc spernere, ut Christum lucretur eique insertus non iam illam vanam, quae ex operibus Legis est, iustitiam habeat, sed veram illam, quae ex Deo

a) Formula λοιπόν, τὸ λοιπόν (*ceterum*) ita fere utitur Apostolus, ut ultima, quae epistolae addenda sunt, introducat (2 *Cor.* 13,11; *Eph.* 6,10; *Philipp.* 4,8; 2 *Thess.* 3,1; etiam 1 *Thess.* 4,1); quare cum modernis interpretibus plerisque arbitramur etiam hoc in loco Apostolum epistolam suam terminare voluisse, sed periculi recordatum novam hanc partem adiecisse, ut 4,8 eadem formula epilogum introduceret. Exhortatio igitur ad gaudium (3,1) cum sequentibus non est coniungenda.

est et fide nititur, ut hac ratione Christo configuratus ad beatorum resurrectionem, si fieri possit, perveniat (3,7-11). Magna autem cum humilitate addens, se beatitudinis illius praemium nondum velut certum tenere, sed omnibus suis viribus ad illud anhelare (3,12-14), exhortatur lectores, ut idem, quod ipse, sentiant et in recta via permaneant (3,15-17).

c.) Quod monitum ut magis confirmet, comparationem instituit inter illos, qui carnalibus dediti ad interitum properant, et inter illos, qui ad coelestia anhelantes Christo glorificato assimilandi sint (3, 18-21), atque concludit hanc particulam exhortatione, ut in hac sententia permaneant (4,1).

2. Sequuntur *monita nonnulla specialia* (4,2-7).

a.) Duabus matronis concordiam commendat sociumque quendam muneris sui rogat, ut illis opituletur (4,2. 3);

b.) Omnes deinde ad gaudium spirituale, ad benignitatem, ad mundanas curas vitandas exhortatur omnibusque pacem Dei apprecatur (4,4-7).

IV. Epilogus (4,8-23) continet

1. generalem exhortationem ad omnimodam virtutem exercendam secundum doctrinam et exemplum Apostoli (4,8. 9),
2. gratiarum actionem de eleemosynis Apostolo per Epaphroditum transmissis (4,10-18),
3. bonorum omnium apprecationem (4,19. 20), salutationes (4,21. 22) et apostolicam benedictionem (4,23).

156. — V. De authentia et integritate epistolae. Primus authentiae testis[1] est *S. Polycarpus*, qui ad eandem ecclesiam scribens se excusat, quod id sibi arrogaverit, quandoquidem beati et gloriosi Pauli sapientiam assequi nequeat, « qui, inquit,... absens vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini, aedificari poteritis in fide, quae vobis est data »; inter illas autem epistolas, quas commemorat, nostram fuisse locutiones quaedam docent, quas ex ea desumsit[2]. In *Martyrio S. Polycarpi* quoque, quod immediate post mortem eius scriptum esse exceptis paucis rationalistis omnes admittunt, nostrae epistolae verba adhibentur[3]; paucis annis post etiam *lugdunensis et viennensis clerus* fratres suos, quorum martyrium referunt, Christum imitari studuisse dicunt, « qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo »[4]. *S. Theophilus Antioch.* teste S. Hieronymo parabolam Domini de villico iniquitatis ad Paulum applicavit, qui coepit « ea quae antea pro lucro fuerant, reputare in stercora »[5].

Quibus medii saec. 2. testibus addamus eiusdem aetatis haereticos, *Marcionem*, quem nostram epistolam in suo canone habuisse testantur Tertullianus et S. Epiphanius, *Cassianum* et *Theodotum*, Valentini discipulos, quos eadem usos esse tradit Clemens Alex., *Sethianos*, qui

teste auctore *Philosophumenon* Phil. 2,6. 7. ad suam haeresin stabiliendam adhibuerunt [6].

Exeunte demum saec. 2. omnes ecclesias illam in suo canone habuisse diserta testimonia demonstrant: in canono romano eam enumerat *fragm. Muratorianum;* ecclesiae gallicanae testis est *S. Irenaeus*, qui non semel eam nominat; ecclesiae africanae testimonium affert *Tertullianus*, ecclesiae alexandrinae *Clemens Alex.* [7].

1. Allusiones, quae in aliorum Patrum apostol. operibus inveniuntur, urgere nolumus, quia non satis sunt certae. *S. Clem. Rom.* quidem, si 1 *Cor.* 16 Christi humilitatem imitandam proponit, qui « sceptrum maiestatis Dei, non venit in iactantia arrogantiae aut superbiae, quamvis potuerit, sed in humilitate » cum doctrina *Philipp.* 2,5 sqq. consentit, sed verba differunt. 1 *Cor.* 47 « ἐν ἀρχῇ τοῦ Εὐαγγελίου » etiam habetur *Philipp.* 4,15, sed alio in sensu. Certius videtur esse argumentum ex *S. Ignat. M.* ad Philad. 8. « παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς μηδὲν κατ' ἐρίθειαν πράσσειν; cfr. *Phil.* 2,3.

2. *S. Polyc. M.* ad Philipp. 3; 5. (ἀξίως πολιτεύειν Χριστοῦ *Phil.* 1,27); 9. (εἰς κενὸν τρέχειν *Phil.* 2,16); 11. (« qui estis in principio epistolae eius ») 12. (« inimici crucis ». *Phil.* 3,18) etc.

3. *S. Polycarp. Martyr.* 1. S. Polycarpus voluit nos esse ipsius imitatores « non solum quae nostra sunt singuli considerantes, sed et ea, quae ad proximos pertinent » cfr. *Phil.* 2,4.

4. *Viennens. ep.* apud Euseb. H. E. V. 2 (M. 20,433) cfr. *Phil.* 2,6.

5. *S. Theoph. Antioch.* apud S. Hier. ad Algas. ep. 121,6 (M. 22,1020) cfr. *Phil.* 3.7.

6. *Tertull.* c. Marc. V. 20 (M. 2,522) et *S. Epiph.* haer. 42,9. 12 (M. 41,708. 812). — *Clem. Alex.* Strom. III. 4 et Excerpt. Theodot. 35. 43 (M. 8,1196; 9,670. 680). — *Philosophum.* X. 11 (M. 16,3426).

7. *Fragm. Murat.* 51. (*Introd. gen.* Ed. 2. p. 184); *S. Iren.* c. haer. IV. 18; V. 13 (M. 7,1026. 1158); *Clem. Alex.* Paedag. I. 6; II. 1; III. 1 etc (M. 8,312. 408. 557.); *Tertull.* de resurr. carn. 23. 47; c. Marc. V. 20 etc (M. 2,826. 843. 522).

157. — Quibus testimoniis non obstantibus *F. Chr. Baur* huius quoque epistolae authentiam impugnavit, paucosque opinionis suae invenit sequaces [1]. Tribus potissimum rationibus Paulum epistolae auctorem non esse demonstrare conatur. Atque 1.) quidem epistolam refertam esse ait gnosticis ideis locutionibusque gnosticismumque ab auctore non impugnari sed aliquantulum modificatum recipi. Ad quod blasphemum assertum probandum in medium affert erroneam praeclari illius testimonii interpretationem, quod legitur *Philipp.* 2,6 sq. Christus nimirum, qui, quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, ei est aeon ille gnosticorum ultimus, Sophia nomine, qui quum magnitudinem Patris comprehendere vellet, in poenam temeritatis dissolutus paene est [2]. Praeterea ex hoc loco deducit, auctorem epistolae cum docetis gnosticis putasse Christum non verum fuisse hominem (« in *similitudinem* hominum factus »). Superioritatem quoque Christi super angelos, homines et inferos desumtam esse ex gnosticorum placitis asserit et in inferorum mentione allusionem invenit ad doctrinam de Christi descensu ad inferos, quae ipsa quoque sit gnosticum dogma. Interpretis est arbitraria haec asserta absurdamque hanc exegesin accurate

refutare; illud unum hoc loco dixisse sufficiat τὸ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχειν et τὸ εἶναι ἴσα θεῷ Paulo non esse duo diversa, ac si prius esset altero minus et inferius, sed secundum *rem* unum esse idemque; praeterea, uti iam monuit S. Chrysostomus, Apostolus usus est terminis « in *similitudinem* hominum factus », « *habitu* inventus ut homo », « quia non omnia sunt aequalia, quum non ex commixtione corporum, sine peccato, neque nudus homo esset »[3]; quod demum descensus Christi ad inferos (cuius, per parenthesin sit dictum, nulla fit mentio) inventum sit gnosticum, id blasphemum putidumque inventum est baurianum.

2.) Alteram difficultatem in eo reperit Baur, quod S. Pauli tempore Evangelium iam « in domo Caesaris » asseclas habuisse dicatur, quod de episcopis et diaconis sermo sit, quod Clemens commemoretur etc. Scilicet Neotubingiani historiam primitivae Ecclesiae a priore sibi construunt finguntque, atque quaecunque fictionibus his arbitrariis contradicunt, omnia negantur et pro apocryphis habentur.

3.) Expressiones nonnullas Paulo esse indignas censet Baur; « canes » enim vocantur iudaizantes, *concisio* parum apte opponitur *circumcisioni*; ἡ δικαιοσύνη ἡ ἐν νόμῳ in reliquis paulinis non invenitur; ea, quae de eleemosynis dicuntur, quas iam Thessalonicae acceperit, contradicunt eis, quae Paulus de se ipse (1 *Cor.* 9,15; 2 *Cor.* 11,9) testatur etc. Sed cur iudaizantes illos, qui ad gentem sanctam non pertinuerunt, « canes » i. e. impuros (cfr. *Matth.* 7,6; 15,22) appellare non potuerit Paulus, non apparet; aptissima autem paronomasia « concisio » opponitur « circumcisioni » (cfr. *Gal.* 5,12), quia iudaizantes necessitatem circumcisionis praedicantes crucem evacuabant et Evangelium concidebant. Iustitia, quae *in* Lege eiusque operibus nititur (3,6), idem dicit, quod iustitia, quae *ex* Lege eiusque operibus exoritur (3,9). Demum legendi tantum sunt textus, quos Baur ipse affert, praesertim 2 *Cor.* 11,9, ut perfectissime eos consonare cum *Philipp.* 4,15 vel stertens videat.

Praecipuas Neotubingianorum obiectiones attulimus; reliquae nec mentione nec refutatione indigent. Neque magis paucorum illorum placita evolvemus, qui ut clariorem et concinniorem epistolae dispositionem reddant, aut integram partem (3,1-4,9), utpote a Paulo non scriptam, reiiciunt[4], aut eam ex duabus conflatam dicunt, quarum prior (1,1-3,1 et 4,21-23) toti ecclesiae, altera (3,2-4,20) solis electis et perfectis destinata fuerit[5]. Ad quid enim sententiis immoremur, quae nullo prorsus argumento, neque externo neque interno, nixa otiosorum hominum sunt commenta?

1. *F. C. Baur* Der Apostel Paulus. Ed. 2. II. p. 50-94; *Zeller* in notis ad 2. ed. operis magistri sui cum eo videtur consentire; *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter II. p. 133 sqq.; *Hitzig* Zur Kritik d. paulin. Briefe 1870. p. 1-21; *Holsten* in Iahrb. f. protest. Theol. 1875. 1876; *Hoekstra* in Theol. Tijdschr. 1875; *Straatmann* De gemeente te Rome. 1878. p. 201 sqq.; *Kneucker* Die Aufänge des röm. Christenth. 1881. p. 36 etc. — Reliqui vero « critici » plerique authentiam atque integritatem epistolae agnoscunt, ita ut ipse *Holtzmann* (Einl. Ed. 2. 1886. p. 302 sqq.) eam non amplius aperte impugnet atque *Jülicher* (Einl. 1894. p. 81) thesin neotubingianam vix non obsoletam dicere audeat. Ex « criticorum » numero inter alios epistolam defendunt *Hilgenfeld* (Einl. 1875. p. 333), *Weizsäcker* (Iahrb. f.

deutsche Theol. 1876. p. 292 sqq.), *Mangold* (Römerbrief 1884. p. 256 sqq.), *Lipsius* (Holtzm. Handcomm. II. 2. 1891. p. 196 sqq.) etc.

2. Cfr *S. Iren.* c. haer. I. 2 (M. 7,453).

3. *S. Chrysost.* in Philipp. hom. 7,2 (M. 62,231).

4. Cfr *Schrader* Der Apostel Paulus V. p. 233 sqq.

5. *Weisse* Kritik d. paulin. Briefe. p. 56 sqq.; *Hausrath* Der Apostel Paulus. Ed. 2. p. 486 sqq. etc. Contra quos cfr ipsum *Jülicher* Einl. 1894. p. 81 sq.

§ 10. — *De Epistola ad Ephesios.*

158. — I. De ecclesia Ephesia. Ephesus in Asia Min. haud longe ab icario mari ad Caystri fluvii ostium ab Ionis advenis saec. 11. exeunte condita esse dicitur. Unum ex praecipuis Asiae emporiis longe maiorem celebritatem sibi acquisivit magnifico Dianae templo, quod impensis totius Asiae exstructum inter septem orbis miracula numerabatur. Ioniae olim metropolis, inde autem ab a. 133., postquam Romani regnum Pergami sibi subiecerunt, novae provinciae Asiae caput per multa saecula florentissima erat Asiae Min. civitas, quae, uti in Macedonia Thessalonica et Corinthus in Achaia, divitiis et morum corruptione sorores suas superabat. Copiosa civitatis mercatura non paucos attraxerat Iudaeos, qui iustam synagogam ibi possidebant.

Ecclesiae ephesiae fundator S. Paulus merito habetur[1]. In secundae expeditionis evangelicae initio Epheso Evangelium afferre voluerat, at a Spiritu S. prohibitus, quominus in provincia Asia loqueretur verbum Dei, prius macedonicas et achaicas ecclesias fundavit; in eiusdem autem expeditionis fine, quum una cum Aquila et Priscilla Corintho profectus Ierosolyma peteret, Ephesum venit et synagogam ingressus cum Iudaeis disputavit. A quibus rogatus, ut Ephesi remaneret, abnuit quidem, sed mox se reversurum pollicitus iter hierosolymitanum continuavit relictis Aquila et uxore eius. Qui opus ab Apostolo inchoatum non intermiserunt, atque inter alios Apollo Alexandrino, qui eousque solum baptisma Ioannis cognoverat, viam Domini diligentius exposuerunt. Interea Apostolus in tertio suo itinere, peragratis mediterraneis Asiae minoris partibus, Ephesum reversus est atque plus duobus annis (55.-58.) ibi consedit. Primum in synagoga docebat per tres menses disputans et suadens de regno Dei; quoniam vero Iudaeos nonnullos indurari Evangeliumque blasphemare vidit, segregavit discipulos suos quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium, neque Ephesi tantum sed in tota provincia verbum Domini propagatum est inter Iudaeos et ethnicos. Neque id mirum, quandoquidem multis et magnis miraculis Deus Apostoli sui praedicationem confirmavit eiusque fama etiam per ipsos goëtas iudaicos, qui miracula eius in nomine Christi patrata imitari conabantur, latius est sparsa.

Ex tota S. Lucae narratione elucet maiorem neophytorum numerum ex ethnicis venisse, quippe inter quos multo diutius Paulus docuerit; multo evidentius autem idem apparet ex tumultu, quo Apostolus Ephesum relinquere coactus est. Ad antiquum enim templum Artemidos, « non huius venatricis, quae arcum tenet atque succincta est, sed illius multimammiae, quam Graeci πολύμαστον vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem »[2], undique ex Asia et Graecia maxima confluebat peregrinorum multitudo, qui idoli et fani argentea figmenta secum auferre solebant; qua ex re magnus erat argentariorum quaestus. Biennio autem illo, quod Ephesi peregit, tot ethnicos praedicationibus suis B. Paulus ad fidem convertit, ut Demetrius argentarius de suo commercio anxius tumultum excitaret, « quia non solum Ephesi sed paene totius Asiae Paulus hic suadens avertit multam turbam dicens, quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt »[3]. Florentem igitur ecclesiam, quae ex Iudaeis et ethnicis conversis constabat, in qua tamen ethnici neophyti multum praevalebant, Ephesi Paulus reliquit, quum tumultu illo ante tempus, quod sibi praefixerat, iter ingredi cogeretur.

Insequente anno ex Graecia iterum Ierosolyma revertens, ne qua mora in Asia sibi fieret, Ephesum praetervectus presbyteros ephesios Miletum ad se advocavit eosque sermone illo tenerrimo aeque ac gravissimo, quem S. Lucas nobis conservavit[4], exhortatus est, ut ecclesiam illam tanto cum labore tantisque in periculis et tribulationibus fundatam ab insidiis imminentibus custodirent. Ierosolyma deinde profectus ibique in vincula coniectus ecclesiam hanc non amplius vidit, nisi postquam ex priore captivitate dimissus per paucos annos iterum ministerio suo apostolico liber vacare potuit[5]. Interea lupi rapaces, de quibus in sermone illo loquitur, revera ecclesiam ephesiam invaserant, atque presbyteri quoque nonnulli perversa dogmata docere coeperant. Quamobrem post priorem captivitatem Ephesum reversus Timotheum ibi reliquit, qui ecclesiae invigilaret[6]. Post S. Pauli mortem S. Ioannes Ephesi sedem suam fixit: illo autem tempore ecclesia haec, quamvis laude nondum esset indigna, primum suum fervorem iam amiserat et gravissimis verbis ad poenitentiam agendam exhortanda erat, ne candelabrum eius de loco suo moveretur[7]. Sed haec ad epistolae nostrae intelligentiam evolvi necesse non est.

1. *Act.* 16, 6; 18,18-20,1; cfr. supra 105. p. 370 sq.

2. *S. Hieron.* in Ephes. Prolog. (M. 26,441).

3. *Act.* 19,23 sqq. Miraberis, quod *Renan*, qui hanc narrationem pro genuina admittit (St Paul p. 425 sqq.), nihilominus integram ecclesiam centum dumtaxat aut centum viginti neophytos numerasse et Paulum in tota Asia Min., Macedonia et Graecia vix mille Iudaeos et ethnicos ad fidem convertisse censeat (St Paul p. 562). Putat

nimirum *Rom.* 16,3-16, quam pericopen ex epistola ad Ephesios desumtam esse gratis asserit (cfr. *supra* 151. 2. c. p. 181) omnes fere Christianos ephesios nominari. Sed quomodo Demetrii timor explicatur, si per tres annos Apostolus in frequentissima civitate, quae multa millia habebat incolarum, ne centum quidem ethnicos a cultu Dianae avertere potuerit? Num centum illi tam divites erant, ut libros possiderent, quorum pretium computabatur quinquaginta millium denariorum i. e. circiter totidem francorum. (*Act.* 19,19).

4. *Act.* 20,15-38.

5. Cfr. *supra* 107 et n. 8. p. 374 sq.

6. 1 *Tim.* 1,3.

7. *Apocal.* 2,1-7.

159. — II. Cuinam ecclesiae epistolam nostram Paulus destinaverit, antequam ulterius progrediamur, inquirendum est; nam satis multi interpretes moderni eam ecclesiae ephesiae scriptam esse negant, alii autem eam non solis Ephesiis proxime destinatam esse volunt. Rationes autem dubitandi praecipuae sunt hae :

a.) Teste Tertulliano Marcion epistolam hanc inscripsit ad Laodicenos[1];

b.) non solum duo antiquissimi codices superstites (B. ℵ. cum uno minusculo 67.) in epistolae inscriptione verba « ἐν Ἐφέσῳ » omittunt, sed *S. Basilio* teste eadem in antiquis exemplaribus, quae vidit, defuerunt, atque *Origenes* primum versum ita explicat, ut verba haec in eius textu defuisse appareat[2];

c.) accedit, quod in tota hac epistola nec ad longam Apostoli inter Ephesios habitationem, nec ad omnes, quas ibi perpessus est, tribulationes ulla occurrat allusio; Timotheus, quem Ephesiis optime cognitum fuisse constat quique eo tempore, quo epistola scripta est, Romae adfuit[3], nec in inscriptione nec in fine nominatur; nullae adscribuntur salutationes, quamquam sine ullo dubio Apostolus praecipuos ephesiae ecclesiae neophytos oblivioni non dederat; argumentum ipsum generali prorsus modo tractatur, imo interdum Apostolus ita loquitur, ac si lectores unquam de se quidquam audivisse dubitaverit atque ipse quoque per alios tantum ecclesiam illam cognoverit[4].

Quibus rationibus aliqui interpretes, etiam catholici, permoti sunt, ut epistolam hanc « *circularem* fuisse atque ex aequo ad omnes Asiae urbes pertinuisse dicerent; hinc contigisse, ut simpliciter inscripta esset τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν..., ut quum mitteretur ad aliam urbem alio nomine inscriberetur; hoc in causa fuisse, cur Marcion epistolam, quae ad Ephesios missa erat, nomine epistolae ad Laodicenos citaret; nec mirum esse, quod epistola nomen epistolae ad Ephesios retinuerit, quum Ephesus, quae totius Asiae metropolis est, suum ei nomen potius quam alia urbs dederit »[5]. Tychicum enim, qui una cum epistolis ad Coloss. et Philem. nostrae epistolae varia exemplaria in Orientem attulerit, a Paulo iussum esse putant in loco vacuo primi versus nomen ecclesiae,

cui exemplar relinquere vellet, pro lubitu inserere. Alii autem interpretes, sed acatholici tantum, eam ad Ephesios pertinere plane negant eamque aut solis Laodicenis scriptam esse cum Marcione tenent, quibus Apostolum per Tychicum literas misisse ex *Col.* 4,16 constet, aut Laodicenis simulque vicinis Phrygiae ecclesiis (hierapolit., coloss. etc.), aut neque Ephesiis neque Laodicenis sed aliis nescio quibus Asiae vel alterius regionis fidelibus aut ecclesiae recenter in suburbiis Ephesi exortae et cum ephesia arcte coniunctae[6].

1. *Tertull.* c. Marc. V. 11. 17 (M. 2,500. 512). — *S. Epiph.* (haer. 42,9. M. 41,708) inter decem epistolas, quas Marcion agnoverit, etiam septimo loco illam ad Ephesios enumerat et addit eum fragmenta quoque habuisse epistolae ad Laodicenos; at errasse dicendus est S. Doctor; fragmentum enim, quod ipse ex Marcionis ep. ad Laodic. affert (l. c. M. 47,721) ex nostra epistola ad Ephesios desumtum est.

2. De codd. cfr. *Tischend.* N. T. Ed. 8. II. p. 663. — *S. Basil.* c. Eunom. II. 19 (M. 29,612) Eunomium increpans, qui Filium μὴ ὄντα appellaverat, monet S. Paulum Christianos in oppositione ad gentiles τοὺς ὄντας appellasse, idque demonstrat hac ratione : « Sed etiam *Ephesiis* quum scriberet, eos utpote τῷ ὄντι per cognitionem intime coniunctos ὄντας nominavit; ait enim : Sanctis qui sunt (τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν) et fidelibus in Christo Iesu. *Sic enim maiores nostri tradiderunt et nos in antiquissimis exemplaribus* (ἐν τοῖς παλαίοις τῶν ἀντιγράφων) *invenimus* ». Inter maiores, quorum traditionem invocat, sine dubio fuit *Origenes*, cuius haec explicatio in Catena (ed. Cramer p. 102) conservata est : « De solis *Ephesiis* invenimus scriptum τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν, et inquirimus, quid verba ista, si non abundant, significari possint. Vide igitur annon, quemadmodum in Exodo ille, qui se revelat Moysi, se ipse appellet τὸν ὄντα, sic ii, qui τοῦ ὄντος participant, fiant ipsi ὄντες, quodammodo ex non exsistentia ad exsistentiam vocati. Elegit enim Deus ea, quae non sunt, dicit idem Paulus, ut ea quae sunt evacuaret » etc. Quae Origenis verba *S. Hier.* in Eph. 1,1 (M. 26,443) prae oculis habuit. *Tertullianus* ipse quoque verba « in Epheso » non legisse dicendus est, quoniam Marcionem ob solum *titulum* mutatum vituperat et ad eum refutandum non ad genuinam epistolae *inscriptionem*, sed ad Ecclesiae traditionem provocat.

3. *Coloss.* 1,1; *Philem.* 1,1.

4. *Ephes.* 3,2 sqq.; 1,15 etc.

5. *Garner.* ad S. Bas. c. Eunom. II. 19 (M. 29, 612). Primus ho c coniecit *I. Usser.* Annal. V. et N. T. ad a. 64; quem ex catholicis cum Garnerio secuti sunt *Dupin* (Dissert. prélim. 1701. II. p. 50), *Vallarsi* ad S. Hier. l. c. M. 26, 471 sq.), *Hug* (Einl. II. p. 406 sqq.), *Glaire* (Introd. VI. p. 103 sqq.), *Reithm.* (Einl. p. 608 sqq.), *Valroger* (Introd. II. p. 272 sqq.), *Lamy* (Introd. II. p. 354), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 591 sqq.) multique interpretes catholici. Acatholicos huius sententiae patronos enumerat *Meyer Schmidt* Exeg. Comm. VIII. Ed. 6. 1886. p. 13.

6. Solis Laodicenis epistolam destinatam coniecerunt *Wetst ein* (Nov. Test. II. p. 238. sq.), *Kamphausen* Jahrb. f. deutsche Theol. 1866. p. 742) etc. — Laodicenis aliisque Phrygiae ecclesiis *Bleek* (Einl. p. 596 sq.), *Sabatier* (St Paul, p. 209 sqq.), *Godet* (Introd. I. 1893. p. 263 sq.) etc. — Omnibus Asiae ecclesiis (praeter ephesiam) *Weiss* Einl. Ed. 2. 1889. p. 263 sq. — Omnibus Ethnicochristianis per totum imperium *v. Soden* (in Holtzmann Handcomm. III. 1. 1893. p. 86 sqq.). — Ecclesiae in suburbiis Ephesi exortae *Lünemann* (De ep. ad Eph. authentia etc. 1842. p. 37 sqq.); — Peloponnesi ecclesiis *Haenlein* (De lectoribus ep. ad Eph. 1797).

160. — Quamvis rationes allatas vi sua non carere libenter fateamur, ab antiqua tamen sententia recedendum non esse arbitramur. Unanimi enim consensu tradunt Patres Ephesiis epistolam hanc scriptam esse. *S. Ignatii M.* quidem testimonium, quippe de cuius genuina lectione et interpretatione non satis constet, urgere nolumus[1], at ab exeunte saec. 2. habemus testes in ecclesia romana auctorem *fragm. Murator.*, in gallica et asiatica *S. Irenaeum*, cuius testimonium, quoniam ipse ex Asia oriundus est, maximae est auctoritatis, in africana *Tertullianum*, in alexandrina *Clementem;* ex iunioribus autem ne unus quidem nominari potest, qui hac de re dubitaverit, atque ipsi *Origenes* et *Basilius*, qui in *inscriptione* epistolae verba « ἐν Ἐφέσῳ » non legerunt, tantum abest, ut epistolam Ephesiis scriptam negent, ut in ipsis locis obiectis verba, quae explicant, Ephesiis esse scripta diserte tradant[2].

Qui Patrum consensus unanimi versionum quoque codicumque testimonio confirmatus quid in hac quaestione valeat, facile apparet perpendenti, ecclesias illas, quae epistolas apostolicas accipere meruerant, velut certiores doctrinae apostolicae testes singulari in honore ab aliis esse habitas (cfr *Tert.* de praescr. 36; *S. Aug.* de doctr. christ. II. 8). Qui ergo nostram dicit encyclicam, is explicet oportet, quare nulla ex ecclesiis, quibus Tychicus eam attulisse supponitur, eam velut sibi a Paulo missam (et inscriptam) conservaverit et sola ephesia semper, nullo contradicente, ecclesiis adnumerata sit, quibus Paulus scripsit.

Historicis igitur testimoniis extra dubitationem esse positum puto, Ephesiis epistolam nostram esse scriptam; num internae vero rationes, quas alterius sententiae patroni congesserunt, tanti valeant, ut historicum argumentum destruant, inquirendum iam est. Gravissimum utique esset, si ex epistola eluceret, Paulum nec lectores suos cognovisse nec iis fuisse cognitum; at, ni fallor, erroneae textuum interpretationi haec obiectionis pars innititur. Etenim 3, 2 Apostolus non dubitat, num Ephesii de apostolica sua missione ad gentes (vel rectius de supranaturali modo, quo hanc missionem accepit) quidquam audierint, sed illis in memoriam revocat, quae hac de re praesens eis tradiderat[3]. Postquam autem Ephesum iam plus tribus vel quatuor annis non amplius viderat, optime dicere potuit, se *audivisse* eorum fidem in Christum et dilectionem in omnes sanctos (1,15), scilicet eos fidem dilectionemque suam integram et illibatam post suum discessum conservasse. Omissio porro salutationum in nostra epistola non magis probat, eum ex Ephesiis nullum cognovisse, quam similis salutationum omissio in epp. ad Gal., 2 Cor., 1 et 2 Thess.; imo ratio in promtu est, cur eas omittere voluerit; epistolam enim misit per Tychicum, ut hic eos doceret « quae circa ipsum essent » et « consolaretur eorum corda » (6,22). Admirationis quidem aliquid habet, quod in inscriptione Timotheum non no-

minet, quem eo tempore apud illum fuisse inscriptiones epp. ad Coloss. et Philem. docent quemque Ephesiis cognitum fuisse aliunde certo constat; libenter etiam fatemur nos claram et apertam rationem indicare non posse, qua permotus sit, ut ab omnibus illis allusionibus personalibus, quae in aliis epistolis satis sunt frequentes, in hac abstinuerit. At haec difficultas tanta non est, ut traditione unanimi relicta et spreta epistolam Ephesiis auferamus eamque encyclicam dicamus; imo eadem difficultas etiam interpretibus omnibus illis solvenda manet, qui epistolam nostram ita dicunt encyclicam fuisse, ut ab Ephesiis, qui primi eam receperunt, ad alias vicinas ecclesias fuerit transmittenda; in epistolis enim ad Corinthios, quae simul omnibus fidelibus in tota Achaia destinatae erant, frequentissimae sunt allusiones illae neque prorsus desunt in epistola « ecclesiis Galatiae » missa [4]. Ex iisdem quoque epistolis videmus, quomodo Paulus egerit, si pluribus ecclesiis eandem epistolam destinare voluit [5]. Attentione autem indignam, ne dicamus ridiculam et absurdam, eorum sententiam esse arbitramur, qui in variorum exemplarium inscriptione vacuum esse relictum spatium statuunt, ut Tychicus pro lubitu nomen alicuius ecclesiae insereret; scribarum enim publicorum nostrae aetatis et mercatorum nostrorum mores ususque Apostoli non sequebantur [6].

Quae quum ita sint, cum tota antiquitate et non paucis modernis interpretibus [7] tenemus *Ephesiis* nostram epistolam recte inscribi.

1. *S. Ignat.* ad Ephes. 12. « Παύλου συμμύσται... ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. In longiore recens. : ὃς πάντοτε ἐν ταῖς δεήσεσιν αὐτοῦ μνημονεύει ἡμῶν. Alteram hanc lectionem non esse nisi corruptionem textus factam ab aliquo, qui non intellexit, quomodo Paulus « in *omni* epistola » (non : « in integra epistola », uti aliqui male interpretati sunt) Ephesiorum memor fuerit, clarum quidem est; at etiam priore lectione admissa textus idoneum argumentum vix praebet, quia revera Paulus in epp. ad *Rom.* 16,5; 1 *Cor.* 16,8. 19; 2 *Cor.* 1,8; 1 *Tim.* 1,3; 2 *Tim.* 1,16 sqq.; 4.19 sq. Ephesios aut saltem Asianos nominavit, ut Ignatius cum aliqua hyperbola de *omni* epistola loqui potuisset, etsi nostram Ephesiis abiudicasset. Nihilominus ex eo, quod Ephesios Pauli συμμύστας appellat, i. e. iisdem mysteriis initiatos, argumentum forte desumi potest, si attendimus ad *Eph.* 1,9; 3,2, quandoquidem Apostolus eis in hac epistola mysteria explicat, ut iisdem, quibus ipse, mysteriis sint initiati.

2. *Fragm. Murator.* l. 51 (Introd. gen. p. 170); *S. Iren.* c. haer. V. 2. 8. 14. 24 etc. (M. 7,1126. 1141. 1169. 1188); *Tertull.* c. Marc. V. 11. 17. etc. (M. 2,500. 512); *Clem. Alex.* Paedag. I. 5; Strom. IV. 8 etc (M. 8,269. 1276). Textus S. Basil. et Origen. cfr. *supra* 159. n. 2 p. 496.

3. Cfr. *Est.* in h. l. « Illud *si tamen*, vel ut in Graeco est εἴγε *siquidem*, dubitantis non est, sed potius asserentis; neque enim ignorare, quod hic dicitur, poterant Ephesii, quibus Paulus Evangelium plus quam biennio praedicaverat ». Atticos quoque interdum εἴγε pro ἐπείγε adhibuisse docet *Kühner* ad Xenoph. Memorab. I. 5; cfr. quoque *Herm.* ad Viger p. 834 « εἴγε usurpatur de re, quae iure sumta creditur;... εἴγε δοκεῖ σοι dicimus ei, de quo *scimus*, quid ei placeat

4. Non immerito monet *Goldhagen* Introd. III. p. 367 in nostra epistola non plane deesse, quibus ad Ephesios proprie dictos pertinere dignoscatur : « quae sc. commemorat de magiae studio 2,2, de effreni morum licentia 4,19 et 5,3-12, de scurrilibus sermonibus 5,4 et similibus ». Quibuscum cfr. quomodo Ephesiorum mores describat *Renan* (St Paul p. 338) antiquorum scriptorum testimoniis nixus : « On eût dit l'universel rendez-vous des courtisanes et des viveurs. La ville regorgeait de magiciens, de devins, de mimes et de joueurs de flûte, d'eunuques, de bijoutiers, de marchands d'amulettes et de médailles, de romanciers. Le mot de *nouvelles ephésiennes* désignait, comme celui de *fables milésiennes*, un genre de littérature, Éphèse étant une des villes où l'on aimait le plus à placer la scène des romans d'amour. La mollesse du climat, en effet, détournait des choses sérieuses » etc.

5. Cfr. *Gal.* 1,1; 1 *Cor.* 1,2; 2 *Cor.* 1,1; cfr. 1 *Petr.* 1,1.

6. Cur nullius exemplaris, in quo Tychicus aliud nomen inscripsisse supponitur, memoria ad nos pervenit? Marcionem enim in inscriptione ipsa nomen Laodiceae non habuisse, elucet ex Tertulliani accusatione, quod *titulum* mutaverit; certe inscriptionis (i. e. textus ipsius) mutationem gravius vituperasset. Num Paulus ea, quae 1,15 sqq. 4,25; 5,4. 12 sqq. 18. leguntur, scribere potuit, si nescivit quaenam nomina Tychicus in spatio illo vacuo inscripturus esset?

7. *Goldhagen* Introd. III. p. 367, *Danko* Histor. Revel. N. T. p. 439, *Vidal* St Paul II. p. 374, *Drach* l. c. p. 372, *Padovani* Comm. in epp. ad Eph. Phil. Col. 1891. p. 2 sqq. etc. — Acatholici auctores, qui eandem sententiam tenent, haud pauci enumerantur à *Meyer-Schmidt* Exeg. Comm. VIII. Ed. 6, 1886. p. 10.

161. — III. QUO TEMPORE ET QUO LOCO sit scripta epistola, satis facile definitur. Non semel enim Apostolus vinculorum mentionem iniicit, a captivo igitur scripta est. Per eundem Tychicum, qui una cum Onesimo epistolam ad Colossenses detulit, nostra Ephesiis est allata[1]; eodem igitur tempore utramque esse scriptam iure interpretes omnes admittunt. At eodem etiam tempore scriptae sunt literulae illae, quas Onesimus cum Tychico Colossas reversus hero suo Philemoni ab Apostolo tradendas accepit. Iam vero in hisce hospitium sibi parari iubet Paulus; unde concludere licet eum haec scripsisse, quum iam firma spes proximae liberationis ei affulsisset. Versus finem igitur prioris captivitatis romanae Apostolus epistolas illas dedit i. e. exeunte a. 63.

Quae sententia, licet Patrum quoque auctoritate commendetur[2], nonnullis modernis interpretibus protestanticis non probatur; ex praeiudiciis Catholicorum eam exortam putant, qui quoties de Pauli captivitate sermo sit, semper romanam intelligant[3]. Caesareae igitur tres illas epistolas scriptas esse statuunt atque his argumentis opinionem suam stabilire conantur :

a.) Onesimus, Philemonis colossensis servus fugitivus, Colossis Caesaream facilius, quam trans mare in Italiam fugere potuit, Caesareae igitur potius, quam Romae, Paulum invenisse et ad fidem esse conversus videtur[4]. — Mirum sane argumentum! Nonne rectius dicemus, Onesimum Romam facilius quam Caesaream venire potuisse, atque Romae securius quam Caesareae, in parva provinciae civitate, latuisse?

Sine ullo dubio Caesarea Colossensibus vicinior est, quam Roma; sed iter terrestre, quod octingentorum saltem millium passuum est, servo fugitivo ob longitudinem et pericula ingredi non licuit; si vero in proximo portu, Ephesi vel Mileti, navem ascendere debuit, magna itineris differentia non erat, iter autem ipsum facilius. Caesareae quoque Paulus in carcere erat, Romae in custodia libera; Romae igitur, sed non Caesareae, Onesimus ab eo ad fidem adduci potuit.

b.) Si epistolae hae Romae scriptae sunt, Tychicus, qui eas detulit, cum socio suo Onesimo Ephesum prius, quam Colossas pervenit; nihilominus in epistola ad Ephesios Onesimus non nominatur, nominatur autem in ep. ad Coloss. Quae omissio facile explicatur, si Tychicus iter suum ex Palaestina per Phrygiam Ephesum instituisse atque Colossis Onesimum reliquisse statuitur[5]. — At num quis sibi persuadebit, Tychicum longissimum illud et periculosissimum iter terrestre prae faciliore itinere maritimo ex Palaestina in Asiam elegisse? Etsi autem Tychicus Ephesi Onesimum comitem itineris habuit, pauperis illius servi mentio in epistola ad Ephesios, qui nec servum nec dominum eius cognoverunt, a nemine, opinor, exspectatur.

c.) Phrasis, qua Paulus utitur (*Eph.* 6,21 « ut *et* vos sciatis ») docet Tychicum idem, quod Ephesiis praestare debuit, aliis iam praestitisse, scilicet Colossensibus (cfr. *Coloss.* 4,7. 8.), ad quos prior pervenit[6]. — At phrasis multo aptius explicatur, si epistola ad Ephes. immediate post illam ad Coloss. scripta supponatur, ita ut *Apostolus* verba illa, quae Colossensibus scripsit, adhuc in mente habuerit. *Ephesii* enim illa, quae nos hodie in *Col.* 4,7. 8. prae oculis habemus, non cognoverunt, atque Pauli verba, si ad istum textum respexisset, intelligere non potuissent.

d.) In epistola demum ad Philem. Apostolus hospitium sibi parari iubet; sed quum Romae in vinculis esset, in Macedoniam proficisci sibi proposuerat[7]. — At nonne per Macedoniam in Asiam iter facere aut pristinum consilium mutare potuit? Namque Philippensibus secundo captivitatis anno vix inchoato, Ephesiis vero et Colossensibus eodem ad finem vergente scripsit. Quin etiam post epistolam Philemoni scriptam consilium mutavit atque in Hispaniam profectus est, antequam in Orientem reverteretur (cfr *supra* n. 107. p. 373 sqq.).

Omnia haec sunt argumenta, quibus novae sententiae patroni tradi tam convellere conantur.

1. *Ephes.* 3,1; 4,1; 6,20 sq.; *Coloss.* 4,7 sq.; *Philem.* 10 sqq.

2. *S. Chrysost.* in Ephes. Argum. (M. 62,10); *Theodoret.* in Ephes. Argum. (M. 82,508); *S. Hieron.* in Eph. 3,1 et 6,21 (M. 26,477. 553); *Ps. Athanas.* Synops. 63 (M. 28,417) etc. Cfr. etiam codicum subscriptiones in *Tischend.* N. T. Ed. 8. II. 704. 748. 900.

3. *Schenkel* Bibellex. II. p. 126 : « Nach der herkömmlichen Ansicht wäre der Brief aus der Gefangenschaft in Rom geschrieben. *Die altkirchliche Uberlieferung hegte für die römische Gefangenschaft des Apostels ein leicht begreifliches Vorurtheil* » ; *Reuss* Gesch. des N. T. I. p. 104. etc.

4. *Meyer* Exeg. Comm. VIII. Ed. 4. p. 18 sq. ; sed cfr quae *W. Schmid* in eiusdem operis Ed. 6. 1886. p. 18 sqq. contra hanc sententiam disputat.

5. *Meyer* l. c. Ed. 4. p. 18 ; *Schenkel* l. c. p. 127.

6. *Meyer* Ed. 4. p. 19.

7. *Meyer* Ed. 4. p. 19 ; *Schenkel* l. c. p. 127.

162. — IV. Qua occasione Apostolus, ut Ephesiis scriberet, sit permotus, incertum plane est. Patres enim de illa silent, neque epistola ipsa quidquam certi exhibet, ex quo illam cognoscamus ; coniectura igitur magis minusve probabili illam assequamur oportet. Quemadmodum enim supra diximus, allusiones illae personales in aliis epistolis satis frequentes in nostra, si de vinculorum commemoratione abstrahimus, prorsus desiderantur. Ex 1,15 S. Paulum nuntios quidem de ecclesiae ephesiae statu accepisse apparet ; quinam vero fuerint, ignoramus, quandoquidem argumentum dogmaticum generali quodam modo evolvitur atque monita moralia ita sunt comparata, ut ad certum determinatumque ecclesiae statum concludere non permittant. Nescio tamen annon thesis dogmatica ipsa, quam tractat, dissensionem quandam Iudaeochristianos inter et ethnicos neophytos adfuisse insinuet, quam directe quidem Apostolus non impugnat, at indirecte aggredi videtur. Quoniam enim morte Domini N. parietem intermedium Iudaeos inter et gentiles destructum esse ostendit atque magna beneficia, quorum neophyti ethnici, quos praeprimis in tota epistola prae oculis habet, vocatione sua participes sint facti, in memoriam revocat, illud eum intendisse putamus, ut neophytorum illorum, qui forte a Iudaeochristianis quibusdam negligi et despici sibi videbantur, animos erigeret. Altera autem ex parte monita moralia, in quibus ab ethnicorum fere vitiis neophyti revocantur, insinuant Ethnicochristianos ipsos vitae suae licentia et intemperantia contemptum et despectum fratrum suorum circumcisorum provocasse. Quamobrem non erat, quod Apostolus Iudaeochristianos vituperaret vel iudaizantium errores refutaret, sed generali sua ad unitatem conservandam exhortatione (4,3 sqq.) contentus illos, qui deliquerant, magnorum vocationis christianae beneficiorum et officiorum recordatione ad meliorem frugem revocavit.

Paterna igitur sollicitudo, qua ecclesiis a se fundatis etiam captivus invigilare non cessavit, Apostolum ad hanc epistolam scribendam permovit, neque longe a vero aberrare nobis videmur, si hanc eius originem fuisse statuerimus. Quum Tychicus et Onesimus in eo iam essent, ut Colossas proficiscerentur, S. Paulo allati sunt de ecclesiae ephesiae

statu nuntii, qui, quamvis in genere essent boni (1,15 sqq.), nonnulla tamen monita fidelibus non inutilia fore demonstrabant. Ideo B. Apostolus ecclesiam tot inter tribulationes fundatam continuae suae caritatis et sollicitudinis signo carere nolens subito et quadam cum festinatione literas has dedit, ut Tychicus per Ephesum iter facturus eas secum ferret. Revera currente et festino calamo epistola nostra videtur exarata; neque enim desunt festinationis cuiusdam vestigia : monita multa non dissimilia ab illis, quae in epistola ad Coloss. paullo antea scripta et per Tychicum transferenda iam evolverat; non paucae quoque illius epistolae phrases in nostra, licet alio in contextu, recurrentes[1]; stylus eius rudior, frequentiores anacoluthi et periodi longae implicataeque[2]; tota argumentandi ratio obscurior; idearum distributio minus clara et accurata, quam in aliis epistolis; ex sola enim dogmatum, quae tradit, sublimitate difficultas illa non exoritur, de qua conqueruntur Patres[3]. Ex hac autem festinatione, qua datae sunt literae ad Ephesios, satis explicatur, cur omnibus omnino salutationibus et allusionibus personalibus omissis lectores ad Tychicum remittat, per quem de rebus ipsius certiores sint reddendi; imo nescio annon haec festinatio quoque recte dicatur esse causa, cur Timothei in inscriptione et in reliqua epistola mentio sit omissa.

Argumentum epistolae est beneficiorum, quae hominibus, maxime autem ethnicis, per Christum allata sunt, magnifica expositio (1,3-3, 21) officiorumque, quae Christianis incumbunt, descriptio (4,1-6,8); duplici igitur parte absolvitur, *dogmatica* et *paraenetica*; illud autem proprium habet et singulare, quod ipsi gratiarum actioni, a qua B. Apostolus literas suas inchoare solet, dogmaticum argumentum integrum inseratur[4].

1. De similitudine inter epp. ad Eph. et Coloss. cfr. *infra* 165. 1 p. 508 sqq.

2. Cfr. ex. gr. 1,3-14; 15-23, ut integrum caput duabus periodis absolvatur; — 2,1. 5; 2,11. 12; 3,1. 13 post interruptionem eadem phrasis reassumitur, quomodo fieri solet, quando aliquis citato calamo scribit.

3. *S. Chrysost.* in Ephes. Argum. (M. 62,10) : « Est autem epistola haec plena sublimibus sententiis et dogmatis... et admodum altis et eminentibus sensibus referta »; *S. Hieron.* in Ephes. Prol. (M. 26,470 sq.) « magnis difficultatibus et profundis quaestionibus involutam » eam dicit, quum « in hac vel potissimum epistola Apostolus obscuros sensus et ignota saeculis sacramenta congesserit ». Cfr *Est.* ad Eph. Argum. « Huic epistolae peculiare est praesertim primis capitibus, quod implexus et involutus sit sermo ».

4. In duabus illis partibus secernendis consentiunt interpretes; in parte dogmatica ipsa distribuenda dissentiunt. *Card. Hugo* (l. c.) : In prima parte instruit et confirmat eos in fide ostendens, quae et qualia et quanta Deus contulit *toti mundo* (c. 1.) et quae *Ephesiis ipsis*, docens a quo et ad quid vocati sint (cc. 2. 3.); — *S. Thom.* (l. c.) « eos in bono confirmat 1. ratione sumta ex parte Christi, a quo bona multa adepti sunt (c. 1.); 2. ratione sumta ex parte ipsorum, qui de praeterito statu malo ad bonum

praesentem translati sunt (c. 2); 3. ratione sumta ex parte Apostoli, cuius ministerio et diligentia in bono statu positi et confirmati sunt (c. 3.); — *Goldhagen* (l. c. p. 369) : a.) Apostolus enumerat beneficia generalia et peculiaria Christianis concessa (1,3-13); b.) ostendit eorum magnitudinem ex eorum qualitate et potentia auctoris eorum (1,14-23), ex differentia status fidei et paganismi (2,1-22), ex suo studio et ardore in precando, ut illorum fiant participes (3,1-21); — *Kilber* (l. c. II. p. 461 sqq.) : a.) expositio summaria beneficii vocationis ad fidem (1,3-19); b.) expositio eiusdem beneficii specialior secundum operationem potentiae divinae (1,20-2,10), secundum excellentiam coniunctionis cum Ecclesia (2,11-22), secundum certitudinem spei vocatis concessam (3, 1-21); — simili fere modo, quo *Guillemon* (l. c. II. p. 14), cui « le mystère de la vocation des peuples » est argumentum primae partis, *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 593) tres sectiones statuit, ita ut Paulus beneficium redemtionis celebret (1, 3-2, 10), redemtionis universalitatem demonstret (2, 11-21), suam ipsius vocationem ad gentium apostolatum asserat (3, 1-21). — Reliqui generaliore idearum indicatione contenti accuratam partium distributionem omittunt.

163. — V. Analysis epistolae ad Ephesios.

I. Inscriptio (Paulus sanctis et fidelibus, qui sunt Ephesi. **1**, 1. 2.)

II. Pars prior dogmatica sub forma actionis gratiarum et precationis (1,3-3,21).

1. *Gratias agit Apostolus in genere de omnibus beneficiis sibi et Ephesiis in Christo collatis* (1,3-14) :
   a.) quod nimirum Deus ab aeterno ipsos ad iustificationem et adoptionem elegerit et praedestinaverit (1,4-6);
   b.) quod aeternum hoc caritatis consilium exsecutioni mandaverit per Iesum Christum, qui sanguine suo ipsos redemit ipsisque reconciliationis mysterium revelavit (1,7-12);
   c.) quod ad fidem vocatis eamque amplexis Spiritum S. contulerit futurae haereditatis arrham (4, 13. 14).
2. *In specie gratias agit de perseverantia Ephesiorum in fide* simul Deum obsecrans, ut eos gratia sua illuminet, qua agnoscant, quae huius vocationis futuraeque gloriae sit celsitudo et quae virtutis divinae magnitudo (1,15-19). Quanta autem haec sit virtus,
   a.) ex illis elucet, quae Deus effecit in Christo, quem a mortuis resuscitatum supra omnia exaltavit et Ecclesiae caput constituit (1,20-23);
   b.) elucet quoque ex illis, quae in ipsis Ephesiis Deus effecit, quos, quum aliquando, aeque ac Iudaei, mortui essent peccatis suis (2,1-3), propter caritatem suam cum Christo resuscitavit et exaltavit, ut divitias gratiae suae manifestaret (2,4-7); gratia enim sunt salvati, et non ex operibus propria virtute patratis (2,8-10).
   c.) Quare ut vocationis suae semper memores magnitudinem eius agnoscant, monet
      α.) ut una ex parte pristini sui status recordentur, in quo longe remoti ab isto populo, cui promissiones erant factae, sine spe ac sine Deo erant (2, 11. 12),
      β.) altera ex parte se nunc iam per sanguinem Christi populo illi esse insertos considerent (2, 13); Christus enim parietem illum, qui

Iudaeos et ethnicos separavit, morte sua cruenta delevit pacemque conciliavit, ut omnibus nunc in eodem Spiritu aditus ad Patrem pateat (2,14-18); quare gentiles quoque veri sunt cives regni messianici, quippe qui ad unum illud aedificium, cuius lapis angularis est Christus, pertineant (2,19-22).

3. *Precatur, ut in vocatione conserventur* (3,1-20).

a.) Ut vocationis gratiam pluris aestiment, interrumpit precationem inchoatam (3,1) exponens, quo in loco ipse habeat Apostolatum gentium, quoniam speciali revelatione de salute gentibus per Christum danda sit edoctus (3,2-6), et speciali gratia instructus, ut Christi divitias gentibus annuntiaret (3,7-13).

b.) Dein ad precationem inchoatam reversus petit a Patre, ut Ephesios corroboret in fide, quo radicati in caritate supereminentem Christi caritatem intelligant (3,14-19).

c.) Precationem autem et gratiarum actionem concludit doxologia (3, 20. 21.).

III. In altera parte paraenetica (4,1-6,9)

I. *ex priore dogmatica consequentiam practicam deducit* (4,1-16). Ostenderat enim Iudaeos et Gentiles conversos per Christum in unum corpus coaluisse; quapropter eos monet

a.) ut ipsi quoque hanc unitatem conservent, eamque non externam, sed internam (4,1-3); unum enim corpus constituunt, quo uno Spiritu vivificatum eundem habeat finem iisdemque mediis ad illum finem tendat (4,4-6).

b.) Diversitatem utique quandam in membris adesse monet (4,7), quandoquidem Christus, quem gratiarum distributorem esse per parenthesim demonstrat (4,8-10), unicuique gratiam conferat secundum beneplacitum suum (4,11), at diversitatem hanc ipsam ad eandem unitatem conspirare, quoniam alium finem non habeat, nisi ut omnes homines ad unitatem fidei perfectam adducat, « in qua, inquit S. Thomas (i. h. l.), perficitur corpus Christi mysticum spirituali perfectione ad similitudinem corporis Christi veri » (4,12-16).

2. *Sequuntur monita ad omnes spectantia* (4,17-5,20).

a.) ut non amplius, sicut gentiles, vivant (4,17-19), sed melius edocti veterem hominem deponant induantque novum (4,20-24); abstineant igitur a mendacio, ira, furto, colloquiis malis, ne contristent Spiritum (4,25-30); veram caritatem fraternam exerceant imitantes Deum, cuius filii sint et Christum, qui pro nobis se obtulerit (4,31-5,2); longissime autem absint ab omni immunditia (5,3-5);

b.) ut caveant a seductoribus (5, 6. 7.); postquam enim lux fidei illis illuxerit, ex fide nunc illis esse vivendum et abstinendum ab omnibus iis, quae tenebras quaerant (5,8-14).

c.) Quae monita generalia terminat exhortans, ut velut sapientes ambulent tempore bene utentes, voluntatem Dei observantes, pleni Spiritu S., in continua gratiarum actione ac precatione (5,15-20).

3. *Monita in familiis christianis observanda* tradit (5,21-6,9). Post generale monitum ad obedientiam debitam praestandam (5, 21)
   a.) agit de mutuis coniugum officiis (5,22-33).
      α.) Uxores viris suis subditae sint, quum vir sit caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiae (5,21-24);
      β.) viri autem vicissim ament uxores, sicut Christus Ecclesiam, qui amorem hunc maximis beneficiis eidem collatis manifestavit (5, 25-27);
      γ.) cuius utriusque praecepti motivum intima coniugum unio est, quae ipsa est imago intimae illius unionis, quae Christum inter et Ecclesiam intercedit (5,28-33).
   b.) Agit de mutuis filiorum et parentum officiis (6,1-4). Filiis praeceptum decalogi in memoriam revocat (6.1-3), parentes monet, ne erga filios limites iustos severitatis aut indulgentiae transgrediantur (6, 4).
   c.) Agit de mutuis servorum et dominorum officiis (6,5-9). Servi dominis servitium praestent, velut Christo, in dominis non homines, sed Deum spectantes et aeternam mercedem prae oculis habentes (6, 5-8); domini vero meminerint servos, qua filios Dei, ipsis esse aequales coram Deo (6, 9).

IV. In Epilogo (6,10-24)

1. pro conclusione omnes exhortatur, ut *confortentur ad pugnandum* in Domino (6,10); quae pugna, quum sit contra diabolum (6,11. 12), postulat, ut induant armaturam Dei, quam describit (6,13-17), atque praesertim perseverent in oratione; orent autem etiam pro ipso Apostolo, ut in catenis quoque munere apostolico bene fungi queat (6,18-20).
2. Ad Tychicum eos remittit, ut quae ad ipsum spectent per illum audiant (6,21.22), illisque apostolicam benedictionem impertitur (6,23.24).

164. — VI. Authentiam epistolae ad Ephes. antiquitatis christianae consensus unanimis testatur. Patrum, qui inde a medio saec. 2. floruerunt, testimonia nonnulla *supra* (160. p. 497) iam attulimus, in quibus eam Ephesiis scriptam esse asserunt; innumera fere alia praesto sunt, in quibus eam, Ephesiorum nomine non expresso, velut librum sacrum adhibent; at eo libentius ab iis adducendis abstinemus, quo certius constat Patres apostolicos nostra epistola iam esse usos. Nemo enim prudens negabit, *S. Ignatium M.* ad eam respexisse, ubi maritos admonendos dicit, « ut diligant uxores suas, sicut Dominus Ecclesiam », vel Christianorum arma enumerat, vel ecclesiam ephesiam vocat « benedictam magnitudine Patris et plenitudine, praedestinatam ante saecula, ut in permanentem et immutabilem gloriam semper sit unita et vera passione » etc[1]. Neque minus evidens est *S. Polycarpum*, quando scripsit : « scientes, quod gratia estis salvati, non ex operibus, sed voluntate Dei per Iesum Christum », nostram epistolam Philippensibus cognitam ab iisque velut Scripturam receptam supposuisse; alterum

eiusdem Patris testimonium, in quo textum ex nostra epistola una cum Psalmorum textu tamquam Scripturas allegat, urgere nolumus, quoniam in latina sola versione habetur[2]. Eadem quidem certitudine non gaudent allusiones, quae in *S. Clementis Rom.* priore ad Cor. epistola leguntur; nihilominus ille, qui rationem, qua primi Patres libros N. T. adhibere soliti sunt, attente consideraverit, facile nobis concedet, ex nostra epistola S. Clementem argumentum desumsisse, quo inter alia Corinthios a schismate faciendo dehortatur : « Nonne unum Deum habemus et unum Christum et unum Spiritum gratiae super nos effusum, et una est vocatio in Christo? » Certius ex altera epistola, quae S. Clementis dicitur, demonstratur primis saltem 2. saec. annis epistolam nostram in auctoritate fuisse, quandoquidem nonnulla verba diserte allegantur atque eodem in loco illa, quae S. Paulus de Christi ad Ecclesiam, velut sponsi ad sponsam, relatione tradit, cognita supponuntur[3]. Imo in catechesi apostolica, prout nobis in *Doctrina duodecim Apostolorum* et in ultima epistolae *S. Barnabae* parte conservata est, evidentissimam habemus allusionem : « Noli imperare servo tuo aut ancillae tecum in eundem Deum sperantibus in amaritudine tua, ne forte non timeant Deum, qui super utrumque est; neque enim veniet vocare secundum personam, sed quibus Spiritus praeparavit. Vos autem, servi, subditi estote dominis vestris velut Dei imagini in verecundia et timore »[4].

Quibus orthodoxis accedunt haeretici saec. 2. testes. *Marcionem* nostram epistolam, licet eius titulum mutasset, pro authentica habuisse, *supra* (160) iam diximus; *Naasseni* quoque, *Basilides*, *Valentinus* eiusque discipuli *Ptolemaeus* et *Theodotus* epistolam, sine titulo quidem, sed velut Scripturam sacram non semel adhibent[5].

1. *S. Ignat. M.* ad Polyc. 5. (*Eph.* 5,25) 6. « Τὸ βάπτισμα ὑμῶν μενέτω ὡς ὅπλα, ἡ πίστις ὡς περικεφαλαία, ἡ ἀγάπη ὡς δόρυ, ἡ ὑπομονὴ ὡς πανοπλία (*Eph.* 6,11 sqq.); ad Ephes. Inscr. cfr. *Eph.* 1,3 sqq. Aliae allusiones minus certae inveniuntur ad Magn. 13., ad Smyrn. 6 etc.

2. *S. Polyc.* ad Philipp. 1 (*Eph.* 2,8. 9); 12. « Sicut his Scripturis dicitur : Irascimini et nolite peccare (*Ps.* 4,5), et : Sol non occidat super iracundiam vestram » (*Eph.* 4,26). Cfr. quoque ad Philipp. 10 (*Eph.* 5,21), 4 (*Eph.* 6,11).

3. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 46 (*Eph.* 4,4); ex eadem epistola *Funk* (Patres apost. p. 569) undecim alias allusiones, licet parum certas, allegat. — 2 *Cor.* 14. « Neque vos ignorare puto, quod *ecclesia* viva *est corpus Christi* (*Eph.* 1,22. 23); dicit enim Scriptura : Fecit Deus hominem masculum et feminam (*Gen.* 1,27), mas est Christus, femina Ecclesia (*Eph.* 5,31. 32), atque etiam Biblia et Apostoli dicunt, Ecclesiam non ex hoc demum tempore esse, sed a principio » etc.

4. *Doctrina Apost.* 3 (*Hilgenfeld* N. T. extra can. Ed. 2. IV. p. 97); *S. Barn.* Epist. 19; Constit. Apost. VII. 13 (M. 1,1008).

5. A *Naassenis* adhibebantur pro auctoritate *Eph.* 2,17; 3,15; 5,14 (*Philosoph.* V. 7. 8. M. 16,1330. 1338. 3146); a *Basilide* formula γέγραπται allegatur *Eph.* 3,3. 5 (*Phi-*

Iosoph. VII. 26. M. 16,3315); a *Valentino* eiusque asseclis adhibebatur *Eph.* 3, 14. 16 sqq. velut γραφή, *Eph.* 3,9. 10 velut dictum Apostoli (*Philos.* VI. 34. 35. M. 16,3247); item *Eph.* 1,10; 3,21; 5,32 (S. *Iren.* c. haer. I. 3. 8. M. 7,408. 473. 532); a *Ptolemaeo* coniunguntur *Eph.* 2,15 et *Rom.* 7,12 (S. Epiph. haer. 33,6. M .41,565); a *Theodoto* non pauci textus adhibentur *Eph.* 4,24. 30; 6,12. 16 etc. (*Clem. Alex.* Excerpt. Theod. 19. 48. 85 etc. M. 9,668. 681. 697).

165. — Quibus antiquitatis testimoniis non obstantibus inter paulinas praeter pastorales alia non est, cuius authentia a « criticis » acerbius impugnetur ac frequentus negetur. Neotubingiani eam una cum ep. ad Colossenses aetati Gnosticorum et Manichaeorum attribuunt, atque similiter Hilgenfeld eam brevi ante a. 140. scriptam esse asserit; gnosticismum tamen, quem Neotubingiani in ea propugnatum vident, ipse in ea repelli et refutari tenet[1]. Non tam longe a vero de Wette aberravit, quum epistolam Paulo quidem abiudicaret, uni autem ex praecipuis eius discipulis attribueret; ad quam sententiam Ewald quoque aliique moderatiores rationalistae accesserunt. Mirum autem est, quod etiam Renan eam adoptaverit ac Timotheum vel Tychicum auctorem fuisse coniiciat, quamvis gnosticismum in epistola manifestissime doceri declaret[2]. Recentiores « critici » in relationem magis inquirunt, quae inter epistolas ad Eph. et ad Col. intercedat, et licet inter se nondum convenerit, utra sit posterior et ab altera dependeat, plerique tamen sine haesitatione nostram spuriam declarant et alii quidem eam ex fragmentis quibusdam genuinae cuiusdam, quam sibi fingunt, ep. ad Col. amplificatam dicunt, alii eam totam falsario adscribunt, pauci pro genuina habent[3].

1. *Baur* Der Apostel Paulus. Ed. 2. II. p. 1 sqq.; *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter. II. p. 330 sqq. etc. — *Hilgenfeld* Einl. p. 669-680. — De Gnosticismo *Baur* l. c. p. 12 sqq. : « Wie schon die Christologie dieser Briefe *ein ächt gnostisches Gepräge an sich trägt,* so sind es auch sonst *gnostische Begriffe und Anschauungen, welchen wir hier begegnen* ». Contra vero *Hilgenf.* l. c. p. 678 sqq. : « Das Streben nach solcher Kircheneinigung wird sichtlich getragen durch *den Gegensatz gegen den Gnosticismus*... Sollte es nicht *schon antignostisch* sein, wenn wir 2, 2 lesen κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου? » etc.

2. *De Wette* Einl. Ed. 6. p. 313. sqq.; *Ewald* Gesch. d. apostol. Zeit. p. 243 sqq.; *Renan* St Paul, Introd. p. VI-XX; cfr. p. XIX. : Dans l'épitre dite aux Éphésiens *le gnosticisme est tout à fait manifeste* »; nihilominus dans L'Antechrist, p. 91. n. Timotheum epistolae auctorem insinuare non dubitat!

3. Iuxta *Hoekstra* (Theol. Tijdschr. 1868. p. 599 sqq.), *Hitzig* (Zur Kritik paulin. Briefe 1870 p. 21 sqq.) epistola ad Eph. tempore Traiani per auctorem composita est, qui antea genuinam Pauli epistolam ad Col. interpolaverat et in hodiernam formam redegerat. Similem epistolae originem fusius propugnat *Holtzmann* (Kritik d. Eph.-u. Col.-briefe. 1872; Einl. ins N. T. Ed. 2. 1886. p. 291 sqq.). Paullo aliter *Klöpper* (D. Brief a. d. Eph. 1891. p. 9 sqq. 26 sqq.), *v. Soden* (Holtzmann. Handcomm. III. 1. 1893. p. 88 sqq.) aliique rem explanantes epistolam reiiciunt; *Jülicher* (Einl. 1894. p. 94 sqq.) tamen, licet cunctabandus, authentiam admittit.

Hisce igitur argumentis authentiam impugnat de Wette :

1.) Epistola nostra argumento suo et nexu idearum ab ep. ad Coloss. ita dependet, ut illius non sit nisi verbosa quaedam amplificatio, ab illaque in eo solo fere differat, quod haereticorum refutatio sit omissa; qua omissione epistola ipsa characterem suum et finem proprium simul amisit. Longa textuum utriusque epistolae comparatione assertum suum demonstrare conatur, atque eiusmodi scribendi rationem Paulo indignam esse declarat [4].

Longus ille similitudinum catalogus a de Wette magna cum sollicitudine collectus plane superfluus est, quia maiorem inter has duas, quam inter reliquas paulinas, affinitatem intercedere nemo negat; nocivus autem est, quia primo aspectu rem obiter consideranti facile persuadere potest, maiorem earum esse affinitatem, quam revera est. Profecto, ut rem suam evincant, authentiae adversarii similitudinem mirum in modum exaggerare solent. Namque si ad utriusque epistolae *argumentum dogmaticum* attentionem nostram convertamus, illud plane diversum esse deprehendimus; Ephesiis enim magnitudinem beneficiorum illis per Christum allatorum in memoriam revocat, Colossensibus dignitatem ipsius Christi demonstrat et evolvit Apostolus. Neque minus diversa est *argumentandi ratio* in utriusque epistolae parte dogmatica; in nostra enim epistola omnis deest polemica, quae in altera plus quam dimidiam partem tractatus dogmatici constituit. Quare ex toto cap. 2. ep. ad Coloss. de Wette non invenit nisi quatuor versus, qui in nostra habeant parallelos; at illos ipsos longius esse quaesitos evidens est, quum ad summum in vocabulorum nonnullorum repetitione similitudo quaedam inveniatur [5]. Maiorem esse affinitatem in parte paraenetica non negamus, at haec quoque non est exaggeranda. Maxime in monitis ad coniuges, filios et parentes, servos et dominos apparet; sed in his quoque quanta reperitur differentia! Monita coniugibus colossensibus tradit duobus (3,18. 19), Ephesiis autem duodecim versibus (5,22-33); num forte sublimis illa expositio de significatione matrimonii christiani, ex qua officia coniugum derivantur, non est nisi « verbosa amplificatio » duorum versuum epistolae ad Coloss.? Num « verbosa est amplificatio », si filiis ephesiis praeceptum decalogi in mentem revocat, quod in ep. ad Coloss. omisit?

Similitudinem igitur aliquam et affinitatem inter duas epistolas inveniri fatemur; sed eam facillime explicari censemus, si illas (id quod aliunde quoque constat) iisdem fere diebus scriptas esse admittimus. Quid enim miri habet, quod Paulus, qui Colossensibus dignitatem supereminentem Christi demonstraverat et monita nonnulla ad vitam christianam tradiderat, paucis diebus postea Ephesiis de beneficiis per Christum allatis scribens terminos nonnullos praecedentis epistolae repetierit et in monitis tradendis nonnulla eodem fere modo, quo Colossensibus, etiam Ephesiis scripserit? Qui unquam iisdem fere diebus de similibus argumentis duas vel tres epistolas scripserit, se ipse non semel iisdem terminis etc usum esse certissime deprehendet.

4. *De Wette* Einl. p. 313-318; *Baur* l. c. p. 4 sqq.; *Renan* l. c. p. XVI sq. « Dès qu'on admet l'épitre aux Colossiens comme une œuvre de Paul, la question se pose

donc ainsi : comment Paul a-t-il pu passer son temps à contrefaire un de ses ouvrages (!!!), à se répéter, à faire une lettre banale (!!!) avec une lettre topique et particulière? » Ad vocem *banale* quod attinet, *Erasmus*, severissimus literarum iudex, « eundem in hac epistola Pauli fervorem, eandem profunditatem, eundem spiritum idemque pectus » invenit et Patres epistolae sublimitatem admirantur (cfr n. 162. *n.* 3. p. 502). — Alterum catalogum *Holtzmann* (Einl. Ed. 2. 1886. p. 291 sq.) proponit ordinem epistolae ad Col. secutus.

5. Totum de Wettii catalogum non transcribemus, nonnulla tamen ad partium dogmaticarum *dissimilitudinem* illustrandam excerpsisse iuverit.

I. *Eph.* 1,3-14. Generalis gratiarum actio de beneficiis religionis christianae.	I. *Col.* 1,3-8. Gratiarum actio de bono statu ecclesiae colossensis.

In his sectionibus tres invenit parallelos, sed eos desumit ex alia sectione ep. ad Col.; sc. *Eph.* 1,4 et *Col.* 1,22 (ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ), *Eph.* 1,7 et *Col.* 1,14, *Eph.* 1,10 et *Col.* 1,20 (sed licet nonnulla vocabula sint identica, ideam ipsam expressam non plane identicam esse verba adhibita ἀνακεφαλαιοῦσθαι et ἀποκαταλλάσσειν demonstrant. Adverte praeterea argumenta prorsus esse diversa.)

II. *Eph.* 1,15-2,10 Gratiarum actio relate ad Ephesios et precatio pro iis, ut intelligant, quaenam Deus ad ipsorum salutem et Christi glorificationem fecerit, resuscitans eos ex morte peccati etc.	II. *Col.* 1,9-12. Precatio pro Colossensibus. III. *Col.* 1,13-23. De excelsa Christi dignitate et de beneficio redemtionis.

Octo parallelos invenit, sed iterum partim ex aliis sectionibus desumtos. *Eph.* 1,15-17 et *Col.* 1,3. 4. 9. (Quum sit gratiarum actio de Ephesiorum perseverantia in fide et caritate, eodem cum iure 1 *Thess.* 1,2. 3 etc addi potuerunt); *Eph.* 1,18 et *Col.* 1,27 (ὁ πλοῦτος τῆς δόξης, sed in priore epistola δόξα haec est *futurae gloriae* τῆς κληρονομίας, in altera δόξα, quae apparet in *Evangelii effectibus praesentibus* inter gentiles); *Eph.* 1,21 et *Col.* 1,16 (in priore loco sermo est de exaltatione Christi glorificati super omnia, in altero de omnium creatione in Christo), *Eph.* 1,22 et *Col.* 1,18 (Christus caput Ecclesiae), *Eph.* 2,1 et *Col.* 1, 21 (in priore loco Ephesii olim *mortui* peccatis, in altero Colossenses a Deo *alienati* et *inimici* fuisse dicuntur), *Eph.* 2,5 et *Col.* 2,13 (verus textus parallelus, sed ex alia sectione).

III. *Eph.* 2,11-22. Ethnicochristiani docentur, quanta Christo debeant.	

De Wette *sectionem* correspondentem in ep. ad Coloss. non invenit, ponit autem textus parallelos *Eph.* 2,11 et *Col.* 2,11 (nimirum Ephesiis Paulus loquitur de περιτομῇ χειροποιήτῳ, Colossensibus de περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ) *Eph.* 2,12 et *Col.* 1,21 (Ephesii vocantur abalienati a *conversatione Israel*, Colossenses abalienati *a Deo*); *Eph.* 2,15 et *Col.* 2,14 (Idea quidem est eadem, termini autem diversi); *Eph.* 2,16 et *Col.* 1,20 (in priore loco sermo est *de conciliatione Iudaeorum et Gentilium* per Christum, in altero *de reconciliatione omnium cum Deo* per Christum; rectius in sect. I. *Col.* 1,20 ponebatur parallel. *Eph.* 1,10).

IV. *Eph.* 3,1-21. De Pauli apostolatu deque eius tribulationibus propter Evangelium toleratis. Precatio pro Eph.	IV. *Col.* 1,24-29. Paulus gaudium suum exprimit de tribulationibus propter Evangelium toleratis.

Octo iterum inveniuntur textus paralleli : *Eph.* 3,1 et *Col.* 1,24 (At nec in idea nec in terminis ulla est similitudo); *Eph.* 3,2. 3. 5. et *Col.* 1,25-26 (Veri textus paralleli);

Eph. 3,7 et *Col.* 1,23 (οὗ ἐγενόμην διάκονος); *Eph.* 3, 8 et *Col.* 1,27 (sed *Col.* 1,27 iam ponebatur parall. *Eph.* 1,18; rectius utique hoc loco). *Eph.* 3,16. 18 in memoriam revocare (erinnern an) *Col.* 1,11 et 2,2 sq. contendit. Demum monet *Coloss.* 2,1-23 non habere *sectionem* parallelam in ep. ad Ephes. — Num revera de Wette ipse sibi persuasit, se hac textuum collectione demonstrasse id, quod demonstrare voluit, scilicet epistolam ad Ephes. esse « verbosam amplificationem » epistolae ad Coloss.?

2.) Minoris momenti sunt aliae obiectiones; stylus nimis esse implicatus dicitur multaque inveniri ἅπαξ λεγόμενα [6].

Differentiam quandam styli adesse ipsi supra diximus, sed cur ratione illa, quam indicavimus, apte non explicetur, non videmus; alio enim modo scribimus, si tempus omnibus bene praeparandis, disponendis, evolvendis suppetit, alio modo, si cum festinatione quadam cogitationes sensaque literis committere cogimur. Festinationi igitur stylum rudiorem implexumque attribuendum censemus; ἅπαξ λογόμενα autem difficultatem non creant; nulla enim est epistola paulina, quae iis careat, et qui fieri potuit, ut Apostolus, qui alia in aliis epistolis argumenta tractavit, in omnibus eadem semper vocabula adhiberet aut iisdem vocabulis eundem semper sensum exprimeret? Epistolas ad Corinthios genuinas esse ne ipsi quidem Neotubingiani negant; quot autem in illis leguntur hapaxlegomena!

3.) Nonnulla demum afferunt, quae ab Apostoli doctrina vel docendi modo abhorreant. Indignum Paulo esse dicitur, quod ad « prudentiam suam » provocet (3,4), quod « Apostolos et prophetas » coniungat eosque « sanctos » appellet (2,20; 3,5), quod arbitrario prorsus modo Psalmistae textum explicet (4,8; cfr. *Ps.* 67,19), imo verba quaedam velut scripturistica alleget, quae in V. T. non leguntur (5,4), quod tam inepte de daemoniis (2,2; 6,12) et de Deo ipso loquatur (1,17; 3,9. 15), quod ad V. T. promissiones provocet 6,2 sq.), a furto dehortetur (4,28), salutatione (vel potius benedictione apostolica) consueta non utatur [7] (6,23 sq.).

Licet interpretis potius, quam introductoris, sit eiusmodi difficultates solvere, paucissimis tamen verbis ad singulas respondebimus. Si Apostolo, ut iudaizantes suos adversarios confunderet, ad revelationes sibi factas provocare licuit (2 *Cor.* 12, 1 sqq.), cur ei, ut fideles confirmaret, ad revelationem atque ad sapientiam (σύνεσιν) inde exortam provocare non licuit? — Sive cum plerisque Patribus in locis obiectis (2,20; 3,5) prophetas V. T., sive cum modernis interpretibus prophetas N. T. (1 *Cor.* 12,28; 14,1 sqq.) intelligamus, nihil obest, quominus iuxta Apostolos ponantur. Quod autem « sancti » vocantur, id rectissime se habet; « *sanctis* enim Dei viris » id competebat, ut magnum, de quo loquitur Paulus, mysterium cognoscerent, nec ullo modo Apostoli ipsius humilitas postulabat, ut epitheto hoc veros Dei Apostolos et prophetas privaret. — Textus (*Ps.* 67,19) quum vere sit messianicus, optime adhibetur; ad *Eph.* 5,14 autem quod attinet, plerique interpretes *Is.* 61,1 libere citatum esse censent; ceterum nihil videtur impedire, quominus quis cum S. Hieronymo contendat, S. Paulum « προσωποποιίαν Spiritus S. figurasse » vel « quomodo olim prophetae in concione populi loquebantur : *haec dicit Dominus*, ita et Apostolum Spiritu S. plenum repente in verba, quae in se Christus loquebatur, erupisse atque dixisse : haec dicit Dominus » [8]. —

Apostolum de daemoniis aut de Deo erronea tradidisse solus rationalista asserere potest, qui non ex revelatione sive scripta sive tradita, sed secundum praeiudicia sua antichristiana conceptus religiosos et theologicos sibi efformat. — Quid in eo sit reprehendendum, quod Apostolus filiis promissionem in decalogo factam in mentem revocet, aut fideles eodem modo a furto, quomodo a mendacio, ebrietate, fornicatione etc., dehortetur, equidem non video. — Salutatio demum apostolica illa quidem non est, qua plerumque S. Paulus utitur, sed nihil habet, quod Apostolo non sit dignissimum. Festinationi igitur, qua epistolam terminavit, adscribimus, quod lectores non directe alloquatur (εἰρήνη τοῖς ἀδελφοῖς, non ὑμῖν) et inusitatiore salutatione usus sit.

6. *De Wette* l. c. p. 319; *Renan* l. c. p. XIX. « L'épître aux Éphésiens, pour le style, s'écarte sensiblement des épîtres certaines; elle a des expressions favorites, des nuances qui n'appartiennent qu'à elle, des mots étrangers à la langue ordinaire de Paul, et dont quelques-uns se retrouvent dans les épîtres à Timothée, à Tite et aux Hébreux (quas paulinas esse, infra demonstrabimus); la phrase est diffuse, molle, chargée de mots inutiles (?) et de répétitions (?), enchevêtrée d'incidentes parasites (?), pleine de pléonasmes (?) et d'embarras ». In hac sola phrasi renaniana multo plura vocabula inutilia, multo plures repetitiones, pleonasmi etc inveniuntur, quam in tota epistola ad Ephesios. Ceterum omnes epistolae S. Pauli, quae nobis conservatae sunt, ad summum implent 120 paginas in 8° min., scriptae autem sunt quatuordecim annorum spatio (ab a. 53. ad a. 67.) in diversissimis circumstantiis; quis igitur *accuratam* et *certam* styli paulini ideam sibi ex iis efformare potest?

7. *De Wette* l. c. p. 319. N. c.; *Renan* l. c., qui de suo addit : « la théorie du mariage est différente de celle que Paul expose aux Corinthiens (1 *Cor.* 7. et *Eph.* 5,22 sqq.) ». Mirum, quod primus Renan hanc differentiam detexerit et solus eam videat.

8. *S. Hier.* in Eph. 5,14 (M. 26,558).

§ 11. — *De Epistola ad Colossenses.*

166. — I. De ecclesia colossensi. Colossae in Phrygia Mai. ad Lycum fl. haud longe ab Hierapoli et Laodicea sitae tempore apostolico non ignobile quidem, sed satis exiguum oppidum fuit[1]. S. Paulus, quamquam Phrygiam bis peragravit, Colossis nec commoratus est nec Evangelium annuntiavit; Colossenses enim et Laodicenses (quidquid contra disputat Theodoretus) certissime iis adnumerat, « qui non viderant faciem ipsius in carne »[2]. Sed triennio illo, quo Ephesi praedicationem suam tot tantisque miraculis et virtutibus confirmavit, « ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudaei atque gentiles » (*Act.* 19, 10), colossensis quoque ecclesiae fundamenta per discipulos suos videtur iecisse. Quin Philemon, qui Colossis domicilium suum habebat, Apostolo debeat conversionem suam, nemo dubitat[3]; neque a vero aberrabimus, si cum plerisque interpretibus etiam Epaphram Colossensem per Paulum Ephesi ad Evangelium adductum dicamus. Epaphras autem in patriam reversus civium suorum factus est apostolus; per illum enim,

« qui fidelis pro iis sit minister Iesu Christi » Colossensibus sacram doctrinam esse allatam, satis clare insinuat S. Paulus[4].

Plerosque neophytos colossenses ex ethnicis venisse epistola nostra nos docet, quoniam non semel pristinae religionis ethnicae lectorum suorum mentionem facit[5]. Minus certum est, num ecclesia colossensis etiam Iudaeochristianos numeraverit; illud sane mirum est, quod Apostolus, quamvis iudaizantium nonnullorum errores in epistola nostra impugnet, ab afferendis V. T. testimoniis prorsus abstineat. At altera ex parte in omnibus Asiae Min. civitatibus Iudaeos non infrequentes habitasse constat, nec satis apparet, quomodo iudaizantium errores in ecclesiam illam irrepserint, nisi Iudaeos conversos sit complexa. Quare iure merito ecclesiam colossensem eodem modo, quo ecclesias a Paulo immediate fundatas, ita ex Iudaeis et ethnicis conversis coaluisse arbitramur, ut neophyti ethnici praevalerent; V. T. autem testimoniis usus non est Apostolus, quia errores, quos Colossis impugnare debuit, plane diversi ab illis erant, qui eousque erant exorti.

1. *Herodot.* VII. 30 et *Xenoph.* Anab. I. 2 Colossas magnam quidem civitatem appellant, *Strabo* XII. 8 autem inter πολίσματα et *Plinius* Hist. Nat. V. 41 inter *oppida* celeberrima Colossas enumerant.

2. *Act.* 16,6; 18,23; *Coloss.* 2,1. Cfr. *Theodoret.* in Coloss. Argum. (M. 82,592) : « Sunt sane nonnulli, qui divinum Apostolum, quum Colossenses nondum vidisset, ad eos dicant epistolam scripsisse idque confirmare conentur ex illis verbis : *Volo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro Laodicensibus et quotquot non viderunt faciem meam in carne.* Oportuit autem eos considerare verborum sensum; vult enim dicere : *non solum* vestrum, *sed etiam* eorum, qui me non viderunt, multam curam gero ». At illud « non solum... sed etiam » Theodoretus ex suis inserit; cfr. *S. Chrysost.* in Col. Arg. (M. 62,300) *Ambr^ter.* in Col. 2,1 (M. 17,427) etc.

3. Cfr. *Coloss.* 4,9. et *Philem.* 10 sq. 19.

4. *Coloss.* 1,7; 4,12. 13; ex quibus locis iure deducimus Epaphram laodicensem quoque et hierapolitanam ecclesias fundasse. Quamvis Epaphras et Epaphroditus unum idemque sit nomen, Epaphras Colossensis tamen, de quo in nostra epistola sermo est, ab Epaphrodito, quem in ep. ad Philipp. (2,25 sqq.; 4,10 sqq.) commendat Paulus, omnino videtur distinguendus. Neque enim ulla ratio apparet, cur idem socius in ep. ad Philipp. semper Epaphroditus, in ep. ad Col. semper Epaphras appelletur, nec fieri facile potuit, ut idem homo ecclesiae philippensi in Macedonia et ecclesiae colossensi in Phrygia praeesset.

5. *Coloss.* 1,25. 27; 2,13.

167. — II. De epistolae ad Coloss. scribendae occasione et fine. — In Phrygiae aeque atque in vicinae Galatiae nascentes ecclesias pseudapostoli irrepserant, qui Christianos ad Legis mosaicae observantiam adigere conabantur[1], attamen Colossensium seductores ab illis, qui alias ecclesias a Paulo fundatas pervertere studebant, prorsus diversi doctrinas multo perversiores videntur sparsisse. Gnosticismo enim praeludentes falsi hi doctores, qui philosophiae nomine errores suos conde-

corabant, religionem quandam angelorum videntur docuisse, quos non creatos, sed Christo pares habebant[1]; per illos igitur ad verum Deum, qui nec cerni nec attingi nec comprehendi possit, esse accedendum. Ex paucis, quae in nostra epistola adsunt, vestigiis integrum eorum systema non satis cognoscitur; quapropter inutiles sunt plerique modernorum interpretum labores, qui indefesso cum studio illi eruendo et evolvendo insudant. Quam parvum enim fructum studia ista produxerint, ex eo elucet, quod hodie nondum inter se consentiant interpretes, num radices systematis in solo Iudaismo, an in solo ethnicismo, an, id quod omnino est tenendum, in utroque simul sint quaerendae, num eius auctores Iudaei vel Pharisaei, vel Esseni, vel Kabbalistae, vel Alexandrini, an ethnici ex schola vel Epicuri, vel Pythagorae, vel Platonis etc fuerint[3].

Periculum, quod ab eiusmodi pseudapostolis colossensi ecclesiae imminebat, S. Paulum permovit, ut illis literas nostras daret. Per Epaphram enim, quem Colossenses una cum Laodicensibus et Hierapolitanis ecclesiarum suarum fundatorem immediatum venerabantur, illud videtur rescivisse, atque pro sollicitudine, quam omnium ecclesiarum in se assumserat, salutaribus monitis ei occurere non haesitavit. Dum igitur Epaphram apud se retineret[4], Tychicum Colossas eum in finem misit, « ut cognosceret, quae circa eos essent, et consolaretur corda eorum »[5] nostraque epistola viam ei praeparavit, ut suo visitatoris munere bene fungi posset. Quamobrem doctrinas illas erroneas, quae apud eos propagari iam coeptae erant, directe et indirecte impugnat; dogmaticum igitur epistolae argumentum rectissime his verbis comprehendit *Estius* : « non nisi per Christum Dei Filium, per quem omnia condita sunt, nos instaurari ac reconciliari cum Deo et proinde religioni angelorum, qua nimirum Christi mediatoris officium ad angelos transferatur, non esse auscultandum; iudaicas autem aut philosophicas observationes cum Evangelio minime miscendas esse neque eas ad sanctificationem nostram quidquam habere momenti »[6]. Cui parti *dogmatico-polemicae* (1,9-2,23) alteram *paraeneticam* (3,1-4,1) adiicit, in qua vitae christianae officia omnibus inculcat[7].

Quo tempore et quo loco epistola sit scripta, supra iam diximus[8]; pro temporis igitur ratione nostra (una cum illa ad Philem.) epistolae ad Ephes. erat praemittenda; sed quoniam iisdem fere diebus scriptae per eosdem Pauli socios ecclesiis sunt allatae, epistolae vero ad Ephesios authentia semel demonstrata omnes obiectiones, quae contra nostram fieri solent, facillime solvuntur, illum ordinem retinere maluimus, quo in canone sese excipiunt.

1. *Coloss.* 2,11. 14. 16. 20 etc.

2. *Coloss.* 2,18; 1,16 etc. Cfr. *Theodoret.* in Col. 2,18. (M. 82,613) : « Qui Legem defendebant, Colossenses etiam ad angelos colendos inducebant dicentes Legem per

illos esse datam. Mansit autem perdiu hoc vitium in Phrygia et Pisidia. Proinde synodus, quae convenit apud Laodiceam Phrygiae, lege prohibuit, ne adorarentur (προσεύχεσθαι) angeli; sed in hodiernum usque diem oratoria (εὐκτήρια) S. Michaelis apud illos illorumque finitimos videre est » etc.

3. Iudaeos fuisse Colossensium seductores tenuerunt *Eichhorn* (Einl. III. 1. p. 287 sqq.), *Schneckenburger* (Stud. u. Krit. 1832. p. 840 sqq.); ethnicos ex schola Pythagorae *Grotius* (in Col. 2,4. 21 etc), ex schola quadam orientali *Hug* (Einl. II. p. 428 sqq.) etc. Quin autem Christiani fuerint, non est dubitandum, idque hodie vix non omnes concedunt; plerique quoque eos *Iudaeo*christianos fuisse volunt, sed controvertitur, num ex Essenis fuerint (cfr *Lipsius* in Schenk. Bibellex. II. p. 497 sqq.; *Weiss* Einl. Ed. 2. 1889. p. 254 sq.; *Godet.* Introd. I. 1893. p. 512 sq. etc.), an ex Ebionitis (cfr Baur d. Apostel Paulus. Ed. 2. II. p. 4 sqq.; *Pfleiderer* Paulinismus p. 369 sqq. etc.), an ex Kabbalistis (cfr *Osiander* Tüb. Zeitschr. 1834. III.), an ex Alexandrinis (cfr *Schenkel* Bibellex. III. p. 567 sq.; *v. Soden* in Holtzm. Handcomm. III. 1. 1893. p. 11 etc.), an duplex eorum classis sit statuenda (cfr *Reuss* Gesch. d. N. T. Ed. 5. p. 113; aliter Ed. 6. p. 119). Iuxta *Renan* (L'Antechrist, p. 88; cfr *Bleek* Einl. p. 510 sq.) impugnatur « une théosophie mêlée de croyances indigènes, de judaïsme ébionite, de philosophie et de données empruntées à la prédication nouvelle ». Quum tanta sit sententiarum varietas, ut vix duo in errorum origine definienda inter se plane consentiant, clarum est, in epistola sufficientia indicia ad systema dignoscendum non exstare.

4. *Coloss.* 4,12; *Philem.* 23. Ultimo in loco « concaptivum suum » Paulus eum appellat, dum in nostra epistola vinculorum Epaphrae nulla fit mentio; altera ex parte *Coloss.* 4,10 Aristarchus appellatur « concaptivus », cuius vincula *Philem.* 24 non commemorantur. Nullum tamen est dubium, quin epistolae ad Coloss. et ad Philem. per eosdem Tychicum et Onesimum missae circa idem tempus sint scriptae. Quae difficultas ita a plerisque recte solvitur, ut amicos Apostoli, ne solum eum in custodia relinquerent, alternatim socios liberos captivitatis eius fuisse dicant.

5. Omnino tenenda videtur lectio *Vulg.* « ut cognoscat, quae circa *vos* sunt », quam cum bonis codd. graecis uncialibus (C. D. E. K. L.) et plerisque minusculis praeter *Ital.* et *Vulg.*, ex versionibus etiam tuentur *Syr.*, *Copt.* *Goth.* et multi Patres graeci. Altera lectio (ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν), quam *Tischend.*, *Westcott-Hort* etc ob codd. ℵ A. B. F. G. P. et nonnullorum minusculorum auctoritatem receperunt, ex *Eph.* 6. 22 transcripta est.

6. *Est.* in Coloss. Argum.

7. In distinguendis partibus dogmatica et paraenetica omnes consentiunt interpretes. Dogmaticam partem *Card.* *Hugo* in duas sectiones distribuit : « in prima (1,3-29) commendat Apostolus Christum, ut ipsum solum ostendat sufficere ad salutem; in secunda (2,1-23) docet legalia esse abolita »; — *S. Thom.* : « Primo commendat gratiae beneficia specialia et universalia (1,3-14), secundo eorum auctorem (1,15-29), tertio tuetur eos contra doctrinam corrumpentem (2,1-23) demum contra perversos mores (3,1 sqq.); — *Lyranus* : « Primo inducit eos ad firmiter tenendam Evangelii veritatem (1,3-29), secundo ad praecavendam pseudapostolorum falsitatem (2,1-23), tertio ad continuandam vitae sanctitatem (3,1 sqq.). Parum recte *Goldhagen* (l. c. p. 378) prioris partis (1,13-2,23) argumentum describit : « incitationem ad amorem Christi eiusque doctrinam, contra ac volunt pseudapostoli, magis magisque sectandum »; neque rectius *Kilber* (l. c. II. 475 sqq.) dogmaticum argumentum describit : « Indicatur orthodoxia religionis Colossensium (1,4-11), declaratur orthodoxiae huius perfectio (1,12-2,7), commendatur perfectionis istius integritas (2,8-23) ». — *Guillemon* (l. c. II. p. 106) pro argumento dogmaticae partis statuit : « l'orthodoxie de la prédication

d'Epaphras et les erreurs des faux docteurs » : — Iuxta *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 603) Paulus plenitudinem bonorum per Christum allatorum describit in se ipsis (1,13-29) et in eorum oppositione ad falsam scientiam (2,1-23). — *Bisping* (l. c. VI. 2. p. 238 sqq.), *Drach*, *Bacuez* etc. nobiscum fere consentiunt.

8. Cfr *supra* n. 161. p. 499 sq.

168. — III. Analysis ep. ad Colossenses.

I. Exordium (1,1-8) constat

1. *inscriptione* (1,1-3. Paulus et Timotheus);

2. et *gratiarum actione* (1,3-8) Deo oblata ob virtutes fidei, caritatis, spei (1,3-5), quibus excellunt Colossenses, ex quo tempore Evangelium receperunt docente Epaphra (1,5-7), a quo ipse quoque de bono colossensis ecclesiae statu certior factus sit (1,8).

II. Pars prior dogmatico-polemica (1,9-2,23).

1. *Transitu facto* a promissione se non cessaturum ab oratione pro Colossensibus, ut in dies crescant in scientia salutis (1,9-12),

2. *ostendit Apostolus dignitatem Christi, redemtoris nostri* (1,13-23), et quidem

   a.) enumeratis beneficiis, quae per eum adepti sumus, redemtione remissioneque peccatorum (1,13. 14);

   b.) descriptaque eadem dignitate

      α.) relate ad Patrem, cuius Christus sit imago (1,15),

      β.) relate ad creaturas omnes, quae per eum conditae sint et conserventur (1,16. 17)

      γ.) relate ad Ecclesiam, cuius sit caput, tum quia in ipso divinitatis plenitudo inhabitet, tum quia sacrificio crucis omnia Deo reconciliaverit (1,18-20).

   c.) Unde sua sponte fluit exhortatio, ut Colossenses, qui olim a Deo alienati nunc per Christum Deo sint reconciliati, firmi et immobiles in ea fide permaneant, quae eis tradita est quaeque in universo orbe eadem praedicatur (1,21-23).

3. *Cavendum monet iis esse ab haereticis* (1,24-2,23).

   a.) Ut monita melius sint recepturi, praemittit rationem, qua ad scribendum permotus sit. A Deo nimirum deputatus est Gentium Apostolus, ut eas doceat magnas divitias, quas Christus gentibus attulit, easque ad perfectionem adducat (1,24-29); quare pro viribus munus suum implere studens magnam quoque eorum sollicitudinem habet, qui ipsum in carne non viderunt, ut etiam hos ad pleniorem thesaurorum, qui in Evangelio latent, cognitionem perducat (2,1-3).

   b.) Dein monet, ne a pseudapostolis seduci se sinant, sed in ea, quam acceperunt, fide ambulent (2,4-6) Christoque soli, vana philosophia spreta, inhaereant (2,7. 8); nam

      α.) in Christo inhabitat plenitudo divinitatis (2,9),

      β.) in Christo quoque, qui omnium angelorum est caput, omnia bona sua, quibus gaudent, acceperunt (2,10); per eum circumcisi sunt

circumcisione spirituali, quando in baptismate cum eo ad novam vitam resurrexerunt (2,11. 12). Cruenta enim sua morte et peccatorum remissionem illis meruit, et decretum istud, quod illis contrarium erat (veterem sc. Legem) destruxit atque ita plenam de hostibus suis victoriam reportavit (2,13-15).

c.) Ex quibus velut conclusionem practicam deducit :

α.) non curandos esse antiquos Iudaeorum ritus, quippe qui typi tantum fuerint futurorum bonorum (2,16. 17);

β.) nec Christo relicto religionem illam angelorum esse sequendam (2,18. 19),

γ.) nec proinde falsam illam haereticorum ascesin esse exercendam, quae nec utilis sit nec Deo probata (2,20-23).

III. Altera pars paraenetica (3,1-4,6) incipit

1. *ab exhortatione quadam generali* (3,1-17), in qua eos excitat

a.) ut, quum ad novam vitam surrexerint, iam ea, quae sursum sunt, quaerant (3,1-4),

b.) veterem peccati hominem omnino exuant vitiis infidelium abiectis (3,5-9),

c.) novum vero hominem induant, qui est secundum Christi imaginem (3,10. 11), ideoque virtutes christianas sectentur, inter quas speciatim caritatem et bonam intentionem commemorat (3,12-17).

2. *Sequitur exhortatio specialis* (3,18-4,1),

a.) de mutuis coniugum (3,18. 19),

b.) filiorum et parentum (3,20. 21),

c.) servorum et dominorum officiis (3,22-4,1).

3. Ad *generalia monita* reversus concludit paraeneticam partem commendans continuam orationem, quam etiam pro se fieri vult (4,2-4), et prudentiam in agendo et loquendo (4,5. 6.).

IV. In Epilogo (4,7-18)

1. explicat finem missionis Tychici et Onesimi (4,7-9),

2. varias adscribit salutationes (4,10-15),

3. monet, ut hanc epistolam cum Laodicensibus communicent (4,16. 17),

4. et propria manu salutationem et benedictionem apostolicam addit (4,18).

169. — IV. Authentia huius quoque epistolae SS. Patrum testimoniis extra controversiam ponitur. *S. Clemens Rom.* enim, si de « vinculo caritatis Dei » loquitur, procul dubio a S. Paulo didicit « caritatem esse vinculum perfectionis » ; *S. Ignatius M.*, si Ephesios monet, ut « adversus errorem ἑδραῖοι τῇ πίστει » permaneant, ita cum S. Paulo in verbis et in sententia concordat, ut ab eo dependere sit dicendus, atque *S. Polycarpus,* si eum, qui ab avaritia non abstinuerit, ab idololatria coinquinari asserit, etiam a S. Paulo didicit, avaritiam esse idololatriam [1]. *S. Iustinus M.* quoque et *S. Theophilus Antioch.*, qui Dominum N. τὸν πρωτότοκον τῶν πάντων ποιημάτων aut πάσης κτίσεως appellant, denominationem hanc ex nostra epistola transumserunt [2]. Exeuntis

saec. 2. Patres omnes nostram epistolam Paulo disertis verbis attribuisse et pro divina auctoritate adhibuisse nemo negat[3].

Eodem modo, quo orthodoxi, etiam haeretici scriptores inde a 2. saec. initio authentiam epistolae ad Coloss. testantur. *Marcionem* illam in canone habuisse asserit S. Epiphanius et apparet ex Tertulliani contra eum argumentatione[4]; S. Irenaeus auctor est *Valentinum* verba quaedam ex illa ad suum sensum traxisse; Valentini autem discipulum *Theodotum* non paucos illius textus allegasse docet Clemens Alex.[5]; *Docetas* demum et *Peratas* illa pro auctoritate esse abusos habemus ex Philosophumenis[6].

Quibus testimoniis omnia illa addere licet, quibus *supra* (164) epistolae ad Ephesios authentiam vindicavimus; fatentibus enim tantum non omnibus epistola nostra cum illa ad Ephes. quadamtenus cohaeret, nec ullum est dubium, quin eundem habeant auctorem eodemque tempore sint conscriptae[7].

1. *S. Clem. R.* 1 Cor. 49; cfr. *Coloss.* 3.14; *S. Ign. M.* ad Ephes. 10 et *S. Polyc.* ad Philipp. 5; cfr. *Coloss.* 1,23; *S. Polyc.* ad Phil. 11; cfr. *Coloss.* 3,5.

2. *S. Iustin. M.* c. Tryph. 84. 85. (M. 6,673. 676) et *S. Theoph. Ant.* ad Autol. II. 22. (M. 6,1088); cfr. *Coloss.* 1,15.

3. *Fragm. Murat.* 53 (*Intr. gen.* Ed. 2. p. 184); *S. Iren.* c. haer. III. 14. V. 14 etc (M. 7,914. 1162); *Tertull.* de praescr. 7.; de resurr. carn. 23 etc (M. 2,20. 825); *Clem. Alex.* Strom. I. 1; IV. 8 etc (M. 8,705. 1276).

4. *S. Epiph.* haer. 42,9 (M. 41,708); *Tertull.* c. Marc. V. 19 (M. 2,519).

5. *S. Iren.* c. haer. I. 3 (M. 7,473); *Clem. Alex.* Excerpt. Theod. 19. 31. 43 etc (M. 9,668. 673. 680).

6. *Philosoph.* VIII. 10; cfr. *Coloss.* 2,14. 15 (M. 16,3355); V. 12; cfr. *Coloss.* 2,9 (M. 16,3162).

7. Cfr. *Baur* Der Apostel Paulus II. p. 49 : « Daran möchte kaum zu zweifeln sein, dass der Colosserbrief mit dem Epheserbrief zu eng verflochten ist, als dass nicht beide mit ihrem Anspruch auf apostolischen Ursprung mit einander stehen oder fallen sollten ».

Non pauci rationalistae, qui epistolam ad Ephesios reiiciunt, nostram Paulo adscribere non dubitant; at non desunt alii, qui ephesiam retinentes nostram repudient aut utramque inter pseudepigrapha amandent. Priorum antesignanus fuit *Mayerhoff*, qui nostram ex epistola ad Ephesios a falsario quodam excerptam dixit[8]; quae arbitraria sententia vix cuiquam probata refutatione nova non indiget, quandoquidem illa, quae *supra* (165. 1. p. 508 sq.) de utriusque inter se relatione diximus, ad eam refellendam plane sufficiunt. *Baur* vero cum non paucis « criticis » utramque gnosticae aetati, i. e. 2. fere saec., adscribendam censet; in earum autem origine explicanda longissime inter se dissentiunt. Omnia eorum systemata exponere et refutare longum et superfluum est[9]; paucis dumtaxat verbis praecipuas difficultates, quas contra nostrae epistolae originem paulinam *Hilgenfeld* post alios affert, examinabimus[10].

1.) Iam illud suspicionem movere ait, quod Apostolus, quamvis Phrygiam bis peragraverit, Colossensibus et Laodicensibus incognitus fuisse supponatur (1,4. 8. 9; 2,1), multo magis autem, quod non satis appareat, quam ob causam Paulus hanc epistolam exaraverit. — Priorem difficultatem non movisset, si tabulam geographicam Asiae Min. inspexisset. In secundo itinere Apostolus Lystris profectus per Lycaoniam in orientalem partem Phrygiae intravit et Galatiam proprie dictam ingressus iter per Mysiam versus Troadem continuavit (*Act.* 16,1-8); in tertio autem itinere ex Lycaonia directe Galatiam proprie dictam ingressus per Phrygiam septentrionalem Ephesum tetendit (*Act.* 18,23; 19,1); in utroque igitur itinere nec Colossas nec Laodiceam pervenire potuit. Causam autem scriptae epistolae non inveniri si ea, quam B. Apostolus ipse indicat (2,1 sqq.), reiicitur, evidens est.

2.) Mirum quoque censet, quod Aristarchus, quem ex *Act.* (19,20; 20,4; 27,2) Ethnicochristianum fuisse credidimus, in nostra epistola (4,10. 11) Iudaeochristianis accenseatur, quod *Col.* 3,11 Graecus ante Iudaeum nominetur, dum Paulus semper ordinem inversum teneat (Iudaeus et Graecus); si autem in fine additur : « Salutatio mea manu Pauli », falsarius eodem modo, quo in 2 *Thess.* 3,17 fraudem suam tegere voluit. Nonne magis mirum est, quod Hilgenfeld epistolam nostram reiicere, quam erroneam suam Actuum explicationem corrigere voluerit? In Actibus enim Aristarchus ex Macedonia quidem et ex Thessalonica oriundus dicitur, sed thessalonicensem ecclesiam ex Iudaeis et ethnicis conversis coaluisse luculentissime constat (*supra* 119. p. 398). Graecum autem in *nostra* epistola Iudaeo forte praemisit, quia colossenses neophyti longe plerique ex ethnicis venerant. Demum *Col.* 4,18 ad literam etiam consentit cum 1 *Cor.* 16,21; num ibi quoque falsarius fraudem suam tegere voluit?

3.) Falsarius, quamvis ad temporis circumstantias in ep. ad Philem. (quam genuinam esse concedit Hilgenfeld) satis attenderit, sociis tamen Pauli Iesum Iustum quendam addit (4,11), atque fiduciam proximae liberationis in ep. ad Philemonem (22) expressam omisit; contradicitque vero Paulo (2 *Cor.* 10,16; *Rom.* 15, 20,21), si Evangelium iam in toto orbe annuntiari asserit (1,6. 23). At cur, quaeso, falsarius, qui secundum Hilgenfeld, ut fraudem suam tegeret, subscriptionem Pauli falsavit, eidem novum socium, cuius nulla mentio in aliis epistolis habetur, affinxit? Forte, ut fraus eius detegeretur? Et cur proximam suam liberationem Colossensibus annuntiare debuit Paulus, postquam per Tychicum eos omnia, quae circa ipsum essent, audituros esse scripsit? Hyperbole autem in *Col.* 1,6. 23. non est maior, quam *Rom.* 1,8, quo in loco nemo unquam contradictionem contra 2 *Cor.* 10,16; *Rom.* 15,20. 21 invenit.

4.) Perversae interpretationi innititur obiectio, quae ex *Col.* 1,24 desumitur, ac si auctor epistolae Christi passionem ad redimendos omnes omnino homines, sive Iudaeos sive ethnicos, non suffecisse esset arbitratus; perversae autem doctrinae altera ex *Col.* 1,18. 24 desumta innititur, quia supponit vero Paulo Ecclesiam non fuisse unam, quae omnes fideles comprehendat; historicis demum praeiudiciis tertia innititur, quae quia gnostica quaedam principia in epistola impugnantur eam saeculo 2. adscribere vult;

a priori enim nostris « criticis » persuasum est, ante saec. 2. gnosticismum non esse exortum, ideoque omnia, in quibus aliquid gnostici detegunt, « gnosticae aetati », i. e. saeculo 2, attribuunt. Nos e contrario ex epistolis paulinis aliisque N. T. libris, quorum authentiam historicis documentis demonstramus, semina illorum systematum, quae saec. 2. a Basilide, Valentino aliisque exculta sunt, tempore apostolico iam pullulare coepisse concludimus: quemadmodum enim omnium rerum gestarum, institutionum, doctrinarum, ita etiam haereseon historiam non a priori fingendam, sed ex historicis documentis eruendam esse arbitramur.

8. *Mayerhoff* Der Brief an die Kolosser mit vornehml. Berücksichtigung der Pastoralbriefe. Berlin 1838.

9. *Baur* Der Apostel Paulus Ed. 2. II. p. 3 sqq.; *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter II. p. 326 sqq. etc. — *Ewald* (Die Sendschr. des Apost. Paul. p. 467 sqq.) priorem epistolae partem a Timotheo scriptam, alteram a Paulo additam esse vult; *Hitzig* (Zur Kritik paulin. Briefe. 1870. p. 22 sqq.) genuinam quandam Pauli epistolam ad Col. tempore Traiani a falsario, qui epistolam ad Eph. confinxit, retractatam et interpolatam esse definit. Eandem sententiam paullo aliter *Holtzmann* excoluit (Kritik der Epheser-u. Kolosserber. 1872. Einl. ins N. T. Ed. 2. 1886. p. 295 sqq.), quem *Mangold* (in Bleek Einl. 1875. p. 536) veram viam ad originem epistolarum Eph. et Col. explicandam invenisse censet. Ceterum recentissimi « critici » (*v. Soden* in Holtzm. Handcomm. III. 1. 1893. p. 12 sqq. et *Jülicher* Einl. 1894. p. 89 sqq.) authentiam admittunt.

10. *Hilgenfeld* Einl. p. 663-668. — *Renan* St Paul. Introd. p. VII. sqq. non affert nisi obiectiones baurianas, quas recentissimi eius discipuli afferre non amplius audent; at ipse quoque omnibus obiectionibus expositis, sed non refutatis concludit: « Rien de tout cela n'est décisif », et epistolam vocat « épître d'une authenticité probable, quoiqu'on y ait fait de graves objections ».

§ 12. — *De epistola ad Philemonem.*

170. — I. Unica epistola, quam a S. Paulo homini privato scriptam in canone habemus, illa est, quae Philemoni inscribitur. Cuius exarandae occasio haec fuit. Philemon, nobilis civis colossensis, Ephesi, ut videtur, a B. Apostolo Evangelium edoctus et ad fidem conversus una cum Epaphra inter suos cives doctrinam christianam propagaverat interque ecclesiae colossensis presbyteros adscriptus est[1]. Unus ex eius servis ethnicis, Onesimus, ne delicti commissi poenas solveret, Colossis aufugiens a divina providentia Romam ad S. Paulum, qui tum temporis in vinculis tenebatur, adductus ab eoque ad meliorem frugem revocatus et baptismo in Ecclesiam receptus, imo inter Apostoli socios admissus est. Utile quidem magistro neophytus praestabat ministerium, at invito domino servum fugitivum secum retinere noluit S. Paulus[2]. Quamobrem quum ecclesias de suis rebus certiores redditurus Tychicum in Asiam et Phrygiam mitteret, ei Onesimum socium dedit; quemadmodum autem domini, ita servi quoque curam non neglexit, sed

nostra epistola ei delicti commissi veniam a domino impetrare studuit. Velut perfectum styli epistolaris exemplar haud immerito omnium semper admirationem excitavit[3], et quamvis privatum habeat characterem, plena tamen est utilium doctrinarum.

1. *Philem.* 19. 1. Συνεργὸς Philemon ab Apostolo appellatur, atque v. 2. etiam « ecclesia, quae in eius domo erat » commemoratur, unde iure eum presbyterum fuisse coniicimus. Si Constitutionibus Apost. (VII. 46. M. 1,1053) fides esset habenda, Colossensium episcopus dicendus esset; *Ambter* (Argum. M. 17,503) tamen negat eum ulla « ecclesiasticae ordinationis dignitate praeditum » fuisse; *S. Chrys.*, *S. Hier.*, *Theodor.* terminum non explicant. Appia, quam in inscriptione « sororem carissimam » Paulus appellat, Philemonis uxor fuisse creditur; Archippus commilito Pauli a S. Hieronymo multisque modernis episcopus colossensis habetur (cfr. *Col.* 4,17), ab aliis immerito episcopus laodicensis.

2. *Philem.* 11. 18. 10. 13 etc.

3. Ipse *Renan* (L'Antechrist p. 96) nostram epistolam vocat « un vrai petit chef-d'œuvre de l'art épistolaire ». Diu antea iam monuerat *Erasmus* (in Philem. 20) : « Quid festivius dici poterat vel ab ipso Tullio, in huiusmodi argumento? Nisi quod quidam nomine dumtaxat Christiani, animo infestissimi Christo, nihil eruditum putant, nihil elegans, nisi quod idem sit ethnicum ».

171. — II. Quo tempore et quo loco scripta sit epistola, *supra* (**161**) iam diximus; tam brevis autem est, ut eius analysis accurata tradi non possit, nisi simul integra explicetur; ideo per summa dumtaxat capita eam indicabimus.

1. Exordium (1-7) pro more continet *inscriptionem* (1-3. Paulus et Timotheus Philemoni eiusque uxori Appiae et Archippo et ecclesiae domesticae), et *gratiarum actionem* (4-7) ob Philemonis perseverantiam in fide eiusque amorem in fideles. Ab hac gratiarum actione, quae insignis simul est captatio benevolentiae,

2. Argumentum ipsum aggressus maxima cum prudentia et caritate Philemonem precatur, ut servum suum in gratiam recipiat, quam plurimis motivis insinuatis potius quam tractatis (8-17), atque promittit se ipsum damnum ab Onesimo illatum compensaturum (18-21).

3. In epilogo sibi hospitium parari iubet et salutationes cum benedictione apostolica addit (22-25).

III. Authentia huius epistolae, quamvis tot testimoniis, quot reliquae, non fulciatur, imo iam tempore patristico aliquos adversarios invenerit, in dubitatione tamen non versatur. Quoniam enim brevissima est nec ullum dogma evolvit, mirum non est, quod non nisi raro a Patribus sit allegata. Post medium autem saec. 2. *Muratorianum fragmentum* eam in canone ecclesiae romanae recenset, in omnibus *antiquis versionibus* semper adfuit, *Eusebius* eam inter τὰ ὁμολογούμενα enumerat, atque *Marcion* quoque haereticus eam integram in canone

suo habuit; etenim « soli huic epistolae, inquit *Tertullianus*, brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet »[1]. Rectissime autem monet *S. Hieronymus* « nunquam in toto orbe a cunctis ecclesiis eam fuisse receptam, nisi Pauli Apostoli esset credita »[2].

Re vera antiqui illi adversarii, qui Patrum tempore epistolam nostram e canone reiicere voluerunt, non ob historicorum testimoniorum defectum, sed ob internas rationes eam impugnarunt. « Superfluum, esse, inquit *S. Chrysostomus*, nonnulli dicunt epistolam hanc canoni addere, siquidem pro re parva petat, pro uno viro »[3]; atque *S. Hieronymus* (l. c.) : « Qui nolunt inter Pauli epistolas eam recipere, quae ad Philemonem scribitur, aiunt non semper Apostolum nec omnia, Christo in se loquente, dixisse, quia nec humana imbecillitas unum tenorem S. Spiritus ferre potuisset, nec huius corpusculi necessitates sub praesentia Domini semper complerentur » etc. Inspirationem igitur potius, quam authentiam eius negarunt, at hanc quoque SS. Chrysostomus et Hieronymus optimis argumentis vindicarunt. « Mihi, inquit *S. Hieronymus* (l. c.), videntur ii, qui epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere non intelligentes, quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiae lateat »; et *S. Chrysostomus* (l. c.) nonnullis doctrinis, quae in nostra epistola continentur, enumeratis interrogat : « Quum ergo tot sint huius epistolae commoda, quamquam nondum omnia diximus, num quis superfluum putabit eam in numerum sacrorum librorum esse relatam »?

Brevitas, quae epistolam nostram a falsariis Marcionis manibus servavit, illam a sacrilegis huius aetatis manibus pseudocriticorum defendere non potuit. Longe plerique quidem eius authentiam agnoverunt[4]; at *Baur* illam quoque reiiciendam putavit, quia secus etiam epistolam ad *Coloss.*, quacum intime cohaeret, agnoscere debuisset; hinc eam poematis alicuius christiani primam delineationem, vel ut eius vocabulum retineamus, « embryonem » esse dixit, in quo auctor ostendere sibi proposuerat, hominem ea, quae hac in terra ad tempus amittit, religione christiana in totam aeternitatem lucrari (cfr. v. 15 : « forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes »)[5]. Quae sententia non minus arbitraria quam absurda, ab omnibus fere explosa, nulla prorsus argumenti specie roborata, refutatione nec digna nec capax est.

1. *Fragm. Murat.* 59 (*Introd. gen.* Ed. 2. p. 184); *Euseb.* H. E. III. 3 (M. 20,217); *Tertull.* c. Marc. V. 21 (M. 2,524); *S. Epiphan.* Haer. 42,9 (M. 41,708) etc.

2. *S. Hieron.* in Philem. Prol. (M. 26,601),

3. *S. Chrysost.* in Philem. Argum. (M. 62,702).

4. Cfr. *Renan* St Paul. Introd. p. XI. « Peu de pages ont un accent de sincérité aussi prononcé; Paul seul, autant qu'il semble, a pu écrire ce petit chef-d'œuvre ».

Bleek-Mangold Einl. p. 518 : « Am wenigsten Eingang fanden die Bedenken gegen die Echtheit des Briefes, der auch seinem ganzen Inhalt u. Geist nach das Gepräge der Echtheit im allerhöchsten Grad an sich trägt ». Eodem modo loquuntur *Schenkel* (Bibellex. IV, p. 532), *Reuss* (Gesch. d. N. T. I. p. 116), *De Wette* (Einl. p. 305) *Hilgenfeld* (Einl. p. 330) aliique « critici ».

5. *Baur* Der Apostel Paulus II. p. 88-94. — *Bleek* (l. c.) putat Baurum epistolam pulchriorem et profundiorem habuisse, quam quae Paulo attribui possit (!); rectius *Reuss* l. c. « Dass die Kritik sich hat beikommen lassen, die Echtheit dieser harmlosen Zeilen in Frage zu stellen, zeigt eben nur, dass sie selbst nicht die echte war ». Quamquam *Bleek* (l. c.) neminem amplius cum Baur consensurum esse speravit, praeter *Holtzmann* tamen (in Hilgenf. Zeitschr. 1873. p. 329, sed cfr *eiusdem* Einl. Ed. 2. 1886. p. 275) *Steck* aliique eius opinionem adoptarunt. Nihil quippe tam absurdum, quod « criticis » nonnullis non probetur.

§ 13. — *De epistola ad Hebraeos.*

172. — 1. De epistolae ad Hebr. auctore. Epistola, quae in canone nostro inter paulinas titulo ad Hebraeos insignita ultimum locum occupat, inscriptione carens nec auctorem suum nominat nec primos suos lectores; quocirca, priusquam de eius occasione, fine, argumento tractabimus, in eius auctorem et primos lectores inquiramus oportet.

A primis Ecclesiae saeculis, cuinam auctori esset adscribenda, controvertebatur; quamvis enim multae ecclesiae eam sine ulla haesitatione inter paulinas recepissent, aliae tamen non nisi satis tarde in canonem et tardius inter genuina Pauli opera eam admiserunt. Dubitandi autem rationes praecipuae erant : a.) quod S. Apostolus genuinis epistolis nomen suum praefigere atque etiam interdum in mediis aut ultimis sese aut nominare aut prodere consueverit, huius autem epistolae auctor sine ulla inscriptione aut praefatione statim thema suum aggrediatur; b.) quod auctor illis in locis, in quibus de se ipse loquitur, se ex numero eorum, qui immediate a Domino Evangelium acceperunt, excludere (2,3), imo se Apostolis iuniorem designare (13,7) videatur; c.) quod alius demum sit stylus aliaque dictio in genuinis Pauli scriptis atque in nostra epistola. Quibus rationibus permoti alii quidem eam S. Paulo prorsus adiudicandam interque apostolicos viros alium auctorem (Barnabam, Clementem Rom., Lucam, Apollo etc) quaerendum censuerunt, alii autem inter auctorem, qui argumentum, ideas, idearum nexum et evolutionem suppeditavit, et inter scriptorem, qui ideis ab auctore suppeditatis externam formam tribuit, distinguentes Paulum *auctorem*, unum vero ex apostolicis viris *scriptorem* epistolae dixerunt. Quoniam tota haec de epistolae auctore quaestio est historica, antiquorum sententias praeprimis rogemus oportet, si ad certitudinem pervenire velimus; interna autem argumenta, quae a modernis tantopere urgentur, secundum dumtaxat locum occupent necesse est.

173. — 1. Testimonia ecclesiarum orientalium *paulinam epistolae originem unanimi consensu tuentur.* In illis colligendis ab alexandrina incipiamus, quae inde a medio saec. 2. sibi semper consentiens Paulum epistolae *auctorem* dixit, licet de *scriptore* eius dubitaverit. Etenim teste Eusebio *Clemens Alex.* in suis Ὑποτυπώσεων libris « epistolam ad Hebraeos Pauli quidem esse affirmavit, sed utpote ad Hebraeos hebraico sermone primum scriptam fuisse; Lucam vero eandem graeco sermone diligenter interpretatum graecis hominibus dedisse; quare in illa et in Actibus Apostolorum eundem dictionis colorem reperiri. Quod autem Pauli nomen prae se non ferat, id facile explicari; quia enim Hebraeis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem haberent, prudenti consilio usum illos statim ab initio apposita nominis sui inscriptione absterrere noluisse ». Quam sententiam Clemens magistri sui *S. Pantaeni* testimonio confirmavit [1]. A duobus praedecessoribus suis non abludit *Origenes;* namque magnam dictionis differentiam inter reliquas paulinas epistolas et inter nostram reperiri professus in hunc modum pergit : « Ego quidem ita censeo : sententias esse Apostoli ipsius, dictionem vero et compositionem verborum esse alterius cuiusdam, qui dicta Apostoli commemorare illaque, quae a magistro audierat, quasi in commentarios redigere voluerit. Proinde si quae ecclesia hanc epistolam pro paulina habet, eo nomine laudetur; *neque enim temere maiores eam Pauli esse tradiderunt* (οὐ γὰρ εἰκῇ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς Παύλου αὐτὴν παραδεδώκασιν). Quis autem illam scripserit (τίς δὲ ὁ γράψας τὴν ἐπιστολήν), Deus scit; historica documenta, quae ad nos pervenerunt, partim Clementi romanae urbis episcopo eam adscribunt, partim Lucae, Evangelii et Actuum auctori » [2].

Ceterum innumeris fere vicibus Clemens et Origenes epistolam ad Hebraeos velut genuinum Pauli opus allegant, atque reliqui alexandrinae ecclesiae scriptores, *S. Dionysius M.*, Origenis discipulus, *S. Petrus, S. Alexander, S. Athanasius M., Didymus, S. Cyrillus Alex.* aliique sine ulla dubitationis cuiuscunque expressione epistolam sub Pauli nomine adhibuerunt [3]. *Euthalius,* eiusdem ecclesiae diaconus, antiqua dubia affert quidem, sed simul ea refutat : « Porro epistola ad Hebraeos, inquit, non esse quidem Pauli videtur, tum propter dictionis differentiam, tum propter nominis in inscriptione omissionem, tum etiam propter verba illa : Quomodo nos effugiemus etc (2,3). Attamen manifesta est causa, cur alia sit dictio; nam ad Hebraeos patrio sermone primitus scripta in alium deinceps sermonem a Luca, ut quidam putant, vel id quod plerisque placet, a Clemente, ad cuius stylum proxime accedit, translata esse dicitur. Praeterea minime decebat, ut nomen suum epistolae praefigeret, quandoquidem Gentium Apostolus Paulus erat, non vero Iudaeorum » etc [4]. Quia vero alexandrina eccle-

sia de paulina epistolae origine non dubitabat, eam ceteris epistolis, quae ecclesiis scriptae sunt, additam decimo loco inter paulinas in canone enumerabat[5].

1. *Clem. Alex.* Hypotypos. fragm. (M. 9,748 ex Euseb. H. E. VI. 14. M. 20,549 et 552).

2. *Orig.* Homil. in ep. ad Hebr. fragm. (M. 14,1309. ex Euseb. H. E. VI. 25. M. 20,584).

3. *S. Dionys. M.* ep. ad Fab. 2. (M. 10,1297); *S. Petri Alex.* ep. can. 9. (M. 18,485); *S. Alexandr.* de Ariana haer. ep. 1. 2. (M. 18,557. 565. 575 etc); *S. Athan.* Serm. c. Arian. II. 1. 6. 7. etc (M. 25,148. 153. 157. 160); *S. Cyr. Alex.* Thes. de Trin. Ass. 4. 7. etc (M. 75,37. 40. 84); *Didym.* de Trin. I. 15 etc (M. 39,317. 320 sqq.) etc.

4. *Euthal. diac.* Ep. Paul. Arg. (M. 85,776).

5. *S. Athan.* Ep. fest. 39 (M. 26,1437); *Ps. Athan.* Synops. 68 (28,424); *Euthal. diac.* l. c.; codd. B. ℵ. A. C. etc.; vers. copt. etc.

Palaestinensis quoque ecclesia paulinam esse nostram epistolam credidit. *S. Cyrillus Ier.* enim non tantum saepe illam allegat, sed disertis verbis eam S. Paulo attribuit et quatuordecim esse Pauli epistolas asserens eam reliquis aequiparat[6]; *S. Epiphanius*, qui frequentissime illam adhibuit, codicem nullum Scripturarum cognovit, qui illam aut decimo aut decimo quarto loco inter paulinas non habuerit[7]. Maximi momenti est *Eusebii Caes.*, diligentissimi in antiquorum sententias investigatoris, testimonium : « Pauli, inquit, quatuordecim epistolae notae sunt omnibus et perspicuae; non ignorandum tamen est, epistolam ad Hebraeos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod eam ab ecclesia romana pro certo et genuino Pauli opere non haberi dicerent »; at quamquam Occidentalium dubia diligenter collegit Orientaliumque varias difficultatum solutiones attulit, ipse de eius authentia haudquaquam dubitavit, sed eo in loco, quo N. T. libros in varias classes distribuit, omnes Pauli epistolas inter τὰ ὁμολογούμενα inserit[8].

Neque minus de Paulo epistolae ad Hebr. auctore persuasum erat ecclesiae cappadocae magnis doctoribus; *S. Gregorius Naz.* quatuordecim esse Pauli epistolas in suo carmine de veris Scripturis asserit, eiusque amicus *Amphilochius* nostram ultimo loco enumerans addit : « Nonnulli epistolam ad Hebraeos spuriam dicunt, non recte loquentes; genuina enim est gratia »[9]. Quibuscum consentiunt *S. Basilius M.* et *S. Gregorius Nyss.*, qui dubio nullo expresso frequentissime eam sub Pauli nomine pro auctoritate allegant[10].

In ecclesia antiochena iam a. 264 *Patres Concilii Antioch.* contra Paulum Samosat. testimoniis epistolae nostrae velut paulinis usi sunt[11]; praecipui deinde eiusdem ecclesiae et scholae interpretes eadem in sententia fuerunt. *S. Chrysostomus* in homiliis suis de hac epistola habitis ne minimam quidem de eius origine dubitationem exprimit; *Theodorus*

Mopsuest. autem et *Theodoretus* in suis commentariis disertis verbis Paulum eius auctorem esse defendunt[12].

Ecclesiae SYRIACAE ORIENTALIS sententiam nobis produnt versio *Peschito*, quae eam quarto decimo loco inter paulinas habet, *S. Iacobus Nisib.* et *S. Ephraem*, qui eam sub Pauli nomine allegant. *Iunioris* autem *scholae nisibensis* sententiam de Paulo epistolae auctore nobis conservavit Iunilius[13].

Quibus omnibus testimoniis in unum collectis *S. Hieronymum* iure asseruisse apparet « hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi »[14]; haud pauci ex illis difficultates, quibus paulina epistolae origo premitur, optime cognoverunt, sed eas aut spernendas duxerunt aut diserte refutarunt, imo iuniores Patres a solis Arianis, quorum placitis quam maxime opposita erat, eius canonicitatem et apostolicam originem negari asseruere[15].

6. *S. Cyrill. Ieros.* Cat. 10,18; 15,28; 17,20 etc. (M. 33,684. 912. 992).

7. *S. Epiphan.* haer. 42,12 (M. 41,812).

8. *Euseb.* H. E. III. 3. 25 (M. 20,217. 268); eodem modo, quo reliquas paulinas, sub nomine Pauli vel Apostoli epistolam allegavit, cfr. inter plurimos alios textus Demonstr. Evang. IV. 15. 16. 17 etc. in Ps. 2,6. 7; 14,1 etc. (M. 22,300 sq. 317. 324; 23,85. 88. 152).

9. *S. Gregor. Naz.* Carm. de ver. Script. 35; *S. Amphiloch.* ad Seleuc. 308 sqq. (M. 37, 474. 1597).

10. *S. Basil. M.* adv. Eunom. I. 14. 18. 20 etc. (M. 29,345. 553); *S. Gregor. Nyss.* adv. Eunom. I. (M. 45,364. 369. etc.).

11. *Mansi* Coll. Concil. I. p. 1038.

12. *Theodoret.* in Hebr. Argum. (M. 82,673); *Theodor. Mopsuest.* in Hebr. (M. 66,952).

13. *S. Iacob. Nisib.* Serm. de dilect. 6. 13. etc. (Galland. Bibl. Patr. V. p. XIII. XVI); *S. Ephr.* in Gen. 21; de compunct. etc. (Opp. Syr. I. p. 159 sq.; Opp. Graec. I. p. 30. 38. etc. II. p. 203 etc.); *Iunil.* de partt. div. leg. I. 6. (M. 68,19).

14. *S. Hieron.* ad Dard. ep. 129,3 (M. 22,1103).

15. *S. Epiph.* haer. 69,37 (M. 42,260); *Theodoret.* in Hebr. Arg. (M. 82,673) « Nihil faciunt admirandum illi, qui morbo arianico laborant, si adversus literas apostolicas insaniant et epistolam ad Hebr. a reliquis separent et spuriam dicant. Qui enim adversus Deum et Salvatorem nostrum linguas movent, quid non audeant adversus eius benevolos et grandiloquos veritatis praecones »? etc.

174. — 2. Non idem, qui orientalium, OCCIDENTALIUM ECCLESIARUM est consensus. Etenim primus, quem habemus, ECCLESIAE ROMANAE catalogus librorum N. T. in *fragm. Murator.* epistolam ad Hebr. silentio praetermittit atque septem dumtaxat ecclesias enumerat, quibus S. Paulus scripserit; duo quoque ex antiquioribus romanae ecclesiae scriptoribus, *S. Hippolytus* et *Caius presb.*, Photio et Eusebio testibus eam paulinis non adnumeraverunt[1]. In ecclesia GALLICANA *S. Irenaeus*, qui omnes paulinas, excepta parvula illa ad Philem., frequentissime in suis

adversus haereses libris addito Pauli nomine allegat, ad nostram epistolam bis tantum alludit idque satis obscure, quamvis dubium non sit, quin plura argumenta ex illa desumere potuerit. Eusebius autem asserit magnum doctorem lugdunensem in libello hodie deperdito τῶν διαλέξεων διαφόρων « epistolae ad Hebr. et Sapientiae Salomonis mentionem fecisse et nonnullas ex eis sententias adduxisse »; quare iure dubitatur, an Gobari tritheitae assertum « Irenaeum epistolam hanc Paulo abiudicasse » fide sit dignum[2]. Ecclesiae AFRICANAE quoque scriptores antiquiores nec paulinam originem nec canonicitatem eius agnoverunt. *Tertullianus* non omnem quidem ei denegat auctoritatem, siquidem Barnabae auctori eam attribuit, « qui ab Apostolis didicit et cum Apostolis docuit »; canonicam vero epistolam non credidit, nam Marcioni eius omissionem crimini non vertit. *S. Cyprianus* autem illam prorsus videtur ignorasse, quoniam ad septem dumtaxat ecclesias Paulum literas dedisse asserit[3], nec unquam nostram allegavit.

1. *Fragm. Murat.* 47 sqq. (*Intr. gen.* Ed. 2. p. 170) : « B. Apostolus Paulus sequens praedecessoris sui Ioannis ordinem nonnisi nominatim septem ecclesiis scribit ». De S. Hippol. cfr. *Phot.* Biblioth. codd. 121. 232 (M. 103,404. 1104); de Caio presb. *Euseb.* H. E. VI. 20 (M. 20,573) et *S. Hier.* de vir. ill. 59. (M. 23,706).

2. *S. Iren.* c. haer. II. 30 et IV. 11 (M. 7,822. 1003), si Patrem omnia « verbo virtutis suae » condidisse docet et de Vetere Lege tamquam de figura et *umbra* futurorum loquitur, ad *Hebr.* 1,3; 10,1 etc videtur respexisse. Cfr. *Euseb.* H. E. V. 26 (M. 20,509) et Gobari testimonium in *Phot.* Biblioth. Cod. 232. (M. 103,1104).

3. *Tertull.* de pudic. 20 (M. 2,1021); *S. Cyprian.* de exhort. Mart. 11; Testim. c. Iud. I. 20 (M. 4,668. 689).

Inde a SAEC. 4. tamen etiam in toto fere Occidente paulina eius origo agnoscebatur. *Ambrosiaster* quidem (Hilarius, diaconus romanus) et *Pelagius* in suis commentariis illam omiserunt, neque certum est an Marius *Victorinus* Afer illam commentatus sit[4]; at *S. Hilarius Pict., Lucifer Calarit., Faustinus presb., S. Ambrosius* aliique expresso Pauli nomine illam allegarunt[5]. *S. Philastrius*, qui sibi tamen non constat, haereticis adnumerat eos, « qui epistolam Pauli ad Hebraeos non asserunt esse ipsius, sed dicunt aut Barnabae esse Apostoli aut Clementis de urbe Roma episcopi », difficultatesque solvit, ob quas in occidentalibus ecclesiis eousque eius lectio videtur esse omissa[6]. Exeunte demum saec. 4. *Rufinus* in suo catalogo sine ullius dubitationis expressione « quatuordecim Pauli epistolas » recenset; sin vero dubitatio quaedam in nonnullorum animis remanserat, illa S. Hieronymi et S. Augustini studio et auctoritate plenissime est remota. *S. Hieronymus*, quamvis « Latinorum consuetudinem epistolam non recipere », eam « apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non haberi », « multos Latinorum de ea dubitare » assereret, frequenter tamen eam velut paulinam allegavit

et « veterum scriptorum auctoritatem sequens eam suscepit »[7]. *S. Augustinus* eam « a *pluribus* Paulo adscribi, a *quibusdam* negari », « nonnullis incertam esse » fatetur, at ipse quoque « auctoritate ecclesiarum orientalium, quae hanc quoque in canonicis habent », permotus et « illustrium catholicae regulae defensorum, qui eius testimoniis usi sint », exemplum secutus eam recipiendam monuit ex eaque eodem prorsus modo, quo ex aliis paulinis, argumenta sua depromsit[8]. Augustini autem sententia quaenam fuerit, ex conciliis africanis, quibus interfuit, optime perspicimus : *Conc. Carthag. III.* an. 393. in canone librorum sacrorum « Pauli epistolas tredecim; eiusdem epistolam ad Hebraeos » enumerat, qua in enumeratione antiquae dubitationis vestigium remanet; at viginti sex annis postea *Conc. Carthag. VI.* an. 419. eo in loco habet « *Pauli epistolas quatuordecim* »[9]. Eadem deinde ratione a *S. Innocentio I.* in epistola ad Exsuperium Tolos. enumerantur « Pauli epistolae quatuordecim », et a *S. Gelasio* « epistolae Pauli Apostoli numero quatuordecim..... ad Hebraeos epistola una »[10].

4. De his commentariis cfr. *infra* 196.

5. *S. Hilar. Pict.* in Ps. 129,7; de Trinit. IV. 11 (M. 9,722; 10,104); *Lucif. Cal.* de non conven. cum haer. (M. 13,782); *Faustin. presb.* de trinit. 2. (M. 13,61); *S. Ambros* de fuga saec. 16; de Joseph 49.; de benedict. Patriarch. 16 etc. (M. 14,577. 662. 678).

6. *S. Philastr.* haer. 89 (M. 12,1200); cfr. haer. 88., in qua *tredecim* dumtaxat Pauli epistolas in canone ponit. Inter difficultates recenset, quia factum Christum dicit et de poenitentia non recte doceat. « Quum ergo factum dicit Christum (*Hebr.* 3,2), corpore non divinitate dicit factum... Poenitudinem quoque non excludit docendo (*Hebr.* 6,4; 10,26), sed diversum gradum dignitatis ostendit inter hunc, qui integrum se custodivit, et illum, qui peccavit » etc.

7. *Rufin.* Symbol. apost. 37 (M. 21,374). — *S. Hieron.* ad Dard. ep. 129,3, de vir. illustr. 59; in Ierem. 28,11 (M. 22,1103; 23,669; 25,272). Cfr. etiam in Is. 6,2 (M. 24,96) « Latina consuetudo non recipit »; in Is. 8,18 (M. 24,124); in Matth. 26,9 (M. 26,199) « multi Latinorum dubitant ».

8. *S. August.* de Civ. Dei XVI. 22; de peccat. merit. et remiss. I. 50; cfr. 43 sqq. Enchir. 8. (M. 40,235; 41,500; 44,137).

9. *Conc. Carth. III.* can. 47; *Carth. VI.* can. 29 (Mansi III. 891; IV. 430).

10. *S. Innoc. I.* ad Exsup. (M. 20,502); *Gelas.* de recip. et non recip. libr. (M. 49,158 sq.). Cfr. quae de Gelasii decreto, quod forte iam S. Damaso attribuendum est, diximus in *Introd. gen.* Ed. 2. n. 40. *n.* 15 p. 95 sq.

3. Ab exeunte igitur saec. 4. inter ecclesias orientales occidentalesque plenus de epistolae nostrae paulina origine adfuit consensus. Revera iuniores scriptores ecclesiastici latini, ut *S. Isidorus, Alcuinus, Rhabanus Maur., Walafridus Strabo, Hugo Victorin.* et scholastici omnes, qui Glossa ordinaria usi sunt, *Hugo Card., S. Thomas Aq., Nic. Lyranus*[11] aliique bene multi difficultates, quas in Patrum operibus commemoratas viderunt, afferunt quidem, sed eodem, quo illi, modo solvunt. At saec. 16. antiqua controversia ad novam vitam resuscitata

est a Caietano et Erasmo. *Caietanus* paucis textibus, in quibus Hieronymus antiquae ecclesiae occidentalis dubia exposuerat, collectis statim concludit : « dubio apud Hieronymum auctore huius epistolae exsistente dubia quoque redditur epistola, quoniam nisi sit Pauli, non perspicuum est eam esse canonicam. Quo fit, ut ex sola huius epistolae auctoritate non possit, si quod dubium in fide accideret, determinari ». Imo ulterius progressus indigno plane modo futilibusque argumentis una cum paulina origine canonicitatem epistolae convellere conatur[12]. *Erasmus* antiquis recoctis nova dubitandi argumenta adiecit, quae quia a modernis quoque adhuc in medium afferri solent, *infra* (177) paucis sunt repetenda et refutanda[13]. Sententia eius quamvis a theologis parisiensibus damnata sit et refutata[14], pseudoreformatoribus tantopere arrisit, ut praecipui omnes, Lutherus, Melanchthon, Osiander, Centuriatores Magdeb., Calvinus, Beza etc calculum suum ei adiicerent. Insequentibus quidem saec. 17. et 18. plerique protestantici interpretes S. Paulum epistolae auctorem iterum agnoverunt, at post exortum rationalismum, quum historicis testimoniis spretis sola argumenta interna « critici » interpretes agnoscere coepissent, eo usque perventum est, ut inter eos ipsos Protestantes, qui quoniam non omnem fidem respuerunt de « orthodoxia » sua gloriantur, paucissimi inveniantur, qui S. Paulo auctori epistolam attribuere audeant[15].

11. *S. Isidor. Hisp.* Etymol. VI. 2 (M. 82,234); *Alcuin.* Disputat. puer. 8 (M. 101,1129), *Rhaban. Maur.* de instit. cleric. II. 54 (M. 107,367); *Walafr. Strab.* Glossa ordin. Prol. in Hebr.; *Hugo Victor.* in Hebr. Qu. 2. (M. 175, 609); *Card. Hugo* Postilla in Hebr. 1,1; *S. Thom.* in Hebr. Prol.; *Lyran.* Postilla in Hebr. Arg. et Prol. etc.

12. Cfr *Caiet.* Comm. in Hebr. 1, 1; 2, 3; 9, 2 etc.

13. Cfr *Erasm.* Nov. Test. in Hebr. 2, 5 et in App. (Lugd. Bat. 1705. p. 1023).

14. *D'Argentré* Collect. indic. II. p. 52 sqq.

15. *Lutheri* aliorumque pseudoreformatorum sententias collegit *Bleek* Der Br. a. d. Hebr. erläutert etc. p. 248 sqq.; cfr etiam *Credner* Einl. p. 527 sqq. — Sacc. 16. exeunte *M. Flacius Illyr.* (Clavis S. Scripturae. Edit. Francof. 1719. II. p. 517 sqq.) eam Paulo iterum attribuit eumque secuti sunt multi, ita ut inde a medio saec. 17., teste *Credner* (l. c. p. 522) unanimi consensu fuerit recepta. Hodie vero rursus res iam eo deducta est, ut praeter *Biesenthal* (Das Trostschr. d. Ap. Paul. an die Hebr. 1878) et *Kay* (The Speaker's Comment. N. T. IV. 1881. p. 1 sqq.) paucosque alios nemo eam paulinam dicere audeat. Ipsi *Keil* (Comment. 1885. p. 4) et *Kübel* (Strack Kurzgef. Comm. cum N. T. IV. p. 143 sqq.) paulinam eius originem negant et *F. Godet* (Introd. I. Les épîtres de St Paul. 1893) eam ne nominat quidem inter paulinas.

175. — Nemini, qui testimonia allata aequo animo atque ea, qua par est, diligentia examinaverit, dubium erit, quin S. Paulus epistolae ad Hebraeos *auctor* sit habendus. Paucissimos enim N. T. habemus libros, quorum auctores tot tantisque historicis documentis nobis innotuerunt : unanimi et constanti consensu a medio saec. 2. Paulum

auctorem vocat integer Oriens, atque inde ab eo tempore, quo inter occidentales ecclesias epistola magis innotuit, Occidens consentit. Quapropter *Concilium Trid.* in suo S. Scripturarum canone illi inter « quatuordecim epistolas Pauli Apostoli » iure merito locum assignavit. Qua definitione Patres Tridentinos proxime et directe solam canonicitatem epistolae asseruisse non negamus, at simul etiam paulinam eius originem inter catholicos extra controversiam posuisse existimamus. Id enim pleno nostro iure, nisi omnia nos fallunt, ex magna diligentia colligimus, qua Patres titulos elegerunt, quibus sacros libros designarent. Etenim ne Davidem omnium Psalmorum auctorem viderentur asserere, prioris schematis titulo « Davidis centum quinquaginta Psalmi » reiecto « Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum » dicere maluerunt. Procul igitur dubio, nisi S. Paulum epistolae ad Hebraeos auctorem asserere voluissent, aliam elegissent expressionem; neque enim ignorarunt a Caietano et Erasmo non minus, quam a pseudoreformatoribus epistolae canonicitatem, quia dubia eis esset paulina origo, in controversiam esse vocatam. Quocirca cum *Cano* aliisque gravibus theologis affirmamus : « quum haereticum sit hanc epistolam a Scripturis S. excludere, certe temerarium est (ne quid amplius dicamus) de eius auctore dubitare, quem Paulum fuisse certissimis testimoniis constat »[1]

At paulinam eius originem asserentes neque quaestionem hanc cum illa de eius canonicitate ita coniungimus, ut priore negata alteram negandam esse censeamus, neque sententiae illorum adversamur, qui cum Paulo *auctore* alium ex viris apostolicis *scriptorem* epistolae agnoscunt.

1. Namque CANONICITATEM epistolae non labefactari, etiamsi quis incertum esse eius auctorem diceret, manifestum est consideranti non paucos esse libros canonicos, quorum auctores humani ignorantur. Imo si quis (id quod fieri tamen unquam posse negamus) epistolam Paulo abiudicandam unique ex eius discipulis vel aliis viris apostolicis velut *auctori* attribuendam certis argumentis demonstraret, eius canonicitas non laederetur, quippe quae nequaquam ab apostolica eius origine sed ab eius inspiratione per Ecclesiam agnita sit repetenda. Quod si in canone duo Evangelia ab Apostolorum discipulis conscripta habemus, aliud esse apparet apostolicam originem, aliud divinam originem et canonicitatem, neque per se quidquam obstare, quominus epistola ab aliquo Apostolorum discipulo conscripta in canonem esset recepta, si de eius inspiratione Ecclesiae constitisset. Erravit igitur Caietanus, qui « nisi Pauli esset epistola, non perspicuam esse eius canonicitatem » asseruit; ac profecto ad apostolicam eius originem non attendentes eius canonicitatem tueri possumus.

Etenim ex testimoniis supra allatis evidenter elucet, inde ab exeunte saec. 2. in toto Oriente epistolam ad Hebraeos eadem plane ratione, qua reliquos N. T. libros, pro divina auctoritate esse adhibitam nec quemquam de divina eius origine dubitasse, etsi variae exstiterint sententiae de lingua, qua primitus sit exarata, aut de stylo, num Pauli sit an alicuius ex eius discipulis. In Occidente autem a medio saltem saec. 4. eadem fuit de divina epistolae auctoritate fides universalis atque constans. Gravissimum hoc iam est canonicitatis argumentum, cui nullo modo id opponi potest, quod in Occidente ante medium saec. 4. epistola nostra non fuerit agnita; id enim non satis accurate asseritur. Primum enim adnotes velim, a medio saec. 2. usque ad saec. 4. in occidentalis ecclesiae lectione publica adhibitam eam quidem non esse, sed nullo testimonio constare, eam ab ulla orthodoxa ecclesia in Occidente esse reprobatam, nedum impugnatam; ignorabatur, vel si mavis relinquebatur, sed non reiiciebatur epistola[2]. Integrum igitur manet positivum totius Orientis testimonium.

Quae conclusio antiquioribus testimoniis etiam occidentalibus non parum confirmatur et roboratur; nam primi Ecclesiae Patres, etsi nec epistolae nostrae nomen nec Paulum auctorem referant, canonicum tamen eius usum testantur. Inter quos insignis prae ceteris et gravissimus testis est *S. Clemens Rom.*, quem in genuina sua ad Corinth. epistola nostram eadem plane ratione, qua reliquos N. T. libros, adhibuisse nemo unquam negare poterit, quum ad nullum alium sive V. sive N. T. librum frequentius, quam ad nostrum, alludat, ita ut Eusebium secutus S. Hieronymus iam asseruerit illum « multis ex eadem epistola (ad Hebr.) non solum sensibus, sed iuxta verborum quoque ordinem esse abusum »[3]. Mirum sane nonnemini videbitur, quod liber sacer, qui saec. 1. in ecclesia romana tam praeclarum habuit divinitatis suae testimonium saec. 2. et 3. eadem in ecclesia tam neglectus iacuerit, ut oblivioni tantum non sit datus. Cuius rei causam nobis S. Philastrius insinuat illam « propter Novatianos » lectam non esse monens[4] Revera saec. 2. et 3., quum in Occidente Montanistae, Novatiani, aliique haeretici peccatoribus veniam negarent, facile intelligitur, quod epistola ad Hebr., quae nonnullis in textibus haeresi illi favere videbatur, in lectione publica sit omissa ideoque etiam a scriptoribus ecclesiasticis parum vel omnino non adhibita. Immerito autem ex eo, quod publice non legebatur nec adhibebatur, eam positive exclusam esse ex canone deduceres : etenim quin saec. 5. in ecclesiae romanae canone fuerit, nemo dubitat, quandoquidem Innocentii I. et Gelasii catalogis id invicte demonstratur, nihilominus autem integro fere saec. 5. ab Innocentio usque ad Gelasium a nullo Romano Pontifice, ac ne ab ipso quidem S. Leone M., in genuinis eorum epistolis aut libris invenitur allegata.

Apud alios Patres apostolicos minus certae quidem sunt et clarae allusiones, quamvis in *S. Ignatii* et *S. Polycarpi* epistolis nonnulli unam alteramve invenire velint[5]; at clarissimum est *S. Iustini M.* testimonium atque maioris momenti, quoniam in priore Apologia, quam Romae scripsit, legitur ac proin Orientis et Occidentis fidem, qualis fuerit, prodit; *ex Scripturis* enim constare docet Iesum « *Angelum et Apostolum* » vocari; iam vero in sola nostra epistola inter omnes V. et N. T. libros *Apostoli* nomen Iesu Christo attribuitur[6].

1. *Canus* De loc. theol. II. 11 (Ed. Venet. 1739. p. 45); *Estius* in ep. ad Hebr. Arg. Quaest. 2. etc. — *Goldhagen* (Introd. III. p. 421) cum aliis sententiam, quae Paulum auctorem esse negat, haereticam dicere non dubitat. Nam « rationes, quas pro mitiore sua opinione Estius affert, tam graves non sunt, ut illam post constantem tot saeculis Ecclesiae universae sensum evincant ». At quaestio non est de Ecclesiae sensu, sed de eius definitione.

2. *S. Irenaei* discipulos *Caium* et *Hippolytum* epistolae originem paulinam dumtaxat negasse, de eius canonicitate autem nihil tradidisse constat ex claris Eusebii (H. E. VI. 20. M. 20,573). S. Hieronymi (de vir. ill. 59. M. 23,706), Photii (Biblioth. codd. 121. 232. M. 103,404. 1104) testimoniis. Sunt qui in epistola ad Alexandrinos, quam *Fragm. Murat.* (Introd. gen. 63. p. 170) reiicit, nostram epistolam ad Hebr. videre velint; at non tantum nullo testimonio demonstratur, nostram unquam in tota antiquitate « ad Alexandrinos » esse vocatam, sed etiam nullo modo apparet, quomodo aliquis eam « ad Marcionis haeresim » fictam credere aut dicere potuerit.

3. *Euseb.* H. E. III. 38 (M. 20,293); *S. Hier.* de vir. illustr. 15 (M. 23,663). Ultra viginti textus, ex quibus non pauci longiores, in S. Clementis epistola leguntur, quae cum ep. ad Hebr. consonant; 1 *Cor.* 36. fere ex textibus istius epistolae compositum est; *Funk* Patr. apost. I. 570 viginti quatuor allusiones recenset.

4. *S. Philastr.* haer. 89 (M. 12,1201).

5. Cfr. *S. Ign. M.* ad Ephes. 16 et *Hebr.* 10,28 sq.; *S. Polyc.* ad Philipp. 2,1 et *Hebr.* 1,3; 8,1; 2,7 sq.; ad Philipp. 4 et 12 et *Hebr.* 4,12-14; 6,20.

6. *S. Iustin. M.* Apol. I. 63 (M. 6,424) et Hebr. 3,1. Cfr. quoque quomodo c. Tryph. 33 (M. 6,545) verba Ps. 109 « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech » de Christo exponat : « Quemadmodum Melchisedech sacerdos Altissimi fuisse a Moyse scriptus est, et incircumcisorum sacerdos erat atque Abrahamo circumciso decimas offerenti benedixit, sic Deus aeternum suum sacerdotem, qui etiam Dominus a Spiritu S. vocatus est incircumcisorum futurum esse sacerdotem manifestavit, eumque circumcisos quoque ad eum accedentes, i. e. in eum credentes, et benedictiones ab eo quaerentes suscepturum illisque benedicturum declaravit ». *Hebr.* 5,8-10; 7,1 sqq.

176. — 2. Altera quaestio, num *praeter Paulum auctorem*, qui ut Estii verbis utamur « subiectum sive materiam universam totius epistolae subministraverit et ordinem nexumque rerum praescripserit », *alius scriptor* sit admittendus, cui « compositio et ornatus » debeantur, difficillima est diiudicatu atque adhuc sub iudice litem esse arbitramur. Differentiam satis magnam styli inter nostram interque reliquas paulinas optimi quique viri critici inde a Clementis Alex. et Origenis tempore usque ad nostram aetatem agnoverunt; quomodo vero sit explicanda non una est eorum, qui paulinam originem concedunt, opinio.

Clemens Alex., qui Paulum Hebraeum Hebraeis hebraice scripsisse, Lucam vero epistolam graece Graecis dedisse asseruit, ut epistolae nostrae cum tertio Evangelio et Actibus similitudinem explicaret, inter antiquos iam nonnullos, qui ipsi consentirent, invenit; media autem aetate haec opinio erat pervulgata, neque hodie desunt, qui hebraicam linguam primigeniam fuisse censeant[1]. Verum multa esse rectissime monent Estius aliique, quae hanc in universum opinionem subsistere non patiantur. Praeprimis enim « fieri non potest, ut oratio in alienam linguam transfusa primaevam gratiam ac nitorem usquequaque retineat, dummodo is, qui transfert, interpretis limites non transgrediatur ». Iamvero in nostra epistola tanta est graecae dictionis puritas atque elegantia tantaque hebraismorum raritas, ut nemo translationem ex hebraico factam se legere facile admiserit[2]. Gravius est alterum argumentum : in tota scilicet epistola Vetus Testamentum secundum alexandrinam versionem illis quoque in locis, in quibus ab hebraico textu dissentit, ita adhibetur, ut graecis verbis interdum praecipua argumentationis vis innitatur[3]. Adde omnes nostras etiam antiquissimas versiones, syriacam et latinam, quae ad medium saec. 2. ascendunt, ex graeco textu esse adornatas nec ullum hebraici exemplaris vestigium in tota antiquitate reperiri. Quare non magna probabilitate Clementis opinio gaudet.

Inter modernos aliqui non tantopere dictionem epistolae a paulina dissentire existimant, ut Paulo ipsi auctori et scriptori attribui non possit. Nonnulla quidem vocabula adhiberi, quae in reliquis Apostoli epistolis non occurrunt, stylum quoque dictionemque et puriorem et elegantiorem esse, atque anacolutha aliasque constructiones anomalas, a quibus Paulus alibi non abhorret, in hac omnino deesse, altera vero ex parte vocabula quam plurima epistolae nostrae in solis epistolis et orationibus paulinis usurpari, non paucas quoque metaphoras nostrae et reliquis paulinis esse communes, nonnullos V. T. textus in nostra et reliquis adhiberi. Quamobrem totam differentiam explicari, si Apostolus reliquas quidem epistolas currente calamo scripsisse aut potius festinanter dictasse, hanc vero studiose et diligenter elaborasse statuatur; ex aliis enim epistolis satis constare, eum stylum suum pro necessitate mutare potuisse, neque nostram a reliquis epistolis stylo suo magis differre, quam ex. gr. 1 *Cor.* 13. a reliquis eiusdem epistolae partibus[4]. Cui sententiae libentissimi subscriberemus, si internis solis argumentis res esset diiudicanda; de styli enim proprietatibus alius alio modo suoque quisque ingenio iudicat, nec facile definitur, quanta dictionis possit esse diversitas, si quis urgente necessitate festinans nonnulla literis mandat atque idem eadem studiosus magna cum sollertia elucubrat; S. Paulum autem linguam graecam optime calluisse atque eleganter quoque scripsisse

reliquarum epistolarum loci multi demonstrant. At praeter interna etiam externa argumenta in hac quaestione sunt perpendenda. Etenim inter nostram aliasque paulinas epistolas maiorem non esse differentiam styli, quam Evangelium quartum inter et Apocalypsin, nemo negabit; nihilominus Evangelii auctorem alium esse ab eo, qui Apocalypsin scripsit, ante S. Dionysium M. nemo coniecit, Dionysius autem ipse ad difficultatem aliquam eludendam dumtaxat ad hanc coniecturam confugit. Quare Clementem Alex. quoque, Origenem aliosque graecos Patres coniecturas suas ad nostrae epistolae stylum explicandum non allaturos fuisse arbitramur, nisi cum Apostolo unum ex eius discipulis in elaboranda nostra epistola operam suam posuisse ex traditione scivissent.

Velut longe igitur probabiliorem omnibus perpensis tertiam hanc sententiam cum *Bellarmino*, *Estio* multisque modernis interpretibus catholicis amplectimur[5], quippe quae et styli dictionisque diversitatem aptissime explicet et traditionis de auctore inconstantiae rationem sufficientem reddat. Quod si quis vero accuratius scire desiderat, quisnam ex apostolicis viris epistolae secundam quasi manum admoverit atque, ut cum S. Hieronymo loquamur, « Paulo adiunctus eius sententias proprio ordinaverit et ornaverit sermone », cum Origene quidem « solum Deum hoc scire » fateri cogimur, sed si ex coniecturis factis una eligenda sit, *eam praeferimus, quae S. Clementem Rom. epistolae ad Hebr. scriptorem esse asserit.* Namque

a.) quod ad modernorum opiniones attinet, qui aut *Apollo* aut *Silvano* aut *Aquilae* epistolam scriptam attribuunt, eae solido fundamento prorsus sunt destitutae, quandoquidem non tantum nullus antiquus scriptor eorum nomina in hac controversia unquam citavit, sed nullum quoque adest vestigium, ex quo quidquam in eorum favorem concludatur. Silvani et Aquilae vix non nuda nomina ex Actibus et Epistolis cognovimus, Apollo Alexandrinum genere, virum eloquentem et potentem in Scripturis fuisse scimus : num haec sufficiunt, ut illis in hac epistola elaboranda partem quamcunque attribuamus, nedum eis cum modernis rationalistis integram epistolam adscribamus[6]? Velut gratuitas igitur et arbitrarias hypotheses opiniones has merito relinquimus.

b.) Neque illis assentimur, qui *Barnabam* auctorem dicunt, quamvis Tertulliani testimonium eis faveat[7]; in occidentali enim ecclesia minus quam in orientali epistola erat cognita, atque mirum sane esset, si apud eos, qui epistolam vix adhibuerunt, traditio de eius origine purior esset conservata, quam apud Orientales, quorum nullus Barnabam nominavit. Praeterea si epistola, quae nomine Barnabae inscripta inter apostolicorum Patrum opera legitur, genuina est (id quod non ineptis argumentis nixi hodie quoque aliqui viri critici tenent[8]),de Barnaba

sive auctore sive scriptore ep. ad Hebr. iam non licet cogitare; maxima enim inter utramque est styli, dictionis, argumentationis diversitas.

c.) Restant igitur *S. Lucas* et *S. Clemens Rom.*, quorum prior a Clemente Alex. interpres epistolae dictus etiam modernos non paucos habet defensores[9], dum alterius partes Origenes, Euthalius diac. Theodoretus, Hieronymus inter antiquos et multi moderni tuentur[10]. Certa quidem styli similitudo inter Lucae scripta nostramque epistolam adest, at non maior, quam eorundem similitudo cum reliquis paulinis. Ad Clementem Rom. autem quod attinet, Eusebius iam eius « epistolam (ad Cor.) et illam ad Hebraeos eundem habere stylum nec utriusque scripti sententias multum inter se discrepare » asseruit[11]. Revera S. Clemens plurima ex epistola ad Hebraeos in suam transumsit eaque plane tractavit, ac si sua essent; quando enim suam scribebat, integram alteram mente quasi praesentem habebat; id quod facilius explicatur, si eum alterius quoque scriptorem fuisse admittamus.

1. *Clem. Alex.* Hypotyp. fragm. (M. 9,748. Eus. H. E. VI. 14); *Theodoret.* in Hebr. Arg. (M. 82,677); *Euthal. diac.* in Hebr. Arg. (M. 85,776). *Oecumen.* in Hebr. Arg. (M. 119,273 Euthalii verba repetit). Ex *Glossa ordin.* Arg. transiit eadem sententia ad mediae aetatis interpretes. Inde a saec. 16. eam inter alios tenent *Iustinianus* (in Hebr. Prolog. c. 3.), *Cornel. a Lap.* (Argum.), *Natal. Alex.* (Praef.), *Goldhagen* (Introd. I. p. 248 sqq.) etc.; inter modernos catholicos *Reithmayr* (Einl. p. 684), *Valroger* (Introd. II. p. 335 sq.), *Glaire* (Introd. I. p. 145; sed in ed. 2. VI. p. 193 sqq. oppositam sententiam tuetur), *Bacuez* (Manuel IV. p. 396 sq.) etc. Inter modernos Protestantes *I. H. R. Biesenthal* (Das Trostschreiben des Ap. Paulus an die Hebr. krit. wiederhergestellt. Leipz. 1878) tam certam habuit hanc sententiam, ut primigenium textum hebr. restituere sit conatus (cfr. praesertim p. 43 sqq.).

2. Prima statim phrasis hebraice vix reddi potest, atque primis in verbis iam habemus paronomosiam : πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως; cfr. 2,8 πάντα ὑπετάξας ὑποκάτω... ὑποτάξαι... ἀνυπότακτον; 2,10 δι' ὃν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα; 2,18 πειρασθεὶς δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι etc.

3. *Estius* (in Hebr. Proleg. qu. 3.) in nonnullis locis (1,7; 2,7; 10,5) censet « non parum enervari vim argumentationis apostolicae, si reponantur ea, quae sunt in hebraeo ». Quidquid de hac opinione est, certe tota argumentatio 9,15 sqq. graeco vocabulo διαθήκη videtur inniti, quare ipse Syrus graecum vocabulum retinuit. Animadverte quoque, qua ratione 7,1 sqq. nomina Melchisedech et Salem explicentur; neque enim explicationes, quas S. Hier. aliique interpretes suis interdum versionibus inseruerunt, cum hac nostra recte conferuntur.

4. Cfr. ex catholicis *interpretibus Zill* Der Hebräerbr. p. XXVI-XXXIII et ex protestanticis *Will. Kay* (The Speaker's Commentary. N. T. IV. p. 7-21).

5. *Bellarm.* De verbo Dei I. 17; *Estius* l. c. qu. 3. etc.; modernos, qui idem tuentur, cfr. n. 7. 9. 10.

6. A protestanticis solis hae sententiae proferuntur. Silvanum coniecerunt *Mynster* Kl. theol. Schriften p. 133 sqq., *Boehme* Ep. ad Hebr. Lips. 1825. Praef. p. XL sqq., qui styli similitudinem inter nostram et 1 Petri, quam Silvano attribuit, urgendam duxit, *Riehm* Lehrbegr. des Hebräerbr. Ludwigsburg 1859. II. p. 893 etc. — Plerisque autem protestanticis, etiam rationalisticis, praeplacet sententia Apollo solum esse

auctorem, quam primus proposuit *Lutherus* (Opp. ed. Walch XII. 204. 1996 etc); eam tuentur inter alios *Bleek* Einl. p. 603 sqq., *Bunsen* Hippolytus u. seine Zeit. Leipz. 1852. I. p. 365, *Alford* The Greek Test. London 1859. IV. 1. Proleg. p. 58 sqq., *Davidson* Introd. I. p. 255 sqq., *Reuss* Gesch. d. N. T. I. p. 149, *Lünemann* in Meyer Krit. exeg. Handb. XIII. Ed. 3. p. 33 sq. multique, quos locis indicatis allegatos habes.

7. *Tertull.* de pudic. 20 (M. 2,1021) : « exstat enim et Barnabae titulus ad Hebraeos, satis auctoritatis viri ». Quia *S. Hier.* ad Dard. ep. 129,3 (M. 22,1103) « plerosque epistolam vel Barnabae vel Clementis arbitrari » asserit, nonnulli putaverunt praeter Tertullianum alios quoque testes antiquitus eam Barnabae attribuisse; at S. Hieronymi verba explicanda sunt secundum ea, quae tradit alibi (de illustr. vir. 5. M. 23,647) « epistolam credi *vel Barnabae iuxta Tertullianum*, vel Lucae Evangelistae *iuxta quosdam*, vel Clementis ». Inter modernos Barnabae *scriptori* attribuerunt epistolam ex catholicis *A. Maier* Einl. p. 385 sqq. et Commentar Freiburg 1861. p. 13 sqq.; ex protestanticis *Thiersch* De ep. ad Hebr. Marburg 1848. p. 1 sq. et Kirche im apost. Zeitalter. Frankf. 1858. p. 200. *Auctorem* eum multi protestantici et rationalistici interpretes dixerunt, inter quos *Ullmann* Stud. u. Krit. 1828. p. 388 sqq.; *Wieseler* Chronologie des apost. Zeitalters. Gött. 1848. p. 504 sqq. et Stud. u. Krit. 1867. p. 665 sq.; *Ritschl* Stud. u. Krit. 1866. p. 89; *Renan* L'Antechrist. Introd. p. XVII. sq.; *Weiss* Einl. Ed. 2. 1889. p. 332 sqq. etc.

8. Cfr *Nirschl* Patrologie. I. p. 53 sqq.; *Fessler-Jungmann* Patrologia. I. Ed. 2. 1890. p. 171 sqq. et auctores ab eis allegatos.

9. *Clem. Alex.* l. c. quem ex catholicis inter alios sequuntur *Estius* (l. c.), *Hug* Einl. II. p. 492, *Döllinger* Christenthum u. Kirche. Regensb. 1860. p. 86 etc; ex protestanticis *Ebrard* Der Brief an die Hebr. 1850. p. 459, *Delitzsch* Commentar z. Hebräerbr. Leipz. 1857. p. 707 etc.

10. *Orig.* Homil. in ep. ad. Hebr. fragm. (M. 14,1309. Eus. H. E. VI. 14); *Euseb.* H. E. III. 38 (M. 50,293); *Theodoret.* (l. c.); *Euthal. diac.* (l. c.); *S. Hieron.* de vir. illustr. 5. et 15 (M. 23,650 663). Ex modernis catholicis cfr *Reithmayr* Einl. p. 681; *Valroger* Introd. II. p. 336 (qui tamen eum interpretem dicere malunt); *Bisping* Exeg. Handb. VII. 2. p. 22 sq.; *Kaulen* Einl Ed. 3. 1893. p. 636 sqq. etc.

11. *Euseb.* l. c.; eodem modo *Euthal.*, *S. Hieron. Theodoret.* similitudinem utriusque epistolae urgent : « *omnino grandis*, inquit *Hier.*, in utraque similitudo est ».

177. — Quibus discussis restat, ut argumenta examinemus, quibus permoti moderni interpretes multi Paulum auctorem epistolae esse negant. Antiquis difficultatibus paucas quidem novas notatu dignas adiecerunt, at earum solutio occasionem nobis praebet, ut epistolae characterem accuratius cognoscamus. Ordinem autem illum sequemur, quem Lünemann tenet, qui reliquorum adversariorum obiectiones collegit suisque auxit; ceterum eaedem a nonnullis quoque catholicis interpretibus ita tractantur, ut Apostoli in elaboranda epistola partes plus aequo diminuere videantur[1].

1. « Quae de se ipso auctor epistolae insinuat, illa ita sunt comparata, ut Paulum eum non esse evidenter appareat; illis praesertim, quae 2,3 leguntur, Paulus omnino excluditur. Quo enim modo is, qui Apostolum *non ab hominibus neque per hominem sed per Iesum Christum* se esse constitutum seseque Evangelium suum *ab hominibus nec accepisse nec didicisse sed per Iesum*

Christum testatur, illis se adnumerare potuit, in quos *ab eis, qui audierunt, confirmata est* salus. Hac ratione loquitur Lucas (Ev. 1,2) et loqui potuerunt reliqui Apostolorum discipuli, sed nec Paulus nec alius genuinus Apostolus ». Difficultas haec a Patribus iam refutata variis modis solvitur; quinque solutiones affert Estius, quarum ultima sola plene sufficit, « auctorem scilicet pronomen primae personae adhibere illo in loco, non quod suam ipsius personam velit comprehensam in ea re, de qua loquitur, sed eo more, quo solent concionatores vel exhortando vel docendo vel etiam obiurgando loqui in prima persona plurali ». Cui responso duas exceptiones opponunt adversarii, hanc ἀναχοινώσεως figuram apte non adhiberi nisi quando auctor se ipsum etiam pronomine isto comprehendat, neque locum suum habere nisi in exhortationibus. At, quaeso, S. Paulus, si *Rom.* 13,11 sqq. tempus iam esse asserit, « ut de somno surgamus, tenebrarum opera abiiciamus » etc, num forte sese dormientibus et opera tenebrarum habentibus adnumerat? Ad alterum quod attinet, id verissimum quidem est, sed male nobis obiicitur, quum 2,1-4 exhortationem habeamus. — Nulla igitur haec est difficultas eaque omnino evanescit, si alii textus comparantur, in quibus auctor de se ipse loquitur. Sine ullo enim dubio 10,34 « καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε », quam lectionem praeferendam ducimus[2], alludit Paulus ad captivitatem suam; ad quam etiam satis clare respicit 13,18. 19; illa autem, quae de Timotheo dicuntur, aptius quoque sonant, si Paulo attribuuntur, quam alteri cuicunque; quidquid enim contradicit adversarius noster, Timotheus ibi revera consideratur velut inferior, qui secundum superioris sui voluntatem eum vel comitaturus sit vel non.

2. « Dictio et argumentandi ratio a paulina differunt ». Hanc quoque difficultatem Patres iam viderant et solverant; integra disparet, si Paulo argumentum, sententias, ordinem, uni ex eius discipulis dictionem orationisque ornatum attribuimus. Ceterum a modernis styli differentiam exaggerari diximus, non satis enim ad magnam illam similitudinem animos advertunt, quae in metaphoris phrasibusque paulino stylo propriis maxime cernitur[3].

3. « Doctrina epistolae, quamvis in genere cum paulina consentiat, in nonnullis tamen differt[4] ». — Non eadem doctrinae capita ab Apostolo in omnibus epistolis evolvi certissimum est, differentiam vero dogmaticam epistolarum inveniri pernegamus. At « Paulo, inquiunt, primum et praecipuum doctrinae caput erat resurrectio, quae per transennam dumtaxat et strictim *Hebr.* 13,20 in apostolica benedictione attingitur ». Mira sane obiectio, quum altera epistolae pars de aeterno et coelesti Christi sacerdotio integra dogmati resurrectionis superstruatur, atque satis clare hoc fundamentum ei, qui videre vult, indicetur (5,9). — « Alia est *fides* in aliis epistolis, in quibus *Legi* et operibus *Legis* opponitur, alia in nostra epistola, in qua opponitur *visioni* ». Fidem a S. Paulo sub vario respectu in variis epistolarum locis considerari iterum certissimum est; non minus autem certum, quod *Hebr.* 10,38 « iustum ex fide vivere » non alio sensu intelligatur, quam *Rom.* 1,17 et *Gal.* 3,11, et altera ex parte 1 *Cor.* 13,12 et 2 *Cor.* 5,7 fides visioni opponatur, sicut interdum in nostra epistola; quaenam porro est differentia inter fidem Abrahae, de qua *Rom.* 4,16-22 et *Gal.* 3,6 sqq., et inter eandem fidem,

de qua *Hebr.* 11,8-12? — « Auctor ep. ad Hebr. nusquam loquitur de vocatione gentium, ergo Apostolus Iudaeorum potius, quam gentilium fuisse est dicendus ». Cur autem Paulus Iudaeochristianis scribens de vocatione gentium loqui debuit? Nonne integra epistola, quae Novam Legem veteri praestare docet, universalitatem eius clarissime docet? — « Demum amat auctor ep. ad Hebr. typico-symbolicam Scripturarum explicationem ». Optime et verissime hoc est dictum, sed quid inde contra paulinam epistolae originem sequatur, non apparet. Namque S. Paulum ab ea non tantum non abhoruisse, sed satis frequenter eam adhibuisse nemo ignorat (1 *Cor.* 10,1 sqq.; *Gal.* 4, 21 sqq. etc); si Iudaeochristianis, quibus haec explicationis ratio magis erat familiaris, scribens frequentius eam adhibet, id sane nihil habet admirationis.

1. *Lünemann* in Meyer Comm. XIII. Ed. 3. p. 10-1 6. — Easdem alio ordine et modo proponunt ex protestant. « orthodoxis » *C. B. Moll* (in Lange Bibelw. N. T. XII. Ed. 3 p. 6 sqq.), *L. Schulze* (in Zoeckler Handb. theol. Wissensch. I. p. 415 sqq.), *Keil* (Comm. 1885. p. 4) aliique. Similiter « critici » omnes, ex quibus ctr *de Wette* Einl. p. 348 sqq.; *Holtzmann* in Schenkel Bibellex. II. p. 618 sqq. et Einl. Ed. 2. 1886. p. 330. sqq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 377 sqq.; *Weiss* Einl. Ed. 2. 1889. p. 324 sqq.; *Jülicher* Einl. 1894. p. 102 sqq.; *Davidson*, *Renan* etc.

2. Lectionem hanc praeter omnes fere graecos codd. (solis exceptis A. D. et novem minusculis) tuentur nonnulli codd. Italae et ex graecis Patribus *Clemens Alex.*, *Origen.*, *Euthal.*, *Theodoret.*, *Ioan. Damasc.*, *Theoph.*, *Oecum.* etc.

3. Cfr. *Hug* (l. c.), *Zill* (l. c.) etc. Pauca exempla rem demonstrabunt. Verbum Dei Paulo est *gladius* (*Eph.* 6,17; *Hebr.* 4,12); qui in fide nondum sunt perfecti, secundum Paulum *lacte* indigent, *solidi cibi* incapaces (1 *Cor.* 3,1 sqq.; *Hebr.* 5,13.14) et ab eo vocantur *pueri* (1 *Cor.* 3,1; *Hebr.* 5,13), qui *elementa* discere debent (*Gal.* 4,9; *Hebr.* 5,12). Paulus similitudines suas desumit ex certaminibus (1 *Cor.* 9,24; *Col.* 2,1; *Phil.* 1,30 etc.; cfr. *Hebr.* 12,1. 4. 12. 13; 4,1; 5,10), ex aedificiis (1 *Cor.* 3,10. 11; *Hebr.* 6,1), ex agricultura (1 *Cor.* 3,6-8; *Hebr.* 6,7. 8) etc. Paulo soli proprius est usus pronominis indeterminati τινές, ubi multi sunt intelligendi : *Rom.* 3,3; 1 *Cor.* 10,7-10; cfr. *Hebr.* 3,16; 10,25 etc.

4. Difficultas haec a rationalistis maxime urgetur, qui inter se nondum consentiunt, utrum epistola sit iudaeochristiana an ethnicochristiana. Cfr. de hac quaestione, quam integram illis definiendam relinquimus, *Mangold* in Bleek Einleitung p. 599. N. *Hilgenfeld* Einleitung p. 358 sqq. atque reliqua opera ab iis allegata.

4.) « Contra S. Paulum clarissime testantur textus ex V. T. allati; Paulus enim, quamvis versionem alexandrinam adhibeat, textum tamen hebraicum cognovit ex eoque interdum argumentatur; in hac autem epistola versio alexandrina sola allegatur, multo accuratius, quam a Paulo fieri solet, transcribitur, imo ex eius mendis argumenta desumuntur (10,5-7) ». — Difficultas haec, si quae est, sufficienter solvitur, si Clementem Rom. epistolae scriptorem dicimus, qui procul dubio textus a magistro suo indicatos accurate ex codice suo transcripsit. Quod si auctor revera ex mendo interpretum alexandrinorum (10,5 sqq.) argumentatus esset, epistolae inspiratio iam esset neganda; at eius argumentationem optime cum textu massorethico conciliari ostendunt interpretes. Quemadmodum igitur aliis in locis Paulus ipse

textuum allegatorum verba (non sensum) interdum mutat, ut ipsis verbis iam interpretatio illucescat (ex. gr. 1 *Cor.* 3,20 et *Ps.* 93,11), ita hoc in loco verba mutata, quae sensum non mutarunt, retinuit. At tantum abest, ut textus allegati contra Paulum testentur, ut quicunque attenderit, quot loci in hac epistola allegati in aliis quoque paulinis adhibeantur [5], ex illis Paulum auctorem epistolae esse confirmaturus sit.

5.) « Auctor epistolae templum iudaicum describens (9,1-5) non semel veritatem historicam laedit; Paulus igitur, qui diu Ierosolymis vixit templumque cognovit, haec scribere non potuit ». — Non parum difficultas haec ab Erasmo et Caietano exaggerabatur et a modernis exaggeratur; at non tantum falso nititur supposito, templum esse descriptum (templum enim nusquam « tabernaculum » vocatur), sed in tota descriptione nihil inveniri, quod veritati non consonet, iam diu demonstraverunt interpretes [6].

6.) « Paulus, si epistolae auctor esset, pro more nomen suum praefixisset; nulla enim, cur nomen suum tacuerit, affertur ratio apta ». — Iterum falso supposito innititur obiectio; vulgo quidem, sed non satis recte *epistolae* nomine vocatur scriptura haec; est enim homilia quaedam scripta, vel, uti aliis praeplacet, libellus consolatorius et exhortatorius, cui pauci nonnulli versus (13,22-25) epistolari stylo sunt additi; quod autem eiusmodi libello auctoris nomen non sit praefixum, nihil habet quod offendat, siquidem antiquorum opera pleraque sunt anonyma. Optime praeterea iam monuerunt Patres Pauli nomen invisum fuisse Iudaeis atque inter Iudaeochristianos quoque non defuisse, qui alienum ab eo animum gererent [7]; ideo pro epistola consolatorium hunc libellum anonymum misit, alieno stylo exaratum, qui in fine tantum autorem suum satis clare indicavit.

7.) « Paulus in alienam segetem falcem suam immittere noluit; atqui hoc fecisset, si ecclesiae, quae solis Iudaeochristianis constabat, scripsisset ». — At principium illud paulinum non nimis est urgendum, nisi Apostolo epistolas quoque ad Romanos et ad Coloss., quorum ecclesias non fundaverat, abiudicare velimus; gentium utique erat Apostolus, at ex Actibus epistolisque ipsis cum Iudaeis primis semper Evangelium obtulisse scimus. Tota igitur quaestio est, num sufficientem habuerit rationem, ut ecclesiam a se non fundatam consolaretur et exhortaretur; qua de re infra erit agendum.

Omnes hae sunt rationes, ob quas Paulo epistola abiudicatur; invictas eas esse censent adversarii, at nec singulae nec omnes simul spectatae prudenti unquam persuadebunt Paulum libelli huius auctorem esse *non posse;* atqui hoc illis est demonstrandum, si omnibus illis historicis argumentis, quae supra attulimus, despectis sententiam catholicam impugnare volunt.

5. Cfr. ex. gr. *Gen.* 21,12 (*Rom.* 9,12; *Hebr.* 11,18); *Gen.* 22,16 (*Gal.* 3,8 sqq.; *Hebr.* 6,13 sqq.); *Deut.* 32,5 (*Rom.* 12,19; *Hebr.* 10,30); *Ps.* 2,7 (*Rom.* 1,4; *Act.* 13,33; *Hebr.* 1,5; 5,5); *Ps.* 8,6 (1 *Cor.* 15,27; *Eph.* 1,22; *Hebr.* 2,8); *Ps.* 109,1 (1 *Cor.* 15,25; *Hebr.* 1,13); *Ierem.* 31,31 sqq. (2 *Cor.* 3,3 sqq.; *Hebr.* 8,8 sqq.; 10,16 sq.); *Hab.* 2,4 (*Rom.* 1,17; *Gal.* 3,11; *Hebr.* 10,38).

6. Duo praesertim urgentur, quod aureum thuribulum (altare thymiamatis) in Sanctis Sanctorum positum esse et quod in arca foederis praeter tabulas testamenti etiam urna mannae et virga Aaron adfuisse dicantur. Ad priorem difficultatem iam respon-

dit *Ribera* (in Hebr. 9 n. 16-19), cui plurimi recentiores catholici consentiunt, S. Paulum verbis suis « tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum », nihil aliud voluisse dicere nisi altare thymiamatis, quamvis ante Sancta Sanctorum locum suum haberet, speciali modo ad illa pertinuisse, quum secundum *Exod.* 40,6 poni debuerit « ante arcam foederis » et 3 *Reg.* 6,22 « altare quod ad Sancta Sanctorum pertinet » (המזבח אשר לדביר) appelletur. Ad alteram difficultatem *Ribera* (l. c. n. 21-28) varia responsa affert et diiudicat; ex omnibus praeferendam ducimus illam sententiam, quae Moysis aetate urnam et virgam in arca fuisse tradit, licet eo tempore, quo arca in templum translata est, non amplius in ea adessent. Modus enim, quo in arcae translatione duas tabulas lapideas *tantum* in ea adfuisse narratur (3 *Reg.* 8,9; 2 *Paralip.* 5,10; *Ioseph.* Antiqu. VIII. 4,1), videtur insinuare, antea aliquid amplius in ea locum suum habuisse; atque non intelligitur, quomodo urna mannae in lege, quae de transportandis vasis Sanctuarii agit minutissima quaeque enumerans (*Num.* 4), prorsus omittatur, nisi *in* arca foederis locum suum habuisse dicatur. Quare etiam inter rabbinos nonnulli, uti Abarbanel, Levi Ben Gerson aliique ad traditionem provocantes eandem sententiam tuentur. Cfr. *A. Maier* Einl. p. 351 sqq.

7. *Clem. Alex.* Hypotyp. l. c.; cfr. etiam *Pantaeni* sententiam apud Euseb. H. E. VI. 14 (M. 20,522).

178. — II. Cuinam ecclesiae haec epistola sit destinata, vel rectius quos lectores in suo libello auctor proxime prae oculis habuerit, altera est quaestio hodie valde agitata; vix ulla enim ex celebrioribus Orientis et Occidentis ecclesiis invenitur, cuius nomen in medium non sit allatum. Neque id est mirum, siquidem antiquitatis testimoniis despectis moderni interpretes quaestionem solis internis rationibus definire volunt, quae ad rem parum iuvant. Ab antiquissimis enim iam temporibus libellus noster titulo « ad Hebraeos » erat insignitus, totoque etiam argumento suo sese Iudaeochristianis destinatum esse prodit. Hebraeorum autem nomine, quod gentilicium est, in N. T. vel Iudaei palaestinenses, qui syrochaldaica lingua utebantur, in oppositione ad Iudaeos hellenistas, vel Iudaei omnes in oppositione ad ethnicos designantur[1]. Iam vero in epistola admodum pauca leguntur, quibus utra ex his significationibus sit praeferenda, determinetur, eaque ipsa ab aliis alio modo explicantur. Unde factum est, ut alii omnibus Iudaeochristianis in orbe dispersis eam scriptam putarent, quasi Paulus omnibus promittere potuisset, se mox ad eos cum Timotheo venturum (*Hebr.* 13,23), alii autem primos lectores Romae, vel in Hispania, vel Corinthi, vel Ephesi, vel in Galatia, vel Alexandriae etc. quaererent[2].

Tres hodie magis sunt propagatae sententiae; catholici interpretes longe plurimi tenent eam ecclesiae hierosolymitanae esse destinatam; ex protestanticis multi praeferunt alexandrinam, recentissimi « critici », ut novi aliquid proferrent, romanam ecclesiam elegerunt[3]. Quam ultimam sententiam prorsus esse reiiciendam vix opus est, ut dicamus; non tantum omni omnino fundamento historico destituitur, sed integro quoque libello contradicit, Iudaeochristianos, qui cultum iudaicum

cognoverunt et prae oculis quotidie habuerunt, proxime respicienti; ecclesiam autem romanam primis quidem temporibus ex Iudaeis et ethnicis coaluisse, in ea vero praesertim post Claudii decretum contra Iudaeos (a. 51.) Ethnicochristianos longe praevaluisse sola epistola ad Romanos luculentissime demonstrat.

Maioris aliquantum momenti est altera sententia, quae Iudaeochristianis *alexandrinis* libellum destinat[4]. In Aegypto enim Iudaei ad instar hierosolymitani templum exstruxerant, quod epistolae auctorem prae oculis habuisse dicunt opinionis huius patroni. Praeterea in fragm. Muratoriano « epistola ad Alexandrinos Pauli nomine ficta ad haeresin Marcionis » enumeratur; quia vero epistolae ad Hebr. mentio nulla in fragmento fit, eam sub nomine epistolae ad Alexandrinos latere putant. At neutra ex his rationibus quidquam valet. Namque nostrum libellum nihil prorsus exhibere, quod Marcionitis faveat, iam saepius repetivimus; prorsus arbitrarium igitur est fragmenti epistolam ad Alexandrinos et nostram ad Hebraeos confundere, nec quisquam in tota antiquitate invenitur, qui Alexandrinis eam scriptam esse putaverit. Quis sibi persuaserit, alexandrinos Patres, quorum primus, qui de ea locutus est, Pantaenus, vix centum annis postquam scripta est, scholae alexandrinae praefuit, iam ignorasse eam ad suam ecclesiam a Paulo esse missam? Alexandrinam autem ecclesiam unquam solis Iudaeochristianis constitisse nullo idoneo argumento probabile redditur; quidquid ergo est de templo leontopolitano, quod auctor prae oculis habuisse dicitur, illud ad inveniendos primos lectores nihil iuvat; ceterum 9, 1 sqq. non de templo esse sermonem, sed de tabernaculo, etiam iam diximus nec ullo modo apparet, quomodo descriptio illa leontopolitano magis quam hierosolymitano templo conveniat.

Quas ob causas ecclesiae *hierosolymitanae* libellum nostrum a S. Paulo esse missum pro certo tenemus[5]; quod si quis vero ad reliquas quoque ecclesias palaestinenses eum scriptum dixerit, non contradicemus. Palaestinensibus Christianis eum destinatum fuisse Pantaenus et Clemens Alex. iam docuerunt, quum Paulum Hebraeum Hebraeis hebraice scripsisse dicerent; Iudaeis enim extra Palaestinam degentibus lingua hebraica, sive antiquam linguam sanctam sive recentiorem dialectum syrochaldaicam hoc nomine intelligis, non fuit familiaris. At inter reliquos quoque Patres, qui graecam esse epistolae linguam primigeniam tenuerunt, ne unus quidem habetur, qui aliis, quam Palaestinensibus, eam scriptam esse unquam cogitaverit.

Quam universalem antiquitatis persuasionem auctoritate et pondere non carere evidens est; si quis autem ea plenam certitudinem dari neget, internum simul epistolae characterem consideret. Primos lectores ab auctore supponi Iudaeochristianos iam diximus; de relatione autem,

quae Iudaeos conversos inter et neophytos ethnicos intercedere debeat, nihil omnino in epistola legitur; quare iure concluditur, ecclesiam illam, quam mox se visitaturum promittit Paulus, solis Iudaeochristianis constitisse; atqui eiusmodi ecclesiae in sola Palaestina inveniebantur. Porro Christiani, quibus scribit Apostolus, non erant neophyti recenter conversi, sed tamdiu fidem professi erant, ut si tempus solum attenderetur, magistri esse possent (5,12); primi eorum magistri vel duces (ἡγούμενοι) iam morte abrepti vitam martyrio coronaverant (13,7); magnas persecutiones magna cum constantia perpessi erant (10,32 sqq.): quae omnia hierosolymitanis Christianis eorumque primis ducibus, Iacobo utrique et Stephano, convenire manifestum est. Illo tempore, quo epistola scribebatur, praepositi quidem magnum zelum exhibebant, (13,17), at non idem omnium fidelium erat fervor, atque defectio quaedam ad avitam religionem iudaicam erat timenda (2,1, sqq.; 10,26 sqq.; 12, 25 sqq. etc); praecipue autem videtur imminuisse periculum, ne antiqui cultus iudaici splendorem semper prae oculis habentes, simplicitate cultus christiani despecta, coetus christianos relinquerent (10,25) et ad antiqua sacra reverterentur; quare tota epistola internam Novae Legis dignitatem eiusque prae Vetere praestantiam describit. Atqui haec solis palaestinensibus et maxime hierosolymitanis conveniunt, quibus solis tale periculum imminebat. Iudaeochristiani enim extra Palaestinam degentes aut nunquam aut rarissime splendorem cultus iudaici Ierosolymis spectarant, dum palaestinenses usque ad illud tempus, cui attribuendus est libellus noster, coetibus sacris Iudaeorum in templo semper interfuisse, cum Iudaeis sacrificia obtulisse, alia praecepta ritualia publice observasse docet Scriptura (*Act.* 21,20).

Quae omnia, si cum unanimi antiquitatis testimonio coniunguntur, certam reddunt sententiam, quae ecclesiae hierosolymitanae epistolam ad Hebr. destinatam esse docet.

1. *Act.* 6,1; 9,29; 2 *Cor.* 11,2; *Phil.* 3,5 etc.

2. Omnibus Iudaeochristianis destinatam esse epistolam docuerunt *Braun, Lightfoot, Heinrichs, Stenglein, Schwegler* (Nachapost. Zeit. II. p. 304); *Lyranus* (ad Hebr. Prol.) omnium primus et fere solus de Iudaeochristianis Hispanis cogitavit suaeque sententiam patronum allegat S. Chrysost., qui nihil eiusmodi docuit. Corinthum praetulerunt ex catholicis solus *Mack* (Tüb. Quartalschr. 1838. p. 385 sqq.), ex protestanticis M. Weber et Cobler; Thessalonicam Semler et Noesselt; Cyprum Ullmann; Asiam Min. Bengel, Schmid, Cramer; Antiochiam Böhme, Hoffmann; Lycaoniam Credner, Galatiam Storr, Mynster; Ephesum et vicinia eius Baumgarten-Crusius, Roeth etc. Ubinam varia haec commenta tradantur, vide apud *Lunemann* l. c. p. 35 sqq.

3. Romanae ecclesiae epistolam scriptam esse *Wetstein* (Nov. Test. II. p. 386) iam coniecit, quem una cum *Baur* (Tüb. Zeitschr. 1838. p. 143) secuti sunt *Holtzmann* (Schenkel Bibellex. II. p. 627 et Einl. Ed. 2. 1886. p. 340 sqq.), *Alford* (The Greek Test. IV. 1. p. 62 sqq.), *Mangold* (in Bleek Einl. p. 612. *n.*), *Renan* L'An-

techrist, Introd. p. XIV sqq.), *v. Soden* (in Holtzm. Handcomm. III. 2. 1892. p. 14 sqq.), *Jülicher* (Einl. 1894. p. 108 sqq.) aliique.

4. Alexandrinam ecclesiam praetulerunt *Schmidt* (Einl. ins N. T. Giessen 1804. p. 284), *Credner* (Gesch. des N. T. Kanons p. 161 et *Volkmar* ibid. p. 394 sq.), *Hilgenfeld* (Einl. p. 384), *Reuss* (Gesch. d. N. T. I. p. 149), *Davidson* Introd. I. p. 265 sqq.; *Wieseler* Chronol. des apostol. Zeitalters p. 481 sqq.

5. Quam sententiam praeter omnes fere catholicos ex protestanticis quoque nonnulli tuentur, inter quos praecipui sunt *Bleek* (D. Brief a. d. Hebr. erläutert etc. I. p. 28 sqq.; Einl. p. 608 sqq.), *Delitzsch* (Zeitschr. f. luth. Theol. 1849. p. 275), *Ritschl* (Entstehung d. altkath. Kirche. p. 159), *Lünemann* (l. c. p. 38 sqq.), *Weiss* (Einl. Ed. 3. 1889. p. 335 sqq. et in Meyer Handb. 1888. p. 19 sqq.).

179. — III. Quo tempore et quo loco libellus noster sit exaratus, certa quidem et indubitata traditione ad nos non pervenit; magna tamen verisimilitudine gaudere eam sententiam asserimus, quae exeunte a. 63. vel ineunte a. 64. a Paulo Romae in vinculis degente sed proximam liberationem sperante epistolam scriptam esse docet.

De tempore ipso satis magnus est modernorum interpretum consensus; namque non ii tantum, qui nobiscum paulinam illius originem tuentur, circa mediam fere septimam decadem saec. 1. libellum nostrum exaratum esse dicunt, sed plerique quoque ex eorum numero, qui Paulum ullam in illo scribendo partem habuisse negant, imo post mortem Pauli (quam parum recte a. 64. ponunt) illum scriptum censent, idem tamen nobiscum fere tempus assignant [1]. Neque id mirum, quandoquidem omnia, quae de cultu iudaico disseruntur, templum nondum esse destructum supponunt; belli autem iudaici, quod a. 67. exardescens urbis et templi destructione terminatum est, nulla fit mentio: quare ante a. 67. epistola nostra scripta sit oportet. Neque ullo modo intelligimus, quomodo pauci quidam rationalistae eam anno 70. iuniorem habere, imo exeunti saec. 1., aut quod absurdius est, ultimis Traiani annis adscribere potuerint [2]. Quo cum iure S. Clementis Rom. epistola ad Cor., in qua nostrum libellum adhibitum esse etiam dormitans videt, post Traiani aetatem ponatur, aliis relinquimus discutiendum; id unum interrogamus, quomodo fieri potuerit, ut auctor, quem lectores suos, ne ad Iudaismum deficerent, libello suo impedire voluisse adversarii nostri nobiscum admittunt, gravissimi illius divini iudicii, quo templo destructo integer cultus iudaicus violentum finem invenit, prorsus oblitus sit, si post a. 70. scripsit.

Ante initium igitur belli iudaici epistolam ad Hebr. scriptam esse pro certo asserimus; minus autem certa quidem, sed verisimilis tamen est altera asserti nostri pars, *Romae ab Apostolo in primis vinculis degente illam esse scriptam.*

Romae aut saltem *in Italia* scriptam illam esse suadent verba, quae 13,24 leguntur: *salutant vos de Italia fratres* (οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας), ad

quae verba, nullo ex antiquis dissentiente, monent *Theodoretus :* « ostendit, undenam scripserit epistolam », et *Primasius :* « apertissime his verbis nobis innuit, quod Romae hanc epistolam scripserit, quae in regione Italiae sita est »[3]. Quam plurimi procul dubio moderni interpretes ex iisdem verbis deducere conantur, in Italia scriptam eam non esse, siquidem οἱ ἀπὸ Ἰταλίας nihil possit significare, nisi Italos, qui procul ab Italia degunt, profugos Italos. At egregie falluntur; S. Lucae οἱ ἀπὸ Θεσσαλονίκης Ἰουδαῖοι non sunt Iudaei Thessalonicenses, qui patriam suam reliquerant, sed Iudaei Thessalonica oriundi et Thessalonicae degentes; ἀπό enim originem quidem, sed non necessario separationem exprimit[4]. Neque ulla profecto ratio apta excogitatur, ob quam solorum Italorum profugorum salutationes adscripserit Apostolus, nisi forte stulte tibi persuaseris, romanis aut aliis italis Christianis nostram epistolam esse destinatam; at vel hoc in casu illius ecclesiae, ex qua literas suas dedit, exspectaremus mentionem. Quare dicendum est, S. Paulum eodem modo, quo Ephesi scribens Corinthiis salutationes omnium ecclesiarum Asiae transmisit, Romae Palaestinensibus scribentem omnium fidelium Italiae salutationes misisse. Hac ratione praeter Theodoretum et Primasium iam nominatos *S. Chrysostomus* aliique graeci interpretes Apostoli verba intellexerunt, quorum explicatio in non paucorum codd. graecorum et versionum subscriptiones transiit[5].

Eorundem autem interpretum auctoritate nixi Apostolum *in vinculis* epistolam scripsisse censemus. Re enim vera *S. Chrysostomus* et *Theodoretus* illam inter reliquas ex captivitate scriptas enumeraverunt, atque *Primasius* de tempore scriptionis loquens ait *:* « sicut doctoribus videtur, in carcere erat tunc temporis »[6]. Doctores vero id ex ipsa nostra epistola videntur hausisse, cuius duos textus (10,34 et 13,19) ad Apostoli captivitatem alludere non sine probabili ratione putarunt. In priore quidem loco de lectione omni cum certitudine non constat; cum *Vulg.* enim, *Syr., Copt.* etiam pauci codices et Patres graeci legunt : *vinctis compassi estis,* at alteram lectionem : *vinculis meis compassi estis* praeferendam ducimus (*supra* 177. n. 2. p. 537), ex eaque cum *Euthalio* concludimus, eo tempore adhuc Paulum in vinculis fuisse, id quod *S. Chrysostomus* ex altera quoque, quam sequitur, lectione videtur deducere[7]. Licet enim verba per se quidem de captivitate iam finita apte intelligantur, aptius tamen de ea perdurante explicari videntur, praesertim quum haec explicatio altero textu confirmetur, in quo Apostolus fideles pro se ferventius precari iubet, quo *celerius illis restituatur* (13,19). Quibus verbis violenter et subito se ex eorum medio esse abreptum neque iam cessasse illam violentiam, satis clare, ni fallor, insinuat. Quod autem immediate postea promittat se mox ad eos cum

Timotheo venturum, id sententiam nostram non labefactat; certam fiduciam dumtaxat instantis iam liberationis verba illa exprimunt; neque magis eum iam liberum fuisse demonstrant, quam similia, quibus Philemonem, ut sibi praeparet hospitium, rogat, licet vinculis eo tempore nondum esset solutus.

1. Ex iis, qui Paulo epistolam abiudicant, eam scriptam censent *Tholuck* a. 63.-67., *Wieseler* et *Hilgenfeld* a. 64.-66., *De Wette* et *Lünemann* a. 65.-67., *Renan* a. 66., *Bunsen* a. 66. vel 67., *Bleek* a. 67. vel 68. etc.

2. *Zahn* (Herzog P. R. E. Ed. 2. V. 668) eam ponit a. 80.; *Jülicher* (Einl. p. 194 sq.) c. a. 90.; *Holtzmann* (Schenk. Bibellex. II. 625 et Einl. Ed. 2. p. 336 sq. 344) a. 96.-98.; *Volkmar* (Religion Iesu, p. 358 sq.) a. 116.-118. etc.

3. *Theodoret.* in Hebr. 13,24 (M. 82,785); *Primas.* in Hebr. 13,24. (M. 68,794).

4. *Act.* 17,13 Οἱ ἀπὸ Θεσσαλονίκης Ἰουδαῖοι, sunt iidem, qui 17,11 οἱ ἐν Θεσσαλ. dicuntur, quare recte Vulg. 17,13 vertit : « Quum cognovissent *in* Thessalonica Iudaei ». Cfr. *Ps. Ignat.* ad Her. 8 : « ἀσπάζονταί σε... πάντες οἱ ἀπὸ Φιλίππων ἐν Χριστῷ, ὅθεν καὶ ἐπέστειλά σοι. *Reithmayr* Einl. p. 186, *Valroger* Introd. II. p. 338; *Aberle* Einl. p. 238 etc.

5. Cfr. *S. Chrysost.* ad Rom. Arg. et ad Hebr. Arg. (M. 60,393; 63,11); *Euthal. diac.* Arg. ep. ad Hebr. (M. 85,773), *Ps. Athan.* Synops. S. S. 68 (M. 28,424) etc. Ex codd. gr. A. : ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης, P. ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, K. ἐγράφη ἀπὸ Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου etc; Copt. « scripta in Italia, missa per Timotheum »; codd. syr. « scripta ex Italia Romana »; alias exhibet *Tischend.* N. T. Ed. 8. II. p. 839; cfr. etiam *Oecum.* subscript. (M. 119,452) etc.

6. *S. Chrysost.* ad Rom. Arg. (M. 60,393); *Theodoret.* in epp. Paul. Praef. (M. 82,44); *Primas.* in Hebr. 13,24.

7. *Euthal. diac.* Arg. (M. 85,776) : « Praeterea hanc epistolam Pauli opus esse ex eo etiam evincitur, quod scribat : *De vinculis meis compassi estis,* et ex eo quod dicat : *Amplius orate quo celerius restituar vobis* ». *S. Chrys.* in Hebr. hom. 11,1 (M. 63,149) : « Non dixit : fertis meas afflictiones, mihi estis socii, sed tantum : *Vinctis compassi estis;* vides quod *de se* dicat et de aliis ».

180. — IV. Qua occasione S. Paulus, ut literas has Ierosolymitanis daret, sit permotus et quem finem in illis scribendis habuerit, quum Patres nobis non tradiderint, solis coniecturis magis minusve veri similibus assequi nobis licet. Apostolus ipse illas λόγον τῆς παρακλήσεως (13,22) appellat, quae expressio non minus consolatorium quam exhortatorium libellum designans optime illis convenit, utpote quae integrae in lectoribus exhortandis et consolandis versantur. Quare ipso nomine, quo libellum suum designat, Apostolus *finem* suum indicavit; etenim, id quod post *S. Chrysostomum* et *Theodoretum* omnes interpretes monuerunt, lectores suos in periculo versari supponit, ne a Christo deficientes ad pristinum suum cultum iudaicum revertantur ribulationibusque oppressi animos despondeant[1]. Cui periculo literis suis exhortatoriis et consolatoriis occurrere voluit.

Ut autem *occasionem* cognoscamus, inquirendum nobis est, an circa

illud tempus, cui epistolam attribuimus, i. e. circa finem a. 63. vel initium a. 64., in eiusmodi periculo ecclesia hierosolymitana sit versata. Iam haec *Hegesippi* verba nobis conservavit Eusebius : « Postquam Iacobus Iustus (i. e. Iacobus Min., frater Domini et primus hierosolymitanae ecclesiae episcopus) martyrium perinde ac Dominus atque ob eandem rationem passus est, Simeon, Clopae avunculi Domini filius, episcopus constituitur, quem omnes, quoniam patruelis esset Domini, secundum antistitem renuntiarunt. Eousque ecclesia (hierosolymitana) virgo appellabatur, quoniam vanis sermonibus nondum erat perturbata. Thebuthis vero quidam indigne ferens, quod ipse episcopus non esset factus, eam occulte vitiare coepit »[2]. Quibus vanis sermonibus eam perturbare et vitiare coeperit, ex Eusebii narratione non discimus; vulgo autem Thebuthis sectae istius caput fuisse creditur, quae Ebionitarum nomen sortita, quamvis Iesum Messiam agnosceret, in reliquis omnibus Veteri Legi adhaesit[3]; tales autem errores inter Christianos hierosolymitanos, qui omnes « aemulatores Legis erant », fertilem agrum invenisse evidens est, neque miraberis, quod splendidus, qui eo tempore perdurabat, templi cultus nonnullos Christianos, qui eum continuo prae oculis habuerunt, allexerit et quasi fascinaverit. Adde circa idem tempus, Iudaeis ipsis in varias factiones divisis, Christianos hierosolymitanos, qui in eorum medio vivebant, non levibus tribulationibus esse expositos; praeter illas enim, quas cum contribulibus suis a Romanis perpetiebantur, aliae iis solis sustinendae erant utpote omnium factionum odio expositis. Quare brevi post S. Iacobi Min. mortem, qui auctoritate sua, qua inter Christianos et inter Iudaeos ipsos gaudebat, priores retinere alteros compescere potuerat, in magno fuisse periculo ecclesiam hierosolymitanam apparet.

Quando autem S. Iacobus martyrium obierit *Fl. Iosephus* nos docet. Refert enim post mortem procuratoris Festi, qui exeunte a. 61. Paulum Romam miserat, antequam successor eius Albinus in Palaestinam advenisset, Ananum (iuniorem) summum pontificem, « virum ferocem ingenio et insigniter audacem, utpote Sadducaeorum sectae addictum, qui prae ceteris Iudaeis acerbi et immites in iudiciis essent, iudicum concilium coegisse atque Iacobum, fratrem illius Iesu qui dicebatur Christus, cum quibusdam aliis velut Legis violatae reos accusasse statimque lapidandos tradidisse »[4]. Iam Festum morte praematura abreptum non diu procuratoris munus obisse ex Iosephi narratione de eius et duorum, qui ante initium belli iudaici eum secuti sunt, successorum rebus gestis apparet, ita ut medio fere a. 62. S. Iacobi martyrium sit adscribendum. Ab eo igitur tempore Thebuthis errores suos spargere coepit; post Albini autem adventum, quamvis Ananus (iunior) a rege Agrippa pontificatu esset privatus, persecutionem Christianorum non

cessasse facile concedet, quicunque ex Iosephi relatione didicerit Anani iunioris patrem, Ananum seniorem, virum perditissimum, opibus et divitiis suis, quas continuis rapinis augebat, apud cives suos et apud Albinum praepolluisse.

Profecto circa illud tempus, quo Paulus Romae captivus degebat, ut *S. Chrysostomi* verbis utar, « misera fuit fidelium Ierosolyma ceteramque Palaestinam inhabitantium conditio. Quare quid mirum si ille, qui anathema esse pro incredulis Iudaeis volebat et de conversis ad fidem tam erat sollicitus, ut si res poscebat ad eos proficisci eorumque necessitates lenire non detrectaret, nunc eos literis suis exhortetur et consoletur labantesque et cadentes admonitionibus suis confortet »[5]? Quamquam enim praeputii, et non circumcisionis, Apostolus esset, caritas Christi eum urgebat, ut fratres suos secundum carnem in fidei periculo maximo versantes pro viribus adiuvaret. Ea quidem ratione, qua Galatis, Corinthiis, aliarumque a se fundatarum ecclesiarum fidelibus, succurrere hierosolymitanis non potuit, nec seductorum errores directe aggredi et confutare; multorum enim fidelium quoque palaestinensium animi praeiudiciis ab illo erant abalienati. Quocirca nomine suo suppresso *dignitatem et excellentiam Novi Testamenti prae Vetere ante oculos illis ponere voluit*, ut hac ratione eos in fide vera conservaret et confirmaret, atque indirecto quodam modo insinuaret Veteris abrogationem.

1. *Hebr.* 2,1-3; 3,7-18; 4,1. 11. 14; 6,4-8 etc. Cfr. *S. Chrys.* ad Hebr. Arg. 2 (M. 63,12); *Theodoret.* ad Hebr. Arg. (M. 82,676) etc.

2. *Euseb.* H. E. IV. 22 (M. 20,380).

3. Cfr *Emin. Hergenroether* Handbuch der allgem. Kirchengesch. Ed. 3. 1884. p. 168 sq. et opera ibi allegata.

4. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XX. 9,1. Cfr. *Euseb.* H. E. II. 23 (M. 20,196 sqq.).

5. *S. Chrysost.* in Hebr. Praef. 2 (M. 63,12); cfr. *Theodoret.* in Hebr. Arg. (M. 82,676).

181. — V. Analysis ep. ad Hebr. Praeeunte *S. Thoma* plerique moderni interpretes duas epistolae partes distinguunt, quarum *prior dogmatica*, ut S. Thomae verbis utamur, « multipliciter commendat excellentiam Christi, ut per hoc praeferat Novum Testamentum Veteri » (1,1-10,18), *altera paraenetica* fideles ad constantiam in fide, patientiam in tribulationibus, virtutum christianarum exercitium exhortatur (10,19-13,21); prooemio caret, epilogus autem paucissimis versibus absolvitur (13,22-25). Quam divisionem nos quoque tenebimus, quamvis in priore quoque parte paraenesis satis magnum locum occupet, quoniam ex doctrinis propositis S. Apostolus statim deducit conclusiones practicas atque pro fine sibi proposito ubique fere ad exhortationem transit. Priorem autem dogmaticam partem plerique moderni etiam cum *S. Thoma* recte in tres sectiones distribuunt : « Intendit, inquit

Angelicus, ostendere excellentiam Novi T. ad Vetus per excellentiam Christi quantum ad tres personas sollemnes in ipso V. T. contentas, sc. Angelos, per quos Lex tradita est, Moysen, a quo vel per quem data est, Sacerdotem, per quem ministrabatur; unde 1. praefert Christum Angelis, 2. Moysi, 3. sacerdotio V. T. » etc[1]. Idearum accuratiorem nexum indicat haec analysis.

1. Cum *S. Thomae* (in Hebr. 1 Lect. 1.) divisione fere consentiunt *Lyranus* (in Hebr. 1,3), *Kilber* (Analys. bibl. II. p. 505 sqq.), *Guillemon* (l. c. II. p. 292 sq.), *Bisping* (Exeget. Handb. VII. 1. p. 31 sq.), *Bacuez* (Manuel IV. p. 403 sq.), *A. Maier* (Einl. p. 362 sqq.), *Zill* (Brief a. d. Hebr. Mainz 1879. Einl. p. XV.). — *Drach* (l. c. p. 704) partem dogmaticam a paraenetica etiam distinguit, sed parum recte in prioris partis sectione prima (1,1-3,6) Christi superioritatem super Moysen tantum demonstrari statuit, secundam sectionem vult esse exhortationem (3,7-4,13), et tertiam demum demonstrationem excellentiae sacerdotii Christi (4,14-10,18). Melius saltem *Card. Hugo* (in Hebr. 1,1) quatuor partes fecit : « in prima ostendit Christum excellentiorem esse omni creatura (1,1-6,20), in secunda sacerdotium Christi maius esse et dignius sacerdotio V. T. (7,1-10,39), in tertia agit de fideicommendatione, per quam accessus est ad Christum (11,1-40), in quarta de morali instructione » (12,1-13,21).

Pars prior dogmatica (1,1-10,18) *Novi T. praecellentiam prae Veteri* ex triplici capite demonstrat.

I. Praeprimis enim auctores Utriusque Testamenti considerat (1,1-2,18). Vetus Lex ordinata erat per *Angelos* (*Gal.* 3,19), Novae autem auctor est ipse *Dei Filius,* quare Nova Veterem tanto superat, quanto Filius Dei superior est Angelis.

1. Tamquam indubitatam veritatem praemittit Apostolus antiquitus quidem Deum per Prophetas, nunc autem per Unigenitum suum esse locutum, ac proinde dispersis veritatis radiis Patres esse illuminatos, nobis autem veritatis solem esse exortum (1,1-3), atque subito transit
2. *ad demonstrandam Christi infinitam praecellentiam prae Angelis* (1,4-14),
   a.) ratione divinae originis et naturae, quum sit verus Filius Dei, quem ipsi Angeli adorare teneantur (1,4-6),
   b.) et ratione dignitatis, quum sit rex et creator omnium, dum Angeli non sint nisi ministri (1,7-14).
3. Unde exhortatorio modo *concludit, perfectius obediendum esse eius sermoni,* i. e. Novae Legi, quam Angelorum sermonibus (Veteri Legi) obediendum erat (2,1-4); si enim illi, qui hanc alteram sunt transgressi, poenam non effugerunt, multo minus eam effugient, qui Novam a Domino ipso allatam et tot signis confirmatam transgredientur.
4. *Quam conclusionem confirmat nova Christi praerogativa allata;* etenim non Angelis, sed Christo concreditum est regnum messianicum, id quod ostendit *Ps.* 8,5-7 explicatione (2,5-9).

   Ne vero quis Christi humiliatione scandalizetur, exponit cur et quomodo Christum humiliari nobisque similem fieri propter nostram salutem decuerit (2,10-18).

II. Secundo loco MEDIATORES UTRIUSQUE TESTAMENTI comparat (3,1-4,13); Veteris mediator est *Moyses*, Novae *Christus*, unde quum satis iam appareat praecellentia Novi prae Veteri Testamento,

1. brevissime *comparationem Moysen inter et Christum absolvit* (3,1-6); Moyses enim fidelis quidem servus erat, sed in domo aliena; Christus autem tanquam Filius versatur in domo sua, quae domus sumus nos, sc. fideles Novi T., si tamen perseverabimus.
2. Quo brevius doctrinam exposuit, eo longiorem nunc deducit *practicam consequentiam* (3,7-4,13).
   a.) Adductis *Ps.* 94,8-11 verbis ob oculos eis ponit exemplum Israelitarum olim ab ingressu in Palestinam exclusorum (3,7-11) ostenditque verbis explicatis illos ob incredulitatem suam esse exclusos (3,12-19);
   b.) atque ad lectores suos exemplum typico quodam modo applicat. Etenim ipsi quoque vocati sunt, ut in requiem illam ingrediantur, in quam Israelitae ob incredulitatem suam non sunt admissi (4, 1-10); quare elaborandum, ut ingrediantur, quum verbum Dei propter naturam suam postulet fidem (4,11-13).

III. Tertio loco PONTIFICEM NOVI T. CUM VETERIS PONTIFICIBUS COMPARAT (4,14-10,18).

1. *Praemissa brevi exhortatione*, ut in fide perseverantes cum fiducia ad pontificem suum accedant (4,14-16),
2. *demonstrat Iesum esse Pontificem et quidem secundum ordinem Melchisedech* (5,1-7,3).
   a.) Expositis illis, quae in pontifice requiruntur, ut nimirum sacrificiis populum Deo reconciliet eumque ad Deum adducat, atque ut divinitus ad hoc mediatoris munus sit vocatus (5,1-4), haec in Christo adesse docet, qui semet ipsum non clarificaverit, sed a Patre suo clarificatus sit (5,5.6) et in sua humana natura preces obtulerit obedientiaque sua causa salutis omnium factus a Deo salutatus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech (5,7-10).
   b.) Priusquam vero Domino sacerdotium melchisedechianum competere demonstret, praemittit vituperationem de lectorum infirmitate in fide (5,11-14), monet ut ad perfectiora anhelent (6,1-3), praesertim quia illi, qui a fide desciscunt, salutem amittant (6,4-8), confidit autem fore, ut perseverent, quum Deus pristinae eorum caritatis non obliviscatur (6,9.10), desideratque ut in bona via perseverantes imitentur Abraham, qui Deo promissiones suas iuramento confirmanti credens promissiones assecutus sit (6,11-15), atque hac ratione factus sit nobis exemplar imitandum, quippe qui etiam in divina promissione iureiurando confirmata consolationem inventuri simus (6,16-19).
   c.) Ad thema deinde reversus (6,20) Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech esse ostendit exhibita tali Melchisedech imagine, ut nemini dubium sit, quin typus sit Christi, Filii Dei incarnati (7,1-3).

3. Quo fundamento posito *sacerdotii melchisedechiani excellentiam prae levitico demonstrat* (7,4-10,18).

a.) Quem in finem primum *personas* inter se comparat (7,4-28); nam

α.) Abraham a Melchisedech decimatus est et benedictionem accepit; atqui superioris est decimare et benedicere; ergo Melchisedech superior Abrahamo sacerdotibusque leviticis, qui in Abrahamo, patre suo, decimas Melchisedech solverunt (7,4-10);

β.) sacerdotes levitici, utpote foederis imperfecti, cessare debuerunt et de facto leviticum sacerdotium iam abrogatum est, quum Dominus N. iam sit constitutus summus sacerdos, qui non est ex tribu Levi; sacerdos autem secundum ordinem Melchisedech ex promissione Dei in aeternum manet (7,11-19);

γ.) sacerdotes levitici sine iuramento ex parte Dei constituti sunt; melchisedechianus autem cum iuramento (7,20-22);

δ.) sacerdotes levitici, quia mortales, multi sunt, melchisedechianus autem unus (7,23-25);

ε.) sacerdotes levitici quotidie pro se et pro populo sacrificia offerre tenebantur; melchisedechianus, utpote sanctissimus, semel se ipse hostiam perfectam obtulit (7,26-28).

b.) Deinde utrorumque *munera* inter se comparat (8,1-10,18); nam munerum sacerdotalium Christi excellentia apparet

α.) ex perfectione tabernaculi, in quo sacrificia sua offert; in coelis enim in dextera Dei sedens Christus tabernaculi veri ab ipso Deo aedificati est minister, cuius veri tabernaculi israeliticum non erat nisi umbra et exemplar (8,1-5);

β.) ex perfectione foederis, ad quod pertinet; foedus enim hoc Novum, quod praestantioribus promissionibus est munitum, Vetere perfectius esse *Ier.* 31,31-34 iam docuit (8,6-13);

γ.) ex efficacia perfectiore munerum (9,1-14).

Non defuerunt quidem tabernaculo israelitico splendida instrumenta et ritus sacri (9,1-7); at efficacia carebant et liberum ad Deum aditum hominibus nondum patere indicabant (9,8-10);

Christus autem, Pontifex perfectior (7,4-24) in tabernaculo perfectiore (8,1-5), perfectius quoque offert sacrificium, suum nimirum sanguinem, qui non externam dumtaxat, quemadmodum vetera sacrificia, sed internam munditiem efficit (9,11-14).

c.) Quibus expositis obiectionem, quae ex Christi morte contra eius dignitatem desumi potuit, ita refutat, ut eius excellentia magis appareat (9,15-10,18).

α.) Christi enim, ut Novi Testamenti mediator esset, mors fuit necessaria (9,15). Nam omne testamentum testatoris morte confirmandum est (9,16.17.); quare etiam Vetus T. sanguine confirmatum (9,18-20), atque prius et imperfectum tabernaculum cum vasis suis sanguine emundatum est (9,21.22);

Perfectius igitur coeleste tabernaculum perfectioribus hostiis consecrandum erat, quas obtulit Christus morte sua (9,23.24).

β.) At unica quoque haec mors sufficit nec requiritur, ut Christus saepius se offerat, sicut antiqui pontifices quotannis cum sacrificiis in sanctuarium ingrediebantur (9,25); id enim patet

ex natura rei; si unica haec mors non sufficeret omnibus delendis peccatis, Christus ab origine mundi iam saepe mori debuisset (9,26);

ex analogia mortis Christi cum morte hominum, qui semel dumtaxat moriuntur: sic etiam Christus semel pro omnibus peccatis mortuus in suo reditu fidelibus possessionem salutis afferet (9,27.28);

ex inefficacia antiquorum sacrificiorum et efficacia mortis Christi. Quia inefficacia erant vetera sacrificia, ideo repetenda erant (10,1-4); inefficacia autem ea fuisse, efficacem autem mortem Christi, quam ex obedientia subiit, ex *Ps.* 39,7-9 demonstratur (10,5-10); hinc antiqui sacerdotes quotidie offerebant, Christus autem post sacrificium semel oblatum in dextera Dei sedens plenum illius oblationis exspectat effectum (10,11-14);

ex positivo S. Scripturae (*Ier.* 31,31 sqq.) testimonio, quod quum peccatorum remissionem in N. T. promittat, oblationem novam non amplius necessariam esse docet (10,15-18).

In PARTE ALTERA PARAENETICA (10,19-13,21 exhortatur lectores

I. AD PERSEVERANTIAM IN FIDE (10,19-12,13).

1. ex iis, quae de Christi Pontificis, qui pro nobis sese obtulit, excellentia dixit, deducit Apostolus cum fiducia *perseverandum esse in fide* et bonis operibus, nec deserendam esse, sicut a nonnullis fit, coetuum religiosorum frequentationem (10,19-25).

2. Ad quod monitum inculcandum *duo motiva eis proponit* (10,26-39):

a.) severum Dei iudicium, quod illi qui a fide desciscunt non effugient, quum Veteris Testamenti transgressores, licet minoris culpae rei, severissime iam sint puniti (10,26-31),

b.) pristinamque eorum conversationem, quando tribulationibus et persecutionibus non sunt fracti remunerationem aeternam exspectantes (10,32-34); quare etiam nunc perseverent necesse est eandem exspectantes remunerationem, quam certo et post breve tempus daturus sit Deus (10,35-39).

3. Definita deinde fide, quae est sperandarum substantia rerum (11,1)

a.) longa serie *exempla ex V. T. eximia affert* eorum, qui in fide perseverantes multa et magna effecerunt vel pertulerunt, nec statim tamen plenam salutem assecuti sunt (11,2-40).

b.) Ad quam testium nubem et ad Christum ipsum, qui per passionem ad gloriam pervenit, respicientes ipsi quoque ad certamen sese accingant oportet (12,1-3); leviora enim ea esse monet, quae perferenda ipsis sint, eaque a Deo tamquam a patre amantissimo immissa, ut ad aeternum praemium praeparentur (12,4-11); quare ut alacres in via fidei progrediantur exhortatur (12,12.13).

II. AD VARIAS VIRTUTES, quibus excellere debent Christiani (12,14-13,6);

1. atque imprimis *ad concordiam et omnimodam sanctitatem* (12,14-17);
   a.) ad hanc enim obligat eos Novi Foederis natura, quod non terret, sicut Vetus terrebat (12,18-21), sed coeleste est atque coelestibus associat (12,22-24);
   b.) quare quam maxime cavendum, ne ex hoc excidentes graviorem poenam in se attrahant (12,25-29);
2. ad *caritatem fraternam*, maxime erga miseros (13,1-3), ad castitatem perfectam et vitandam avaritiam (13,4-6);
3. ad *perseverantiam in fide* reversus monet, ut praepositorum suorum memores eorumque fidei constantiam imitantes a doctrinis novis sibi caveant (13,7-9); neve praeter altare illud, de quo Iudaeis edere non licet, aliud quaerant, sed sequantur Iesum opprobriis omnibus spretis (13,10-17).
4. Demum eorum precibus sese commendat, quo celerius ad eos liber reverti possit, illisque omnia bona a Deo apprecatur (13,18-21).

In brevissimo EPILOGO petit, ut hanc suam exhortationem bene recipiant (13,22), promittit se cum Timotheo mox ad eos esse venturum (13,23), Italorum salutationes addit (13,24) atque benedictione apostolica epistolam terminat (13,25).

III. De epistolis pastoralibus.

§ 14. — *De epistolarum pastoralium authentia.*

182. — Ex paulinis tres adhuc nobis restant epistolae tractandae, quae sive personae, quibus inscriptae sunt, sive tempus, quo scriptae a plerisque dicuntur, sive argumentum, quod tractant, in considerationem veniunt, arctiore vinculo inter se sunt connexae. Post priorem enim suam captivitatem S. Paulus, quum novis expeditionibus apostolicis Ecclesiam diffunderet, ecclesiarum a se fundatarum non oblitus duos ex praecipuis suis discipulis, Timotheum et Titum, quomodo in ecclesiis eorum curae commissis gerere se deberent, epistolis his docere aggressus est; quem in finem pastoralem animarum curam eis commendat bonorumque pastorum officia describit. Quare communi nomine *epistolarum pastoralium* a reliquis distingui solent; atque medium quendam locum inter illas, quae integris ecclesiis datae sunt, et inter privatam illam ad Philemonem occupant. Etsi enim familiari magis et paterno, ut ita dicamus, stylo sint exaratae nec publicae lectioni, sicut aliae, destinatae, non minus tamen publicum ecclesiarum bonum, quam privatum discipulorum profectum promovere volunt. Insignia igitur illius sollicitudinis sunt documenta, qua Apostolus Gentium omnes sibi a Christo pastorum principe traditos complectebatur.

Communem minorum epistolarum paulinarum sortem pastorales non

effugerunt, a moderna schola « critica » spuriae et suppositae vocantur, quae diu post aetatem apostolicam sint exortae. Quare non abs re videtur esse, si authentiam earum, antequam de singulis agamus, historicis argumentis tuemur illasque obiectiones, quae contra omnes tres simul proferuntur, quantum satis est refutemus; qua occasione etiam de tempore, quo singulae scriptae sunt, erit dicendum.

Eusebius duas epistolas ad Tim. illamque ad Tit. inter eos N. T. libros recenset, qui communi consensu ab omnibus ecclesiis recipiebantur[1]; neque ullus revera in tota antiquitate invenitur scriptor orthodoxus, qui ullam de earum authentia dubitationem expresserit; non pauci autem inde a tempore apostolico eas pro divinis et apostolicis scriptis adhibuerunt atque contra nonnullas sectas, quae eas reiiciebant, earum auctoritatem asseruerunt.

In *S. Clementis Rom.* priore ad Corinthios epistola viginti fere allusiones ad nostras epistolas enumerantur; quarum nonnullas leviores et dubias esse concedimus; at si S. Clemens Corinthios monet ut sint ἕτοιμοι εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν, nemo negare potest, quin praeceptum Pauli prae oculis habuerit : ὑπομίμνησκε αὐτοὺς... πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἑτοίμους εἶναι. Atque illam quoque locutionem, qua pias describit obsecrationes (ἁγνὰς καὶ ἁμιάντους χεῖρας αἴρειν πρὸς Θεόν) ex S. Pauli epistola desumsit[2]. Pauciores quidem sunt allusiones in *S. Ignatii M.* epistolis, at non plane desunt[3]; certius vero est S. Polycarpi testimonium, qui non tantum utramque ad Tim. fere ad verbum allegat, sed ita quoque virtutes in diaconis requisitas enumerat, ut priorem ad Tim. et illam ad Tit. apertissime imitetur[4].

Circa illud tempus, quo S. Polycarpus martyrio coronatus est, *S. Theophilus Antioch.* priorem ad Tim. velut Scripturam divinam allegat : « divinus, inquit, sermo (ὁ θεῖος λόγος) nos iubet magistratibus et potestatibus subiici atque pro iis precari, ut quietam et pacatam vitam agamus »; cum epistola ad Tit. autem baptismum vocat λοῦτρον παλιγγενεσίας[5]. Etiam *S. Iustini M.* nonnulla verba allegantur, quae ex *Tit.* 4, 4 omnino videntur esse desumta[6]; si quis vero hoc Iustini testimonium recuset, eius discipulum *Tatianum* citamus, qui, quamvis duas ad Tim. repudiaret, « hanc vel maxime, i. e. ad Titum, Apostoli pronuntiandam credidit, parvipendens Marcionis et aliorum, qui cum eo in hac parte consentiunt, auctoritatem »[7].

Quod si Tatianus epistolas ad Timotheum reiecit, eas *Theodotus*, Valentini discipulus, agnovit; S. Epiphanio enim teste ad 1 *Tim.* 2, 5 velut ad Pauli dictum provocavit; circa idem tempus alii haeretici anonymi teste Tertulliano utriusque ad Tim. textibus abusi sunt, ut secretam quandam doctrinam ab Apostolo traditam esse stabilirent[8]. Ceterum plerosque haereticos 2. saec. Basilidem, Valentinum, Marcionem etc

nostras epistolas e canone suo expunxisse fatendum est; id quod admirationis nihil habet, quandoquidem in hisce apertius, quam in aliis, Apostolus gnosticismum nascentem impugnet haereticosque vitandos esse moneat[9]; quare *Clemens Alex.* epistolas ad Tim. ab haereticis ideo reiici iam censuit, quia earum testimonio convincerentur[10].

1. *Euseb.* H. E. III. 3. 25. (M. 20,217. 368).

2. *S. Clem. R.* 1 Cor. 2 (*Tit.* 3,1); 29 (1 *Tim.* 2,8) etc.; alias allusiones enumerat *Funk* Patres apost. p. 569 sq.; allusiones in 2 Cor. l. c. p. 571.

3. *S. Ignat. M.* ad Magnes. 8 (1 *Tim.* 1,4; *Tit.* 3,9); ad Eph. 2 et Smyrn. 9 (2 *Tim.* 1,16. 18) ad Trall. 3. (*Tit.* 2,3).

4. *S. Polyc. M.* ad Phil. 4. « *Principium omnium malorum est cupiditas* (φιλαργυρία). Scientes ergo quod *nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus*, armemur armis iustitiae ». (1 *Tim.* 6,10. 7.) 9. οὐ γὰρ τὸν νῦν αἰῶνα ἠγάπησεν (2 *Tim.* 4,9. Δημᾶς... ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα); 5. (2 *Tim.* 2,11. 12; 1 *Tim.* 3,2 sqq., *Tit.* 3,2 sqq.).

5. *S. Theoph. Antioch.* ad Autol. III. 14 (1 *Tim.* 2,2); II. 16 (*Tit.* 3,5) M. 6,1141. 1077.

6. *S. Iust.* c. Tryph. 47 (M. 6,577) : ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ (cfr. *Tit.* 4,4).

7. De Tatiano haer. cfr. *S. Hier.* in ep. ad Tit. Prol. (M. 26,556).

8. *S. Ephiph.* Haer. 54,6. (M. 41,969); *Tertull.* De praescr. 25 (M. 2,37). Abutebantur 1 *Tim.* 1,18; 6,13; 2 *Tim.* 1,14.

9. 1 *Tim.* 6,20 τὴν γνῶσιν ψευδώνυμον; *Tit.* 3,10.

10. *Clem. Alex.* Strom. II. 11 (M. 8,989.).

Versus saec. 2. finem epistolae pastorales *sub Pauli nomine* in omnium ecclesiarum usu fuerunt. In canone *romanae ecclesiae* erant « ad Titum una et ad Timotheum duae pro affectione et dilectione (scriptae), in honorem tamen Ecclesiae catholicae et in ordinationem ecclesiasticae disciplinae sanctificatae »[11]. In *ecclesia africana* Tertullianus miratur, quod Marcion, qui epistolam ad Philem. admisit, « ad Timotheum duas et unam ad Titum de ecclesiastico statu compositas recusaverit »; ipse autem frequenter eas Pauli nomine addito allegat[12]. In *ecclesia gallicana* S. Irenaeus magnum suum adversus omnes haereses opus ab 1 *Tim.* 1, 4 inchoare voluit, atque omnes tres eadem prorsus ratione, qua reliquas paulinas, pro auctoritate adhibet; discipulus autem eius, qui Philosophumenon opus composuit, Encratitas non attendere dicit « ad ea, quae per Paulum Apostolum in eos praedicta sunt », in priore scil. ad Tim. epistola[13]. Quemadmodum autem saltem inde ab a. 170. plenus in omnibus ecclesiis occidentalibus de pastoralium authentia et divina auctoritate fuit consensus, ita etiam in orientalibus. S. Theophilum, *antiochenae ecclesiae* testem, iam citavimus; *alexandrinae* fidem nos docent Clemens Alex., qui in omnibus suis operibus eas velut fidei indubitatae adhibet, et Origenes, qui commentariis, quorum supersunt fragmenta, illas illustravit atque refert « ausos esse nonnullos epistolam ad Timotheum repellere, quasi habentem in se textum ali-

cuius secreti (i. e. apocryphi; cf. 2 *Tim.* 3,8), sed non potuisse »[14]. Praeterea sententiam *aegyptiacae* ecclesiae nobis exhibet versio coptica, sicut *syriacae orientalis* versio Peschito, quas ab initio nostras epistolas complexas esse nemo negat; versio syriaca autem ad medium saec. 2. saltem ascendit. Iuniora testimonia afferre supersedemus.

11. *Fragm. Murat.* lin. 60 sqq.; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 184.

12. *Tertull.* de praesc. 6; c. Marc. V. 21; de resurr. carn. 22; de pudic. 14 etc. (M. 2,18. 524. 827. 1004).

13. *S. Iren.* c. haer. I. 1; III. 3 et passim (M. 7,457. 849. 854); *Philosoph.* VIII. 20; cfr ibidem c. Marcionem VII. 30 (M. 16,3367. 3334).

14. *Clem. Alex.* Cohort. ad gent. 1. (*Tit.* 2,11-13); 9. (1 *Tim.* 2,4; 8,10; 2 *Tim.* 3,13-17) etc. (M. 8,61. 197); *Orig.* in Tit. (M. 14,1303 sqq.); in Matth. Comment. ser. 117 (M. 13,1769).

183. — Quem unanimem ecclesiarum consensum ex sola apostolica traditione derivari evidens est; quis enim sibi persuaserit epistolas medio vel ineunte saec. 2. aut etiam exeunte saec. 1. a nescio quo falsario confictas a toto Oriente et Occidente ne una quidem contradicente ecclesia pro divinis Scripturis et paulinis scriptis esse receptas? Quamobrem nullum etiam dubium contra earum authentiam motum est, usque dum tandem post plus sedecim saecula moderni « critici » antiquorum saec. 2. gnosticorum errores recoquere et renovare conati sunt. Omnium primus Schleiermacher ineunte nostro saeculo priorem ad Timotheum aggressus eam partim ex duabus aliis pastoralibus, quas genuinas agnovit, conflatam, partim ad earum exemplar confictam pronuntiavit[1]. At quamprimum duarum agnoscatur authentia, amplius iam non adesse sufficientem rationem tertiae reiiciendae bene perspicientes sequaces eius ac praesertim Neotubingiani aliique « critici » paulinam omnium trium originem aperte negarunt, ita tamen ut nonnulli saltem aliquid paulini in eis inveniri concederent[2]. Hodie demum eo res deducta est, ut non nisi pauci interpretes acatholici authentiam earum tueri audeant[3]; catholicos autem cunctos ex defendentium esse numero vix opus est ut dicamus.

Quoniam nec paucioribus nec levioribus testimoniis historicis authentia pastoralium, quam reliquarum, epistolarum innititur, adversarii illis relictis spretisque pro more ad internas rationes recurrunt; triplicis autem generis sunt eorum obiectiones; aliae sunt philologicae, aliae historicae, aliae chronologicae.

I. Etenim haud pauca in tribus nostris epistolis occurrere asserunt, *quae a consueto dicendi et argumentandi modo S. Pauli dissentiant.* Magna cum sollertia vocabula adhibita numeraverunt inveneruntque octingenta nonaginta septem adhiberi; inter illa autem universim esse centum septuaginta ἅπαξ λεγόμενα, quae in reliquis N. T. libris non usurpentur, alia praeterea

adesse centum triginta tria, quibus Apostolus in suis epistolis usus non sit, quamvis a S. Luca, scriptore ep. ad Hebr. aliisque N. T. auctoribus adhibeantur. Ex adverso satis multa vocabula, quae frequentia sint in genuinis paulinis, in hisce prorsus desiderari. Neque in vocabulis dumtaxat diversitatem apparere, sed in eorum quoque constructione atque in tota dictione [4].

1. Quid sibi patiens illa sollertia velit, qua adversarii nostri vocabula a Paulo adhibita ex concordantiis conquisiverunt, non intelligimus; nam nemo ignorat S. Apostolum in omnibus suis epistolis satis magnum numerum ἅπαξ λεγομένων adhibere; in epistola ad Galatas plus quinquaginta, in ep. ad Philipp. quinquaginta quatuor, in duabus epp. ad Ephesios et Coloss. centum quadraginta vocabula numerata sunt, quae in aliis non occurrunt. Quomodo autem aliter fieri potuerit, nemo facile dixerit. Apostolus enim de diversis argumentis tractans certe eadem vocabula usurpare non potuit: iam vero argumentum, de quo in pastoralibus agit, in reliquis epistolis non attigerat; haereses impugnat, quae ante priora eius vincula nondum erant exortae. Quid igitur admirationis habet, quod in nostris numerus ἅπαξ λεγομένων aliquantulum sit maior? Quis scit, annon in haereticis impugnandis illos ipsos terminos adhibuerit, quibus isti abutebantur?

2. Quod vero ad totam dictionem argumentandique rationem attinet, diversitas, quae adest, integra ex diverso argumento, quod tractatur, ex diverso fine, qui intenditur, ex diversis personis, quibus scriptae sunt epistolae, satis explicatur. Praeprimis autem monemus styli diversitatem quam maxime exaggerari a rationalistis; neque enim Patres alexandrini, quos ad librorum sacrorum stylum satis diligenter attendisse dubitationes eorum de epistolae ad Hebr. origine satis demonstrant, quorumque iudicium non minimae certe est auctoritatis, neque usque ad nostram aetatem alii interpretes, inter quos tamen nonnullos linguae graecae scientia excelluisse ne ipsi quidem rationalistae negabunt, quidquam diversitatis pastorales inter et reliquas epistolas deprehenderunt. At eam adesse demus; num forte Paulus senex discipulis suis carissimis familiari instructione officia pastoralia explicans eodem stylo uti debuit, quo Galatas contra iudaizantium errores praemunivit, Corinthiorum defectus emendavit, Romanis dogma de iustificatione exposuit? Quis demum auctor est, qui per totam vitam suam eandem retineat dictionem eodemque stylo, quo publicas, familiares suas literas scribat?

3. Falsario, qui pro Paulo haberi voluit, epistolas nostras rationalistae adscribunt; at falsarium illum dictionem paulinam optime cognovisse non negant; atque profecto satis multi et longi textus leguntur, qui cum consueta Apostoli dictione ita consentiunt, ut rationalistae alii eos ex genuinis Apostoli epistolis desumtas dicant, alii saltem ubique « reminiscentias paulinas » inveniant [5]. Cur ergo falsarius ille, qui Pauli stylum imitari potuit si voluit, terminos illos, quos Apostolum amasse nemo, qui eius epistolis unquam operam impendit, ignorat aut ignorare potest, nusquam adhibet? Cur ex. g. statim inscriptionis formulam, quae in aliis paulinis eadem est (χάρις καὶ εἰρήνη), statim mutavit (χάρις ἔλεος εἰρήνη)? Alio modo, opinor, falsarii incedunt, qui fraudem suam tegere et occultare student.

1. *Schleiermacher* Ueber den sogen. ersten Br. des Paulos an den Timotheos. Berlin 1807. Antea iam *I. E. C. Schmidt* (Einl. i. d. N. T. Marburg 1804. I. p. 257 sqq.) dubia nonnulla moverat.

2. *Eichhorn* Einl. i. d. N. T. 1812. III. 1. p. 315 sq.; *De Wette* Einl. Ed. 1. 1826. Ed. 6. 1860. p. 335-340; *Baur* Die sogen. Pastoralbr. d. Ap. Paul. Tübingen 1835; cfr. eiusdem Der Apostel Paulus. Ed. 2. II. p. 108 sqq.; *Credner* Einl. Halle 1836. p. 462-486; *Mayerhoff* Der Br. a. d. Koloss. mit besonderer Rücksicht auf die Pastoralbr. 1838. p. 5 sqq.; *Ewald* Sendschr. des Paul. 1857. p. XII; *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter II. p. 138 sqq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 744 sqq.; *Davidson* Introd. II. p. 144-195; *Renan* St Paul. Introd. p. XXIII sqq.; eiusdem L'Antechrist p. 100 sqq.; *Holtzmann* Die Pastoralbr. krit. u. exeg. behandelt. 1880; *eiusdem* Einl. Ed. 2. 1886. p. 306 sqq.; *v. Soden* (Holtzm. Handcomm. III. 1. 1893. p. 176 sqq.); *Jülicher* Einl. 1894. p. 115 sqq. aliique multi, quos *Holtzm.* (Die Pastoralbr. p. 10) enumerat. — Maiorem minoremve epistolarum partem Paulo auctori relinquunt *Credner, Hitzig, Ewald, Hausrath Pfleiderer, Immer* etc.; genuinas quasdam Pauli sententias a falsario retractatas epistolisque insertas esse sibi persuaserunt *Renan, Beyschlag, Sabatier* etc.; epistolas interpolatas quam conflictas dicere maluerunt *Plitt, Grau, Ménégoz* etc.; de quibus omnibus cfr *v. Soden* in Holtzm. Handcomm. III. 1. p. 156 et *Godet* Introd. I. 1890. p. 680 sq.

3. Ne ipse quidem *Godet* (cfr l. c. p. 722) omnem dubitationem sibi eximere potuit, atque *Kübel* (Strack Kurzgef. Comm. N. T. IV. 1888. p. 100) et *Weiss* (Einl. Ed 3. 1889. p. 322) de authentia certi esse non videntur. Ceterum « orthodoxi » authentiae propugnatores enumerantur a *Holtzm.* Pastoralbr. p. II, *Weiss* l. c. p. 321 etc.

4. Cfr *Holtzmann* l. c. p. 84-118; *Davidson* Introd. II. p. 182 sqq.; *Jülicher* Einl. p. 117 sqq. etc. Absurdissime *Renan* (St Paul, p. XXIII) ad argumentum tuendum asserit : « Le nombre moyen de fois qu'un mot doit revenir en un certain nombre de pages d'un auteur, surtout d'un auteur comme St Paul, est presque fixe ». Quomodo id fieri potest, si auctor de diversis argumentis diversis personis diverso tempore scribit? Ex. gr. nomen παρθένος sexies legitur in 1 *Cor.* 7, semel 2 *Cor.* 11, nusquam in aliis paulinis; item χήρα septies in 1 *Tim.*, semel in 1 *Cor.*, nusquam in aliis; et ita porro.

5. Cfr *Credner* Einl. p. 466. 471. 479 etc.; *de Wette* Einl. p. 338 sq.; *Holtzmann* Die Pastoralbriefe p. 119 sqq. etc.

II. Alteram obiectionum classem ex *historicis rationibus* derivant; in omnibus enim pastoralibus haereses impugnari, quae non nisi post Apostoli mortem sint exortae; in duabus (1 *Tim.*, *Tit.*) hierarchicam quandam ecclesiarum constitutionem supponi, quae apostolica aetate sit iunior: ea demum, quae de viduis praecipiantur (1 *Tim.* 5. 9 sqq.) tempori Apostolorum non convenire [6].

Quod argumentum petere principium illudque, quod demonstrandum est, pro demonstrato supponere in aperto est. Singulari modo adversarii nostri incedunt; rerum quendam statum sibi a priori fingunt eumque apostolicae aetati attribuunt; quidquid deinde cum fictionibus suis gratuitis in libris sacris non consentit, a falsario additum proclamant. Atqui recta ratio, opinor, postulat, ut ex libris, quos historicis testimoniis constat tempore apostolico esse scriptos, quisnam apostolicarum ecclesiarum fuerit status, quaei nam earum institutiones, quinam earum adversarii, discere studeamus.

1. At in aliis epistolis paulinis, inquiunt, hierarchiae vestigium non inve-

nitur; ergo tempore apostolico hierarchia non exstitit. Num forte *Phil.* 1,1 episcopi et diaconi non commemorantur? Num 1 *Thess.* 5,26. 27 (praesertim si cum *Phil.* 4,21 comparantur) non satis distinguuntur illi, quibus velut ecclesiae praesulibus scribitur epistola, a reliquis fratribus? Annon Paulus et Barnabas « per singulas ecclesias constituebant presbyteros »? Annon presbyteri et episcopi, quos « Spiritus S. posuit regere ecclesiam Dei » commemorantur[7]? Procul dubio haec occurrunt in epistolis et libris, quibus novi « critici » fidem denegant, quique ex eorum opinione etiam tempori iuniori adscribantur oporteat. Sed in quatuor illis epistolis, quas Pauli esse non negant, hierarchicae institutionis vestigia non desunt; sicuti enim *Rom.* 12,8 inter eos, qui singulari Spiritus dono sunt ornati, ὁ προϊστάμενος enumeratur, ita 1 *Cor.* 12,28 inter dona Spiritus « gubernatio » nominatur; atque ipsa variarum ecclesiarum distinctio (1 *Cor.* 16,19) hierarchicam quandam rationem innuit, siquidem ecclesias illas fuisse totidem societates completas docet. Porro si tempore apostolico nulla adfuit hierarchia, quomodo factum est, ut immediate post apostolicam aetatem in omnibus ecclesiis orientalibus et occidentalibus non tantum hierarchiam qualemcunque, sed eandem ubique per episcopos, presbyteros, diaconos dispositam inveniamus? *S. Clemens Rom.* ab Apostolis « episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant » institutos dicit; *S. Ignatium M.* in omnibus suis epistolis de episcopis presbyteris diaconis loqui nemo ignorat[8]. Quare quo argumento adversarii nostri ullam unquam ecclesiam apostolico tempore exstitisse demonstrare velint, quae episcopalem dignitatem non agnoverit, difficile est dictu.

2. De haereticis autem apostolici temporis iam disseruimus (*supra* 114). Sicut Minerva cum omnibus suis armis ex Iovis capite prosiluit, ita saec. 2. integrum gnosticismum cum omnibus suis systematis et formis nescio unde prorupisse fingunt « critici ». Magna quidem cum sollertia Lutheri praecursores quaerunt, nec inepte eos in mediae aetatis haereticis inveniunt; at Valentinum, Basilidem, Marcionem praecursores habuisse negant. Si vero ex iis quaeris, quodnam gnosticum systema falsarius prae oculis habuerit, diversissima accipis responsa ; Baur et Hilgenfeld Marcionem impugnatum vident, Schwegler Valentinum, Schenkel Ophitas, Lipsius Ophitas antevalentinianos, Mangold Ebionitas essenos. Quae sententiarum diversitas manifestum facit, nullam ex illis formis, quae saec. 2. excultae sunt, sed haereseos gnosticae prima semina impugnari, quae etiam in ep. ad. Col. iam impugnantur[9].

Sed en! historicum proferunt testimonium, quo post apostolicam aetatem gnosticismum exortum esse demonstrent. Hegesippo enim teste « postquam sacer Apostolorum coetus vario mortis genere exstinctus erat effluxeratque illorum hominum aetas, qui divinam ipsam Sapientiam auribus suis auscultare meruerant, tunc demum impii erroris conspiratio initium habuit (τηνικαῦτα τῆς ἀθέου πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις) falsorum doctorum fraude et malitia. Qui, quoniam nullus amplius Apostolus superstes erat, *nudo iam capite* adversus veritatis praedicationem scientiam falsi nominis (τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν) obtrudere aggressi sunt »[10]. Ergo Hegesippum haereticorum tempore apostolico exsistentiam negasse clamant; sed praepropere et incon-

sulte. Namque eodem in loco idem testis asserit viventibus Apostolis « *in obscuro recessu delituisse*, qui rectam evangelicae praedicationis regulam depravare nitebantur », alioque in loco Thebuthim immediate post S. Iacobi Min. mortem, ergo ante SS. Petri et Pauli martyrium, errores suos inter Palaestinenses sparsisse tradit.

3. Quae de viduis praescribuntur, ea nullam omnino creant difficultatem, nec satis intelligitur, quid sibi in hac controversia velint. Utrum 1 *Tim.* 5,9 de electione viduae, quae reliquis viduis praesideat (id quod probabile habet S. Thomas) sermo sit, an de electione viduarum, quae publicis ecclesiae stipendiis sint sustentandae, an demum de viduis, quae publico quodam ministerio ecclesiastico fungentes in operibus caritatis erga pauperes, aegrotos, hospites occupandae sint, interpreti relinquimus definiendum; quaecunque enim ex his sententiis eligitur, nunquam demonstrari poterit apostolico tempore et ab Apostolo haec non esse scripta.

4. Demum adversarios interrogare liceat, cui tandem tempori historicas allusiones convenire censeant; verumtamen qui in paulina epistolarum origine neganda unanimes sunt, de tempore cui sint attribuendae vehementissime inter se concertant. Ab a. 69., quo Renan 1 *Tim.* 2,2 scriptum esse asserit, aut saltem ab exeunte saec. 1. usque ad a. 170. vix habetur lustrum, cui ab aliquo non attribuantur[11]; infirmum igitur historicum istud esse fundamentum, cui hypotheses suas superstruunt, suis controversiis demonstrant. Neque minore cum vehementia disceptant, si de fine, quem falsarius habuerit, quaestio agitatur. Pro more Neotubingiani de Petrinis et Paulinis conciliandis fabulantur; secundum alios hierarchicas institutiones ex apostolico tempore derivare, secundum alios haereses suae aetatis apostolica auctoritate refutare voluit etc. Quae gratuita figmenta explicatione et refutatione non indigent.

6. *Holtzmann* Pastoralbriefe p. 126 sqq. 202 sqq.; *Renan* St Paul p. XXV Note; *Davidson* Introd. p. 175 sqq. 188 sqq. etc.

7. *Act.* 14,22; 20,17 sqq.; cfr. de diaconorum institutione 6,1 sqq.; de manuum impositione ad episcopatum tradendum 13,1-4 etc.

8. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 42; *S. Ignat M.* ad Ephes. 3. 4 etc.; ad Magnes. 2 sqq.; ad Trall. 2 sqq. etc.

9. *Baur* Der Apostel Paul. II. p. 110; *Hilgenfeld* Einl. 760; *Schwegler* Nachapost. Zeitalter II. p. 142 sqq.; *Schenkel* Bibellex. IV. p. 400; *Lipsius* Der Gnosticismus p. 141; *Mangold* Die Irrlehrer der Pastoralbr. Marburg 1856 etc. Cfr. *supra* 114. p. 388 sqq.

10. *Euseb.* H. E. III. 31 (M. 20,284). Curiositatis gratia addamus Neotubingianorum parentem, quum ab Hegesippo eundem terminum, qui 1 *Tim.* 6,20 legitur (ἡ ψευδώνυμος γνῶσις), adhiberi videret, non dubitasse, quin auctor epistolae eum ex Hegesippi opere desumserit (Apostel Paul. II. p. 111 sq.). Nonne rectius nos Hegesippum inter testes apostolicae originis pastoralium numeramus?

11. *Renan* St Paul. p. XXIV. « 1 *Tim.* 2,2 n'a pas de sens dans les dernières années de Néron; cela a été écrit après l'avènement de Vespasien », i. e. a. 69; sed p. L. « l'époque de ces trois épîtres peut être placée vers l'an 90 ou 100 »; *Volkmar* (Moses Prophetie p. 91. 162) eas ponit inter 140 et 170; *Hilgenfeld* (Einl. p. 764 circa a. 150, *Pfleiderer* (Protestanten Bibel. p. 837) 2 *Tim.* inter 98 et 117 et 1 *Tim.* inter 117 et 138; *Holtzmann* (Pastoralbr. p. 271) inter 140 et 150 etc.

III. Tertia difficultatum classis *ex chronologia vitae S. Pauli* desumitur. Namque in tota Apostoli vita, quatenus ex Actibus et genuinis eius epistolis innotuerit, nullum inveniri aiunt temporis momentum, in quo pastorales scribi potuerint; itinera enim supponi vel commemorari, quorum in Actibus et epistolis non tantum non fiat mentio, sed quae cum narratis nullo modo conveniant. Pro certo igitur esse admittendum illas usque ad a. 64. non esse conscriptas; at illo anno post Urbis incendium Apostolum a Nerone esse interfectum. Quod argumentum nonnulli adversarii tam firmum et invictum habent, ut reliquis neglectis hoc solo rem definiri arbitrentur [12].

1. Praeprimis vero illud a plerisque rationalistis iniustissime urgeri monemus. Actus enim fidem non mereri, eorum auctorem historiam arbitrario modo composuisse et quam plurima finxisse, ut Petrum et Paulum faceret simillimos, nullius ergo auctoritatis librum illum esse, magna cum sollertia demonstrare conantur; quo igitur cum iure ad illum recurrunt, ut pastoralium authentiam impugnent? Atque mirum sane, quod illi, qui gravissimis rebus a S. Luca narratis fidem denegant, minutissimas circumstantias itinerum Pauli ex Actibus conquirant, ut pastorales illis contradicere ideoque genuinas non esse ostendant [13]. Idcirco optimo nostro iure neminem esse in hac controversia audiendum tenemus, quin plenam integramque fidem Actibus adhibeat; ex paucis enim, quae epistolae de Pauli vita nos docent, obiectionem seriam contra pastoralium authentiam non desumi, omnes concedunt.

2. Ceterum temporis, quo scriptae sunt nostrae epistolae, definitionem sua non carere difficultate ingenui fatemur; neque enim certi quidquam hac de re nos docet traditio, neque circumstantiae historicae in pastoralibus indicatae ita sunt comparatae, ut varie a variis explicari non possint; imo illud quoque concedimus, circumstantias illas cum iis, quae in Actibus de vita Pauli traduntur, apte non componi. Attamen difficultas haec earum authentiam non labefactat; quot enim liborum profanorum authentia ab omnibus sine ulla haesitatione admittitur, quamvis de tempore, quo sunt scripti, nihil nobis sit traditum! Quod autem circumstantiae illae, quae in pastoralibus afferuntur, in Actibus non sunt relatae, id eum solum offendet, qui S. Lucam integram S. Pauli vitam literis mandasse stulte sibi persuaserit. Quamvis enim reliquae epistolae vitae in Actibus narratae satis apte inserantur, non pauca tamen Pauli facta in iisdem commemorantur, quorum tempus nemo cum veri similitudine, nedum cum certitudine, definiverit [14].

3. Authentia igitur epistolarum pastoralium a chronologia vitae paulinae, quatenus in Actibus et reliquis epistolis nobis conservata est, nullatenus dependet. Etenim usque ad a. 64. dumtaxat vita Apostoli in Actibus narratur; Apostolum autem ex illa captivitate, qua Actuum liber terminatur, esse liberatum argumentis historicis supra demonstravimus, idemque cum omnibus fere catholicis interpretibus non pauci quoque protestantici concedunt; eum demum una cum S. Petro a. 67. martyrio esse coronatum optimi quique tenent historiographi [15]. Quid igitur prohibet, quominus ultimo paulinae vitae triennio epistolas pastorales attribuamus [16]? Frustra igitur ad chronologiam recurrunt adversarii, ut earum authentiam impugnent.

12. *Holtzmann* l. c. p. 15-53; *Davidson* l. c. II. p. 150 sqq.; *Renan* l. c. p. XXVI sqq. « Je ne me servirai pour prouver ma thèse que de raisonnements en quelque sorte matériels; j'essayerai de démontrer qu'il n'y a moyen de faire rentrer ces épîtres ni dans le cadre connu, ni même dans le cadre possible de la vie de saint Paul ». Eodem modo alii hoc argumento velut ariete utuntur, ex. gr. *Schenkel* Bibellexion IV. p. 394 sqq., *De Wette* Einl. p. 329. 331 sqq. etc.

13. Cfr. *supra* 88 p. 329 sqq. Argumentum nostrum non solum contra Neotubingianos valet, qui Actus integros pro figmentis falsarii habent, sed etiam contra eos, qui aliqua dumtaxat a S. Luca ficta esse declarant. Etenim si verum est, quod asserit Renan, « que, dans deux ou trois circonstances, ses principes l'ont porté à *fausser gravement* la biographie de Paul, qu'il commet des *inexactitudes* et surtout des *omissions vraiment étranges* chez un disciple de ce dernier,... (si) même dans la partie où il a dû être compagnon de Paul, il est quelquefois singulièrement sec, *peu informé*, peu éveillé » (Les Apôtres p. XIV), equidem non intelligo, quid argumentum ex eius libro desumtum valeat. Atque *Holtzmann* quoque (Schenkel Bibellex. I. p. 216) si solas eas partes, in quibus prima persona plur. adhibetur, « schlechthin Glauben verdienen » asserit, ex reliquis partibus verum argumentum trahere non potest. Mirum est, quantopere careant moderni rationalistae primis artis logicae principiis!

14. Ubinam ante *Act.* 20,1 inseri possint octo illae flagellationes, tria naufragia etc, quae 2 *Cor.* 11,24 sqq. Apostolus enumerat, nemo cum certitudine dixerit.

15. Cfr. *supra* 107 et opera ibidem n. 4. laudata. p. 375

16. *Infra*, ubi de singulis pastoralibus agemus, illas revera post priorem captivitatem scriptas esse ostendemus. Hoc autem loco illas obiectiones paucis verbis solvemus, quibus nixi *Renan* aliique, quamvis Pauli liberationem ex prioribus vinculis concedant, originem pastoralium isti tempori attribui posse negant.

a.) Falsarium enim prioris captivitatis circumstantias prae oculis habuisse contendunt: « Le rapprochement de 2 *Tim.* 4,9-22 avec les finales des épitres aux Colossiens et à Philémon le prouve. Le personnel qui entoure l'apôtre est à peu près identique dans les deux cas. La captivité du sein de laquelle Paul est censé écrire la seconde à Timothée finira par une libération (2 *Tim.* 4,17. 18); Paul, dans cette épître est plein d'espérance; il médite de nouveaux desseins et est préoccupé de la pensée qui le remplit en effet pendant sa première captivité, prêcher le Christ à toutes les nations et en particulier aux peuples de l'extrême Orient » (*Renan* St Paul p. XLV). Scilicet fere easdem personas Apostolus in utroque casu secum habuisse dicitur, quia ex *sex* discipulis, qui *Col.* 4,10-14, et ex *quinque*, qui *Philem.* 22. 23. velut praesentes enumerantur, *unus solus* (S. Lucas) praesens adfuit, quando 2 Tim. scribebatur (2 *Tim.* 4,9-12). Quo in loco epistolae novae illae expeditiones innuantur, indicare omisit vir eruditus, spem futurae liberationis autem invenit 2 *Tim.* 4,17. 18 non attendens v. 16. iam clarissime tempus praeteritum esse indicatum et v. 18. non minus clare, quam paullo antea (v. 6-8) instantem mortem praevideri. Renan contradictionem inter 4,6-8 et 4,17. 18. invenit; nam frigidam iciunamque dicit explicationem, quae 4,17. 18 ad priorem captivitatem trahens apparentem contradictionem solvit; at etsi epistolas a falsario confictas esse concederemus, frigidam et iciunam sententiam, quam apertam contradictionem ei attribuere mallemus; ceterum frigidi ieiunique in illa explicatione nihil inest.

b.) « Si les trois épîtres en question étaient d'une date si avancée, on ne concevrait pas comment Timothée y serait toujours traité en jeune homme » (l. c. p. XLVI). Timotheus, quem iuvenem Paulus a. 51. itinerum socium elegit, tempore mortis Apostoli circiter triginta sex septemve annos habuit atque ecclesiis Asiae iam erat praepositus: quare ergo Paulus monere non potuit: « nemo adolescentiam tuam contemnat »

(1 *Tim.* 4,12) et « iuvenilia desideria evita » (2 *Tim.* 2,22)? Tanto enim et tam difficili muneri aetas nondum correspondebat et pericula calidioris aetatis maiore vigilantia erant superanda. Velut *filium carissimum* in utraque epistola Apostolus discipulum alloquitur et admonet; at nusquam eum velut iuvenem aut puerum tractat.

c.) Si epistolae post priorem captivitatem scriptae essent, Paulum in Orientem et Ephesum revertisse esset dicendum; at *Act.* 20,25 alterum iter ephesium prorsus excludit (l. c. p. XLVI). Cfr. quae de hac obiectione diximus *supra* 107 n. 8. p. 475.

§ 15. — *De epistola ad Titum.*

184. — Epistolam ad Titum et priorem ad Timotheum circa idem tempus ab Apostolo esse datas communis est sententia, quae in utriusque epistolae argumento et stylo loquendique modo firmum habet fundamentum; utra vero ex eis alteram praecesserit, nullo argumento definitur; quare prius de illa ad Titum dicemus, ne duas ad Timotheum ab invicem separare cogamur; alteram enim ad Timotheum omnium paulinarum ultimam esse pro certo tenemus.

I. De S. Titi vita admodum pauca nobis sunt tradita. Quamquam enim S. Paulus « dilectum suum filium », « fratrem suum », « socium suum et adiutorem », qui secum « eodem spiritu iisdemque vestigiis » ambulet, in epistolis suis eum appellat[1], ne nomen quidem eius in Actibus commemoratur. Etenim Titus Iustus, in cuius domo Apostolus Corinthi relicta synagoga neophytos congregavit, a discipulo, cui nostrae literae datae sunt, omnino est distinguendus; siquidem ille « colens Deum », i. e. proselytus iudaicus, eo tempore fuit, quo Paulus Corinthum advenit; Titus autem noster erat christianus, quem Apostolus satis diu, antequam Corinthum advenit, secum ad Concilium Apostolicum adduxerat[2].

Ethnicum eum ante conversionem fuisse luculentissime ex testimonio Pauli constat, qui, ne veritas Evangelii ullo modo laederetur, circumcidi eum non permisit, quamvis iudaizantes hierosolymitani id postulassent; ab Apostolo ipso eum ad fidem adductum et baptizatum esse colligimus ex eo, quod ab ipso « filius » nominetur; Antiochenum genere eum fuisse probabile fit, si *Gal.* 2, 1 cum *Act.* 15, 2 (καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν, sc. ex Antiochenis) comparamus[3]. Socius secundae expeditionis apostolicae non videtur fuisse; at in tertia sua expeditione Paulus Ephesi residens, postquam priores suas literas ad Corinthios dederat, Titum cum alio fratre Corinthum misit, ut quos fructus epistola tulisset inquireret, atque pro fidelibus hierosolymitanis eleemosynas colligeret; Epheso autem profectus in Macedonia Titum Corintho reducem obviam habuit, atque ex bonis quos attulit nuntiis non parvam hausit consolationem. Quoniam vero prima hac missione egregie erat

functus, discipulus Corinthum reverti iussus est, ut alteram Apostoli epistolam deferret collectarumque negotium feliciter inceptum cum duobus aliis fratribus ad felicem quoque exitum perduceret[4]. Quid postea egerit, ignoramus; nulla enim eius fit mentio, donec ex nostra epistola eum cum Apostolo in insula Creta Evangelium propagasse atque ibidem relictum esse videmus, ut magistri sui vices agens ecclesiis cretensibus presbyteros praeficeret et reliqua quae desiderabantur disponeret[5]. Quandonam iter hoc creticum fecisse videatur, statim dicemus. Eadem nostra epistola ab Apostolo invitatus, ut Nicopolim ad ipsum veniret, in Graeciam[6] videtur esse profectus, atque ultimo in itinere romano Pauli socius mox in Dalmatiam ablegatus est[7].

Quibus ex Scriptura haustis Patres nihil certi addunt. Titum episcopum cretensem fuisse et senem in insula Creta, postquam in vicinis quoque insulis Evangelium annuntiaverit, esse mortuum tradunt *Eusebius, Theodoretus, S. Isidorus Hisp.*, alii; eum usque ad vitae finem virginem mansisse referunt *S. Hieronymus* et *Ps. Ignatius*[8]. In Martyrologio romano festum S. Titi Episcopi et Confessoris die 4. Januar. indicatur.

1. *Tit.* 1, 4; 2 *Cor.* 2,12; 8,12; 12,18.

2. *Act.* 18,7; *Gal.* 2,1. — *S. Chrysost.* (in Tit. hom. 1,1. M. 62,663) quidem probabile habet eum in Actibus commemorari ac proinde Corinthium genere fuisse; at immerito. Ne id quidem constat, num *Act.* 18,7 legendum sit Τίτου Ἰούστου (ℵ. E. et pauci minusculi cum *Vulg.*, *Memph.*, *Arm.*), an Τιτίου Ἰούστου (B. D. cum *Pesch.* et *Sahid.*), an Ἰούστου (sine addito; A. H. L. P. et plerique codd. et PP. graeci cum *Aeth.*).

3. *Gal.* 2,3 sqq.; *Tit.* 1,4; *Act.* 15,2.

4. 2 *Cor.* 2,13; 7,6 sqq. 13 sqq.; 8,6. 16; 12,18.

5. *Tit.* 1,5; 3,12. 13.

6. Non paucis civitatibus nomen *Nicopolis* ob victorias ibi relatas a victoribus est inditum, nec Apostolus quam intelligat ullo epitheto indicat. Moderni nonnulli illam Nicopolim intelligunt, quae ab Alexandro M. in Cilicia Issum inter et Antiochiam fundata dicitur; at cur Apostolus in oppidulo hoc, quam in vicina Antiochia, hiemem peragere maluerit, non apparet. *S. Chrysost.* (in Tit. hom. 6,1. M. 62,696) et *Theodoret.* (in Tit. 3,12. M. 82,869) Nicopolim ad Nestum in Thraciae ac Macedoniae finibus intelligunt; quod oppidum multis annis post Pauli mortem a Traiano nomen suum accepit. Cum *S. Hieron.* (in Tit. 3,12. M. 26,598) Nicopolis Epiri (Actia Nicopolis) rectius intelligitur, « quae ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit ». Revera tempore Apostoli florentissima erat civitas, atque ex Achaia in Italiam iter facientibus statio peropportuna.

7. 2 *Tim.* 4,10.

8. *Eus.* H. E. III. 4 (M. 20,220); *Theodoret.* in 1 Tim. 3,1 (M. 82,804); *S. Isid. Hisp.* De vita et obitu PP. 87 (M. 87,356); *Ps. Hieron.* De vitis Apost. 9. (M. 23,763 : « Titus episcopus Cretae in eadem et in circumiacentibus insulis praedicavit Evangelium Christi. Ibidem et obdormivit et sepultus est »). — *S. Hier.* in Tit. 2,7. (M. 26,583); *Ps. Ignat.* ad Philad. 4 (Funk Patres apost. II. p. 130) etc.

185. — II. QUO TEMPORE epistolam ad Titum Apostolus dederit, quaestio est haud facilis; atque in diversissimas sententias abeunt interpretes. Quoniam Patres de ea nihil tradant, ex solis temporis circumstantiis, quas in epistola ipsa invenimus, est definienda. Sunt autem hae : S. Paulus, antequam eam scriberet, cum Tito in insula Creta fuerat, at non diu commoratus, quandoquidem ecclesiis fundatis presbyteros nondum constituerat, proficiscens Titum reliquerat, ut opus inchoatum ad finem felicem perduceret. Nostra autem epistola eum ad se Nicopolim vocat his verbis : « Quum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim; ibi enim statui hiemare : Zenam legisperitum et Apollo sollicite praemitte, ut nihil illis desit »[1]. Praecepta demum, quae de presbyteris constituendis tradit, eiusmodi sunt, ut epistolam brevi postquam Apostolus insulam reliquit scriptam esse demonstrent. Tota igitur quaestio est, quando Paulus iter illud creticum instituerit.

Apostolum, quum vinctus Romam duceretur, ad insulam Cretam appulisse Actus nos docent; de hoc autem itinere, quod indicatum vidit Grotius, sermonem non esse moderni interpretes pro certo asserunt, quandoquidem illa in occasione Apostolo praedicandi Evangelii occasio et tempus defuerint atque epistola a Paulo sit scripta de suis itineribus libere disponente[2]. Quae recte quidem sunt dicta, sed rem non omnia attingunt. Etenim Paulum aut Titum Cretensibus primos Evangelium attulisse nullibi asseritur; e contra ex nostra epistola evidenter elucet ante eorum adventum Christianos in insula iam adfuisse. In eo enim omnes consentiunt Paulum diu in insula non esse commoratum; nihilominus in nostra epistola iam de haeresibus loquitur, quae inter Cretenses pullularant[3], at paucis illis hebdomadis, quibus ipse Evangelii semen sparsit, exoriri certissime non potuerunt. Omnino igitur admittamus oportet, bonum nuntium iam antea esse in insula propagatum; neque improbabile est, Cretes illos, qui in prima Pentecoste S. Petri sermonem audiverant (*Act.* 2,11), prima Evangelii semina in patriam attulisse; atque insequentibus annis, quando in omnibus fere portibus Syriae, Asiae Min., Graeciae Evangelium fructificare coeperat, nova semper semina in insulam esse allata facile intelligitur. Quare Paulus a. 61. vinctus adveniens Christianos procul dubio iam invenit, atque pauci dies, quos ibi peregit, sufficere potuerunt, ut de eorum statu certior redditus Titum relinquendum statueret, qui presbyteris constitutis et hierarchia stabilita eos in iustas, ut ita dicamus, ecclesias colligeret et haereticorum conatus impugnaret. Alteram autem obiectionem solvit Grotius, epistolam a Paulo ex prioribus vinculis liberato scriptam statuens; quae solutio in graviorem difficultatem eum iniicit, quum nullo modo intelligatur, quomodo Titus, postquam tres iam annos in ordinandis ecclesiis creten-

sibus laboraverit, praeceptis nostrae epistolae indiguerit. Ex hoc igitur capite solo probabilitate carere primam hanc sententiam arbitramur.

S. Lucas autem de altero itinere cretico Apostoli non loquitur; quapropter inquirendum est, ubinam apte inseratur; non omnia enim Pauli itinera et labores in Actibus nobis narrari certissimum est. Sunt qui Apostolum aut ante tertiam eius expeditionem maiorem vel ex Achaia vel ex Syria, aut in illius principio ex Galatia, antequam Ephesum veniret, brevem excursionem in Cretam fecisse ecclesiarumque cretensium fundamenta posuisse dicant[4]. Quae sententia ex eo erronea esse demonstratur, quod illo tempore Apollo, quem Titus secum habuit, Evangelium vix acceperat neque a Paulo inter suos socios erat acceptus; Apollo quoque ab Aquila et Priscilla viam Domini diligentius edoctus in Achaiam profectus erat nec Ephesum est reversus, nisi quo tempore Paulus ibi iam resedit[5].

Quare alii in triennio illo, quod Ephesi Apostolum peregisse Actus tradunt, iter creticum ponere malunt; ex Creta autem in Achaiam profectum Nicopoli hiemasse atque insequenti anno Ephesum revertisse statuunt[6]. Sed haec quoque opinio, quum Actuum narrationi contradicat, omni probabilitate est destituta. Quam plurima quidem itinera a multis interpretibus triennio illi ephesio attribuuntur, sed immerito; Apostolum enim illo tempore breves quasdam excursiones in civitates vicinas fecisse nec negamus nec asserimus, at quominus eum per multos menses aut per annum integrum Ephesum reliquisse dicamus, prohibent quum verba S. Lucae narrantis eum « *quotidie... per biennium* » in schola Tyranni cuiusdam disputasse, tum verba Pauli ipsius presbyteris ephesiis in memoriam revocantis « *per triennium nocte et die* se non cessasse cum lacrymis monentem unumquemque eorum »[7]. Itinerum autem, quae Epheso profectus Apostolus in Macedoniam et Achaiam atque ex Achaia per Macedoniam et maritimam Asiae oram in Palaestinam suscepit, historiam tam accurate Lucas nobis narrat, ut nullibi iter creticum inserere liceat; in Palaestinam vero reversus Ierosolymis in vincula coniectus est[8].

Quae quum ita sint, illis omnino assentimur, qui ante illam Apostoli captivitatem, qua Actuum narratio terminatur, Paulum epistolam nostram scripsisse negant. Nec quidquam restat, nisi ut recentiori tempori iter eius creticum adscribamus. Probabile autem habemus, S. Paulum ex prioribus vinculis liberatum Roma in Hispaniam esse profectum atque paucis mensibus postea (aestate vel auctumno a. 64.) ex Hispania in Orientem revertentem ad insulam Cretam appulisse ecclesiarumque fundamentis positis Titum, ut reliqua disponeret, reliquisse; visitatis deinde Asiae et Macedoniae ecclesiis, quum in Italiam reverti vellet, discipulum Nicopolim Epiri ad se advocasse, ut reliquorum

itinerum socium eum adhiberet pro Timotheo, quem Ephesi reliquerat (aestate a. 65.).

Quo ex loco autem literas has dederit, ne coniectura quidem probabili assequi possumus. Cum multorum quidem codicum subscriptionibus Theodoretus, S. Hieronymus multique alii interpretes tradunt S. Paulum illam Nicopoli scripsisse[9]; quam parum recte autem id asseratur Apostoli ipsius verba produnt, quibus illam in civitatem se nondum advenisse innuit[10]. Quod si quis ex iisdem verbis colligere voluerit, eum illo tempore saltem in Achaia vel Macedonia iam fuisse, non contradicemus, sed cui bono vaga haec loci definitio inserviat, non intelligimus.

1. *Tit.* 1,5; 3,12. 13.

2. *Act.* 27,8; *Grotius* Arg. in ep. ad Tit. « In Creta non video fuisse Paulum, nisi in illo itinere, quo ab Ierosolymis tractus est Romam... Quum Cretam transiret initia ibi ecclesiarum videns, credo ex illa dispersione post Stephanum, Titum reliquerat ad ea agenda quae erant metropolitae... Videtur autem mihi, ut et aliis ante me, scripta haec epistola aut Roma aut ex aliquo alio Italiae loco inter prima et altera Pauli vincula, quo tempore liber serviebat Evangelio ».

3. *Tit.* 1,10. 11. 14; 3,9 sqq.

4. Cum aliis *Hug* Einl. II. p. 295 sqq.; *Glaire* Introd. p. 169 sqq.; *Aberle* Einl. p. 200 etc. Eiusdem sententiae ex Protestantibus sunt *Michaelis, Credner, Neudecker* etc.

5. *Act.* 18,24 sqq.; 1 *Cor.* 16,12 etc. Cfr. *supra* 137.

6. Cum aliis *Reithmayr* Einl. p. 565; *Valroger* Introd. II. p. 239 etc; ex protestanticis *Matthies, Wieseler* etc. — *Baron.* (Annal. a. 57. n. 209. et a. 58. n. 1,) *Corn. a Lapide* (Arg. ep. ad Tit.) Paulum Epheso profectum (*Act.* 20,1 sqq.) per Cretam in Macedoniam et Achaiam ivisse dicunt; rectissime autem iam monuit Estius videndum esse, an haec sententia non pugnet cum 2 *Cor.* 2; quam pugnam nemo non videt.

7. *Act.* 19,9 sq.; 20,31.

8. *Act.* 20,1-21,33.

9. *Theodoret.* ep. ad Tit. Arg. (M. 82,857): *Ps. Athan.* Syn. S. S. 71 (M. 28,427); *S. Hier.* ad Tit. Prol. (M. 26,656). Codicum subscriptiones cfr. in *Tischend.* N. T. Ed. 8. II. p. 894 sq.

10. *Tit.* 3,12 « ἐκεῖ (*ibi*) γὰρ κέκρικα παραχειμάσαι.

186. — III. Qua occasione literae nostrae sint datae, ex dictis iam satis apparet. Apostolus enim, postquam cum discipulo suo insulam peragravit divinique verbi sermonem sparsit, profecturus ut ecclesias in Asia, Macedonia, Graecia olim fundatas denuo visitaret, reliquam administrationem Tito reliquit, qui ea, quae deesse videbantur, corrigeret et per singulas civitates presbyteros constitueret. Quo munere ut bene fungi posset, monitis nonnullis indigebat, ut accuratius cognosceret, qui eligendi et constituendi essent presbyteri quidque singulis ecclesiarum membris praescribendum esset. Quae quidem monita, antequam profectus est, Apostolus viva voce procul dubio iam dederat; ut melius autem ea teneret, scripto ea repetenda censuit. Etenim in

ecclesiis cretensibus status rerum difficilior erat quam in aliis ecclesiis nascentibus; difficultates autem ex duplici praesertim fonte exoriebantur.

Namque Cretae, magnae illius insulae, quae centum urbibus olim potens ἑκατόμπολις est dicta, incolae in tota antiquitate ob mendacitatem, astutiam, avaritiam, libidinem erant famosi, neque sine ratione S. Apostolus discipulo in memoriam ea revocat, quae unus ex cretensibus poetis de suorum contribulium vitiis memoriae prodiderat[1]. A quibus non multum discrepasse Iudaeos, quos frequentes insulam habitasse Philo et Fl. Iosephus testantur, ex epistola nostra discimus; non minus enim eos, qui ex circumcisione erant, inobedientes, vaniloquos, seductores, turpis lucri causa docentes fuisse, quam Cretenses ipsos, aperte docet Apostolus[2]. Quod si vero ex hac morum corruptione universali magnum imminebat periculum fidelibus, maius illis imminebat ex eo, quod iam haereses spargi coeptae essent, ideoque ecclesiis in iustam formam nondum redactis fideles velut oves dispersae, quibus desunt pastores, luporum incursionibus essent expositi. A Paulo enim et Tito prima Evangelii semina in insulam non esse allata iam diximus, at ante eos etiam nullum alium Apostolum aut apostolicum virum ibi adfuisse certum est. Quapropter nemo mirabitur, quod S. Paulus, quoniam nascentes illas ecclesias maiore cura ac diligentiore vigilantia indigere videbat, monitis illis, quae discipulo viva voce dederat, non contentus in sua epistola illa in memoriam ei revocare voluerit.

Cui occasioni respondent epistolae argumentum, quod monitis praeceptisque constat, et divisio[3]; namque post inscriptionem in prima parte describitur, ad quid discipulus in eligendis presbyteris attendere debeat (1,5-16), in secunda, quae singularum aetatum et ordinum sint officia (2,1-15), in tertia demum monita quaedam generalia adduntur (3,1-11). Accuratiorem idearum nexum exhibet haec analysis.

1. *Tit.* 1,12. Testimonium ab Apostolo allegatum ex *Epimenidis Cret.* libro, qui *Oraculorum* titulo praenotatus sit, esse desumtum tradit *S. Hier.* (i. h. l. M. 26,606). Cfr. etiam *Clem. Alex.* Strom. I. 14 (M. 8,757), *Socrat.* H. E. III. 16 etc. Ceterum Cretensium mendacitatem testantur etiam *Callim.* Iov. 8 (Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται), *Polyb.* (VI. 47,5), *Ovid.* (Ars amat. I. 297), eorum astutiam rapacitatem avaritiam *Polyb.* (VI. 46,3), *Plut.* (Philopoem. 13), *Liv.* (XLIV. 45), *Leonid. Tarent.* (Ἀεὶ λῄζονται καὶ ἁλίφθοροι, οὐδὲ δίκαιοι Κρῆτες· τίς Κρητῶν οἶδε δικαιοσύνην;) etc.

2. *Philon.* Legat. ad Cai. 36 (Ed. Lips. VI. 131); *Fl. Ioseph.* Bell. iud. II. 7,1. Cfr. *Tit.* 1,10 sqq.

3. Simili modo epistolam iam distribuit *S. Thom.*, quamvis praecipuum finem in eo videat, ut ecclesia contra haereticos muniatur (Quomodo Titus alios instruere debeat ad resistendum haereticis 1,5-16, quomodo ipse eis resistere debeat instituens singulas hominum classes 2,1-15 et omnes simul sumtos 3,1-11); rectius easdem partes designat *Lyran* (in Tit. 1,4) : « in prima instruit Titum de ordinatione ecclesiae, in secunda de informatione plebis sibi commissae quantum ad aliquos specialiter, et in

tertia quantum ad omnes generaliter ». Quibuscum consentiunt moderni : *Kilber* l. c. II. p. 499 sqq., *Goldhagen* Introd. III. p. 398 sq., *Bisping.* Exeg. Handb. VII. 1. p. 292, *Drach* l. c. p. 655, *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 623 etc., licet aliqui duas ultimas partes in unam contrahant aut tertiam in duas discerpant.

187. — IV. Analysis epistolae ad Titum.

Inscriptio longior[a] epistolae (1,1-4) Pauli dignitatem describit et discipuli virtutem innuit.

I. In prima parte (1,5-16), postquam discipulo in memoriam revocavit, se ideo eum in insula Creta reliquisse, ut per singulas civitates presbyteros (episcopos) constitueret (1,5), fusius eum docet, quaenam in eligendo requirantur, scilicet

1. *qualis esse debeat in vita*, i. e. quibus carere debeat vitiis (1,6. 7), quibusque instructus esse virtutibus (1,8),
2. *qualis in doctrina et verbo* (1,9). Cur autem docti et verbo potentes sint eligendi, duplici explicat argumento :
   a.) quia adsint multi seductores, quos redargui oporteat (1,10. 11),
   b.) et quia Cretenses ipsi ob characterem suum facile se seduci sinant (1,12. 13), quare dure eos esse increpandos monet, ne iudaicis fabulis assentiantur, neve eos imitentur, qui verbis quidem Deum profiteantur, factis autem negent (1,14-16).

II. In secunda parte (2,1-15) exhortatur discipulum, ut singulas Christianorum classes officiorum suorum commonefaciat (2,1). Quem in finem

1. *singularum aetatum et ordinum officia nonnulla* praecipua enumerat :
   a.) senum, ut sobrii sint etc (2,2),
   b.) matronarum, ut sanctae sint etc (2,3),
   c.) mulierum iuniorum, ut officia erga maritos et liberos impleant (2, 4. 5),
   d.) virorum iuniorum, ut sobrii sint, atque ipse omnibus exemplo suo praeluceat (2,6-8),
   e.) servorum, ut subditi sint etc (2,9. 10).
2. *Motiva addit*, ob quae haec omnia sint facienda. Ut haec enim nos doceret, venit Christus (2,11. 12) idque agentes nos praeparabimus ad secundum Christi adventum ; propterea enim Christus sese pro nobis dedit, ut populum electum et mundum sibi pararet (2,13. 14).
3. Quae omnia doceat velut auctoritatem habens, nec quisquam eum (ob aetatis defectum) spernat (2,15).

III. In tertia parte (3,1-11) proponit monita generaliora

a. Eodem fere modo, quo in ep. ad Romanos, Paulus in inscriptione Apostolatum suum asserit sollemniusque describit, unde aliqui rationalistae (cfr. ex. gr. *Credner* Einl. p. 466) occasionem sumserunt, ut quatuor saltem hos versus Apostolo abiudicarent. At ut taceamus nullam prorsus indicari rationem, quae falsarium quendam, ut fingeret inscriptionem, potuerit adducere, sollemniorem inscriptionem his literis duplici ex capite quam maxime convenire patet. S. Paulus enim velut superior monita tradit discipulo, qui ipse episcopali munere fungebatur (*Tit.* 1, 5), atque epistola, etsi soli Tito inscripta, testimonium quoddam erat publicum, quo magnis in difficultatibus positus discipulus coram fidelibus et coram haereticis missionem suam defenderet et tueretur.

1. ad obedientiam erga principes (3,1),
2. ad amorem proximi modestiamque erga omnes homines (3,2). Neminem despiciant, memores se ipsos quoque aliquando vitiis fuisse deditos, neque operibus suis sed sola Christi gratia nunc esse mundatos (3, 3-7); idicirco requiri, ut in dies in bonis operibus crescant (3,8);
3. ad vitandas vanas quaestiones, quas haeretici movere solent, atque ad ipsos haereticos vitandos (3,9-11).

In Epilogo (3,12-15) Titum ad se Nicopolim invitat, salutationibusque nonnullis adscriptis terminat benedictione apostolica.

§ 16. — *De duabus epistolis ad Timotheum.*

188. — I. De S. Timothei vita multo plura, quam de aliis Apostoli discipulis et sociis, Actus et epistolae paulinae nobis tradunt; nullum enim tam intime sibi coniunctum habuit S. Paulus, qui in omnibus fere epistolis eum nominat, in sex epistolarum inscriptionibus eius nomen suo adiungit, binas ad eum literas dedit: individuum autem omnium fere itinerum socium Apostoli eum fuisse Actus docent.

Timotheus Lystrae in Lycaonia oriundus[1] iam in primo itinere apostolico Pauli ad fidem est conversus. Namque quum Apostolus in secunda expeditione ecclesias in meridionali provinciae Galatiae parte fundatas visitaret et Lystram venisset, « *discipulus* quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris Iudaeae fidelis (i. e. Iudaeochristianae), patre gentili; huic testimonium bonum reddebant qui Lystrae erant et Iconii fratres; hunc voluit Paulus secum proficisci, et assumens circumcidit eum propter Iudaeos; sciebant enim omnes, quod pater eius esset gentilis ». Patre, ut videtur, puer orbatus per matrem Eunicen et aviam Loidem iam ab infantia sacras literas edoctus, a Paulo autem, quippe qui eum filium suum carissimum appellet, in fide christiana est eruditus et baptismate ablutus[2].

Cum Apostolo igitur Asia Minore peragrata in Europam advectus ecclesiam philippensem fundavit; postquam autem Paulus et Silas Philippis abire iussi sunt, Timotheus remansit, ut brevi postea Beroeae magistro iterum se adiungeret eumque in Graeciam fugere coactum etiam Athenas sequeretur. Athenis autem Thessalonicam reverti eum iussit Apostolus, ut neophytos persecutione pressos consolaretur; quo ex itinere redux Corinthi S. Paulum invenit nuntiisque suis, ut epistolas ad Thessalonicenses scriberet, eundem permovit, quarum in inscriptione Apostolus suo nomini nomina Timothei et Silvani addidit[3]. Corintho proficiscentem magistrum secutus est discipulus Ierosolyma atque etiam in tertio itinere apostolico individuus eius socius cum eo triennium fere Ephesi commoratus est. At paullo antequam alterum suum iter in Ma-

cedoniam et Achaiam ingrederetur, Paulus Timotheum cum Erasto easdem in regiones praemiserat; Timotheum autem in Macedonia iterum convenit atque eius quoque nomine alteram epistolam ad Corinthios scripsit, uti etiam in epistola, quam aliquibus mensibus postea Corintho ad Romanos scripsit, eius salutationes adiecit[4].

In quinto demum Apostoli itinere hierosolymitano inter eius socios denuo nominatur Timotheus; num eius ministerio etiam in captivitate caesariensi et in itinere romano sit gavisus, cum certitudine quidem asserere non licet, quia Lucas sociorum nomina tacet; plus quam probabile autem id est, quandoquidem Timotheum cum Paulo Romae vincto invenimus; in inscriptionibus enim epistolarum ad Philipp., Coloss., Philem. nomen eius nomini Apostoli est additum, atque in epistola ad Hebr. Paulus spem exprimit, se mox cum Timotheo, qui interea etiam vincula pro Christi nomine passus erat, ad eos esse reversurum[5]. Quapropter iure etiam coniicimus Timotheum Pauli ex prioribus vinculis liberati fidelem itinerum socium fuisse, sicut antea fuerat, usque dum Ephesi, ut Asiae ecclesiis invigilaret, ab Apostolo est relictus. Attamen in ultima sua captivitate S. Paulus dilectissimi discipuli societate carere noluit, sed ultimis, quae nobis conservatae sunt, literis suis eum ad se Romam vocavit[6].

Quid post magistri mortem Timotheus egerit, traditum non est; Eusebius eum episcopum ephesium fuisse refert; eum Domitiano imperatore, propterea quod prohibuisset Ephesios exsecranda gentilium festa peragere, clava percussum et interfectum esse narrant eius Acta, quae Photius legit; tamquam Episcopi et Martyris festum eius celebrat Ecclesia Romana die 24. Ianuarii[7].

1. Ob *Act.* 20,4 male intellectum, nonnulli Timotheum Derbensem fecerunt, sed ex *Act.* 16,1 eum Lystrensem fuisse luculenter apparet. Derbensi fratres Lystrenses et Iconienses vix testimonium reddere potuerunt, quum Iconium et Lystra a Derbe satis magno intervallo sint remota.

2. *Act.* 16,1-3; 2 *Tim.* 1,5; 3,14. 15; 1 *Cor.* 4,17; 1 *Tim.* 1,2 etc.

3. *Act.* 16,40; 17,14 sqq.; 1 *Thess.* 3,1; *Act.* 18,5.

4. *Act.* 19,22; 1 *Cor.* 4,17,16,10; 2 *Cor.* 1,1; *Rom.* 16,21.

5. *Act.* 20,4; *Phil.* 1,1; *Col.* 1,1; *Philem.* 1,1; *Hebr.* 13,23.

6. 1 *Tim.* 1,18 etc; 2 *Tim.* 1,6; 4,8.

7. *Euseb.* H. E. III. 4 (M. 20,220); *Phot.* Biblioth. cod. 254 (M. 104,101).

189. — II. Quo tempore scripta sit prior ad Timotheum epistola, *supra* (184) iam innuimus; omnes enim interpretes in eo consentiunt tempore eam non longe distare ab epistola Tito missa, quippe cum qua argumento et dictione consonet : quapropter, quum hanc inter priora et altera Pauli vincula data esse censeamus, nostram eidem tempori adscribamus oportet. Neque immerito id fieri apparebit, si varias sententias, quae de eius origine propositae sunt, examini subiecerimus.

Patres nonnulli ex Macedonia eam datam esse asseruerunt[1]; quae assertio probabilitate summa gaudet; etenim Apostolus paullo postquam iter in Macedoniam suscepisset se illam scripsisse testatur, neque ulla est ratio, cur illam iam ante eius in Macedoniam adventum exaratam esse dicamus. Timotheum autem Ephesi reliquerat, ut ecclesiae invigilaret, et quamquam mox se reversurum promisit, instructionem tamen hanc discipulo necessariam duxit, ut sciret, quomodo in domo Dei, quae est ecclesia Dei vivi, conversaretur[2]. Ceterum ecclesia ephesia eo tempore, quo scripta est epistola, iam satis diu exstitit : namque non tantum completam suam habuit hierarchiam, sed etiam prohiberi potuit, ne neophytus ad presbyteratum admitteretur, atque haereses radices agere et pullulare iam coeperant[3].

Cum Theodoreto non pauci moderni interpretes iter macedonicum, de quo Apostolus in epistola nostra loquitur, idem illud esse censent, quod Lucas in Actibus commemorat[4]. Quae sententia nobis non probatur. Apostolus enim, antequam iter illud in Actibus commemoratum ingressus est, Timotheum cum Erasto in Macedoniam praemiserat, neque ipse ex illo itinere Ephesum mox reverti, sed in Achaiam pergere diutiusque Corinthi commorari sibi proposuerat; quando autem ex Macedonia in hoc itinere alteram epistolam Corinthiis scripsit, Timotheum secum habuit[5]. Quam plurima igitur, quae nullibi sunt indicata, sunt supponenda et fingenda, si quis duo illa itinera in unum contrahere velit. Accedit, quod tempore itineris in Actibus relati ecclesia ephesia vix erat nata, nec satis apparet, quomodo Timotheus iam moneri potuerit, ne neophytum ad presbyteratum promoveret. Gravissimum autem argumentum, quo haec sententia probabilitate omni carere demonstratur, alius Actuum locus nobis exhibet. Ex itinere enim macedonico a S. Luca relato redux Apostolus presbyteris ephesiis, quos Miletum ad se advocaverat, lupos rapaces, i. e. haereticos, ecclesiam ephesiam intraturos et ex illis ipsis viros proditurus praedixit, qui perversa loquerentur[6]. Usque ad illud igitur tempus haeresis inter Ephesios nondum proruperat; procul enim dubio S. Paulus, si haereseos semina inter Ephesios germinare iam coepissent, contra praesens periculum presbyteros ephesios potius munivisset, quam futurum praedixisset. Quapropter nec in illo itinere, de quo quaestio agitatur, nec in anteriore aliquo, quod nonnulli interpretes triennio ephesiae commorationis Apostolum in Macedoniam fecisse gratis et contra Actuum fidem supponunt[7], epistola scripta est.

Mileto Ierosolyma profectus Apostolus in vincula coniectus et Romam abductus est; ergo ante captivitatem, qua Actuum narratio terminatur, eum literas has ad discipulum suum non dedisse certum est. Attamen supra iam innuimus, ex prioribus vinculis solutum S. Paulum per Cre-

tam in Asiam atque Ephesum redisse ibique Timotheum reliquisse, dum interea Macedoniae et Achaiae ecclesias visitaret [8]. Huic igitur itineri macedonico epistolam nostram cum multis modernis interpretibus attribuimus.

1. *Theodoret.* Praef. epp. Paul. (M. 82,40); *Ps. Athan.* Synops. S. S. 69 (M. 28,425); *Euthal. diac.* Argum. ep. ad Tim. (M. 85,780). Codices tamen nonnulli et editiones Euthalii habent ἀπὸ Λαοδικείας; idem etiam legitur in fine commentarii Theodoreti (ἀπὸ Λαοδικείας ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας) et in multis N. T. codd. graecis, latin., syriac., aethiop.; alii autem codd. copt., arab. etc exhibent « ab Athenis ». Quomodo Laodiceam Phrygiae Apostolus Epheso in Macedoniam iter faciens venire potuerit, nemo intelliget, nisi qui epistolam diu postquam Apostolus Ephesum reliquit scriptam dicere velit; at longum tempus inter Pauli iter et scriptam epistolam non videtur intercessisse.

2. 1 *Tim.* 1,3; 3,14. 15.

3. 1 *Tim.* 5,17; 3,8 etc; 3,6; 1,3 sqq.

4. *Theodoret.* l. c.; *Euthal.* l. c.; *Baron.* Ann. a. 58. n. 4.; *Est.* Arg. 1 *Tim.*; *Hug* Einl. II. p. 323 sq.; *Glaire* Introd. VI. p. 149 sqq.; *Aberle* Einl. p. 195 etc; — ex protestanticis Bertholdt, Matthies etc.

5. *Act.* 19,22; 20,1; 1 *Cor.* 16,5; 2 *Cor.* 1,1. Cfr. *supra* 105. 138. p. 370 sq. 346 sq.

6. *Act.* 20,29. 30.

7. *Reithmayr* Einl. p. 542 sq.; *Valroger* Introd. II. p. 219; *Lamy* Introd. II. p. 363 etc; ex protestanticis Mosheim, Schrader, Wieseler etc.

8. Cfr. *supra* 185 p. 564; de difficultate, quae ex *Act.* 20,25 contra alterum Apostoli iter ephesium movetur, cfr. 107. n. 8. p. 375.

190. — III. De occasione, qua S. Paulus ad hanc epistolam scribendam est adductus, haec videntur esse statuenda. Pericula illa, quae presbyteris ephesiis brevi ante suam captivitatem praedixerat, exorta erant; ecclesiam ephesiam primum suum fervorem amisisse ex illis literis iam videmus, quas Apostolus Romae vinctus Ephesiis misit; ab eo autem tempore in peiorem partem status rerum erat mutatus. Lupi rapaces non parcentes gregi, quos praeviderat Apostolus, revera ecclesiam invaserant, atque ex eorum medio exsurrexerant viri loquentes perversa, qui discipulos post se abduxerant. Brevi autem illo tempore, quod Apostolus, cui tot aliarum ecclesiarum sollicitudo incumbebat, Ephesi commoratus est, ad meliorem frugem fideles revocare quidem potuit, at non ea ratione in bona via confirmare, ut nova pericula non essent pertimescenda. Quapropter carissimum suum discipulum reliquit, qui ecclesiae totam suam curam impendens haereticos impugnaret, fideles in vera fide retineret. Non leve erat onus, quod discipuli humeris imponebatur, qui eousque magistrum suum semper erat comitatus neque ullam iam administraverat ecclesiam; idcirco monitis illis, quae viva voce dederat, non contentus mox, postquam iter ingressus est, Apostolus ei hanc epistolam misit, quae, uti recte adnotat S. Thomas,

« est quasi pastoralis regula, quam Apostolus tradit Timotheo instruens eum de omnibus, quae spectant ad regimen praelatorum ».

Similis igitur huius atque epistolae ad Titum erat occasio, utriusque epistolae idem quoque finis, ut monita ore tradita scriptis literis memoriae inculcarentur, simile demum etiam utriusque est argumentum. Satis magna tamen inter utramque intercedit differentia, quoniam Timotheus utpote Tito iunior atque ecclesiarum administrandarum minus peritus diligentiore indigebat institutione, atque ecclesiarum cretensis et ephesiae conditiones omnino erant diversae. In insula Creta nascentes ecclesiae in iustam formam erant redigendae, Ephesi autem ecclesia, quae a primo fervore defecerat atque vix ad rectam viam erat reducta, in illa erat retinenda et promovenda. Quapropter Apostolus in hac epistola non tantum multo plura monet eaque prae oculis habet, quae in ecclesia rite fundata sunt observanda, sed etiam specialibus praeceptis saluti discipuli ipsius consulit, ne difficultatibus fractus animo despondeat aut iuventutis illecebris abripiatur.

Varii igitur generis sunt monita, nihilominus antiquiores interpretes omnia ad duo vel tria capita revocare atque secundum ea epistolam in duas vel tres partes distribuere conati sunt[1]; nescio autem annon rectius pro monitorum varietate quinque vel sex partes sint distinguendae; hanc saltem divisionem, in qua Lyranus nobis praeivit, in sequenti analysi praeferendam duximus.

1. *Card. Hugo* (ad 1 Tim. 1,1) duas partes distinguit : « in prima (1,1-2,15) instruit, quomodo se debet habere episcopus ad eos, qui sunt extra Ecclesiam; in secunda (3,1-6,21) quomodo ad eos, qui sunt in Ecclesia ». *S. Thom.* (in 1 Tim. 1. Lect. 2) item in duas : « primo instruit eum de spiritualibus ministrandis (1,3-3,16), secundo de temporalibus (4,1-6,19) »; *Kilber* (Anal. bibl. II. p. 489 sqq.) in tres : « instructio spectans ad exercitia sacra (1,3-2,15), ad ministros sacros (3,1-4,16), ad politiam sacram (5,1-6,10) ». — *Lyran.* (in 1 Tim. 1,3) sex partes distinguit « secundum sex actus, qui spectant specialiter ad episcopale munus » et qui sunt : exstirpatio falsae doctrinae (1,3-20), oblatio orationum (2,1-15), ordinatio graduum Ecclesiae (3,1-16), institutio populi (4,1-16), dispensatio bonorum Ecclesiae (5,1-25), vigilans omnium custodia (6,1-19). Haud dissimiliter *Goldhag.* (l. c. p. 389 sq.), *Bisping* (l. c. p. 129 sq.), *Drach* (l. c. p. 579), *Guillem.* (l. c. II. p. 187), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 612) etc.

191. — IV. Analys. epistolae 1 ad Timotheum.

Post epistolae inscriptionem (1,1. 2),

I. statim thema suum aggressus discipulo in memoriam revocat *praecepta de genuina praedicatione* (1,3-20).

1. Praedicatio nec de falsis nec de inutilibus doctrinis sit et pro fine habeat caritatem (1,3-5);
2. sub quo duplici respectu aberrant nonnulli, qui ea, quae docenda sunt, non intelligentes (1,6. 7.), Lege, quae in se quidem bona est, sed

iniustorum causa posita (ut infirmitate sua agnita ad Christum recurrant), non recte utuntur (1,8-10).

3. Genuina vero praedicatio illa est, quae ipsi Apostolo est concredita, qui olim quidem persecutor, nunc autem misericordiam divinam consecutus praedicat Evangelium de salute per Christum adipiscenda, non tantum verbo sed suo ipsius quoque exemplo, quatenus in ipsius conversione Christus suam benignitatem manifestavit (1,11-17).

4. Quapropter hanc eandem praedicationem commendat Timotheo; qui enim illam repellunt, circa fidem naufragant, quemadmodum duo illi haeretici (Hymenaeus et Alexander), quos ipse (Ephesi) ex Ecclesia eiecerit (1,18-20).

II. A praedicatione ad *praecepta de publicis precationibus* transit (2,1-15), atque

1. definit, pro quibus orandum sit, sc. pro omnibus omnino hominibus eorumque magistratibus (3,1. 2); cuius praecepti rationem affert voluntatem Dei omnes salvare volentis voluntatemque hanc Christi pro omnibus morientis morte et Apostoli missione ad gentes manifestantis (3,3-7);

2. deinde monet, quibus et quomodo sit precandum, viris scilicet mundis a peccato (3,8), et mulieribus, quae virtutibus potius, quam vestibus pretiosis sint ornatae (3,9. 10).

3. Ceterum mulieres in coetibus sacris tacere iubet et discere, siquidem ex historia creationis et lapsus generis humani constet mulierem viro esse subiectam eiusque munus esse, ut pia liberorum educatione sese salvet (2,11-15).

III. Tertio loco *dotes ministrorum Ecclesiae* describit (3,1-13).

1. Episcopatus res quidem est bona, quae desiderari potest (3,1), at qui illum desiderat, ornatus sit oportet virtutibus quum in vita sua privata (3,2. 3), tum in vita sua domestica (3,4. 5) et in vita sua publica (3,6. 7).

2. Diaconi quoque instructi sint oportet virtutibus vitae privatae, ideoque, antequam assumantur, probandi sunt (3,8-10), atque virtutibus vitae domesticae, nam is tantum, qui in minore gradu fidelis est, ad altiorem promoveri meretur (3,11-13).

IV. Postquam deinde Apostolus rationem reddidit, cur haec monita dederit, sc. ut Timotheus qua ratione munere fungi debeat accurate cognoscat (3,14. 15), ad *monita contra haereticos* (3,16-4,16) transiturus

1. praemissa mysterii incarnationis commendatione (3,16) haereticos describit, qui falsa dogmata et praesertim falsam ascesin tradebant (4,1-3), addita ratione, qua ascesis illa falsa esse demonstratur (4,4. 5);

2. atque discipulo praecipit, ut non tantum fidelibus haec proponat, sed se ipse quoque in vera pietate excerceat studeatque iuventute sua non obstante verbo et exemplo omnibus praelucere (4,6-12). Quem in finem lectioni et doctrinae tempus suum impendat gratiae illius memor, quam in ordinatione accepit, ut se et gregem suum salvare possit (4,13-16).

V. *Officia episcopi erga singula ecclesiae membra* enumerat (5,1-6,2):

1. erga senes, quos velut patres, erga iuvenes, quos velut fratres, erga matronas, quas velut matres, erga iuniores mulieres, quas velut sorores dirigere debet (5,1. 2);
2. erga viduas, quae publico ecclesiae sumtu sustentandae sunt, si conditiones requisitas possideant (5,3); requiritur autem
   a.) ut vere vidua sit liberis, a quibus sustentetur, carens nec in deliciis sed in continuis orationibus vivat (5,4-8),
   b.) ut sit sexagenaria, unius viri uxor, in omnibus bonis virtutibus exercitata (5,9. 10).
   c.) Iuniores autem viduae ne admittantur, ne forte postea fide, qua Christo sese obstrinxerunt, relicta alias nuptias quaerant aut otiosae circumvagentur; nubant igitur potius (5,11-15).
   d.) Illi demum, qui in familia sua viduam habent, eam sustentent, ne ecclesia gravetur (5,16);
3. erga presbyteros,
   a.) qui etiam ab ecclesia et liberaliter quidem sustentandi sunt (5, 17. 18),
   b.) contra quos accusatio accipienda facile non est, qui vero, si deliquerint, publice arguendi sunt, et in quorum iudicio ab omni partium studio quam maxime est cavendum (5,19-21);
   c.) in quorum ordinatione cautio magna requiritur, ne Timotheus alienorum peccatorum se reum faciat; eo maior autem cautio necessaria est, quo minus mala omnia vel bona sint manifesta (5,22. 23);
4. erga servos, qui docendi sunt, ut dominos suos honorent, neve eos, si forte fideles sint, sub praetextu, quod eorum sint fratres, despiciant (6,1. 2).

VI. Terminat epistolam *monitis, quae solum Timotheum spectant* (6,3-21).

1. Admonetur discipulus, ut haec omnia doceat; qui enim aliter docet, contentiones duntaxat excitat et suam ipsius tantum utilitatem quaerit; maxima autem utilitas est pietas cum sufficientia; qui e contra quaerit divitias, in laqueos diaboli incidit (6,3-10);
2. A quibus falsis doctoribus caveat, sectetur autem omnem virtutem, certans bonum certamen, quo ad vitam pervenitur. Quod ut profundius discipulo inculcet, gravissimo et sollemni modo Apostolus ei praecipit, ut omnia mandata sine macula servet (6,11-16).
3. Adnectit praeceptum, quod supra videtur esse omissum, nimirum ut divites doceat humilitatem (6,17-19).

Demum post generale monitum, ut depositum fidei custodiat et a profanis falsae scientiae novitatibus abstineat, apostolicam ei impertit benedictionem (6, 20. 21).

192. — V. Epistolarum pastoralium authentiam supra (182 sq.) iam demonstravimus atque ab illis, quae contra omnes proferri solent, obiectionibus vindicavimus; verum pluribus maioribusque difficultatibus AUTHENTIAM 1 TIM., quam reliquarum, premi moderni dicunt

interpretes et aliqui, qui duas alias pro genuinis recipiunt, nostram velut spuriam reiiciunt. Quorum plerasque obiectiones, quum erroneae textuum nonnullorum interpretationi innituntur, interpreti relinquemus, duas autem, quas praecipuas habent, hoc loco proponemus. Hac fere ratione proferuntur a Bleek[1].

1. Auctor epistolae de muneribus ecclesiasticis episcoporum, diaconorum etc ita loquitur, ac si in ecclesiam ephesiam nondum essent introducta (3,1-13; 5, 9 sqq.); iam vero diu, antequam epistola a Paulo scripta esse dicitur, Ephesi episcopi et presbyteri adfuerunt (*Act.* 20, 17). Praeterea praecepta de ministrorum sacrorum dotibus omnino generali modo proponuntur, ut aliis ecclesiis eadem ratione, que ephesiae, sint adaptata.

Alteram hanc obiectionis partem libentissimi concedimus; quid vero ex ea contra epistolae authentiam deducatur, non intelligimus. Dotes enim illi procul dubio in omnibus omnium ecclesiarum presbyteris requiruntur ideoque iisdem fere verbis, quibus Timotheo, etiam Tito (1, 5 sqq.) in memoriam revocantur; at num ideo forte ecclesiae ephesiae eorum enumeratio non erat necessaria aut utilis? Quod autem in eorum enumeratione rerum ephesiarum ratio peculiaris non habeatur, id facile explicatur, nam reliqua epistola res illas, quibus episcopi et presbyteri impendere debeant curam suam, plus quam satis est describit.

Priorem vero obiectionis partem negamus; presbyteratum (episcopatum) enim cognitum supponi luculentissime ex 5, 17 sqq. apparet, idemque elucet, si 1 *Tim.* 3, 1 cum *Tit.* 1, 5. 6 comparatur : quomodo enim de episcopatu desiderando loqui potuisset, si incognitus fuisset? Ceterum dotes episcoporum (presbyterorum) in ecclesiis iam diu fundatis iidem requirebantur et requiruntur, qui in ecclesiis nascentibus, si 1 *Tim.* 3, 6 (« ne neophytum ») excipis; quae exceptio ipsa nostram epistolam ecclesiae iam fundatae scriptam esse confirmat.

2. Paulus, antequam epistolam hanc scripsisse supponitur, saltem ter iam Ephesi fuit, imo per biennium vel triennium ibi commoratus quam plurimos Christianos ephesios cognovit, atque etiam Timotheus ecclesiis macedonicis non erat incognitus. Iam vero in omnibus epistolis genuinis (imo etiam in illis, quas post priora vincula scripsisse creditur 2 *Tim.* 4, 19 sqq.; *Tit.* 3, 15) salutationes adscribere solet relationesque illas personales attingere, quae ipsum inter et ecclesias personasve, quibus scribit, intercedunt. Quomodo igitur factum est, ut intimae illius amicitiae, qua cum Timotheo erat coniunctus quaeque in 2 Tim. tam magnum locum occupat, vestigium nullum in nostra epistola inveniatur?

At difficile, opinor, falsario non fuisset, aut salutationes adiungere, ut fraudem suam tegeret, aut ad amicitiam illam alludere; num nomina et allusiones ex 2 Tim. desumere aut etiam fingere non potuit? Praeclarum quendam et singularem argumentandi modum adversarii nostri tenent : si multas personas Paulus salutat vel ad multas res alludit, aut integra epistola aut saltem pars aliqua ei abiudicatur; si nullas salutat nec ulla ad certas perso-

nas allusio occurrit, etiam iam sufficientem habent rationem authentiae negandae. Quis unquam in epistolis suis scribendis eundem semper modum tenuit aut tenet?

Ceterum si quis in epistolae nostrae characterem attentionem suam defigere voluerit, cur personales illae relationes sint omissae, facile deprehendet. Est enim instructio, regula quaedam pastoralis, uti optime monuit S. Thomas, quam Timotheus semper prae oculis habere debuit. Si inscriptionem demseris, forma epistolaris prorsus disparet, ut vix aut ne vix quidem « epistola » vocari possit. Quapropter nescio annon velut additamentum quoddam considerari debeat epistolae, quam eodem tempore fidelibus ephesiis misit; imo si quis Apostolum instructionem hanc, antequam iter macedonicum ingrederetur, Ephesi scripsisse et discipulo reliquisse diceret, quo certo argumento refutaretur, non videc [2]; aoristi enim, qui 1, 3 leguntur, in stylo epistolari nullam creant difficultatem.

1. *Bleek Mangold* Einl. p. 570 sq.; cfr. etiam *Schleiermacher* Ueber den sogen. ersten Brief an Tim. Berlin 1807; *Lücke* in Stud. u. Krit. 1834. p. 764 sqq. etc. Easdem fere obiectiones profert *Renan* (St Paul. p. XXV) : « Paul, dont les lettres authentiques sont si particulières, si précises, Paul, qui, croyant (?) à une prochaine fin du monde, ne suppose jamais qu'il sera lu dans des siècles, Paul serait ici un prêcheur général, assez peu préoccupé de son correspondant pour lui faire des sermons qui n'ont aucune relation avec lui (?), et lui adresser un petit code de discipline ecclésiastique en vue de l'avenir ». De futuro tempore Apostolus non loquitur.

2. Epistola nostra instructioni cuidam aptissime comparatur, quae legato difficillimis in circumstantiis posito tradi solet, ut secundum eam negotia tractet.

193. — VI. Quo tempore et qua occasione 2 ad Tim. sit data. « Romae alteram ad Timotheum epistolam divinum Apostolum scripsisse, quum iam in ipso vitae fine esset », cum Theodoreto reliqui Patres tradunt [1], quorum sententiam veram esse epistola ipsa testatur. Neque enim semel vinculorum mentionem iniicit mortemque certo instantem annuntiat [2].

Sunt quidem interpretes, qui captivitatem hanc putent illam priorem esse, quam S. Lucas in Actibus narrat, ideoque nostram epistolam ante illam, quae 1 Tim. dicitur, exaratam esse velint [3]. At parum apte. Namque in epistolis ex priore captivitate scriptis Apostolus certam futurae liberationis spem exprimit, in nostra autem spes nulla ei relicta est [4]. De itinere suo loquens « Erastus, inquit, remansit Corinthi, Trophimum autem infirmum reliqui Mileti » [5]; per Miletum igitur et Corinthum Romam advenerat, antequam nostram epistolam scriberet. Atqui quando vinctus Caesarea Romam adductus est, nec Miletum neque Corinthum pervenerat. Baronius aliique, qui, ut hanc difficultatem solvant, pro « Μιλήτῳ » legere volunt « ἐν Μελίτῃ », violentum et prorsus arbitrarium adhibent remedium neque tamen integram difficultatem solvunt. Nemo enim sibi persuaserit Apostolum tribus annis postquam una cum

Timotheo Corintho profectus erat, discipulo in memoriam revocare voluisse, ante tres annos Erastum Corinthi remansisse. Quare diversam esse captivitatem, ex qua nostram epistolam scripsit, ab illa, quae in Actibus narratur, pro certo est tenendum.

S. Apostolus igitur, postquam inde a vere 64. novis expeditionibus apostolicis novas provincias (Hispaniam, Cretam) Evangelio subiugavit ecclesiasque antea in Asia, Macedonia, Achaia fundatas iterum iterumque visitavit, a. 66. Romam adveniens denuo in vincula videtur esse coniectus. Aliqui autem ex eius discipulis eum sponte dereliquerant, alios ad novas ecclesias fundandas ablegaverat atque solum Lucam secum retinuerat. Ideo Timotheum, quem semper carissimum habuit, invitat, ut una cum Marco, cuius ministerio in vinculis indigeat, ad se festinet; atque occasionem arripit, ut illa, quae de pastorali munere bene gerendo sive viva voce sive scriptis literis antea iam docuerat, iterum ei inculcet. Quapropter epistola velut ultimum Apostoli est testamentum, quo Timotheum monet, ut opus inceptum ad finem perducat memorque gratiae, quam per manuum impositionem obtinuit, doctrinam acceptam firmus teneat omnibusque periculis spretis strenuus propaget, haereticorum vero falsas doctrinas, quae perversis hominibus placeant, fortis impugnet.

Duas praeter prologum et epilogum apte distinguimus partes, quum in priore ad fidelitatem et fortitudinem eum exhortetur (**1,6-2,13**), in altera autem praecepta nonnulla de munere pastorali rite gerendo repetat (**2,14-4,18**)[6].

1. *S. Chrysost.* ad Rom. Arg. (M. 60,393); *Theodoret.* in 2 *Tim.* Arg. (M. 82,832); *Euseb.* H. E. II. 22 (M. 20,193); *S. Hier.* de vir. ill. 5 (M. 23,617) etc. Item codd. graecorum, syriac. etc subscriptiones nonnullae : « scripta est a Roma, quum secundum stetit Paulus coram Nerone Caesare Romano »; cfr. Tischend. N. T. gr. Ed. 8. II. p. 882 sq.

2. 2 *Tim.* 1,8. 16. 17 etc; 4,6 sqq. Cfr. *supra* 183 n. 16. p. 560.

3. *Baron.* Ann. ad a. 59.; *Est.* in 2 Tim. Arg.; *Hug* Einl. II. p. 415 sqq.; *Glaire* Introd. VI. p. 161 sqq.; *A. Maier* Einl. p. 290 sqq. etc. Ex Protestantibus Rosenmüller, Wieseler, Reuss etc.

4. *Philipp.* 1,26; 2,24; *Philem.* 22.

5. 2 *Tim.* 4,20 cfr. *Act.* 20,2-17. Illo in itinere Trophimus Mileti non remansit; cum Paulo enim Ierosolymis adfuit *Act.* 21,29.

6. *Card. Hugo* (in 2 Tim. 1,1) tres partes facit : « 1,1-2,26 exhortatur eum ad praedicandum et patientiam; 3,1-17 praedicit ea, quae novissimis temporibus sunt futura; 4,1-22 loquitur de passione sua instanti »; *S. Thomas* (in 2 Tim. 1. Lect. 2.) duas : « in priore eum munit contra praesentes persecutiones 1,3-2,26, in altera contra futura pericula ecclesiae 3,1-4,22; *Lyran.* (in 1 Tim. 1,6) septem : « secundum septem motiva quibus inducit Timotheum ad constanter praedicandum Evangelium »; *Kilber* (l. c. II. p. 495 sqq.) quatuor : « excitat discipulum ad fortitudinem 1,6-2,2, constantiam 2,3-13, prudentiam 2,14-3,18, promptitudinem in exsecutione muneris 4,1-15 »; *Bisping* (l. c. p. 236) quoque quatuor (1,1-18; 2,1-26; 3,1-4,8; 4,9-22), *Drach*

(l. c. p. 624) iterum tres (1,1-2,26; 3,1-4,4; 4,5-22), *Guillemon* (l. c. II. p. 219) quatuor, quae quatuor capitibus correspondent etc.

194. — VII. Analysis 2 ep. ad Timotheum.

I. Exordium (1,1-5) praeter *inscriptionem* (1,1.2)

Gratiarum actionem continet (1,3-5), qua Apostolus suam erga discipulum caritatem manifestat sinceramque eius fidem laudat, quam a matre et avia iam puer acceperit. Unde occasionem sumit, ut

II. in priore parte (1,6-2,13) eum ad fidelitatem et fortitudinem exhortetur.

1. In memoriam ei revocans gratiam, quam per manuum impositionem obtinuit, spiritum esse fortitudinis, dilectionis, sobrietatis (1,6.7) monet eum, *ne Evangelium aut vincula magistri sui erubescat,* sed strenuus in Evangelio propagando laboret (1,8); namque
   a.) ex mera gratia ad Evangelium vocatus per illud maxima beneficia est adeptus (1,9.10);
   b.) propter Evangelium magister eius vincula patitur certus futuri praemii (1,11.12);
   c.) illius igitur exemplum secutus teneat oportet Timotheus ea, quae ab illo accepit (1,13.14), neque Asianos illos, qui ipsum dereliquerint, imitetur, sed Onesiphorum, qui vincula ipsius non erubescens Romae sollicitus ipsum quaesiverit (1,15-18).
2. Imo *confortari debet in gratia* (2,1); ideoque
   a.) ea, quae didicit, alios doceat necesse est, ut hi quoque Evangelium propagent (2,2),
   b.) atque abiectis negotiis saecularibus strenuus laboret, nam solus agonista certans ius ad coronam et solus agricola laborans ius ad fructus percipiendos habent (2,3-7).
   c.) Fortitudinem autem hanc ad exemplum magistri sui hauriat necesse est ex memoria resurrectionis Christi; si enim cum Christo compatimur et commorimur, cum eo corregnabimus; negabit autem Christus eos, qui ipsum negaverint (2,8-13).

III. In altera parte (2,14-4,18) praecepta nonnulla, quibus in munere gerendo regi debet, paucis verbis repetit.

1. Atque imprimis *quomodo relate ad haereticos gerere se debeat,* eum docet.
   a.) Non verbis litigandum est cum haereticis, sed sincera doctrina eis proponatur atque abstineatur ab omni vaniloquio, quod nihil nisi impietatem generet, atque (id quod ex exemplis Hymenaei et Phileti constet) firmum quidem Ecclesiae fundamentum evertere non possit, nonnullos tamen ad apostasiam perducat (2,14-19).

   Licet autem in Ecclesia malos nonnullos adesse non sit mirum, enitendum discipulo est, ut inter bonos numeretur (2,20.21), quare iuvenilia desideria evitet et iustitiam sectetur (2,22).

   Atque ad monitum primum reversus iterum inculcat Apostolus, servum Domini litigare non debere, sed errantes cum modestia corripere, ut resipiscant (2,23-26).

b.) Futuri temporis haereticorum deinde describit perversitatem, qui omnibus licet vitiis dediti, specie tamen pietatis alios seducere conaturi sint et veritati semper repugnaturi. Eiusmodi omnino vitandi sunt, nec finem suum assequentur, quandoquidem eorum insipientia omnibus fiet manifesta (3,1-9).

c.) Contra quos pugnans magistri sui teneat doctrinam sequaturque exemplum (3,10. 11);

etenim memor sit pios semper persecutionem esse passuros, malos autem in peius ruituros (3,12. 13),

doctrinam vero teneat sciens, a quo eam acceperit et cui fundamento innitatur, sacris sc. Scripturis, quae utpote divinitus inspiratae omnia ea exhibeant, quibus in munere suo gerendo doctor indigeat (3,14-17).

2. Per iudicis deinde adventum discipulum obtestatur (4,1),

α.) ut praedicationi vacet cum fortitudine, patientia, sapientia, idque eo magis, quo magis homines a veritate sese avertant et doctrinas perversas sectentur (4,2-4);

β.) ut integro suo ministerio diligentissime fungatur, idque eo magis, quia ipse Paulus iam morti proximus mox sit abiturus ad eam coronam accipiendam, quam pro ministerio fideliter expleto ab iusto iudice exspectet, quaeque aliis quoque reposita sit, qui iudicis adventum diligant (4,5-8).

IV. In Epilogo (4,9-22)

1. invitat Timotheum, ut cito adveniat, quum ipse solus sit cum Luca aliis discipulis aut sponte profectis aut ab se alios in locos ablegatis, et ut adducat Marcum penulamque sibi afferat Troade relictam (4,9-13);
2. exponit ea, quae ab Alexandro quodam, a quo Timotheus caveat oportet, passus est, et quae ad litis suae statum spectant (4,14-18);
3. addit salutationes, repetit invitationem, ut ante hiemem adveniat, terminatque epistolam benedictione apostolica, quam Timotheo fidelibusque impertitur (4,19-22).

§ 17. — *De praecipuis commentariis catholicis in epistolas paulinas.*

195. — Ex innumeris commentariis, quibus inde a primis fidei saeculis praeclarissimi Patres et theologi epistolas Pauli interpretati sunt, quum omnes enumerare non minus sit difficile quam inutile, praeter Patrum opera eos solos hoc loco recensebimus, quos interpreti maiori utilitati etiam hodie esse censemus.

I. Inter Patres graecos tempore primus *Origenes* sese offert, qui quidem omnes paulinas commentatus est, cuius vero hodie exceptis paucis in reliquas fragmentis sola « *commentaria in ep. B. Pauli ad Romanos* » possidemus. Quae ne ipsa quidem genuinum magni interpretis alexandrini opus sunt; namque eorum textus primigenius interiit, solaque nobis superest Rufini interpretatio latina, qui pro more

suo alia omisit, alia addidit, alia mutavit; adeo ut translator ipse timuerit, ne multi sint dicturi : « In his quae scribis, quoniam plurima in eis tui operis habentur, da titulum nominis tui et scribe : Rufini in ep. ad Rom. explanationes »[1]. Ceterum opus hoc, sive Origenis sive Rufini id dixeris, magna sua utilitate non caret. Reliquorum quoque alexandrinae scholae doctorum pauca admodum nobis sunt conservata. *S. Cyrilli Alex.* satis longa et eximia fragmenta in epp. ad Rom., 1. 2 Cor., Hebr. atque *Didymi Alex.* quoque fragmenta in 2 Cor. Card. Maius reperit et edidit[2].

Plura et praeclariora nobis reliquit schola antiochena, cuius doctores maximi omnes paulinam profunditatem eximia cum diligentia et sagacitate scrutati de Apostoli Gentium epistolis mirifice sunt meriti. Inter quos singularem prorsus locum *S. Ioan. Chrysostomus* sibi vindicat, qui omnes epistolas (excepta illa ad Gal., quam commentario instruxit) homiliis ad populum habitis ita interpretatus est, ut nondum a quoquam sit superatus, nec quisquam post eum illas explicare sit conatus, quin ab eo quam plurima desumserit. In homiliis enim eius, quae quum singulos versus ex ordine explicent iustum constituunt commentarium, atque maxime « in homiliis de ep. ad Rom., inquit S. Isidorus Pelus., sapientiae thesaurum possidemus. Sic enim existimo, nec quisquam me ad gratiam loqui putet, si divinus Paulus attica lingua usus semet ipsum interpretatus esset, eum non aliter fuisse interpretaturum, quam venerandus ille Chrysostomus. Ita enim sensu et orationis elegantia et verborum proprietate eius interpretatio ornatur »[3]. Inter eius commentarios revera eminent homiliae in ep. ad Rom., quas proxime sequuntur homiliae in 1 Cor., Ephes, et Tit., infimum locum tenent illae in Hebr., quae post S. Doctoris obitum ex eius notis a presbytero quodam antiocheno esse collectae perhibentur[4].

S. Chrysostomi homiliis inferior quidem est Theodoreti « Interpretatio quatuordecim epistolarum S. Pauli », attamen quin operi huic inter graecos commentarios secundus locus sit attribuendus, nullum est dubium. Singulis epistolis brevem quandam introductionem praemittit, atque versus omnes secundum literalem sensum brevissime quidem sed accurate explicat difficultate nulla praetermissa[5]. — Tertius eiusdem scholae interpres est *Theodorus Mopsuest.*, Chrysostomi olim amicus, at postea haereticis opinionibus infectus. Commentariorum eius in paulinas superstita sunt sola fragmenta, eaque utilia quidem, sed non paucis erroribus relate ad statum supranaturalem, sequelas peccati protoparentum, peccatum originale etc foedata. *Euthalius diac.* alexandrinus sua « argumenta » (ἐκθέσεις), i. e. breves introductiones satis utiles, quas singulis Epistolarum capitulis praemittit, ex Theodori commentariis desumsisse creditur[6].

Reliqui interpretes graeci a S. Chrysostomo et Theodoreto fere dependent et pauca propria eorum explicationibus addiderunt. Nihilominus *S. Ioannis Damasceni*, « ex universa interpretatione S. Chrysostomi locos selectos in omnes epp. S. Pauli », *Oecumenii Tricensis* « commentarium in omnes epp. Pauli », *Theophylacti Bulg.* « expositiones in omnes Pauli epp. », *Euthymii Zigabeni* « commentaria in quatuordecim Pauli epp. » interpreti negligere non licet, quia interdum ex deperditis scholae alexandrinae operibus nonnulla afferunt[7].

1. *Rufini* ad Heracl. perorat. in ep. ad Rom. (M. 14,1293). *Orig.* Comm. M. 14,833-1292; eodem in loco (M. 14,1293 sqq.) minuta fragmenta in Gal., Eph., 1 Thess., Tit., Philem., Hebr.

2. *S. Cyr. Alex.* explanationis in Rom., 1. 2 Cor., Hebr. fragmenta M. 74,773-1005, de quibus cfr. Em. Maii monitum M. 68,107. — *Didymi Alex.* in 2 Cor. fragmenta M. 39,1679-1732.

3. *S. Isidor. Pelus.* Epist. V. 32 (M. 78,1348).

4. *S. Chrysost.* homiliae in omnes Pauli epistolas M. 60,391-63,236. Interpreti non parum etiam inserviunt eius homiliae in aliquos paulinarum textus M. 51,155-320 etc.

5. *Theodoreti* comment. in ep. S. Pauli. M. 82,36-877.

6. *Theodori Mopsuest.* maiora fragmenta habemus in ep. ad Rom., minora in reliquas fere omnes (M. 66,788-868.) Cfr. quae de Rom. 5,12 sqq. disputat M. 66,796 sq. Commentarius in decem ultimas paulinas (ep. ad Gal. et sequentes), quem *Card. Pitra* reperit et sub nomine S. Hilarii Pictav. edidit (Spicileg. Solesm. I. p. 49-152), a nonnullis Theodoro Mopsuest. attribuitur. Graecis fragmentis additis latine edidit *H. B. Swete :* Theodori ep. Mopsuest., in epp. B. Pauli comment. (Cambridge 1880). — *Euthal. diac.* Argum. M. 85,693-725; cfr. *O. F. Fritzsche* in Comment. de Theodori Mopsuest. vita et scriptis M. 66,53.

7. *S. Ioan. Damasc.* loci selecti etc. (M. 95,441 sqq.), qui, uti editor monet, maxime in epist. ad Ephes. Phil. Col. Thess., multa exhibent, quae a Chrysostomo non tradantur, cum Theodoreti autem et S. Cyrilli expositionibus in Oecumenii catena conservatis concordent. — *Oecumenii Tric.* Commentarius (M. 118, 307 sqq.); *Theophylacti Bulg.* Explanatio (M. 124, 335 sqq.); *Euthymii Zig.* Comment. in quatuordecim Pauli et septem cath. epp. ed. Niceph. Calogeras. Athenis 1887.

196. — Inter Patrum latinorum commentarios primo loco nominandus est illa tredecim[1] epistolarum explicatio, quae quoniam antiquitus S. Ambrosio attribuebatur, hodie *Ambrosiastri* nomine allegari solet. Quis eius auctor fuerit, in controversia versatur. S. Augustinus explicationem ex hoc commentario desumtam « sancto Hilario » attribuit; sed de eius munere vel tempore nihil adnotat. Quare alii S. Hilarium Pictav. designari putaverunt, alii Hilarium diaconum eccl. romanae, quem ex Luciferianorum partibus stetisse testatur S. Hieronymus, alii Hilarium episcopum papiensem; moderni autem nonnulli Iuliano Eclanensi, Pelagii sectatori, aut Faustino presbytero luciferiano, aut Tychonio opus adscribunt[2]. Sed quidquid de hac controversia est, auctorem tempore S. Damasi vixisse certum est, neque minus certum, commentarium, ut

Sixti Sen. verbis dicam « brevem quidem verbis, sed sententiarum pondere gravem » esse; addendum autem est, eum ab erroribus circa fidem non esse immunem[3].

Eodem circiter tempore *Marius Victorinus Afer* « commentarios in Apostolum », i. e. in tredecim epistolas, scripsit, quos non magni fecit S. Hieronymus « quia occupatus ille (Victorinus) eruditione saecularium literarum Scripturas omnino ignoravit et nemo potest, quamvis eloquens, de eo bene disputare quod nescit ». Quod S. Doctoris iudicium severius esse, commentarii superstites Victorini in epp. ad Gal., Ephes., Philipp. demonstrant[4]. *S. Hieronymus* ipse epistolas ad Gal., Ephes., Tit., Philem. commentatus est. Pro more suo haud pauca antiquorum Graecorum, maxime Origenis, Didymi, Apollinarii Laod., explicationes recepit, neque semper ea, quae minus probavit, ab aliis discrevit. Quocirca in his magis, quam in aliis eius commentariis adhibendis illud prae oculis tenendum est, quod ipse de suis commentariis in Ephes. monet : « commentarii alterius dicta edisserunt; quae obscure scripta sunt, plano sermone manifestant; multorum sententias replicant et dicunt : hunc locum quidam sic disserunt, alii sic interpretantur : illi sensum suum et intelligentiam his testimoniis et hac nituntur ratione firmare; ut prudens lector, quum diversas explanationes legerit et multorum vel probanda vel improbanda didicerit, iudicet quid verius sit, et quasi bonus trapezita adulterinae monetae pecuniam reprobet »[5]. In calce Operum S. Hieronymi habentur « commentarii in (tredecim) epistolas S. Pauli », qui olim etiam S. Doctori attribuebantur neque semel eius sub nomine laudantur, quos vero aut ipsius *Pelagii* aut saltem Pelagiani esse iam saec. 13. nonnulli viderunt; etenim Pelagium in scholiis istis « licet multa bene et eleganter exponat, tamen subtiliter infundere venenum haeresis suae », suspicatus est scriptor saec. 13. Etsi autem Pelagium epistolas paulinas commentatum esse atque commentarium nostrum pelagiano veneno infectum esse constet, cum certitudine tamen quis eius sit auctor difficile definitur, siquidem textus illi, quos S. Augustinus ex Pelagii commentario se desumsisse testatur, in nostro nec omnes nec eodem modo leguntur[6]. *S. Augustinus* non tantum in suis libris polemicis quam plurimos textus paulinos egregie explanavit, sed nobis etiam reliquit « inchoatam expositionem in ep. ad Romanos », quae solam epistolae inscriptionem explicat, « expositionem quarundam propositionum ex ep. ad Romanos », et brevem sed egregiam » epistolae ad Galatas expositionem »[7].

Medio fere saec. 6. *Primasius Adrumet.* « in (quatuordecim) epistolas S. Pauli commentarium » composuit, quem Gagnaeus, primus eius editor, « omnium graecorum iuxta et latinorum doctissimum » dixit, qui autem scholiis fere ex Ambrosiastro, Pelagio, Hieronymo, Augu-

stino desumtis contextus est[8]. Ultimo demum loco addamus *Cassiodori* « complexiones in epistolas Apostoli », quae continua earum expositio non sunt, sed admodum breves adnotationes ad textus illos, quos elucidatione indigere censuit[9].

1. Ab antiquioribus interpretibus latinis epistolam ad Hebr. omitti, supra iam diximus 174. p. 526.

2. *S. August.* c. duas epp. Pelagian. IV. 4 (M. 44,614); cfr. de hac controversia Admonit. in Comm. (M. 17,43. 44).

3. Auctor in 1 Tim. 3,14 (M. 17,471) se Damasi aequalem dicit. Cfr. *Sixti Sen.* Bibl. sacr. IV. s. v. Ambrosius; et *Rich. Simon* Hist. crit. des commentat. du N. T. p. 133 sqq. Recentissimus editor operum S. Ambrosii *P. A. Ballerini* (Mediolani 1875 sqq. III. p. 349 sqq. et 971 sqq.) commentarios hos iterum ipsi S. Ambrosio attribuit; at nescio an argumenta, quibus sententiam suam demonstrare conatur, rem evincant.

4. *Victorini* Comment. M. 8,1145-1294. Cfr. *S. Hier.* in Gal. Prol. (M. 26,308).

5. *S. Hieron.* Comment. M. 26,331-656; cfr. adv. Rufin. I. 16 (M. 23,428).

6. Inter opera S. Hier. M. 30,669-940. Cuiusnam sit commentarius, fuse disputat *Klasen* Pelagianistische Commentare zu den 13 Briefen des h. Paulus. (Tüb. Quartalschr. 1885. p. 244 sqq.) cfr. etiam *R. Simon* l. c. p. 236 sqq. et Admonit. in hos comment. M. 30,667.

7. *S. August.* Explanationes M. 35.2063-2149. Cfr. S. Augustini ipsius de his libris iudicium Retract. I. 23-25 (M. 32,620 sqq.).

8. *Primasii* Comment. M. 68,415-794; cfr. *Rich. Simon* l. c. p. 336 sqq.

9. *Cassiodori* Complexiones M. 70,1321-1362.

197. — II. Media aetate quoque paulinis epistolis explicandis non parva diligentia est adhibita, neque defuerunt interpretes, quorum opera adhuc cum utilitate conferuntur. Primi quidem, qui saec. 9. prodierunt, eorumque successores, qui tribus insequentibus saeculis floruerunt, glossatoribus potius quam interpretibus adnumerandi sunt, siquidem ex Patrum operibus optima quaeque collegerunt; nihilominus pauci inter eos sunt, quorum opera catenis aequiparari possunt; quoniam non tantum explicationes patristicas suis verbis expresserunt, sed non pauca etiam propria addiderunt. Quo praeter *Walafr. Strabonem*, cuius Glossa ordinaria solis Patrum textibus constat, maxime pertinent *Rhabanus Maurus*, qui in omnes paulinas « quendam collectarium de Patrum opusculis » ita confecit, ut suas interpretationes suo nomine praenotatas explicationibus Augustini, Ambrosiastri, Hieronymi, Pelagii etc intersereret, *Haymo Halberstadiensis*, qui liberius incedens, etsi Patres fere sequatur, eorum tamen sensus suis verbis exprimit, evolvit, diiudicat, *Sedulius*, vel quisquis auctor est commentarii hoc nomine insigniti, qui Ps. Hieronymi (Pelagii) scholia maxime sequitur, sed eius errores evitat, *Lanfrancus*, cuius brevissimae adnotationes vix commentariis adnumerari possunt, *Herveus Dolensis*, cuius commentarii olim

S. Anselmi Cantuar. nomine laudari solebant neque tanto nomine sunt indigni, *Hugo a S. Vict.*, qui in suis « quaestionibus et decisionibus in epistolas S. Pauli » difficiliores textus ita explicat, ut S. Thomas Aq. saepe eum fere ad verbum sequatur, *Abaelardus*, qui explicationi epistolae ad Rom. satis multas et longas (et erroneas) dissertationes dogmaticas de circumcisionis necessitate et effectibus, de peccati originalis natura etc immiscet, *Petrus Lombardus*, qui praeter antiquos Patres praesertim Haymonem sequitur non paucis quoque quaestionibus dogmaticis insertis[1] aliique.

Novam viam saec. 13. scholastici inierunt, atque ad totam epistolarum dispositionem accuratius attendentes singulos etiam textus multo felicius, quam eorum praedecessores, explicarunt. Tres dumtaxat ex illis nominabimus, a quibus reliqui magis minusve dependent. Primus tempore inter eos *Card. Hugo a S. Caro* O. Praed. est, de Scripturarum interpretatione non uno nomine bene meritus. In sua Postilla omnes paulinas satis fuse explicat non paucis insertis excursibus dogmaticis et nonnullis satis curiosis adhortationibus ad suae aetatis praelatos; in ep. ad Rom. fere solam sequitur Glossam, in tribus sequentibus una cum Glossa diligentius quoque ipsum textum respicit, in reliquis neglecta Glossa solius Apostoli verba interpretatur. Inter primos epistolarum finem et divisionem investigavit neque raro idearum nexum paucis quidem verbis sed magna cum diligentia indicat. Quem longissime tamen superat *S. Thomas Aquinas*, media aetate inter S. Pauli commentatores facile princeps; accuratissime ubique in idearum nexum inquirit atque tam diligens est in S. Pauli doctrina investiganda, ut nullam voculam praetereat. « Meo quidem iudicio, inquit Erasmus, nullus est recentium theologorum, cui par sit diligentia, cui sanius iudicium, cui solidior eruditio », neque sine ratione addit : « plane dignus erat, cui linguarum quoque peritia reliquaque bonarum literarum supellex contingeret, qui iis quae per eam tempestatem dabantur tam dextre sit usus »[2]. Re enim vera quam maxime est dolendum, quod S. Doctor, quia linguam graecam ignorabat neque ipsum Vulgatae textum purum prae manibus habebat, ad genuinum Apostoli sensum saepius pertingere non potuerit. Nihilominus quicunque epistolis paulinis operam impendere voluerit, S. Thomae interpretationem continuo consulat necesse est caveatque, ne nimis frequentibus illis, quas inveniet, divisionibus subdivisionibusque absterreatur. A S. Thoma fere dependet *Nicolaus Lyranus* O. Franc. in sua Postilla in epistolas S. Pauli; multas enim ab eo mutuatus est divisiones et explicationes neque semper felicem habuit manum, ubi eum deserit; in illo autem maiore laude est dignus, quod V. T. textuum, quibus Apostolus in sua argumentatione usus est, sensum typicum interdum accuratius evolvat[3].

1. *Rhabani Mauri* Enarrationum in epp. B. Pauli libri viginti novem. M. 111,1273-112,834; *Haymonis Halb.* expositio M. 117,361-938; *Walafr. Strab.* Glossa ordin. M. 114,469-670; *Sedulii Scoti* Collectanea M. 103,8-270; *Lanfranci* Commentarii cum glossula interiecta. M. 150,101-406; *Hervei Dol.* Commentaria. M. 181,391-1692; *Hugon. a S. Vict.* Quaestiones et decisiones. M. 175,431-634; *Abaelardi* Expositio in ep. ad Rom. M. 178,783-978; *Petri Lomb.* Collectanea in epp. D. Pauli. M. 191,1297-192.

2. *Erasm.* in Rom. 1,5.

3. Hugonis et Lyrani Postillarum atque S. Thomae Commentariorum multae sunt editiones; ultimae S. Thomae sunt Leodiensis (1857) et Parmensis (1862).

198. — III. Inde a saec. 16. tantus est interpretum numerus, ut vel sola eorum nomina recensere longum sit, de eorum autem operibus omnibus certum iudicium nemo ferre possit; ab ineunte enim saec. 16. usque ad nostri saeculi initium plus centum quinquaginta aut omnes aut aliquas epistolas paulinas explicare sunt conati. Quocirca, postquam in Introductione gener. praecipuorum interpretum, qui ad nostram usque aetatem floruerunt, satis longum catalogum iam contexuimus[1], hoc loco illos in memoriam revocasse sufficiat, qui inter praecipuos eminent.

Inter quos primo loco nominari debet *Guil. Estius*, cuius « in omnes D. Pauli et septem catholicas Apostolorum epistolas Commentarios » omnes, qui eum secuti sunt, interpretes sive catholici sive acatholici semper maximi aestimarunt. Neque immerito; eximia enim cum doctrina theologica parem coniungit eruditionem philologicam. Ad textum primigenium diligenter semper attendit neque antiquarum versionum, ubi opus est, auxilium spernit; explicationem autem patristicam continuo prae oculis habet atque iuniores interpretes praecipuos, maxime S. Thomam, semper consulit. Quare Calmeti iudicium, qui Estii commentarios « absolutissimos omnium, qui hucusque prodierunt », declaravit, erroneum non est, dummodo lector simul respicere iubeatur, quod Est. ad totam epistolarum singularum dispositionem argumentationisque paulinae rationem, quae ad singulos intelligendos textus non parum confert, animum non satis attenderit, quodque « nullam praetermiserit occasionem, quin suam de gratia efficaci et de praedestinatione theoriam inculcaret »[2]. Pari fere in laude poni merentur *Bened. Iustiniani* S. I. « in omnes B. Pauli epistolas explanationes »; brevi paraphrasi uniuscuiusque capitis sensum explanat atque deinde ex Patrum operibus colligit, quidquid paulinae profunditati elucidandae inservire possit. Quamvis ipse testetur, se « theologica decreta paucis delibasse, fidei dogmata uberius atque subtilius aliis enucleanda reliquisse, qui quotidie in arena cum haereticis decertant », nihilominus non pauca commentario inseruit, quae theologi potius sunt, quam interpretis[3].

Quibus velut tertius accedit *Cornelius a Lapide;* procul dubio praecedentibus quidem est inferior commentarius eius in B. Pauli epistolas, attamen una cum illis in Genesin et in Apocalypsin reliquis eius operibus exegeticis praefertur, et merito optimis est accensendus; minus diffusus, quam Iustinianus, multa bona ex Patrum commentariis complexus est, in explicationibus autem grammaticis non semper est accuratus[4]. Concinnitate, perspicuitate, unctione sese commendat Bernardini a Piconio O. Cap. « triplex expositio epistolarum D. Pauli »; singulis capitibus analysin praemittit, qua argumentum et idearum nexus indicatur, perpetua paraphrasi textum explanat, difficiliores demum locos in commentario excutit[5].

Inter illos, qui dumtaxat unam alteramve epistolam explicarunt, mentione prae ceteris digni videntur *Franc. Toletus* S. I., cuius « commentariis et adnotationibus in ep. ad *Rom.* » vix non primum locum attribuet, quicumque theologicam textus paulini expositionem potissimum quaerit, *Lud. de Tena*, qui simili fere modo epistolam ad Hebr. in suis « commentariis et disputationibus » tractavit, *Franciscus Ribera* S. I., cuius breviores « commentarii in ep. ad Hebr. » magnis laudibus a R. Simon celebrantur[6].

1. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 252 sqq. p. 695 sqq. — Si quis cunctorum huius aetatis interpretum Paulinarum catalogum desiderat, eum ex *Lelong* Biblioth. sacr. II. p. 1142 sqq. aut melius ex *Hurter* Nomenclat. literar. theol. Ed. 2. (Oeniponte 1892-95.) facile colligere poterit.

2. *Estii* Commentarii etc Duaci 1614. Recentissima et optima editio Moguntiae 1858. 3 vol. 8°.

3. *Ben. Iustiniani* Explanationes. Lugduni 1612. 2 vol. fol.

4. *Cornelii a Lap.* Commentarii. Antwerpiae 1614. Optimam editionem notulis nonnullis adiectis curavit A. Crampon. Parisiis 1861. — De Estii, Iustiniani, Cornelii a Lap. commentariis cfr. *R. Simon* Commentateurs du N. T. p. 640 sqq.; 633 sqq.; 657 sqq.

5. *Bern. a Piconio* Triplex expositio. Parisiis 1703. Recentissima editio Paris. 1868. 3 vol. 8°.

6. *Toleti* Comm. in Rom. Romae 1602; *Lud. de Tena* in Hebr. Toleti 1611; *Fr. Ribera* in Hebr. Salmanticae 1598.

199. — IV. Hoc nostro saeculo paulinis epistolis interpretes non defuerunt, qui quoniam plerique in finem, quem Apostolus in singulis scribendis prae oculis habuit, in adversariorum doctrinas, quas impugnavit, in argumentandi methodum, quam tenuit, in proprietates linguae, qua usus est, maiore cum diligentia et cura investigant, ab inutilibus autem digressionibus et excursibus dogmaticis abstinent, ad earum intelligentiam haud parum contulerunt. Inter quos praecipui sunt nonnulli, qui uni alterive dumtaxat epistolae totum suum studium

impenderunt. Ex eis autem epistolam ad Rom. interpretati sunt *H. Klee* (1830), *Fr. Reithmayr* (1845), *Ad. Maier* (1847), *I. Th. Beelen* (1854), *I. Agus* (1888), *A. Schaefer* (1891), *R. Cornely* S. I. (1896), epistolas ad Cor. *Ad. Maier* (1857), *R. Cornely* S. I. (1890. 92); epistolam ad Gal. *Fr. Windischmann* (1843), *Fr. Reithmayr* (1865), *D. Palmieri* S. I. (1886), *A. Schaefer* (1890), *R. Cornely* S. I. (1892); epistolam ad Eph. *Fr. A. Henle* (1890), *A. Padovani* (1891); epistolam ad Phil. *I. Th. Beelen* (1852), *A. Padovani* (1891); epistolam ad Col. *Fr. A. Henle* (1887), *A. Padovani* (1891); epistolas ad Thessal. *I. Panek* (1886), *A. Schaefer* (1890), *A. Padovani* (1894); epistolas ad Tim. *I. M. Mack* (1845), *A. Padovani* (1894); epistolam ad Tit. *I. M. Mack* (1845), *A. Padovani* (1897) epistolam ad Hebr. *H. Klee* (1833), *Ad. Maier* (1861), *L. Zill* (1875), *I. Panek* (1882), *A. Schaefer* (1893), *A. Padovani* (1897).

Praeter illos deinde, qui versiones vernaculas totius S. Scripturae scholiis illustrarunt, omnes epistolas paulinas commentariis instruxerunt *I. M. Evilly*, qui Estium et Piconium fere sequitur, *A. Bisping*, cuius opus ab omni errore dogmatico non est liberum, quum a protestantico interprete H. A. W. Meyer nimis dependet, *P. Drach*, qui interdum maiorem, quam par est, modernae scientiae protestanticae reverentiam exhibet, *I. M. Guillemon*, qui analysi brevibusque scholiis singulas epistolas illustrat, *P. Rambaud*, qui potius analysin (parum accuratam) quam commentarium praebet[1]. Huc etiam opera nonnulla pertinent historica et dogmatica, quae interpretandis epistolis inserviunt, uti « Theologia paulina », quam *H. Th. Simar*, episc. Paderbornensis, congessit, dissertationesque quaedam de sacrificiis a *V. Thalhofer* conscriptae atque egregia commentatio *Valentini Weber* de historia interpretationis cp. 9. ep. ad Rom. etc[2].

Multo plura de epistolis paulinis protestantici interpretes hoc nostro saec. ediderunt, a quibus enumerandis ob rationes saepius indicatas nos abstinemus. Qui illis indiget, is in variis editionibus commentarii critici et exegetici, qui nomine *H. A. W. Meyer* pervulgatus est, quam plurimos veteres et novos recensitos inveniet ac similiter praecipuos in commentariis cath., quos nominavimus.

1. *I. Mc Evilly* Exposition of the epistles of St Paul (Dublin 1856; Ed 3. 1875); *A. Bisping* Exeg. Handb. z. N. T. V. VI. Ed. 3. (Münster 1873); *P. Drach* Les épîtres de St Paul (Paris 1874); *I. M. Guillemon* Clef des épîtres de St Paul (Paris 1873); *P. Rambaud* Les épîtres de St Paul analysées (Paris 1888) etc.

2. *I. Th. Simar* Theologie des h. Paulus (Ed. 2. Freiburg 1883); *V. Thalhofer* Die Opferlehre der Hebräer (Dillingen 1855) etc.; *Val. Weber* Krit. Gesch. der Exeg. des 9. Cap. des Römerbr. (Würzburg 1889).

SECTIO II.

DE EPISTOLIS CATHOLICIS.

§ 18. — *De Epistolarum Catholicarum nomine et ordine.*

200. — I. Catholicarum nomine reliquae epistolae apostolicae, quas in canone possidemus, sc. una S. Iacobi, duae S. Petri, tres S. Ioannis, una S. Iudae, antiquitus iam designari solebant. In Clementina quidem Vulgata nomen hoc solis Iacobi et Iudae scriptis praefigitur; quin autem usus omnibus septem illud attribuat, non est dubium; at nec quis illud invexerit nec quae sit illius vis et potestas, satis constat.

In antiquissimo romanae ecclesiae canone « epistolae sane Iudae et suprascripti Ioannis duae inter Catholica haberi » dicuntur[1]; *Origenes* 1. Petri, 1. Ioannis et Iudae epistolas nomine catholicarum laudat[2]; Origenis discipulus, *S. Dionysius M.* 1. Ioannis, ut eam a duabus aliis discernat, catholicam appellat[3]. Inter Graecos autem *Eusebius* et inter Latinos *S. Hieronymus* primi sunt, qui de « *septem catholicis* » loquuntur, terminum vero ea adhibent ratione, ut illo tempore eum in usu communi fuisse appareat[4].

De eius sensu non una omnium est sententia. Alii ideo eas catholicas appellatas esse volunt, quia in catholica Ecclesia unanimi consensu fuerint receptae. Cui sententiae favet quidem, quod inde a *Cassiodori* tempore epistolae hae interdum *catholicae*, interdum *canonicae* sint dictae, ut utrique termino idem sensus attributus esse videatur, atque Eusebius quoque terminum catholici alicubi eodem sensu adhibuerit[5]. Nihilominus eam erroneam dicere non dubitamus; illo enim tempore, quo epistolae illae iam ab omnibus catholicae vocabantur, de illarum canonicitate nondum in Ecclesia adfuit communis consensus; imo, quod gravius est, catholicae vocatae sunt aliae quoque epistolae, quae in canonem nunquam sunt receptae. Namque *Eusebius* Clementem Alex. omnium U. T. librorum brevem enarrationem composuisse dicit « *ne illis quidem praetermissis, de quibus inter multos ambigitur, Iudae sc. et Barnabae epistolis et reliquis catholicis* », atque *Origenes* quoque Barnabae epistolam vocat catholicam[6].

Quapropter alteram sententiam omnino praeferimus, quae termini rationem in eo quaerit, quod non paulinarum ad instar uni soli ecclesiae vel personae, sed multis simul ecclesiis erant destinatae; catholica

igitur epistola idem fere sonat, quod encyclica. Quo in sensu terminum *Clemens Alex.* et *S. Cyrillus Ieros.* iam adhibuerunt, ubi de « catholica omnium Apostolorum epistola » loquuntur, quae per Pauli ministerium « ad fideles » perlata sit; decretum enim apostolicum, utpote « fratribus, qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae » inscriptum, encyclica quaedam epistola fuit[7]. Neque alio in sensu *Apollonius* Themisonem Montanistam « Apostolos imitatum epistolam catholicam » scripsisse asserit, atque *Eusebius* ipse S. Dionysium Cor., ut *omnibus* prodesset, ecclesiis catholicas epistolas scripsisse refert[8]. *S. Dionysius M.* quoque, si 1. Ioannis epistolam velut catholicam a duabus aliis separat, non est dubium, quin eodem in sensu terminum usurpaverit; 2. et 3. Ioannis enim singulis personis (vel ecclesiis) sunt inscriptae[9].

Neque obstat, quod in catholicarum numero duae inveniantur, quae encyclicae non sunt; a potiore enim parte desumitur denominatio. Etenim ante reliquas omnes 1. Petri et 1. Ioannis in canonem sunt receptae, quarum prior inscriptione sua, altera vero, quae inscriptione caret, toto loquendi modo sese encyclicas esse produnt. Quibus proxime adiunctae sunt Iacobi et Iudae epistolae, quae ipsae quoque inscriptionibus universalem suam destinationem indicant, et 2. Petri, quae iisdem, quibus prior, fidelibus (2 *Petr.* 2,1) scripta est. Postea 2. et 3. Ioannis adiunctae communi aliarum nomine, etsi non satis apte, catholicae vocari coeptae sunt. Quod si quis vero interrogaverit, cur epistola ad Hebr., quae ipsa quoque encyclicum characterem habet de cuiusque auctore diu dubitatum est, reliquis catholicis non sit adnumerata, respondebimus eam ab ecclesia graeca, cui nomen epistolarum catholicarum debemus, semper S. Paulo esse attributam eamque non multis ecclesiis, sed soli ecclesiae hierosolymitanae (vel palaestinensi) esse destinatam.

1. *Fragm. Murator.* lin. 68. 69; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 184.

2. *Origenes* apud Euseb. H. E. VI. 25 (M. 20,581) 1 *Petr.* 5,13 ἐν καθολικῇ ἐπιστολῇ scriptum esse asserit; 1. Ioann. catholicam vocat in Ioan. I. 23 et XX. 13, atque item Iudae epistolam in Rom. V. 1 (M. 14,61. 601. 1016).

3. *S. Dionys. M.* apud Euseb. H. E. VII. 25 (M. 20,700) : « Evangelista vero ne catholicae quidem epistolae nomen suum praefixit;... sed neque in secunda ac tertia, quae vulgo Ioanni attribuuntur, Ioannis nomen legitur ».

4. *Euseb.* H. E. II. 23 (M. 20,205) « Iacobo etiam adscribi solet epistola prima earum, quae catholicae nominantur (ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν). Quam quidem nonnulli spuriam ac supposititiam existimant. Sane pauci admodum ex vetustioribus tum hanc epistolam tum illam Iudae, quae et ipsa in *septem catholicarum numero* recensetur, commemoraverunt ». *S. Hieron.* de vir. ill. 2. 4 (M. 23,639. 646).

5. *Cassiod.* Institut. div. lit. 8 (M. 70,1126) : « In epistolis autem *canonicis* Clemens Alex. presbyter, i. e. in epistola S. Petri prima, S. Ioannis prima et secunda, et Iacobi, quaedam attico sermone declaravit ». Medio aevo canonicae aut catholicae promiscue vocabantur; cfr. *Ven. Beda* : « Prologus super septem epistolas *canonicas*.

Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas septem epistolas ediderunt, quas ecclesiastica consuetudo *catholicas* i. e. universales cognominat » (M. 93,9); *Hugo a S. Vict.* Erudit. didasc. IV. 6 (M. 76,781) « canonicae epistolae septem sunt » etc.

6. *Clem. Alex.* apud Euseb. H. E. VI. 14 (M. 20,549); *Orig.* c. Cels. I. 63 (M. 11,777.)

7. *Clem. Alex.* Strom. IV. 15 (M. 7,1304); *S. Cyrill. Ieros.* Catech. IV. 28 (M. 33,492).

8. *Apollon.* apud Euseb. H. E. V. 18 (M. 20,477); *Euseb.* H. E. IV. 23 (M. 20,384) « Scribunt Apostoli et Episcopi omnibus gentibus catholicam epistolam, ut primo ac praecipue ab immolatis abstineant » etc.

9. Cfr. *Oecumen.* Arg. ep. S. Iacobi (M. 119,453) : « Catholicae vocantur, i. e. encyclicae; non enim uni populo aut civitati, quemadmodum divinus Paulus Romanis vel Corinthiis, inscribit has epistolas discipulorum Domini coetus, sed universaliter fidelibus, aut saltem Iudaeis in dispersione degentibus, vel etiam omnibus Christianis sub eadem fide militantibus ». Simili modo S. *Isidor. Hisp.* Etymol. VI. 2 (M. 82,234) : « Petrus scripsit duas sui nominis epistolas, quae catholicae ideo nominantur, quia non uni tantum populo, sed universis gentibus generaliter scriptae sunt ». Quam S. Isidori definitionem iisdem verbis repetierunt *Alcuin.* Disputat. puer. 8 (M. 101,1130), *Rhaban. Maur.* De Univ. V. 2. (M. 111,113) etc.

201. — II. Historiam canonis N. T. enarrantes primis fidei temporibus easdem epistolas catholicas ab omnibus ecclesiis non statim esse receptas satis fuse ostendimus : prior Petri et prima Ioannis in omnium ecclesiarum occidentalium et orientalium canone semper erant; reliquae autem a nonnullis dumtaxat, et aliae quidem ab aliis, pro canonicis habebantur, donec inde a saec. 4., postquam Ecclesiae pace reddita accuratius in librorum addubitatorum originem apostolicam inquiri coeptum est, plenus omnium fidelium consensus sit exortus[1]. Ineunte saec. 4. *Eusebius* paucis his verbis antiquorum scriptorum ecclesiasticorum sententias comprehendit : « Inter libros sacros, quibus contradicitur sed qui a plerisque recipiuntur (τῶν ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δὲ τοῖς πολλοῖς) est epistola quae dicitur Iacobi, et Iudae, et 2. Petri, et 2. et 3. Ioannis, sive ab Evangelista sunt scriptae, sive ab alio eiusdem nominis »[2]. Infra singularum epistolarum canonicitatem documentis patristicis adstruemus et ab adversariorum obiectionibus vindicabimus; pauca autem de ORDINE, quo inde a saec. 4. recenseri solent, hoc loco praemittemus.

Ordo ille, quem Vulgata nostra Clementina tenet (IACOBI, 1.2. PETRI, 1.2.3. IOANNIS, IUDAE) in ecclesiis orientalibus inde ab ineunte saec. 4. communis erat. Alexandrinae enim ecclesiae testis est *S. Athanasius*, hierosolymitanae *S. Cyrillus Ieros.*, asiaticarum *S. Gregorius Naz.*, *S. Amphilochius* et, si quis eius canonem 60. genuinum habeat, *Concilium Laodicenum* (an. 364.); eundem quoque ordinem plerique *codices graeci* exhibent[3]. In Occidente eum a *S. Hieronymo* invectum penes iuniores scriptores ecclesiasticos et in *plerisque Vulg. codicibus* invenimus[4].

Antiquitus autem in Occidente alium ordinem praevaluisse antiqua

testimonia demonstrant. Cum *Origene*[5] enim omnes antiqui codices latini duabus Petri epistolis primum locum assignant, in reliquis autem disponendis magna inter eos habetur varietas. Publicum quendam ordinem (1. 2. Petri, 1. 2. 3. Ioannis, Iacobi, Iudae) exhibent *Concilia Africana, S. Innocentius I., S. Gelasius,* approbavitque *Concilium Tridentinum*[6]; a quo *SS. Philastrius, Augustinus, Ildefonsus Tolet.* in eo solo dissentiunt, quod Iudam Iacobo praemittant[7]; *Rufinus* vero Ioanni ultimum locum attribuit (1. 2. Petri, Iacobi, Iudae, 1. 2. 3. Ioannis), *S. Isidorus Hisp.* demum Ioannem inter Iacobum et Iudam inserit (1. 2. Petri, Iacobi, 1. 2. 3. Ioannis, Iudae)[8].

Qua ex enumeratione, opinor, vehementer illos errare evidens est, qui ex epistolarum ordine ad tempus definiendum, quo singulae a singulis ecclesiis in canonem sint receptae, idonea argumenta desumere se posse arbitrantur[9]. Plurimi enim canones antiqui Iudae epistolam ultimo in loco ponunt, quamvis ex minoribus vix ulla sit, quae antiquioribus e certioribus argumentis in Oriente et Occidente canonica fuisse demonstretur[10]. Atque si a temporis ratione ordo dependet, quomodo factum est, ut in eadem ecclesia africana eadem aetate Concilia Iudam Iacobo postponant, Augustinus autem praemittat, vel in eadem ecclesia hispanica SS. Isidorus et Eugenius aliter sentiant, quam S. Ildefonsus?

Alio igitur ex fonte ordinis varietatem derivemus oportet, neque magna cum difficultate eius ratio detegitur, si earum dumtaxat serierum, quae publica auctoritate antiquitus sunt gavisae, dispositio in considerationem venerit. Etenim Graeci in sua serie definienda ad *Gal.* 2, 9 videntur respexisse, quo in loco Iacobus, Cephas, Ioannes enumerantur, quibus ultimus additus est Iudas. Quanta autem Iacobi inter Iudaeochristianos fuerit auctoritas, nemo ignorat; quocirca a vero non aberrabimus, si seriem hanc ecclesiis orientalibus illis, quae iudaicorum neophytorum maiorem habebant numerum, nos debere dicemus. Occidentales autem, quibus iam Origenes praeierat, S. Petri, principis Apostolorum et Ecclesiae capitis, praerogativam prae oculis habuerunt, quum eius epistolis primum locum assignarent, atque in reliquis quoque disponendis ad auctorum, si ita dicere fas est, dignitatem animum adverterunt : Ioannes enim, utpote discipulus quem diligebat Iesus cuique una cum Petro Lucas in fundanda ecclesia primas partes attribuit, et Iacobus, quem cum Petro et Ioanne Paulus columnam Ecclesiae appellat, praecedunt Iudae. Reliquae autem series, quae, quum ex privatis dumtaxat nonnullorum Patrum testimoniis innotuerint, publico in usu fuisse non demonstrantur, quonam ex fonte sint haustae et quo nitantur fundamento, non liquet.

In sequenti tractatu ordinem Vulgatae nostrae sequemur, quem chronologico quoque propiorem putamus; solam epistolam S. Iudae, quae

cum 2. Petri intime cohaeret eaque est antiquior, petrinis epistolis addemus.

1. Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. nn. 59.-67. p. 164 sqq.

2. *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20,269).

3. *S. Athanas.* Epist. festal. 39 (M. 26,1437); *S. Cyrill. Ieros.* Catech. IV. 36 (M. 33,500); *S. Gregor. Naz.* De veris Script. 36. 37. (M. 37,474); *S. Amphiloch.* ad Seleuc. 312-315 (M. 37,1597), etsi antiquorum dubiorum simul habeat rationem : « Catholicas epistolas nonnullas quidem septem enumerant, alii autem tres dumtaxat recipiendas esse dicunt : Iacobi unam, unam Petri et Ioannis unam [idem ordo etiam in *Peschito* codicibus, quae tres tantum habet]; quidam autem tres (Ioannis epistolas) ac praeterea duas Petri recipiunt, et unam Iudae, quae *septima* est ». — De *Conc. Laodic.* can. 60. cfr. *Introd. gen.* 42. 5. p. 98 sqq.; de codicibus graecis *Tischend.* N. T. Ed. 7. Proleg. p. LXXIII, Ed. 8. (*Gregory* Proleg.) p. 138.

4. *S. Hier.* ad Paulin. 53,8 (M. 22,548); *S. Eugen. Tolet.* Versus in biblioth. (M. 87,394) :

« *Iacobus* hic nitido praepollens ordine nitet,
Et *Petri* gemina resplendet epistola dictis;
Ac triplex legitur magni doctrina *Ioannis;*
Parvaque sed prudens gestatur pagina *Iudae* ».

Idem ordo in codd. *Fuld.*, *Amiat.* etc.

5. *Orig.* in Iosue hom. 7,1 (M. 12,857).

6. *Conc. Hippon.* an. 393. can. 36. et *Conc. Carthag.* an. 419. can. 29. (Mansi III. 924; IV. 430); *S. Innoc.* ad Exuper. Tolos. 7 (Mansi III. 1041; M. 20,502); *Gelas.* de Script. (M. 49,158); *Conc. Trid.* sess. IV. Decret. de canon. Script.

7. *S. Philastr.* haer. 88 (M. 12,1199); *S. August.* Doctr. christ. II. 8 (M. 33,41); *S. Ildef. Tolet.* De bapt. 59 (M. 96,140).

8. *Rufin.* Symbol. apost. 37 (M. 21,374); *S. Isid. Hisp.* De libris V. et N. T. 95-104 (M. 83,177 sq.); quam parum vero ex his privatis Patrum enumerationibus deduci possit, ex eo apparet, quod idem S. Isidorus eodem in libro paucis paginis antea (12. M. 83,159) ponat : « epistolas *Ioannis* tres, *Petri* duas, *Iudae* et *Iacobi* singulas ».

9. *Credner-Volkmar* Gesch. des Neutestam. Kanon. Berlin 1860. p. 402 sqq.

10 Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 65. p. 190 sqq.

§ 19. — *De epistola catholica B. Iacobi Apostoli.*

202. — I. De epistolae auctore. Eandem inscriptionem, quam Vulgata nostra latina (« epistola catholica *B. Iacobi Apostoli* ») non pauci graeci codices atque syriaci exhibent[1]. Quoniam vero in N. T. inter Domini discipulos non unus dumtaxat nomen Iacobi gessit, praeprimis inquiramus oportet, quis ex illis auctor sit epistolae, quae se ipsa ab « Iacobo, Dei et Domini N. Iesu Christi servo » scriptam esse testatur.

In Apostolorum catalogis, quos referunt Evangelia et Actus[2], duo enumerantur Iacobi, alter Zebedaei filius et Ioannis Evangelistae frater, quem Herodes Agrippa a. 44. occidit, alter Alphaei filius. Praeter quos tertium in Scripturis inveniri censent non pauci, Iacobum scilicet « fratrem Domini », quem « post Domini passionem ab Apostolis Ierosoly-

morum episcopum esse ordinatum » tradit S. Hieronymus[3]. Atque profecto tertium Iacobum agnoverunt et a duobus Apostolis distinxerunt *Ps. Clementinae, Constitutiones Apostolorum, Eusebius,* S. *Epiphanius, Victorinus* iunioresque aliqui auctores ecclesiastici graeci[4], quorum testimonia tamen magis minusve dubia sunt. Quos secuti aliqui historiographi et interpretes catholici praeeunte P. Henschenio, uno ex praeclarissimis Actorum Bolland. scriptoribus, eandem sententiam tenuerunt[5]; protestantici vero scriptores moderni plerique eidem favent, antiquorum antidicomarianitarum simul errore recocto Iacobum fratrem Domini uterinum appellantes[6].

Quem ultimum errorem ab S. Hieronymo iam acriter in Helvidio impugnatum[7] denuo refutare operae pretium non duximus; neque enim in Scripturis bona fide explicatis nec in Patrum operibus quidquam quod ei faveat invenitur. Quocirca modernorum antidicomarianitarum blasphemiis praetermissis solam catholicorum, quos laudavimus, sententiam examinabimus, *ostendemusque tantum abesse, ut in Scripturis quidquam legatur, quo Iacobus Alphaei ab Iacobo fratre Domini distingui demonstretur, ut eandem personam duobus istis nominibus designari argumentis certis confirmetur; antiquae autem Ecclesiae traditionem huic potius quam oppositae sententiae favere.*

1. Cfr *Tischendorf* N. T. Ed. 8. II. p. 272.

2. *Matth.* 10, 2 sqq.; *Marc.* 3, 16, sqq.; *Luc.* 6. 14. sqq.; *Act.* 1, 13.

3. *S. Hier.* de vir. ill. 2. (M. 23, 639.). Iacobus « frater Domini » nominatur *Matth.* 13, 55; (27, 56); *Marc.* 6, 3; (15,40; 16, 1); (*Luc.* 24,10); *Gal.* 19.

4. *Constitut. Apost.* II. 55; VI. 12 (M. 1,721. 940); *Recognit.* I. 43 sqq. (M. 1,1231 sqq.); *Euseb.* in Is. 17,5; H. E. I. 12 etc. (M. 24,209; 20,120); *S. Epiph.* haer. 79,3 (M. 42, 744), *M. Victorin.* in Gal. 1, 19 (M. 8, 1155).

5. *Rich. Simon* Hist. crit. du N. T. p. 192 sqq.; *Act. SS.* Mai. I. p. 21 sqq.; Henschenium sequuntur ex catholicis *Zaccaria* Disput. de rebus ad hist. eccl. pertinentibus I. Dissert. 1. De tribus Iacobis; *Al. Vincenzi* Lucubr. bibl. Romae. 1872. p. 144 sqq.; *Danko* Hist. revel. N. T. p. 485 sqq.; *Schegg* Iacobus der Bruder des Herrn u. sein Brief. München 1883. I. p. 3 sqq. Ceterum mera est calumnia, si *Sieffert* (Herzog P. R. E. VI. 468) Richardo Simon et Zaccariae protestanticam haeresin affingit, ac si Iacobum uterinum Domini fratrem esse putassent.

6. Longa serie eos enumeratos habes ab *Sieffert* l. c., qui ibidem paucos illos protestanticos interpretes recenset, qui genuinam sententiam tenent.

7. *S. Hier.* c. Helvid. 12 sqq. (M. 23,204 sqq.).

203. — **1.** Inter Scripturae testimonia, quae Iacobum Alphaei et Iacobum fratrem Domini duo eiusdem personae nomina esse evincunt, gravissimum est illud, quod *Gal.* **1,17-19** legitur : « Neque veni, inquit S. Paulus, Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos (πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους); sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum; deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim; *alium autem Apostolorum non*

vidi, nisi Iacobum fratrem Domini ». S. Paulus igitur Iacobum fratrem Domini non tantum Apostolum vocat, sed illis quoque adnumerat, qui ante eum fuerunt Apostoli : iam vero illa in parte epistolae totus in eo est, ut genuinum et verum Apostolum sese esse demonstret, qui Evangelium, quod praedicat, neque acceperit neque didicerit ab homine, suamque a primitivis Apostolis, quos Dominus, quum in terris ageret, immediate vocaverat et docuerat, independentiam omnimodam adstruat; nomen igitur Apostoli sensu stricto intelligit, neque Iacobi potius quam Barnabae vel aliorum discipulorum, quos Ierosolymis vidit, mentionem fecisset, nisi ille inter *Duodecim* fuisset[1]. Si vero Iacobus frater Domini unus ex Duodecim fuit, alius atque Iacobus Alphaei esse non potest. Argumentum nostrum non parum ex loco parallelo Actuum corroboratur, in quo Paulus a Barnaba « ad Apostol*os* » adductus esse narratur[2]; praeter Petrum ergo alter Apostolus proprie dictus eo tempore Ierosolymis adfuit, quem Iacobum fratrem Domini fuisse docet epistola ad Galatas.

2. Alterum argumentum non minus certum ex modo loquendi S. Pauli et S. Lucae deducimus. Solent enim sacri scriptores, ut lectorum errorem praecaveant, homonymos Apostolos vel discipulos epitheto discernere[3]. Atqui S. Lucas, postquam Iacobum « fratrem Ioannis » ab Herode occisum esse narravit, tum eodem in capite tum in sequentibus alterum Iacobum sine ullo epithetocommemorat[4]; id quod certo non fecisset, si post Iacobi Maioris mortem alii duo Iacobi superstites fuissent. Eodem modo S. Paulus in primo suo itinere hierosolymitano se « Iacobum fratrem Domini » vidisse refert, quia illo tempore alter Iacobus Ioannis frater nondum erat occisus; sed immediate postea de tertio itinere hierosolymitano loquens « Iacobum » epitheto omisso nominat; Iacobus Zebedaei enim sex annis antea martyrium subierat, nec ullus igitur pertimescendus erat error[5].

1. Argumenti nostri vim eludere conantur multi protestantici interpretes textu graeco explicato : « alium Apostolorum non vidi, sed vidi Iacobum fratrem Domini »; quam versionem contra grammaticam peccare evidens est (Cfr. *Winer* Grammat. des neutestam. Sprachidioms. Ed. 5. p. 647). Quocirca alii, quibus accedit *Schegg* (Iacob. d. Bruder des Herrn p. 55), nomen Apostoli latiore sensu intelligere malunt. Quem latiorem sensum interdum in Scripturis inveniri non diffitemur, pernegamus autem eum *Gal.* 1,19 concedi posse, quin tota argumentatio Pauli ruat. Latiore sensu eum esse Apostolum, adversarii eius nunquam negaverant, sed eum primitivis Apostolis aequalem esse noluerunt admittere. Praeterea, quum Paulum illo in itinere etiam Barnabam vidisse ex Actibus constet, qui ipse quoque latiore sensu Apostolus erat atque ad Apostolatum ante Paulum erat vocatus, Paulus asserere non potuisset, se ex Apostolis latiore sensu solos Petrum et Iacobum vidisse.

2. *Act.* 9, 27, quo in loco nomine *Apostolorum* secundarios Evangelii praecones comprehendi, nemo adhuc demonstrare conatus est. Ceterum de toto hoc argumento cfr *Comment.* in 2 Cor. et Gal. 1892. p. 407 sqq.

3. Cfr. *supra* 60 p. 227.

4. *Act.* 12,2. 17; 15,13; 21,18; *Gal.* 1,19; 2,9. 12.

5. *S. Hier.* c. Helvid. 13 (M. 23,205) aliud argumentum ex nomine « Iacobi *Minoris* » deducit « Quomodo tertius ad distinctionem *maioris* appellabitur *minor*, quum maior et minor non inter tres, sed inter duos soleant praebere distantiam? » Quod argumentum antiquissimam esse traditionem latinae Ecclesiae de duobus tantum Iacobis admittendis optime demonstrat, secus autem decretorium non est, quoniam in textu graeco sine ulla comparatione vocatur Ἰάκωβος ὁ μικρός (*Marc.* 15,40).

3. Quibus duobus argumentis assertum nostrum satis iam stabilitum est; restat autem, ut ea, quae de Iacobo Alphaei et de Iacobo fratre Domini in Scripturis dicuntur, de eadem persona aptissime intelligi ostendamus.

a.) « *Fratres Domini* », Iacobus, Ioseph (vel Ioses), Simon et Iudas[6], matrem habent Mariam[7], quae ab Ioanne appellatur « soror matris Domini, Maria Clophae »[8] i. e. Clophae uxor; mulieres enim secundum patrem non nominabantur, sed secundum maritum[9]. Iam vero interpretes plerique Clophae et Alphaei nomina eiusdem vocabuli hebraici חַלְפַּי esse transcriptiones concedunt; hebraicum enim ח, si vocabulum incepit, ab aliis durius, ab aliis lenius proferebatur; duriorem Galilaeorum pronunciationem recepit S. Ioannes, leniorem Ierosolymitanorum conservarunt Synoptici[10]. Iacobus frater Domini filius igitur erat Alphaei atque Domini consobrinus, sive eius mater Maria fuerit vera B. Virginis soror, quod multis praeplacet, sive soror B. V. vocetur, quia eius maritus Alphaeus frater erat S. Iosephi, quod alii admittere malunt[11].

b.) In catalogis Apostolorum omnibus, si traditor omittitur, tres ultimos locos occupant Iacobus Alphaei et Thaddaeus et Simon Chananaeus, vel Iacobus Alphaei et Simon, qui vocatur Zelotes, et Iudas Iacobi. Quin Thaddaeus et Iudas Iacobi sint duo eiusdem Apostoli nomina, nemo dubitat; in collegio igitur apostolico tria habemus nomina, eaque semper coniuncta, quae « fratribus Domini » sunt propria. Num casui hoc adscribendum, annon potius dicendum est inter Apostolos tres « fratres Domini » fuisse? Nam Iudam Iacobi esse Iacobi *fratrem* certum est; quoniam hoc nomine in primitiva Ecclesia Iudam cognitum fuisse, eius epistola docet: « Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi »[12]. Accedit autem, quod ultimis in locis tres « fratres Domini » recenseantur; consanguineis scilicet suis Dominus primos locos attribuere noluit, ne consanguinitati suae suam vocationem adscriberent?

c). Quod si quis aliis saltem Scripturae textibus « fratres Domini » omnes aut Iacobum a collegio apostolico separari ex eoque excludi obiecerit, accurato singulorum locorum examine contrarium rectius demonstrari asserimus.

α.) Namque priorem ad Corinthios epistolam[13] sententiae nostrae favere potius quam contradicere manifestum est. S. Paulus enim, si

sibi idem licere asserit, quod « *ceteris Apostolis et fratribus Domini et Cephae* », aeque parum « fratres Domini » quam ipsum Cepham a collegio apostolico separat, e contra in eo plures « fratres Domini » fuisse clare docet, quia gradatione argumentationem suam corroborat. Etenim « mihi, inquit, idem facere licet, quod reliqui Apostoli, imo illi, qui inter Apostolos ob consanguinitatem suam dominicam maiore quadam dignitate pollent, atque ipse eorum princeps Petrus facere nefas non habent ». Neque iterum si Dominus « *Iacobo et deinde Apostolis omnibus* » visus esse dicitur, Iacobus a collegio magis separatur, quam paucis versibus antea Petrus ab eo separatur, quando : « *Dominus visus esse Cephae et post haec undecim* » dicitur. Imo si ad sola verba, quibus usus est Paulus, quis attenderit, Iacobum clarius et disertius, quam Petrum, Apostolis adnumerari concedet; quia enim dicit : ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσι, Iacobum diserte nominat Apostolum[14].

β.) Neque *Act.* **1, 13. 14**, si Apostoli « unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria matre Iesu *et fratribus eius* » perseverasse referuntur, *in* collegio apostolico alii fratres Domini fuisse negantur. Praeter *quatuor* enim « fratres Domini » in Evangelio etiam « sorores Domini » commemorantur, quae quum Dominus cum matre et fratribus suis sedem in Capharnum transferret, in patria Nazareth remanserant, quia ibi maritos suos habebant[15]. Quid igitur impedit, quominus Iosen « fratrem Domini », cuius nomen in catalogis apostolicis deest, et maritos « sororum Domini » ab Actuum auctore designari dicamus?

γ.) Si quis autem ulterius progressus « fratres Domini » *omnes* (οἱ ἀδελφοί) in eum non credidisse[16] ideoque in Apostolorum coetu non fuisse contenderet, *perfectam* quidem fidem illis ab Ioanne abiudicari concederemus, at neque reliquorum Apostolorum neque Ioannis ipsius fidem ante Domini resurrectionem fuisse perfectam adderemus; quocirca ex hoc textu nihil prorsus deduci patet.

Ceterum ultimae duae obiectiones, si quid probarent, non tres, id quod nos tenemus, sed duos tantum ex fratribus Domini (Iacobum et Iudam), id quod aliis praeplacet, in Apostolorum coetu fuisse evincerent; inconcussum igitur manet, quod asseruimus, in Scripturis nihil inveniri, quod nos prohibeat, quominus Iacobum Alphaei et Iacobum fratrem Domini unam eandemque personam esse dicamus, non deesse autem in Scripturis, quae eorum identitatem invicte demonstrent.

6. *Matth.* 13,55; *Marc.* 6,3.
7. *Matth.* 27,56; *Marc.* 15,40. 47; 16,1.
8. *Ioan.* 19,25. Μαριὰμ ἡ τοῦ Κλωπᾶ (γυνή).
9. *Luc.* 8,3 Ἰωάννα γυνὴ Χουζᾶ ἐπιτρόπου Ἡρῴδου. *Matth.* 1,6 ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου.
10. Duplex pronuntiatio literae ח vocabulum *inchoantis* constat ex transcriptione

septuaginta interpretum et Origenis. Propheta חַגַּי ab Alexandrinis vocatur Ἀγγαῖος, e contra חָרָן legitur Χαρράν (*Gen.* 11,31 etc) et probabiliter idem est oppidum, quod a Graecis et Romanis Κάρραι *Carrae* appellabatur (Cfr. *Gesen.* Thesaur. ling. hebr. p. 528). Recte *Field* (Origenis Hexapl. Proleg. I. p. LXXII) : « ח duplicis pronuntiationis est, cuius exemplum est vox חַרְסִית (*Ierem.* 19,2), quae Senioribus χαρσεῖθ sonat, Aquilae autem et ceteris ἀρσεῖθ. Exprimitur per χ in ὠχεῖμ pro אחים (Symm. *Is.* 13,21) nec non in propriis nominibus Χάμ, Χεβρών, Χαρράν (Iosepho Αὐρανῖτις), saepius vero per spiritum tantum, ut ἄγ pro חג (*Ps.* 117,27) » etc. Duplicem autem eiusdem literae gutturalis aut literae ad gutturales accedentis pronuntiationem non admodum raro invenimus : arabicam literam Qaf (ق) Syri hodie durissime pronuntiant, vicini autem Aegyptii lenissime, ut idem vocabulum קלב (cor) Syris sonet *qalb*, Aegyptiis *alb*. — Contra identitatem nominum Klopae et Alphaei obiiciunt quidem multi (Cfr. ex recentissimis rationalistis *Renan* Les Évangiles. Paris 1877. p. 548 et ex catholicis *Schegg* l. c. p. 53) Κλωπᾶ esse nomen graecum contractum Κλεόπατρος. At probe distinguenda sunt nomina Κλεόπας (*Luc.* 24,18), quod idem est ac Κλεόπατρος, et Κλωπᾶ; graecum Κλέο- nunquam in Κλω-, sed in Κλευ- vel Κλει- contrahitur (Κλεύδαμος, Κλεισθενής). Ceterum cum H et permultis minusculis legere malo Κλοπᾶ quam Κλωπᾶ; libenter autem concedo Galilaeos nomen Chalpa vel forte Cholpa graecae pronuntiationi assimilasse. Si quis vero nominum Alphaei et Clopae identitatem pertinaciter negare voluerit, nihil obstat, quominus Alphaeum praeter nomen suum hebraicum etiam nomen graecum gessisse dicamus (Ioannes Marcus, Thomas Didymus, Saulus Paulus etc).

11. In margine codd. Peschito adnotatur : « Clopa et Ioseph fratres, et Maria et Maria Domini sorores; hi igitur duo fratres duxerunt has duas sorores « (*Tischend.* N. T. gr. Ed. 8. I. p. 945). S. Iosephum fratrem Clophae fuisse referunt *Hegesippus* (Euseb. H. E. III. 11. M. 20,248) et *S. Epiphanius* haer. 78,7 (M. 42,708).

12. Cfr. *infra* 223 p. 649 sqq.

13. 1 *Cor.* 9,5; 15,7 cfr. 15,5.

14. 1 *Cor.* 15,7 intelligendum esse Iacobum fratrem Domini omnes concedunt.

15. *Matth.* 13,56; *Marc.* 6,3 « nonne et sorores eius hic nobiscum sunt? » Sed cfr. *Matth.* 4,13 et *Ioan.* 2,12.

16. *Ioan.* 7,3-7; *Matth.* 17,19. 20; *Marc.* 10,35.

4. Nec *certam* quidem antiquae Ecclesiae de duobus tantum Iacobis admittendis esse traditionem nec ex solis Patrum testimoniis certum argumentum deduci fatemur; at antiquitatis documenta nostrae magis quam oppositae sententiae favere asserimus.

a.) Namque maximi hac in quaestione ponderis est *ecclesiae occidentalis* persuasio, quae (id quod supra innuimus) nominibus *Maioris* et *Minoris* expressa ad medium saltem saeculum 2. ascendit. Nisi enim illo tempore, quo facta est antiqua versio latina, in Occidente communis fuisset opinio, duos dumtaxat in N. T. commemorari Iacobos, interpres graecum Μικρός comparativo *Minor* non reddidisset[17]. Eandem vero iuniorum quoque Patrum occidentalium fuisse sententiam S. *Hieronymus* nos docet, qui in suo contra Helvidium libello de quaestione nostra accurate et fuse disserit aliisque in suis operibus ad hanc explicationem lectores suos remittit[18].

b.) Cum occidentali consentit *ecclesia alexandrina*, cuius primus testis *Clemens Alex.* disertis verbis « duos fuisse Iacobos tradit, quorum alter cognomento Iustus ex templi fastigio praecipitatus et a fullone fuste percussus interiit (Iacobus Alphaei, frater Domini), alter capite truncatus est (Iacobus Zebedaei) »[19]. Verum quoniam verba haec ab Eusebio Clementis verbis addita dicuntur, quamvis id omni verisimilitudine carere arbitremur[20], alterum eius testimonium adscribamus, quod etsi minus sit disertum, rem tamen satis evincit. « Post Salvatoris, inquit, ascensionem Petrus, Iacobus et Ioannes, quamquam Dominus illos ceteris praetulerat, de honoris gradu inter se non concertarunt, sed Iacobum Iustum constituerunt episcopum hierosolymitanum ». Quo in loco, quum prior Iacobus sit Zebedaei filius, Clemens, si alterum Iacobum praeter Alphaei filium designare voluisset, sine ullo dubio id dixisset[21]. *Origeni* quoque aliisque alexandrinae ecclesiae scriptoribus duos solos Iacobos cognitos fuisse ex eo colligimus, quod epistolae nostrae auctorem Apostolum nominaverunt[22].

c.) *Ecclesiae palaestinensis* quidem testimonia, quae omne dubium excludant, nobis conservata non sunt; at antiquiores eius testes nihil afferunt, quod iure nobis opponatur. Etenim nec Hegesippus nec Cyrillus Hier. unquam Iacobum, primum ecclesiae hierosolymitanae ecclesiae episcopum, ab Apostolorum coetu excludunt; e contra toto suo loquendi modo eum Apostolis videntur adnumerasse. Quod si enim *Hegesippus* Iacobum una cum Apostolis episcopatum hierosolymitanum suscepisse refert (διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος) non aliter loquitur quam S. Lucas, qui « Petrum et Apostolos » synedrio respondisse dicit (ἀποκριθεὶς δὲ Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι εἶπαν); quare si Petrus collegio Apostolorum a Luca inseritur, certe Iacobus ex illo collegio ab Hegesippo non excluditur[23]. Atque *S. Cyrillus* quoque satis clare eum Apostolis adnumerat : « Animae tuae cave, inquit, ne quid unquam edas quod idolis oblatum est, nam de huiusmodi cibis non mihi solum hoc tempore, sed iam ipsis Apostolis et Iacobo huius ecclesiae episcopo olim studium et cura fuit : scribunt enim *Apostoli et presbyteri* omnibus gentibus catholicam epistolam » etc; iam vero S. Cyrillus Iacobum, quem episcopum nominaverat, inter *presbyteros* scribentes non numeravit, siquidem medio saec. 4. episcoporum et presbyterorum nomina iam diu fixum suum definitumque sensum habuerunt; unum igitur ex *Apostolis* scribentibus Iacobum primum Ierosolymorum episcopum fuisse censuit[24]. Neque obiiciatur fieri non potuisse, ut ecclesia hierosolymitana, si primus eius episcopus ex Apostolorum numero fuisset, secundum inter palaestinenses locum post caesareensem occuparet[25]. Satis enim compertum est eam solam ob causam saec. 2. et 3. postpositam esse caesariensi hierosolymitanam ecclesiam,

quia Ierosolymis destructis nova, quae in eius ruinis ab Hadriano fundata est, civitas nomine et re ab antiqua Urbe sancta distinguebatur; quare etiam ecclesia illa ethnicochristiana Aeliae Capitolinae eundem dignitatis gradum, quem iudaeochristiana ecclesia hierosolymitana primitus occupaverat, ante Concilium Nicaenum non obtinuit[26].

Si Constitutiones apostolicas, de quarum antiquitate omnimoda cum certitudine non constat, omiserimus, *Eusebius Caes.* primus est testis, qui tres Iacobos fuisse asserit[27]; nescio vero an suspicari liceat eius in hac quaestione testimonium ab omni partium studio non esse vacuum; eius enim aetate inter eius ecclesiam et inter hierosolymitanam de dignitatis gradu vigebat controversia. Sed quidquid est, antiquiora nostra testimonia iunioribus Eusebii aliorumque sententiis auctoritate sua non privantur; traditionem igitur antiquam, etsi certum argumentum nobis non praebeat, nostrae sententiae de duobus solis Iacobis admittendis favere iure nostro asserimus.

17. Cfr. *supra* n. 5 p. 595. — « *Maria Iacobi Minoris* » (*Marc.* 15,40) est lectio non tantum Vulgatae, sed etiam antiquae Italae; eam iam exhibet Cod. Bobbieus. saec. 4., nec ullum alterius lectionis habemus vestigium.

18. *S. Hieron.* c. Helvid. 13 (M. 23,205); cfr. in Matth. 12,49; in Gal. 1,19 (M. 26,88. 354). Si vero S. Doctor alio in loco (in Is. 17,5. M. 24,18) aliam sententiam exponit, pro more suo ex graecis tractatoribus nonnulla transumsit lectorum iudicio relinquens, num ea approbent; illa enim, quae in Is. 17,5 tradit, totidem fere verbis in Eusebii commentario (M. 24,209) leguntur.

19. *Clem. Alex.* apud Euseb. H. E. II. 1. (M. 20,136).

20. Ita *Schegg.* l. c. p. 59; ut autem verba haec Eusebio attribui possint, supponendum est, eum memoria esse lapsum, quoniam ex eius sententia *tres* fuerunt Iacobi. Re vera *Schegg* : « Sein obiges : Es sind aber zwei Iakob gewesen, ist somit eine Vergesslichkeit oder ein nachlässiger Ausdruck von Seite des Eusebius. » At scriptori alicui eam solam ob causam errorem affingere, ut nostram opinionem tueri possimus, profecto non licet.

21. *Clem. Alex.* apud Euseb. l. c.

22. *Orig.* in Ps. 36,2 hom. 4,2; in Rom. IV. 8 (M. 12,1351; 14,990); *S. Athanas.* ep. fest. 39 (M. 26,1437) etc.

23. *Heges.* apud Euseb. H. E. II. 23 (M. 20,197). Fratrem hunc Domini filium fuisse Klopae hisce verbis tradit *Heges.* (Euseb. H. E. IV. 22. M. 20,380) : Καὶ μετὰ τὸ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τόν Δίκαιον, ὡς καὶ ὁ Κύριος ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ, πάλιν ὁ ἐκ Θείου αὐτοῦ Συμεὼν ὁ τοῦ Κλωπᾶ καθίσταται ἐπίσκοπος, ὃν προέθεντο πάντες ἀνεψιὸν ὄντα τοῦ Κυρίου δεύτερον; ad quae cfr. ex eodem *Heges.* (Eus. H. E. III. 32 (M. 20,284) : ὁ ἐκ Θείου τοῦ Κυρίου ὁ προειρημένος Συμεὼν υἱὸς Κλωπᾶ.

24. *S. Cyrill. Ieros.* Catech. IV. 28 (M. 33, 492); simili modo, ubi de apparitionibus Domini resuscitati a Paulo enumeratis loquitur, Iacobum fratrem Domini et episcopum hierosolymitanum nominat. Catech. XIV. 21 (M. 33, 852); 1 *Cor.* 15,7 autem Iacobum Alphaei esse intelligendum manifestum est.

25. Ita *Schegg* l. c. p. 6.

26. Cfr. *Hefele* Conciliengeschichte. Ed. 2. I. p. 404 sqq.

27. Cfr. *supra* 202 n. 4. p. 593.

204. — Quae quum ita sint neque plures, quam duo, Iacobi in primitiva Ecclesia claruerint, quaestio supra proposita, uter epistolae primae catholicae sit auctor, facillime solvitur. Quamvis enim pauci quidam codices latini et syriaci in subscriptione eam filio Zebedaei attribuant[1], dubium non est quin Iacobo Alphaei sit attribuenda. Iacobo « fratri Domini » eam attribuit unanimis Patrum traditio; inscriptio autem, quae Evangelium iam late propagatum supponit , atque argumentum, quod sententias nonnullas paulinas ab Iudaeochristianis male intellectas fuisse ostendit, clare docent eam satis diu post Iacobi Maioris martyrium (a. 44.) esse scriptam.

Auctor igitur epistolae nostrae filius fuit Alphaei vel Clopae, quem Hegesippus fratrem S. Iosephi fuisse tradit, et Mariae, quam B. Virginis sororem appellat Ioannes; Domini ergo fuit consobrinus, ideoque eius frater est vocatus[2]. A puero eum severam Nasiraeorum vitam egisse auctor est Hegesippus : « Ab ipso matris utero sanctus fuit; nec vinum unquam bibit nec siceram; ab animantium carnibus penitus abstinuit; comam nunquam totondit; neque ungebatur neque corpus balneo lavabat unquam. Soli ei in sanctum templi ingredi licebat, neque enim lanicio, sed linea tantum veste utebatur. In templum solus intrabat ibique flexis genibus pro peccatis populi Deum supplex orare conspiciebatur, adeo ut eius genua instar cameli occalluerint, quoniam assidue genibus incumbebat Deo pro salute populi vota faciens. Hic ergo ob singularem iustitiam cognominatus est Iustus et Oblias, quod munimentum populi et iustitiam designat, quemadmodum etiam prophetae de eo praedixerant »[3].

Inter duodecim Apostolos electus a Domino post eius resurrectionem singulari apparitione dignus habitus est, quam commemoravit S. Paulus et quam suo modo narravit Evangelium secundum Hebraeos[4]. A Domino ipso, secundum Patrum testimonium, episcopus hierosolymitanus designatus est[5] atque in primitiva Ecclesia tanta gavisus est auctoritate, ut S. Paulus eum una cum Petro et Ioanne columnam Ecclesiae vocaverit eiusque suffragio permotum Concilium Apostolicum definitioni suae dogmaticae, qua Ethnicochristianos Lege non teneri edixit, praecepta quaedam disciplinaria addiderit[6]. Vix minore autem auctoritate penes Iudaeos non conversos gaudebat, a quibus ob accuratam Legis integrae observantiam nomine Iusti est insignitus. Qui populi favor odium principum ei attraxit; quare, postquam triginta annis ecclesiae hierosolymitanae praefuit, summus pontifex Ananus post Festi procuratoris mortem et ante Albini eius sucessoris adventum (i. e. medio fere an. 62.) « opportunum sibi tempus adesse ratus synedrio coacto Iacobum, fratrem illius Iesu, qui dicebatur Christus, cum nonnullis aliis velut Legis violatae reos accusavit statimque lapidandos tradidit »[7].

Ita quidem *Fl. Iosephus*, paullo aliter vero martyrium Iacobi narrat *Hegesippus*. Quo teste Iudaei, quum magnam populi partem neque paucos ex primoribus Iacobi opera ac ministerio ad fidem in Christum adduci viderent, tumultuari coeperunt atque Apostolum ipsum rogaverunt, ut in die paschatis coram universo populo quid de Iesu sentiendum esset ediceret; sperabant enim fore, ut a fide in Christum Iudaeos dehortaretur. Itaque eum in fastigium templi adduxerunt, ut ab omnibus conspici et audiri posset. Interrogatus autem, ut doceret quodnam sit ostium Iesu[a] crucifixi, tam magnificum de Domino testimonium reddidit, ut multi in fide confirmati glorificarent Iesum; qua de re irati scribae et pharisaei eum de fastigio templi praecipitaverunt, et quum non statim esset mortuus, lapidare eum inceperunt; unus autem ex eis fullo, arrepto fuste quo vestes exprimuntur, caput Iusti percussit, atque ita felici martyrio vitam finivit S. Apostolus[8].

1. Cfr. *Tischend.* N. T. Ed. 2. II. p. 272.

2. *Eus.* H. E. III. 11 (M. 20,248); *Ioan.* 19,35; cfr. *S. Hier.* c. Helvid. 13 etc.

3. *Hegesipp.* apud Euseb. H. E. II. 23 (M. 20,197).

4. 1 *Cor.* 15,7. Cfr. *S. Hieron.* de vir. ill. 2 (M. 23,642), qui ex Evangelio secundum Hebraeos haec affert : « Dominus, quum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum et apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a dormientibus. (Rursusque post paullulum :) Afferte, ait Dominus mensam et panem. (Statimque additur :) Tulit panem et benedixit ac fregit et dedit Iacobo Iusto et dixit ei : Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus ».

5. *Constit. apost.* VIII. 35 (M. 1,1137) : « Ego Iacobus frater quidem Christi secundum carnem, servus autem eius uti Dei unigeniti, episcopus vero Ierosolymorum ab ipso Domino et ab Apostolis ordinatus » etc; *Ps. Clem.* Recognit. I. 43 (M. 1,1232); *Euseb.* H. E. VII. 19 (M. 20,681); *S. Chrysost.* in 1 Cor. hom. 38,4 (M. 61,326) : « ipse (Dominus) dicitur manuum impositione eum ordinasse et primum Ierosolymis episcopum fecisse »; *S. Epiph.* haer. 78,7 (M. 43,709) etc.

6. *Gal.* 2,9; *Act.* 15,13 sqq.

7. *Fl. Ioseph.* Antiquit. XX. 9,1; verba haec, quamvis iam ab *Euseb.* H. E. II. 23 (M. 20,204) Iosepho attribuantur, a nonnullis modernis spuria declarantur, quia Iacobum ab Iosepho « fratrem Iesu, qui dicebatur Christus », appellari non potuisse censent. At eadem verba iam ab Origene (c. Cels. I. 47 et II. 13. M. 11,748. 824) Iosepho adscribuntur, licet illo in nexu, quem Origenes indicat, hodie in Iosephi operibus non legantur. Cur autem Iosephus appellatione illa uti non potuerit, nulla datur sufficiens ratio.

8. *Heges.* apud Euseb. H. E. II. 23 (M. 20,200). Secundum *Renan* (L'Antechrist p. 67) « le récit d'Hégésippe est légendaire dans les détails ». Asserti argumentum non affert. Multo rectius *Credner* (Einl. p. 573) : « Der Bericht Hegesipp's enthält bei Weitem nicht so viel historische Uebertreibungen und Anstössiges, als Viele darin haben

a *Ostium Iesu crucifixi* i. e. summa doctrina de Iesu crucifixo. Rabbini vocabulum בבא (ostium, porta) hoc sensu videntur usurpasse, quum tres libros thalmudicos, qui summam quandam rerum politicarum, civilium, forensium tradunt, *portas* appellarent. (Cfr. Buxtorf. Lex. rabb. s. v.); Arabibus quoque *Bab* (porta) est caput libri, summa rei alicuius.

finden wollen ». Imo vero nihil in eo invenitur, quod iure in dubium vocetur. Oblivioni non est dandum Hegesippum « in prima Apostolorum successione », i. e. Patrum apostolicorum tempore vixisse atque Iudaeochristianum palaestinensem fuisse. Neque temere *Schegg* quoque (l. c. p. 13) Iosephum minus accurate, quam Hegesippum, rem retulisse censet. — De tempore, quo S. Iacobus passus est, Hegesippum et Fl. Iosephum dissentire immerito a nonnullis asseritur. Hegesippi enim verba, quibus narrationem suam de Iacobi morte terminat : καὶ εὐθὺς Οὐεσπασιανὸς πολιορκεῖ αὐτούς intelligenda non sunt de urbis obsidione per Titum inchoata, sed de initio belli iudaici (a. 66.); particula autem εὐθύς temporis intervallum quodcunque non excludit. Neque enim Hegesippus quidquam aliud exprimere voluit, nisi id, quod Origenes Fl. Iosepho attribuit, scilicet inter Iacobi occisionem, qua mensura Iudaeorum impleta est, et ultimum urbis excidium nexum adesse *internum*. Quapropter etiam Eusebius ipse, qui Hegesippi et Iosephi relationes nobis conservavit, contradictionem inter eas non invenit et in Chronico morti S. Iacobi annum 63. assignavit (M. 19,543).

205. — II. DUODECIM TRIBUBUS, QUAE SUNT IN DISPERSIONE, S. Iacobus literas suas inscripsit ideoque ansam dedit, ut alii quidem Iudaeis non conversis, alii Iudaeis omnibus sive conversis sive non conversis eas destinatas putarent[1]. Utramque vero sententiam erroneam esse non est ambigendum. Quod enim aliqui S. Matthaeum Evangelium suum Iudaeorum nondum conversorum gratia edidisse censuerint, id quidem non adeo est mirandum, siquidem primum Evangelium toto suo argumento satis aptum est, ut Iudaeos non conversos ad fidem attrahat; quem autem finem Apostolus Christi hac epistola inter Iudaeos infideles prosequi potuerit, nemo videt. Atque auctor ipse in inscriptione « Dei et Domini N. Iesu Christi servum » sese appellans solis Christianis se scribere satis clare docet, clarius vero idem ex reliqua epistola elucet. Illis enim scribit, quos Deus « verbo veritatis genuit », qui « fidem Domini N. Iesu Christi gloriae habent », super quos « bonum nomen invocatum est », qui secundum Domini adventum patienter exspectant etc[2]. Quae tam clara et aperta sunt, ut quomodo aliquis de Iudaeis non conversis velut primis epistolae lectoribus cogitaverit, plane non intelligatur.

Iudaeochristianis igitur epistola est scripta et proxime quidem illis, qui extra Palaestinae fines degebant; id quod inscriptio docet ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Iudaei enim, qui terram patriam permixti cum ethnicis incolebant, in « dispersione » non censebantur esse[3]. Quoniam autem extra Palaestinam ecclesiae, quae solis Iudaeis conversis constabant, probabiliter non inveniebantur (nulla enim talium ecclesiarum memoria ad nos pervenit), neque in tota epistola quidquam legitur, quod Iudaeochristianos solos ita respiciat, ut ethnicis conversis apte dici non potuerit, nihil arbitramur obstare, quominus eam, licet minus directe, omnibus Christianis extra Palaestinam degentibus scriptam asseramus. Non ignoramus quidem aliquos textus afferri, qui exclusis Ethnicochristianis solos Iudaeos conversos respicere dicuntur[4]; eorum

autem enumeratio, quid valeant, satis demonstrat. Etenim si locus, in quo Christiani congregari dicuntur, συναγωγή appellatur, scriptor quidem iudaicam suam originem prodit, sed de lectorum suorum origine nihil nos docet. Monotheismus sine ullo dubio supponitur; sed quomodo aliquis ex verbis : « Tu credis, quoniam unus est Deus », lectores fuisse concludat solos Iudaeochristianos, non intelligo. Neque magis iudaica lectorum origo demonstratur iuramenti formulis, quae prohibentur; eaedem enim sunt, quae utpote a Domino nostro iam proscriptae omnibus Christianis innotuerant. Unctio autem, quae commemoratur, nihil cum iudaicis unctionibus habet commune, atque vitiorum demum, quae vituperantur, radix alia non est atque carnalis ille sensus, quem ab Adamo non soli Iudaei, sed omnes omnino homines una cum peccato originali haereditaverunt[5].

Simili igitur modo, quo S. Petrus ἐκλεκτοῖς παρεπιδημίοις διασπορᾶς Πόντου κτλ scribens omnes Christianos, qui inter ethnicos quinque illarum provinciarum peregrinabantur, consolatus et exhortatus est, S. Iacobus nomine τῶν δώδεκα φυλῶν τῶν ἐν τῇ διασπορᾷ omnes quidem Christianos, qui soli verum populum electum constituerunt, est allocutus, sed pro auctoritate, qua episcopus hierosolymitanus inter Iudaeochristianos gaudebat, proxime illos prae oculis habuit[6], ideoque hanc inscriptionem elegit, ut pristina eorum electione commemorata benevolos eorum animos redderet; duodecim enim tribubus datae erant promissiones.

Verum inscriptio, quamvis illis verbis sit concepta, quae nullam ecclesiam extra Palaestinae fines sitam excludere videatur, ipsius tamen epistolae argumento ad certas quasdam determinatasque ecclesias restringitur. Etenim vitia, quae Apostolus vituperat, erroresque, quos impugnat, apostolico tempore in omnibus ecclesiis viguisse, quis sibi persuadebit? Sine ullo quidem dubio in omnibus ecclesiis apostolicis boni erant permixiti malis; id enim omnes apostolicae epistolae demonstrant, quae ad unam omnes vitia nonnulla monent vitanda. Sed omnibus in ecclesiis pauperes eo modo a divitibus fuisse despectos, quem S. Iacobus describit, a fide mortua omnes Christianos fuisse eo tempore iam dehortandos omnesque ecclesias gravibus nostrae epistolae monitis indiguisse, equidem nunquam concedam. Quaenam autem illis indiguerint, etsi certo non constet, cum magna tamen veri similitudine ex erroribus colligimus, quos impugnat S. Iacobus; eosdem enim in aliis epistolis catholicis impugnari videmus, quae ecclesiis Asiae Minoris sunt scriptae; nostram ergo iisdem esse destinatam censemus. Quod ut clarius demonstretur, prius quo tempore et qua in occasione sit data erit definiendum.

1. Ex catholicis cfr *Hug* Einl. II. 512; ex protestanticis *Theile* Comment. in ep. Iac. Proleg. p. 49; *Credner* Einl. p. 595 sqq. etc. Quibus omnibus iam praeierat *Ven. Beda* in Iac. 1,1 (M. 93,10).

2. *Iac.* 1,18; 2,1. 7; 5,7 etc.

3. Διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων (*Ioan.* 7,35) Iudaeos illos designat, qui inde ab exsilii babylonici tempore inter gentiles (Ἑλλήν semper in N. T. de gentilibus in opp. ad Iudaeos, nunquam de Graecorum natione) erant dispersi. In Thalmude tres dispersiones distinguuntur (cfr. *Buxtorf.* Lexic. rabb. s. v. גלותא), babylonica, medica, graeca, quae omnes a synedrio hierosolymitano dependebant (cfr. *Hug* Einl. II. p. 512 sq. et thalmudicos textus ibi allatos). — Porro « dispersionem hanc, inquit *Estius* (in Iac. 1,1), plerique interpretantur eam, quae sub Stephano facta est (*Act.* 8), quando fideles, qui erant Ierosolymis, ob persecutionem dispersi fuerunt per regiones Iudaeae et Samariae ». Cui explicationi a Ven. Beda (in h. l. M. 93,10) indicatae, sed nec ab Estio aut Lorino (i. h. l.) nec ab ullo fere moderno acceptae, non tantum grammatica sese opponit (οἱ ἐν τῇ διασπορᾷ non est idem ac οἱ διεσπαρμένοι), sed etiam epistolae argumentum, quippe quod nihil de persecutione illa innuat atque rerum statum prorsus alium supponat.

4. Cfr *Meyer-Huther-Beyschlag* Exeg. Hdb. XV. Ed. 5. 1888. p. 9 sqq.

5. *Iac.* 2, 2. 19; 5,12. 14 etc.

6. Cfr *Lorin.* Comm. in ep. Iacob. Praef. IV.; *Corn. a Lap.* in Iac. 1, 1; *Reithmayr* Einl. p. 708; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 646 etc.

206. — III. Quo tempore et qua occasione scripta sit, quoniam a Patribus nobis traditum non est, ex epistola ipsa, quantum eius fieri potest, temporumque apostolicorum ratione definiamus oportet. Quod difficultate sua non carere duae sententiae prorsus oppositae, quae adhuc defenduntur, satis demonstrant. Aliqui enim iam ante Concilium Apostolicum eam scriptam esse arbitrantur; longe plures vero diu postea versus finem vitae S. Iacobum eam dedisse asserunt[1]; quibuscum ita consentimus, ut priorem opinionem vix ulla probabilitate gaudere sine haesitatione affirmemus.

Namque tota quaestio in eo est, utrum S. Iacobus, quum epistolam suam scriberet, illam ad Romanos cognoverit necne. Iamvero *S. Augustinus* asseruit omnes epistolas catholicas contra falsam opinionem ex nonnullis Pauli verbis male intellectis exortam, quae fidem sine operibus ullis iustificare hominem diceret, intentionem suam dirigere; omnes igitur catholicas plerisque paulinis, quae omnes post Concilium Apost. scriptae sunt, iuniores esse censuit. Atque revera non paucae in nostra praesertim leguntur phrases, quae paulinis ita correspondent, ut casui fortuito deberi non possit earum similitudo. *S. Iacobus* mentionem facit concupiscentiarum τῶν στρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν; eadem imagine usus *S. Paulus* videt νόμον ἐν τοῖς μέλεσιν ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός. Temerarium hominum iudicium uterque eodem prorsus modo reprimit; *S. Iacobus :* Εἷς ἐστὶν ὁ νομοθέτης καὶ κριτὴς ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι· σὺ δὲ τίς εἶ, ὁ κρίνων τὸν πλήσιον; *S. Paulus :* Σὺ τίς εἶ, ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην... δυνατεῖ γὰρ ὁ κύριος στῆσαι αὐτόν. Secundum

S. Iacobum ἡ φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ Θεοῦ, secundum *S. Paulum* τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν etc[2]. Clarius autem, si fieri potest, alterutrius epistolae ab altera dependentia apparet ex celeberrimis illis textibus, in quibus Paulus et Iacobus doctrinas sibi oppositas statuisse a nonnullis sunt crediti. « Videtis, inquit *S. Iacobus*, quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum ». Cui haec verba legenti illud *paulinum* non statim occurrit : « Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus Legis »? Num prioris verba non ita sunt comparata, ut alterius verba cognita supponant? Quod clarius apparet, si ad argumentum animum advertimus, quo uterque thesin suam stabilit; Abrahae enim exemplum uterque affert et uterque ex iisdem Scripturae verbis ratiocinatur : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam »[3]. Apostolos non re sed verbis dumtaxat dissentire, non veram Pauli doctrinam, sed perversam verborum eius interpretationem ab Iacobo negari, opus non est ut hoc loco iam demonstremus, quum id unum ostendere velimus, nostram epistolam post illam ad Romanos, quam cognitam supponit, esse scriptam. Frustra autem moderni interpretes, ut conclusionem nostram negent, ad disputandi rationem apostolico tempore inter Iudaeos usitatam provocant : omnia, inquiunt, et singula eo tempore Scripturae verbis aut exemplis confirmabantur, Abraham vero et Rahab velut heroicae fidei exempla in omnium ore versabantur[4]. Licet enim Scripturas communem argumentorum fontem apostolico tempore fuisse libentissimi concedamus, quomodo alterum, quod asseritur, demonstretur, non videmus. Abraham et Rahab a Paulo et ab Iacobo velut fidei exempla afferuntur; alios autem eadem illo tempore eodem modo attulisse, undenam constat, nisi quis forte S. Clementem Rom. aliosque Patres, qui exempla illa ex apostolicis literis desumserunt, contra nos citare stulte voluerit?

Confirmationis gratia illud quoque adde, in Iacobi epistola talem ecclesiarum, quibus scribit, statum supponi, quem ante Conc. Apostolorum iam exstitisse nemo facile crediderit. Legantur illa, quae Apostolus de fide mortua, de pauperum despectu, de dignitatum ambitu etc monet : num quis haec in ecclesiis, quae vix erant exortae nec primae caritatis amittendae tempus habuerant, monenda iam fuisse sibi persuadebit?

Non igitur dubium est, quin nostra epistola post illam ad Romanos sit scripta; quoniam vero aliquod temporis intervallum requirebatur, ut Pauli epistola ecclesiis innotesceret perversasque explicationes provocaret, nostra ante a. 61. vix scribi potuit; anno autem 62. mortuum esse S. Iacobum iam diximus; quapropter satis accurate origo eius videtur esse definita; exeunte a. 61. vel ineunte a. 62. eam scriptam esse censemus.

1. Inter catholicos vix ullum invenies, qui ante Conc. Apost. epistolam scriptam

esse dixit, praeter *Petr. Schegg*(Iakobus der Br. d. Herrn u. sein Brief. 1883. II. p. 10), qui hanc opinionem adoptavit. Ex protestanticis eidem favent *Schneckenburger* Beiträge etc. p. 208; *Thiersch.* Apostol. Zeitalter. Ed. 2. 1858. p. 108 sq.; *O. Ritschl* Entsteh, d. altkath. Kirche. Ed. 2. 1857. p. 109 sqq.; *B. Weiss* Bibl. Theol Ed. 5. 1888. § 41; *Mangold* in Bleek's Einl. 3. 1875. p. 632 n.; *Beyschlag* in Stud. n. Krit. 1874. p. 105 sqq.; *Meyer-Huther-Beyschlag* in Exeg. Hdb. XV. Ed. 3. 1870. p. 36; Ed. 5. 1888. p. 30 sq. aliique a Beyschl. (l. c.) allegati.

2. *Iac.* 4,1 et *Rom.* 7,23; *Iac.* 4,4 et *Rom.* 8,7; *Iac.* 4,12 et *Rom.* 14,4 etc.

3. *Iac.* 2,21 sqq. et *Rom.* 3,28 sqq. cfr. *Gal.* 3,6 sqq.

4. *Schegg* l. c. p. 129 : « Dass Iakobus und Paulus sich bei ihrer Beweisführung der nämlichen Beispiele bedienen, beruht auf der gang und geben damaligen Disputirweise. Man suchte für jeden Lehrsatz, eine Stelle oder ein Exempel ans den heil. Büchern als Beleg. Der ganze Talmud ist darauf gegründet... Abraham und Rahab waren typisch gewordene Beispiele eines heroischen Glaubensgehorsames. Es gab keine Beispiele, die äusserlich einen grösseren Gegensatz bildeten und doch bei einem und demselben Ziele anlangten ». Ceterum ad Hebr. 11. praeter Abrahamum et Rahab quam plurima fidei heroicae exempla afferuntur; cur Abraham solus ab utroque assumitur eademque Scripturae verba utrique inserviunt?

207. — Quod si scriptae epistolae tempus recte definivimus, ecclesiae quoque, quibus destinata fuit, accuratius iam definiri possunt. Antinomisticum enim illum errorem, qui sola fide contentus operibus bonis vacandum non esse docuit, apostolico tempore in ecclesiis Asiae Minoris late esse propagatum, ex reliquis epistolis catholicis elucet, neque explicatu est difficile, qua ratione in illis sit exortus. Namque continuum et frequens commercium, quod inter apostolicas ecclesias adfuisse Actus et epistolae paulinae testantur, effecit, ut Apostolorum scripta cito omnibus innotescerent; praesertim vero Asiae Min. fideles, qui per Paulum eiusque discipulos Evangelium acceperant, magno cum studio magistri sui epistolas conquisiverunt. At in epistolis illis « sunt quaedam intellectu difficilia, quae indocti et instabiles homines depravant ad suam ipsorum perditionem »[1]. Inter quae doctrinam de fidei operumque ad iustificationem relatione ab Apostolo toties repetitam et inculcatam non ultimum locum obtinere opinamur, quam nonnulli « homines non intelligentes putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etsi male vivat et opera bona non habeat »[2]. Ad quem errorem Iudaeochristianos magis quam ethnicos conversos inclinatos fuisse apostolici temporis ratio nos docet. Ex epistolis enim ad Romanos et Galatas satis clare elucet id, quod insequente saeculo *S. Iustinus* disertis verbis tradidit, Iudaeos Hellenistas non paucos caeco modo Lege sua confisos et circumcisione sua contentos accuratam Legis observantiam neglexisse, « semet ipsos decipientes et dicentes, etiamsi peccatores essent, Deum tamen, dummodo illum cognoscerent, ipsis non esse imputaturum peccata »[3]. Qui error sane quam proxime ad illum accedit, quem S. Iacobus in lectoribus suis impugnat. Iudaei igitur a Paulo audientes

« hominem iustificari per fidem sine operibus Legis », fidem ab Apostolo requisitam non aliam esse rati nisi sterilem illam persuasionem, qua eo usque contenti fuerant, obiectum dumtaxat illius persuasionis esse mutandum videntur putasse, ut iam non amplius in Messiam, qui venturus esset, sed in eum, qui advenisset, illis esset credendum, quoad reliqua autem pristinam suam vitam a *tota* Lege antiqua plane solutos se posse continuare. « Quoniam ergo haec opinio tunc fuerat exorta, aliae apostolicae epistolae Petri, Ioannis, Iacobi, Iudae, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus non prodesse; sicut etiam ipse Paulus non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque evangelicam definivit, cuius opera ex dilectione procedunt »[4]. Iam vero Petri, Ioannis, Iudae epistolae, quae eundem hunc errorem impugnant, ecclesiis Asiae Min. erant destinatae; nostram igitur iisdem esse scriptam iure asseruimus.

Epistolas autem catholicas inter se comparantes facile animadvertimus errorem istum, quando a S. Iacobo impugnabatur, ad illum perversitatis gradum nondum pervenisse, quem reliqui Apostoli prae oculis habuerunt. Quapropter Iacobi epistolam reliquas tempore praecessisse recte statuimus; quam proxime secuta est Iudae epistola. Eius enim maiorem partem Petrus in alteram suam recepit simul alium errorem de Christo ad iudicium non venturo impugnans. Haereticos demum illos, contra quos S. Ioannes incarnationem et necessitatem observationis mandatorum defendit, ex eadem radice pullulasse certum quidem non est, sed valde probabile. Quare argumento, velut interno vinculo, omnes catholicae epistolae arcte inter se connectuntur (219).

1. 2 *Petr.* 3,16.
2. *S. August.* de gratia et lib. arbitr. 18 (M. 44,892).
3. *S. Iustin.* c. Tryph. 141 (M. 6,800).
4. *S. August.* de fid. et oper. 21 (M. 40,211).

208. — IV. De argumento et divisione epistolae Iacobi. Per fideles quosdam, ut videtur, qui ex Asia Ierosolyma advenerant, de ecclesiarum asiaticarum statu certior factus S. Iacobus magno periculo, quod fidelibus ex falsa interpretatione doctrinae paulinae imminebat, statim occurrendum esse censuit, ne latius serpens error alias quoque ecclesias invaderet. Sed S. Paulus ipse, qui sine ullo dubio optimus suorum ipsius verborum interpres fuisset, illo tempore longe abfuit; biennio enim captivitatis Caesareae completo auctumno a. 61. Romam erat abductus, quam in urbem non nisi verno tempore a. 62. advenit; S. Petrus quoque, Apostolorum princeps et Ecclesiae caput, eodem tempore in Occidente, reliqui vero Apostoli plerique in diversis imperii provin-

ciis videntur esse versati; quapropter qui errorem illum impugnaret, praeter Iacobum, ecclesiae hierosolymitanae episcopum, nemo in urbe sancta adfuit. At nemo quoque, Paulum si exceperis, ad illum errorem, qui Iudaeochristianis magis quam ethnicis conversis probabatur, refutandum Iacobo erat aptior, quippe cuius auctoritas inter priores erat maxima.

Ut autem omne periculum averteretur, duo erant praestanda. Illis ipsis enim argumentis, quae male intellecta ex epistolis paulinis ad novam haeresin suam stabiliendam afferebant novatores, doctrina de sola fide sterili hominem iustificante ita erat refellenda, ut Legis antiquae abrogatio in quaestionem iterum non revocaretur; atque simul reprimenda erat magisterii ambitio, qua neophyti nonnulli veloces ad docendum suamque iactantes sapientiam magistri aliorum esse volebant, antequam ipsi didicerant. Quae duo capita praecipuum constituunt epistolae nostrae *argumentum,* atque non stricta quidem illa et rigida demonstratione, qua Paulus uti solet, sed gravi illo ac sententioso dicendi genere, quo Ecclesiastici auctor excellit[1], accurate evolvuntur. Attamen duo haec capita non ita tractavit Apostolus, ut alia quae erant monenda omitteret. Omnibus enim fere apostolicis epistolis et Actibus edocemur, quot et quantas neophyti in omnibus fere ecclesiis ab Iudaeis infidelibus perferendas habuerint tribulationes et persecutiones; quare mirum non est, quod Iacobus quoque illos admonuerit, ut non tantum fortes sed etiam laeti omnia paterentur. Praeterea epistolae paulinae nos docent etiam primis fidei temporibus non paucos abusus in coetibus sacris peragendis inter fideles viguisse, neque semper eam, quae requiritur, caritatem fraternam aliasque virtutes christianas floruisse : similia autem vitia in ecclesiis, quibus proxime epistolam suam destinavit Apostolus, obtinuisse ex eius monitis videmus.

Argumentum igitur epistolae, si integra spectatur, multiplex est et miscellaneum; accedit autem, quod in singulis eius capitibus tractandis S. Iacobus haud raro quasi ex abrupto ab uno ad alterum transeat et mox iterum ad prius revertatur; quare satis difficile est accuratam epistolae *divisionem* indicare. Nihilominus tres partes praeter exordium (**1,1-18**) et epilogum (**5, 19. 20**) apte distinguimus[2], in quarum prima (**1,19-2, 26**) necessitatem fidei, quae per caritatem operatur, adstruit, dum in altera (**3,1-4,12**) neophytos a magisterii ambitione absterret, et in tertia (**4,13-5,18**) varia monita colligit. Nexum idearum in sequenti analysi indicare conabimur.

1. Unde etiam magna inter nostram epistolam et Ecclesiasticum styli similitudo, de qua cfr. *Werner* in Tüb. Quartalschr. 1872. p. 265 sqq.

2. In tres quidem partes etiam dividunt epistolam *Card. Hugo* et *Lyranus,* sed parum accurate. Prior : « In prima parte monet fugiendam esse concupiscentiam carnis per

hoc, quod invitat ad tolerantiam tentationum (1,1-27), in secunda monet fugiendam superbiam vitae (2,1-3,26), in tertia dehortatur concupiscentiam oculorum sive avaritiam » (4,1-5,20). Alter : « in tractatu suo B. Iacobus informat credentes bene se habere primum respectu sui (1,3-27), secundo respectu proximi (2,1-4,3), tertio respectu Dei (4,4-5,20). Ista tamen divisio non est sic praecisa, quoniam in una parte ponitur aliquid de pertinentibus ad alias et e converso, et hoc propter connexionem virtutum ». *Mauduit* (Analyse VIII. p. 237 sqq.) duas tantum partes distinguit, in quarum priore (1,3-27) Apostolus fideles edoceat utilitatem persecutionum, originem boni et mali, ordinem in coetibus observandum; in altera 2,1-5,20 impugnet abusus in vita et doctrina (simoniam 2,1-13, fidem sterilem 2,14-26, schismata 3,1-18, magna crimina 4,1-5,20). *Kilber* (Analys. II. p. 519 sqq.) iterum tres habet : prior paraenetica (1,3-27) exhortatur ad constantiam in fide contra quascunque tribulationes, altera elenctica (2,1-5,6) reprehendit personarum acceptionem in dignitatibus sacris, fidem sterilem, ambitum docendi, vitia generi humano communia, tertia isagogica (5,7-20) continet documenta pro diversis vitae conditionibus. *Drach* (Épitres cath. Paris 1873. p. 20 sq.) fere sequitur Mauduit (1,1-27 trois importantes instructions sur les avantages des souffrances, sur l'origine des biens et des maux, sur les assemblées dans les lieux de la prière; 2,1-5,7 corrige les abus et redresse les erreurs etc); *Bacuez* (Manuel bibl. IV. p. 471 sqq.) e contra cum Kilber fere consentit; *Bisping* (Exeg. Handb. VIII. 1. 11 sqq.) quinque partes facit (Prüfung u. Versuchg. 1,1-18; der lebendige Glaube 1,18-2,26; die Lehrsucht. u. falsche Weisheit 3,1-18; Warng. vor weltl. Hochmuth u. Lästerrede 4,1-12; Warnungen, Drohungen, Ermahnungen (4,13-5,20); *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 643 sq.) singula tantum argumenta enumerat.

209. — V. Analysis epistolae S. Iacobi.

I. Ab salutatione graeca (χαίρειν), qua in epistolae *inscriptione* utitur (1,1), occasionem sumit Apostolus, ut in EXORDIO *Christianos ad tribulationes perferendas exhortetur* (**1,2-18**).

1. *Laeti* perferant tribulationes, quippe quae, si debito modo perferantur, hominem ad perfectionem adducant (**1,2-4**);
2. (Ut autem debito modo perferri possint, requiritur vera sapientia), quae si deest postulanda est a Deo precatione fiduciae plena; qui enim dubitans precatur, non exaudietur (**1,5-8**).
3. Vera autem sapientia in eo conspicitur, quod unusquisque sua sorte contentus sit; quocirca pauper glorietur in divitiis suis supranaturalibus, dives autem se humiliet ob divitias suas naturales, quae caducae sunt (**1,9-11**).
4. Beatus igitur, qui debito modo tribulationes suffert, quibus ad coronam adducitur (**1,12**). Neve quis illis a Deo ad peccatum se incitari putet; Deus enim ad peccatum incitare non potest, sed peccandi incitamentum, quod in tribulationibus invenitur, totum a concupiscentia exoritur (**1,13-15**); a Deo autem nobis non advenit nisi bonum, id quod satis nobis ipse demonstravit, quum ad novam vitam verbo veritatis suae nos generaret (**1,16-18**).

II. Ad PRIMAM PARTEM transiens Apostolus *fidem requiri docet, quae per caritatem operatur* (**1,19-2,26**).

1. Verbo veritatis regeneratos dixerat Christianos; unde transitum sumens

eos exhortatur, ut verbum hoc libenter et in mansuetudine audiant (1,19-21), simul autem recordentur *auditionem non sufficere;* sed ea quae audierunt facto etiam esse exercenda (1,22-25). Atque ad singula nonnulla praecepta descendens

a). eum veram religionem non habere docet, qui linguam suam non refrenet (1,26),

b). nec eum, qui caritatem erga orphanos et viduas negligat (1,27),

c.) nec eos, qui in coetibus suis sacris pauperes inter et divites distinctionem aliquam faciant (2,1-4); quod quam malum sit ut magis inculcet, hac agendi ratione illos opprobrio affici ostendit, quos primos Deus ad regnum suum vocavit, illos autem honorari, qui ob pauperum oppressionem honore sunt indigni (2,5-9).

Quae omnia, sicut reliqua quoque praecepta, singula observanda esse monet, quia is, qui in uno delinquat, omnium sit reus, quum omnium idem auctor sit Deus (2,10-13).

2. Post quam exhortationem ad omnium praeceptorum moralium observationem thema ipsum aggressus fidem sine operibus nihil prodesse demonstrat (2,14-26).

a.) Quem in finem primo loco affert similitudinem : sicut nuda verba, quibus dives pauperi monstrat quid faciendum sit, ut in miseriis suis sublevetur, pauperi utilitatem non afferunt, ita fides, quae viam monstrat, si bona desunt opera, nihil prodest (2,15-18);

b.) deinde daemones quoque fidem qualemcunque habere monet (2,19);

c.) atque demum exemplis ex Scriptura allatis ostendit fidem sine operibus esse mortuam : Abrahami scilicet et Rahabae, quorum prior filio suo in sacrificium oblato, altera misericordia sua erga nuntios ostenderunt se fidem vivam habere (2,20-25).

3. Quare hanc partem concludens asserere potest eodem modo, quo corpus sine spiritu, ita fidem sine operibus mortuam esse (2,26).

III. In SECUNDA PARTE (3,1-4,12) *Christianos ab ambitione docendi absterret.*

1. Thesin suam, ab ambitione docendi cavendum esse, postquam gravissimum argumentum, maius sc. iudicium, quod magistros exspectet, praemisit (3,1),

2. generali quadam consideratione de periculis confirmat, quae lingua afferre potest.

a.) Etenim in multis quidem offendimus omnes, maxime autem in lingua. Quae, quamvis sit membrum parvum, tamen magna efficere potest; quemadmodum equus et navis re parva diriguntur et parva scintilla magnum incendium excitat, ita lingua totum hominem interdum maculat (3,2-6);

b.) et quamvis sit debilis, homo tamen, qui feroces bestias domuit, ei domandae imparem se invenit (3,7. 8).

c.) At Christianus, qui lingua sua Deum glorificat, magis cavere debet, ne eodem membro homines ad perditionem adducat (3,9-12).

3. Libido vero dicendi inter Christianos ex defectu verae sapientiae exoritur. Quam deesse elucet

a.) ex eo, quod manifestare sese, si adesset, deberet bona conversatione et mansuetudine, non zelo amaro et contentioso (3,13-16),

b.) ex proprietatibus verae sapientiae, quae in illis non inveniuntur (3,17. 18).

4. Demum qui ambitionis huius sint fructus docet, nimirum lites et dissensiones et multa peccata. Quorum fons sunt concupiscentiae, quibus blandiuntur magistri illi novi, qui ipsi, utpote amici mundi, inimici sunt Dei quibusque utpote superbis resistit Deus (4,1-6). Quapropter omnes exhortatur, ut vera humilitate ad Deum accedant (4,7-10); atque hanc particulam concludit exhortatione, ut se invicem non velut legislatores et iudices diiudicent, quia solus Deus iudex sit et legislator (4,11. 12).

IV. In TERTIA PARTE (4,13-5,18) *nonnulla monita specialia tradit.*

1. Memores sint omnia omnino a Deo dependere; caveant igitur, ne superbi de suis rebus glorientur (4,13-17);

2. vehementer divites vituperat, qui divitiis suis abutuntur et pauperes opprimere non cessant (5,1-6), pauperes vero consolatur atque ad patientiam exhortatur futuro praemio proposito (5,7-11);

3. quid de iuramento sit sentiendum, docet (5,12),

4. et quomodo homo aegrotus se gerere debeat (5,13); eos autem qui graviter aegrotant, exhortatur, ut sacramento sanctae unctionis muniri studeant (5,14. 15).

5. Demum omnibus orationis studium inculcat exemplo Eliae adducto, ut quid pia precatio valeat clarius cognoscant (5,16-18).

V. In EPILOGO (5,19. 20) praemium magnum illi esse repositum docens, qui peccatorem converterit, omnibus indirecte insinuat, ut fratres suos errantes in viam veritatis reducere studeant.

210. — VI. Ultimo loco DE EPISTOLAE IACOBI AUTHENTIA ET CANONICITATE est disserendum. Eusebius inter τὰ ἀντιλεγόμενα quidem eam recenset, cur autem id fecerit ipse nos docet. Postquam enim ex Hegesippi et Iosephi operibus S. Iacobi Iusti, fratris Domini et primi episcopi hierosolymitani, martyrium retulit, in hunc modum pergit : « Iacobi etiam epistola prima earum, quae catholicae vocantur, esse dicitur. Sciendum autem eam spuriam quidem haberi (ὡς νοθεύεται μὲν); non multi sane antiquiorum eius mentionem fecerunt, uti neque illius, quae Iudae dicitur et ipsa quoque una est ex septem catholicis; attamen scimus etiam has una cum reliquis in plerisque ecclesiis publice lectitari » (ὅμως δὲ ἴσμεν καὶ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις). Ex quibus de epistolae origine apostolica quidem Eusebium dubitasse apparet, quia non multos scriptores invenerat, qui disertis verbis Iacobum eius auctorem nominaverant, de canonicitate vero admittenda, quia pleraeque ecclesiae eam ad lectionem publicam cum reliquis Scripturis admiserant, illum non haesi-

tasse[1]. Simili modo *S. Hieronymus* Eusebium secutus : « Iacobus, qui appellatur frater Domini... unam scripsit epistolam, quae de septem catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paullatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem » : quibus verbis iterum apostolica quidem origo, sed non divina auctoritas eius addubitatur[2]. Plus mille annis post S. Hieronymi mortem *Caietanus* et *Erasmus* eadem dubia repetierunt ipsi quoque de dignitate potius apostolica secundarii auctoris, quam de divina epistolae origine disputantes : « verum supervacaneum arbitror, inquit Erasmus, anxie de auctore digladiari ; rem potius amplectamur et Spiritum S. auctorem exosculemur »[3].

Priusquam de epistolae origine et auctoritate sententias acatholicorum exponamus, antiquissima quae de illa exstant testimonia colligamus. Gravissimum sine ullo dubio et apostolicae originis et inspirationis libelli nostri argumentum nobis praeberet *prior S. Petri epistola*, si omnimoda cum certitudine constaret, principem Apostolorum eam adhibuisse nonnullasque eius sententias usurpasse. Iam vero etsi non pauci interpretes id absolute affirment, atque revera in utraque epistola versus legantur, qui magnam inter se habeant similitudinem[4], argumentum hoc, quum omnem dubitationem non excludat, urgere nolumus. Ad Patres potius veniamus, inter quos *S. Clementem Rom.* ad nostram epistolam saepius allusisse tantum non omnes concedunt; a S. Iacobo enim, ut videtur, edoctus Abrahae *fidem operantem* ter affert atque semel quidem ita, ut de epistolae nostrae usu dubitandi non sit locus : Τίνος χάριν ηὐλογήθη ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ; οὐχὶ δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν διὰ πίστεως ποιήσας; Ἰσαὰκ μετὰ πεποιθήσεως γινώσκων τὸ μέλλον προσήγετο θυσία. Quibuscum cfr. S. Iacobi verba : Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ἡμῶν οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη ἀνενέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον[5], Clariores autem et frequentiores allusiones in *Hermae Pastore* inveniuntur; quinque enim versiculos fere ad verbum ex epistola Iacobi desumsit, ad decem alios saltem respexisse dicendus est[6]. Quamquam igitur in fragmento Muratoriano praetermittitur, primitivam ecclesiam romanam in canone suo eam habuisse certum est. Quae certitudo non tollitur, si in reliquorum exeuntis saec. 2. Patrum occidentalium operibus testimonia prorsus indubia non reperimus; etenim *S. Irenaeus* saltem expressiones nonnullas habet, quae ex nostra epistola melius quam ex quacunque alia Scriptura explicantur, atque *Tertulliano* quoque eiusmodi phrases non plane desunt[7]. Irenaeum autem contra gnosticos disputantem in Iacobi libello, qui integer fere in moribus corrigendis versatur, argumenta pauca iuvenisse clarum est.

Ab Occidente ad Orientem nos convertentibus gravissimum testimonium nobis praebet *Peschito*, quae, etsi minores epistolas catholicas

omittat, nostram exhibet, atque eius translationem eidem deberi, qui reliquum N. T. transtulit, ac proin ad prima fidei tempora ascendere ad unum omnes concedunt; adde autem in Peschito eam semper Iacobi Apostoli nomine fuisse inscriptam. Patres apostolicos orientales, *SS. Ignatium* et *Polycarpum*, eam cognovisse certo documento demonstrare non possumus, at immediate post eorum aetatem *S. Iustinus M.*, quaenam Asiae Min. et Palaestinae de ea fuerit fides, nos docet; quod si enim omnibus hominibus ἔμφυτον τὸν λόγον esse asserit, sine ullo dubio prae oculis habuit S. Iacobi monitum : « in mansuetudine suscipite insitum verbum (τὸν ἔμφυτον λόγον), quod potest salvare animas vestras »[8]. Frequentiora paullo post invenimus testimonia in ecclesia alexandrina : *Clemens Alex.* enim haud raro eius verba usurpat et Eusebio teste compendiosam eius instituit enarrationem, *Origenes* autem primus est inter Patres, qui Iacobi nomine addito eam tamquam Scripturam allegavit[9].

Iuniores testes citare supervacaneum est; a 3. saec. exeunte enim in Ecclesiae communi usu epistolam nostram velut divinam Scripturam fuisse et S. Iacobo auctori attributam esse praeter Eusebii verba confirmant omnes librorum sacrorum catalogi, qui inde ab ineunte saec. 4. editi sunt, *S. Athanasii M.*, *S. Cyrilli Ieros.*, *S. Gregorii Naz.* et *Amphilochii*, *Can.* 85 *Apostolorum* et *Laodic. Can.* 60 (si quis ei auctoritatem attribuit) in Oriente, in Occidente autem *S. Damasi* reliquorumque SS. Pontificum, *Conciliorum Hippon. et Carth.*, *S. Augustini*[10] etc.

1. *Euseb.* H. E. III. 25; II. 23 (M. 20, 269. 205). De testimonii eusebiani vi et potestate diximus in *Introd. gener.* Ed. 2. n. 67. p. 195 sqq.

2. *S. Hieron.* de vir. ill. 2. (M. 23,609).

3. *Erasm.* in Iacob. 1,1. *Caietanus*, contra authentiam epistolae maxime urget, quod ethnica salutationis formula (χαίρειν) adhibita sit, at non attendit eandem formulam a Concilio Apostolico (*Act.* 15,23) esse adhibitam. Quare authentiae potius argumentum praebet, quatenus decretum apostolicum etiam a Iacobo esse scriptum admodum est probabile.

4. Haec exempla afferri solent : 1 *Petr.* 1,6. 7. et *Iac.* 1,2. 3; 1 *Petr.* 1,23 et *Iac.* 1,18; 1 *Petr.* 1,24 et *Iac.* 1,9. 10; 1 *Petr.* 4,8 et *Iac.* 5,20; 1 *Petr.* 5,5-9 et *Iac.* 4,6-10. Cfr. *A. Maier* Einl. p. 402. — *Hilgenfeld* Einl. p. 542, quamvis utriusque epistolae authentiam neget, tamen nostram ab auctore alterius adhibitam fatetur : « Tiefgreifend, inquit, ist der Einfluss des Iacobusbriefes in dem ersten Briefe des Petrus ».

5. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 10. 17. 31 et *Iac.* 2,21 sqq.; cfr quoque 1 *Cor.* 38 et *Iac.* 3,13 etc. Octo allusiones in 1 Cor. adnotat *Funk* in sua Patr. apost. editione; in libello, qui *S. Clem.* 2 Cor. vocari solet, quinque aliae inveniuntur, et in epistolis de Virg. sex citationes praeter aliquas allusiones (cfr *Funk* Patr. apost. I. p. 570 sqq.; II. p. 360). *Hilgenfeld* Einl. p. 541 : « Die erste Spur von Benutzung des Iakobusbriefes zeigt sich in dem sogen. ersten Briefe des roem. Clemens aus den Iahren 93-96... Unverkennbar ist der Gebrauch in dem judaistischen (?!) Hirten des Hermas um 140 ».

6. *Hermae Pastor.* Vis. 3,9. Sim. 1,8 et *Iac.* 1,27; Mand. 12,6. Sim. 9,23 et *Iac.*

4,12; Sim. 6,1; 9,14 et *Iac.* 1,21; Sim. 8,6 et *Iac.* 2,7. Alias exhibet *Funk* l. c. p. 577.

7. *S. Iren.* IV. 13. 16; V. 1 (M. 7,1009. 1016. 1121); *Tertull.* c. Iud. 2. (M. 2,600) Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 64. *nn.* 3. 9. p. 188 sq.

8. *S. Iustin. M.* Apol. II. 8. 13. (M. 6,457. 468).

9. *Clem. Alex.* Paedag. III. 2. 8. Strom. V. 14; VI. 18; VII. 11 (M. 8,573. 613; 9,149. 397. 493); cfr. *Euseb.* H. E. VI. 14 (M. 20,549) et *Cassiod.* Instit. div. liter. (M. 70,1120). — *Orig.* in Ioan. tract. XIX. 6; in Exod. hom. 8,6; in Levit. hom. 2,4; in Iosue hom. 7,1 etc (M. 14,569; 12,355. 418. 857). De obiectione, quae ex epistolae omissione in *Orig.* Enarr. in Matth. (Euseb. H. E. VI. 25. M. 20,584) desumitur cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 65. p. 190 sqq.

10. Catalogos retulimus in *Introd. gen.* Ed. 2. nn. 69. 71. p. 199 sqq. 204 sqq.

Tot igitur apostolicae atque praesertim divinae originis epistolae nostrae invenimus documenta, ut internis argumentis, quibus nonnulli authentiam eius confirmare studuerunt, vix ac ne vix quidem indigeamus. Nihilominus paucis verbis ea indicabimus[11]. Auctorem Palaestinensem fuisse multae illae similitudines demonstrant, quas ex patriae suae proprietatibus desumit[12]. Auctoritate non qualicunque, sed prorsus extraordinaria atque vere apostolica gavisum esse auctorem elucet ex modo, quo Iudaeochristianos dispersos omnes alloquitur, exhortatur, vituperat. Soli. enim Apostolo ambitiosos et divites ecclesiarum a se non fundatarum et immediate suae curae non commissarum tam severo modo increpare licuit. S. Iacobum prae reliquis omnibus Apostolis aemulatorem Legis fuisse refert S. Lucas; auctor autem noster eiusdem Legis praecepta moralia inculcat, imo integra epistola in eo est, ut Legem vim suam obligandi non amisisse demonstret[13]. S. Iacobus secundum Hegesippi testimonium orationi erat addictissimus; plena autem nostra epistola est textibus, quibus oratio commendatur, eius fructus celebrantur, eius modus describitur[14]. Quae omnia, si colligantur, optime sane cum traditionis testimonio conspirant.

11. *Hug* Einl. II. p. 524 sqq.; *Maier* Einl. p. 404; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 646.

12. Similitudines suas desumsit ex vicino mari *Iac.* 1,6; 3,4; ex terrae fructibus 3,12 et ex aquis salsis in Palaestina frequentibus 3,11. 12; ex vento urente (קדים *Ps.* 47,8. *Iob.* 27,21 etc) segetes devastante 1,11; ex pluvia prima et secunda (πρώϊμος καὶ ὄψιμος יורה et מלקוש) 5,7. Cfr *Kaulen* l. c. et *Hug* l. c.

13. *Act.* 21,20; *Iac.* 2,8. 11. 12; 4,11. Probe autem notandum, Legem ab eo appellari « legem libertatis », qua ex expressione apparet, eum ad Pauli doctrinam, qua Legis *servitus* damnatur, respexisse cum eaque consensisse.

14. *Iac.* 1,5-9; 4,2. 3; 5,16-19 etc et cfr. *Hegesippi* testimonium *supra* 204. p. 600

211. — Usque ad saec. 16., si paucas illas, quas supra commemoravimus, dubitationes exceperis, unanimi consensu ab omnibus Christianis authentia et canonicitas epistolae S. Iacobi recepta est. At novum dogma, quod *Lutherus* falsa doctrinae paulinae interpretatione invexit, solam nimirum fidem sterilem iustificando homini sufficere, Iacobus damnavit fidem sine operibus nihil prodesse claris et disertis verbis statuens. Quapropter Luthero, ut hae-

resin suam defenderet, nihil erat reliquum, nisi ut epistolam nostram auctoritate spoliaret atque ex canone eiiceret. A quo facinore non abhorruit. Etenim postquam a. 1522 in praefatione primae editionis versionis suae eam, « licet ab antiquis esset reiecta », bonam declaravit, quia humanam doctrinam nullam traderet, Dei autem legem urgeret, duobus annis post in secundae editionis praefatione « stramenticiam epistolam, quae nihil evangelici habeat », eam appellare non erubuit, atque huic errori, etsi verba ista in iunioribus editionibus sint omissa, illum inhaesisse reliqua illius opera ostendunt[1]. Praeter pugnam, quam inter paulinam de fide doctrinam et inter nostram epistolam inveniri praetendit, duobus aliis argumentis eius authentiam impugnavit : Christi nimirum mortem et resurrectionem non esse commemoratam contendit, textus autem aliquos petrinos et paulinos adhibitos; atque alterum hoc argumentum esse decretorium censuit, quoniam Iacobus, qui epistolae auctor dicitur, paucis annis post Christi mortem ab Herode sit occisus ideoque epistolas Petri et Pauli non cognoverit. Quae argumenta refutatione non indigent atque ipsis eius asseclis tam levia sunt visa, ut qui ipsi assentiret praeter Centuriatores magdeburgenses vix quemquam invenerit[2] : quare usque ad huius saeculi initium etiam a Protestantibus fere omnibus libellus noster pro canonico est agnitus.

Hoc nostro autem saeculo iterum impugnatur. Atque Lutherani quidem nonnulli errore patriarchae sui recocto ob praetensam illam contradictionem dignitatem canonicam et originem apostolicam ei abiudicarunt[3]; rationalistae autem pro variis suis systematis varia congesserunt argumenta, quibus ad eundem finem pervenire conabantur. Quae quid valeant, quum omnia refutare omniaque systemata rationalistica recensere operae pretium non sit, pauca exempla demonstrabunt. *De Wette* inter alia praesertim linguam affert, quae ornatu suo auctorem graecis literis studuisse prodat; cui consentit cum aliis *Renan*, qui epistolam nostram puritate linguae omnes alios libros N. T. superare censet atque hoc solo argumento contentus Iacobum auctorem esse negat[4]; nonne mirum, quod *Schleiermacher*, prorsus contrarium inveniat et nihilominus ad eandem conclusionem perveniat? Ex epistola enim satis apparere ait, auctorem linguam graecam non calluisse, supponendum igitur esse aliquem Iacobi dicta nonnulla infelici modo et in lingua sibi non cognita composuisse[5]. Inter Neotubingianos *Schwegler*, quamquam paulinam doctrinam a nostro auctore impugnari putat, finem eius tamen irenicum fuisse asserit, quatenus nimirum Pseudo Iacobus Paulinistis, qui iustificationem ex fide docuerunt, et Iudaeochristianis, qui ex operibus Legis iustificationem quaesiverunt, novam formulam proposuerit, iustificationem scilicet ex operibus, quibuscum fides cooperetur, vel ex fide, quae operibus consummetur (*Iac.* 2,22); *Hilgenfeld* vero tantum abest, ut conciliationem quandam inveniat, ut in tota epistola paulinam doctrinam impugnari, immo velut sapientiam terrenam, animalem, diabolicam (3,15) reiici videat[6]. Sed quid plura? Quum internis dumtaxat argumentis originem epistolae definire velint, interna autem argumenta unusquisque secundum praeiudicia sua diiudicet, innumerae contradictiones exoriantur necesse est; nostri autem muneris non esse arbitramur omnia illa exponere et refutare, quae ab otiosis

hominibus excogitata cras ab iisdem reiicientur. Ceterum maior interpretum protestanticorum numerus hodie Iacobo fratri Domini epistolam attribuit, etsi multi ex iis, num Iacobus hic fuerit Apostolus, dubitent; hanc vero quaestionem supra iam tractavimus.

1. *Luther* Vorrede auf die Epistel St. Iacobi u. St. Iudas. Walch XIV. 148 : « Diese Epistel, wiewohl sie von den Alten verworfen ist, lobe ich und halte sie doch für gut, darum dass sie gar keine Menschenlehre setzt und Gottes Gesetz hart treibet ». At vir sibi non constans statim in eodem contextu epistolam, quam bonam dixit, S. Paulo et aliis Scripturis contradicere asserit. Vorrede auf das N. T. (1524) : « Darum ist S. Iacobs Epistel eine recht stroherne Epistel gegen sie (epistolas sc. Pauli, Petri etc), denn sie doch keine evangelische Art an ihr hat ». Alia testimonia his addunt *de Wette* Einl. p. 374 sq.; *Beyschlag* in Meyer Hdb. XV. Ed. 5. 1888. p. 23 sq.

2. *Calvinus* in praef. Commentarii epistolam pro authentica et canonica recepit : « Quia nullam eius repudiandae satis iustam causam video... Nihil continet Christi Apostolo indignum; multiplici vero doctrina scatet, cuius utilitas ad omnes christianae vitae partes late patet ».

3. *Stroebel* in Rudelbach's Zeitschrift für die luth. Theol. 1857. p. 365; *Kahnis* Dogmatik I. p. 533; *Delitzsch* Hebräerbrief ad 11,31. etc.

4. *De Wette* Einl. p. 372; *Renan* L'Antechrist p. 47 : « Certainement, si Jacques y eut quelque part, il n'en fut pas le rédacteur. Il est douteux que Jacques sût le grec; sa langue était le syriaque; or l'Épitre de Jacques est de beaucoup l'ouvrage le mieux écrit du N. T.; la grécité en est pure et presque classique. A cela près, le morceau convient parfaitement au caractère de Jacques ». Ceterum num Renan, quum in nota, ut Iacobi ignorantiam confirmaret, Euseb. Dem. Evang. III. 5. 7. allegaret, verum argumentum se afferre crediderit, an lectoribus irridere voluerit, alii diiudicent. Eusebius enim iis in locis nihil aliud asserit, nisi Apostolos divina virtute indiguisse, quum « Romanis, Aegyptiis, Graecis, Persis, Armeniis, Chaldaeis, Scythis, Indis atque demum omnibus quibusque barbaricis gentibus » Evangelium praedicaturi mitterentur, quamvis utpote Iudaei omnium illarum gentium linguas ignorarent.

5. *Schleiermacher* Einl. ins N. T. herausgeg. v. Wolde (cfr. Huther l. c. p. 28) : « Die Künstlichkeit der Sprache zeige, dass dem Verfasser die griech. Sprache fremd sei »; « Jemand hat den Brief in Namen des palästinischen Iakobus geschrieben, und Erinnerungen aus seinen Vorträgen nicht auf die glücklichste Weise und in einer Sprache zusammengestellt, die ihm selbst nicht geläufig war ».

6. *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter I. p. 413 sqq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 532-536.

§ 20. — *De epistolis* 1. *et* 2. *Petri.*

212. — I. Vitam s. Petri, apostolorum principis, cui auctori 2. et 3. catholicae epistolae attribuuntur, paucis absolvere nobis licet, quoniam multa, quae de eo sive in Evangeliis et Actibus sive a Patribus traduntur, variis in locis iam attigimus.

Simon, filius Ioannis, Bethsaidae prope lacum Genesareth natus post matrimonium suum, ut videtur, domicilium Capharnaum transtulerat ibique piscatoriam exercebat[1]. A fratre suo Andrea, qui Ioannis Bapt. discipulus fuerat et a magistro suo edoctus primus Iesum esse Messiam

cognoverat, ad Dominum adductus ab eodem statim novo nomine Cephae i. e. Petri (petrae) imposito futuri sui muneris promissionem accepit[2]. Ad continuam autem Domini sequelam paullo post una cum fratre suo Andrea filiisque Zebedaei vocatus atque primus in Apostolorum collegium adscitus inter tres illos quoque discipulos, quos maiore amicitia et familiaritate dignabatur Dominus, primum locum occupavit[3]. Neque tanto honore indignum sese exhibuit; etsi enim pro humana infirmitate aliquando vacillaret eius constantia, nemo tamen tanto, quanto ille, cum ardore integrum sese Domino tradiderat. Dum in prima miraculosa piscatione stupebant reliqui, ipse humillimus ad Domini pedes procidens exclamat : « Exi a me, quia homo peccator sum »; quando in synagoga capharnaumitana post Domini de pane vitae sermonem etiam multi discipulorum abierunt retro, ipse pro reliquis Apostolis respondit : « Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi »; atque iterum prope Caesaream Philippi prae reliquis et pro reliquis fidem suam in Iesum, tamquam Christum, Filium Dei vivi, profitetur et velut praemium explicatione nominis impositi promissionem futuri primatus in Ecclesia obtinet[4]. Magistrum suum a passione subeunda dehortari quidem conatus erat; appropinquante tamen passione paratus erat cum eo « et in carcerem et in mortem ire », immo etiam gladio eum defendere ausus est. Solus cum Ioanne sequebatur Dominum usque in atrium summi pontificis; ibi quidem, quum suis nimis confisus esset viribus nec Domini monitum observasset, ter eum negavit, at peccatum vix patratum ad primum Domini aspectum cognovit et deflevit amare[5]. Dominum a morte resuscitatum unus ex primis videre meruit; in alia autem apparitione ad lacum Genesareth, simulatque eum in litore stare audivit, ex navicula in aquam sese deiecit, ut citius ad eum perveniret : atque ibidem pro praemio intimi sui amoris, quem humillimo modo ter profitetur, pastor supremus totius gregis Christi constituitur[6].

Ab illo tempore primatum a Christo ei collatum exercuit; post ascensionem enim in locum traditoris novum Apostolum sufficiendum esse monet, primus Evangelium Ierosolymis annuntiat, primus miraculum patrat, primus coram synedrio fidem suam profitetur et pro Christi nomine patitur, primus membra Ecclesiae indigna punit, primus ethnicos in Ecclesiam recipit, velut pastor supremus ecclesias Palaestinae visitat, per Angelum, ut nascenti Ecclesiae diutius praeesse possit, manibus Herodis eripitur[7]. Post quam miraculosam liberationem Scripturae de S. Petro fere tacent : ex Actibus tamen scimus, eum Concilio Apostolico interfuisse atque quaestionem dogmaticam, num Lex Ethnicochristianos obligaret, secundum eius votum, quod decretorium

agnovit Iacobus, esse diremtam; ex epistola ad Galatas eum Antiochiae aliquamdiu vixisse atque vivendi sua ratione etiam Iudaeochristianos a Lege liberatos esse demonstrasse; ex priore ad Corinthios eum varias expeditiones apostolicas suscepisse [8].

1. Simon vel Symeon (*Act.* 15,14 sine var. lect. in gr. codd., 2 *Petr.* 1,1 ℵ A K L P etc) שמעון (*exauditio* Gen. 29,33). Nomen patris aut Ionas Ἰωνᾶ (*Matth.* 16,17) aut Ἰωάνης vel Ἰωάννης (*Ioan.* 21,15) legitur; *Ioan.* 1,43 codd. graeci alii Ἰωνᾶ, alii Ἰωάνου vel Ἰωάννου; unde prius nomen non esse nisi alterius corruptionem nec quidquam cum nomine prophetae Ionae habere commune elucet. — Cfr. *Ioan.* 1,45; *Matth.* 8,14 et *Marc.* 1,29; *Matth.* 4,18 et *Marc.* 1,16 etc.

2. *Ioan.* 1,35-42.

3. *Matth.* 4,18 sq. *Marc.* 1,16 sq. *Luc.* 5,1-11; — *Matth.* 10,2. *Marc.* 3,16. *Luc.* 6,14; — *Matth.* 17,1, 4. etc. *Marc.* 5,37 etc.

4. *Luc.* 5,8; *Ioan.* 6,68 sq.; *Matth.* 16,15 sqq.

5. *Matth.* 16,22 et parall.; *Luc.* 22,33; *Ioan.* 18,10. 15 sqq.; *Matth.* 26,69 sqq. et parall.

6. *Luc.* 24,34; 1 *Cor.* 15,5; *Ioan.* 21,2 sqq.

7. *Act.* 1,15 sqq.; 2,14 sqq.; 3,1 sqq.; 4,8 sqq.; 5,1 sqq.; 9,32 sqq.; 10,1 sqq.; 12,3 sqq.

8. *Act.* 15,7 sqq.; *Gal.* 2,12 sqq.; 1 *Cor.* 9,5.

213. — Quae Patres nobis de S. Petri ultimis annis tradiderunt, nec valde multa sunt nec omnia eadem certitudine gaudent. Pro certo cum plerisque catholicis interpretibus et historicis tenemus S. Petrum a. 42. Romam venisse romanamque ecclesiam fundasse; in eadem quoque Urbe eum, postquam per viginti quinque annos eius cathedram sacerdotalem tenuit, a. 67. eodem, quo S. Paulum, die vitam martyrio coronasse [1]. Neque tamen ita Romae consedisse Apostolorum principem dicimus, ut novis itineribus apostolicis Evangelium aliis in terris propagare omiserit; bis saltem illo temporis spatio eum Ierosolymis fuisse (a. 44. et 51.) testatur S. Lucas, aliquamdiu eum Antiochiae commoratum esse refert *S. Paulus; S. Dionysius Cor.*, cui non obscure suffragatur *S. Clemens Rom.*, eum Corinthi fuisse et docuisse testis est [2]; multa alia itinera eum suscepisse, quorum memoria ad nos non pervenit, iure concludimus ex illis, quae S. Paulus de eius laboribus insinuat [3]. Eum in Pontum quoque, Galatiam, Cappadociam, Asiam, et Bithyniam, quorum provinciarum incolis suas epistolas scripsit, expeditionem apostolicam instituisse, post Origenem aliqui veteres tradiderunt; Babylone vero in Mesopotamia eum consedisse indeque priores suas literas dedisse, post Cosmam Indicopleusten moderni quam plurimi docent protestantici interpretes cum paucis catholicis. Quas duas quaestiones, quum nostras epistolas propius attingant, omittere nobis non licet.

Atque de priore quidem certam traditionem non habemus. Primus

enim testis *Origenes* de itinere S. Petri in Asiae Min. provinciis non nisi ex coniectura quadam loquitur : « Petrus, inquiens, per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam atque Asiam Iudaeis, qui in dispersione erant, praedicasse *videtur* » (ἔοικεν); ex epistolae prioris inscriptione eum ad iter illud concludere verba manifestant. Eodem modo *Eusebius* in antiquorum Patrum operibus de illo nihil invenerat, sed « quibus in provinciis, inquit, Petrus Iudaeis Christum praedicans Novi Foederis doctrinam tradiderit, satis aperte colligitur ex ea epistola, quae ab omnibus sine controversia recipitur »[4]. Absolute quidem affirmant *S. Epiphanius* Petrum Pontum et Bithyniam saepenumero peragrasse, et *S. Hieronymus* Petrum « post praedicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia ac Bithynia » Romam venisse[5]; at verba ipsa, quibus utuntur, se haec non alio ex fonte, quam ex epistolae inscriptione, hausisse produnt. Quocirca eorum assertiones, etsi sint absolutae, rem nequaquam definiunt. Accedit autem, quod S. Petrus lectores suos interdum ita alloquatur, ut eos non ab ipso, sed ab aliis praedicatoribus, Evangelium accepisse supponat[6]. Licet igitur Petrum aliquando Asiae Min. regiones aliquas peragrasse negare nolimus, longe probabiliorem tamen eorum habemus sententiam, qui eum in Occidente potius quam in Oriente Evangelium propagasse tenent; atque ecclesiis illis non *ideo* eum scripsisse, quia utpote ab ipso fundatae singulari eius curae essent commissae, pro certo asserimus.

1. Cfr. *supra* 145. p. 458 sqq. et *Comm.* in ep. ad Rom. 1896. p. 1 sqq.

2. *S. Dionys. Cor.* apud Eus. H. E. II. 25 (M. 20,209) : « Ita et vos (Romani) admonitione vestra sementem, quae Petri et Pauli satione succreverat, Romanos sc. et Corinthios, simul commiscuistis. Etenim in nostram Corinthum ingressi nos instituerunt, et simul in Italiam profecti, quum vos docuissent, eodem tempore martyrium pertulerunt ». *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 47.

3. *Gal.* 2,8; 1 *Cor.* 9,5.

4. *Orig.* in Gen. tom. III. (M. 12,92; ex Eus. H. E. III. 1. M. 20,216); *Eaeb.* H. E. III. 4 (M. 20,220).

5. *S. Epiph.* haer. 27,6 (M. 41,374); *S. Hieron.* de vir. ill. 1 (M. 23,638); *S. Leo M.* in Nat. App. Petri et Pauli serm. 1,5.

6. 1 *Petr.* 1,12. 25; 5,12; 2 *Petr.* 3,2. — *Hundhausen* (Die beiden Pontificalschr. des Apostelfürsten Petrus. Mainz 1873. I. p. 96), etsi Petrum in Asia Min. Evangelium praedicasse admittat, ad solvendas tamen difficultates, quae ex epistolis opponuntur, eum non nisi in transitu illas ecclesias vidisse concedit.

Gravior altera est quaestio, num Babylone in Mesopotamia princeps Apostolorum consederit, quando priores suas literas neophytis Asiae Min. conscribebat[7]. Quae sententia a plurimis hodie interpretibus protestanticis magno cum ardore propugnata in verbis Apostoli, quibus salutationes ecclesiae babylonensis transmittit (ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι

συνεκλεκτή) solidum fundamentum et invictum argumentum videtur habere. At nudis istis verbis nihil effici nec rem definiri praeter catholicos interpretes, qui illis non obstantibus unanimi fere consensu Romae epistolam scriptam esse asserunt, etiam nonnulli ex praecipuis protestantibus, qui hac in re nobiscum sentiunt, rectissime censent. Quaestio enim est, utrum proprio an metaphorico sensu S. Petrus nomen Babylonis adhibuerit. Namque eodem Babylonis nomine Romam in Apocalypsi designari ad unum omnes concedunt, atque inter Iudaeos hanc metaphoram usitatissimam fuisse in comperto est. « Iudaeis, inquit *Schoettgen*, sollemne erat Romam Babylonem vocare, quia eodem modo, quo Babylonii Iudaeos sub templo primo vexarant et tandem totam regionem cum templo devastarant, Romani fecerant sub templo secundo, usque dum tandem devastatio illius subsecuta est »[8]. Neque vero vexationum dumtaxat causa Romam Babylonem vocare potuerunt, sed multo magis ob nefandam idololatriam, qua illo tempore omnia omnium gentium subiectarum idola Roma adorabat, effrenatamque morum licentiam, qua effecit, ut quidquid Prophetae de Babylone dixerant de ipsa apte explicaretur. Tota igitur quaestio in eo est, metaphoricone hoc sensu nomen Babylonis in epistola S. Petri sit usurpatum. Quod affirmare non dubitamus his argumentis innixi.

1. Solam hanc explicationem ab antiquissimis temporibus cognovit Ecclesia, usque dum 16. saeculo post Erasmum, qui primus eam in dubium vocavit, Protestantes, ut facilius romanum Petri episcopatum impugnarent, Babylonem proprio sensu intelligere coeperunt paucosque Catholicos secum consentientes invenerunt. Primus enim nostrae interpretationis testis est vir apostolicae aetatis, *S. Papias* Ioannis Apostoli discipulus; frustra autem Erasmus ad Eusebium provocat, ut eius testimonium nullius valoris esse demonstret. Quidquid enim de Eusebii sententia relate ad S. Papiae auctoritatem statuitur[9], hanc eius explicationem *Eusebius* non tantum ipse recipit, sed *Clementis Alex.* quoque idem testantis auctoritate confirmat[10]. Quos secuti sunt ex Latinis *S. Hieronymus* et *Ven. Beda*, ex Graecis *Theophylactus*, *Oecumenius*, *Catenae graecae* in epp. cath. auctor, i. e. omnes qui quaestionem nostram tractaverunt[11]. Neve *Cosmam Indicopl.* aliter sensisse obiiciatur[12]; testimonium enim eius, si in rebus theologicis alicuius foret auctoritatis (nulla autem ei attribui solet), in hac tamen re sine ullo scrupulo spernere liceret, siquidem leviter tantum et obiter eam attingit nec data opera exagitat. Quam concordes autem eidem sententiae iuniores interpretes inhaeserint, *Lorinus* et *Natalis Alex.* testantur, qui uterque nullum catholicum interpretem, qui aliter senserit, se vidisse asserunt; atque usque ad nostram aetatem vix quatuor vel quinque catholici reperientur, qui Babylone Romam designari negarunt[13]. Iam

vero admirabilis hic per octodecim saecula consensus nullo modo explicatur, nisi explicationem nostram certae traditioni inniti dicamus. Illam enim a Catholicis ad Petri episcopatum romanum defendendum excogitatam esse, non nisi absurdissime assereretur; nam usque ad saec. 16. nemo unquam de romana sede a Petro fundata dubitavit, et hodie nobis tot alia, quibus demonstratur, solida argumenta suppetunt, ut fictis non indigeamus.

2. Neque minus certum est nostram sententiam solam cum primitivae Ecclesiae historia consentire. Etenim si Petrus Babylone in Mesopotamia consedit ibique Evangelium propagavit et ecclesiam fundavit, quomodo factum est, ut ante saec. 3. nullus Babylonis episcopus innotuerit, nulla ecclesiae huius a Petro fundatae mentio ante Cosmam Indicopl. saec. 6. inveniatur, nullum neque in genuinis Patrum vel haereticorum scriptis neque in apocryphis Actibus testimonium eius habeatur? Quid quod ipsae ecclesiae Mesopotamiae, licet fundatores suos inter Apostolos vel apostolicos viros quaerant, de Petro prorsus sileant? Negativum quidem hoc est argumentum, positivo autem aequivalet, quoniam traditio de babylonica Petri sede, si unquam exstitisset, interire non potuisset, quia tam firmum in ipsa nostra epistola argumentum habuisset. Adde quod Christi tempore Babylon teste Strabone οὐδὲν εἰ μὴ τεῖχος, teste Plinio non nisi *solitudo* esset[14]. Quam difficultatem ut effugerent, in maiorem sese iniicientes nonnulli adversarii pro vetere Babylone ad Euphratem sita novam Babylonem, i. e. Seleuciam ad Tigridem, imo Babylonem quandam in Aegypto, quae non erat nisi statio militaris, substituerunt; recentissimi autem, quibus hae explicationes nimis ridiculae sunt visae, pro civitate Babylone Babyloniam, i. e. integram regionem, substituunt; id quod quam parum apte fiat, explicatione non indiget[15]. Neque illud omittamus una cum salutationibus τῆς ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτῆς etiam *Marci* salutationes a Petro transmitti; atqui Petrum cum Marco Romae adfuisse tanta testium nube confirmatur, ut prudenti hac de re nulla remaneat dubitatio, de Marci autem itinere babylonico in tota antiquitate ne levissimum quidem invenies vestigium. Imo ex paulinis epistolis Marcum saltem brevi ante illud tempus, quo epistolam scriptam esse plerique tenent, Romae adfuisse constat[16]; quo igitur cum iure eum paucis mensibus postea cum Petro in Mesopotamia fuisse asseritur?

3. Demum inanitate argumentorum, quibus adversarii suam sententiam stabilire conantur, nostra non parum corroboratur. Etsi enim, inquiunt, in Apocalypsi, libro prophetico, qui poetico stylo conscriptus est, Babylonis nomine Roma designetur, in prosaico tamen et humili stylo epistolae nostrae metaphora eiusmodi non recte admittitur; praeterea in inscriptione provinciae eo ordine enumerantur, quo ex Baby-

lone Mesopotamiae venienti singulae occurrunt : « ex Babylonis (non vero ex Romae) prospectu sequitur series regionum ». Mirum est, quod alteram hanc rationem, quae si a mediae aetatis interprete esset prolata, a modernis protestanticis interpretibus certissime irrideretur, hodie adhuc, quia a protestantico interprete saeculi praecedentis inventa est, non pauci in medium afferant, ac si nunquam tabulam Asiae citerioris inspexissent[17]. Inter omnes enim Asiae provincias Pontus, quae prima nominatur, a Babylone erat fere remotissima, nec ulla ex Mesopotamia in Pontum eo tempore patebat via, nisi per Cappadociam, quae tertio loco nominatur, quemadmodum ne hodie quidem alia patet, nisi quis altissimos et difficillimos Armeniae montes transcendere velit. Quo autem ordine provincias S. Petrus enumeraverit, difficillime definitur; illud solum certum est ad earum situm geographicum eum non attendisse. Neque magis valet prior ratio. In epistolari quidem stylo minus frequentes adhibentur tropi, quam in prophetico et poetico; attamen num ideo nullus admittendus est? Annon in ipsa inscriptione tropo usus est S. Petrus, qui epistolam inscripsit ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου κτλ? Annon in nostro ipso versu, quum termino *ecclesiae* suppresso scriberet : ἀσπάζει ὑμᾶς ἡ συνεκλεκτή iterum tropum adhibuit[18]? Infra ostendemus, epistolam nostram tempore persecutionis neronianae conscriptam esse; facile igitur explicatur, cur Apostolus locum, in quo tum temporis residebat, non nisi subobscure indicare volens tropum istum adhibuerit; per Silvanum autem, qui eam ecclesiis attulit, omne dubium, quod de loco scriptionis forte remanebat, facillime potuit removeri.

7. Cfr. de hac quaestione praesertim *Hundhausen* l. c. p. 82-90, qui eam egregie tractat.

8. *Schoettgen* Horae hebr. p. 1050 et 1125 in 1 Petr. 5,13 et Apoc. 14,8.

9. Cfr. *supra* 15. p. 41.

10. *Euseb.* H. E. II. 15 (M. 20,173) : « Porro Marci mentionem fieri aiunt (Papias et Clemens Alex.) a Petro in priore epistola, quam Romae scriptam esse contendunt idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat ».

11. *S. Hieron.* de vir. ill. 8 (M. 23,654) : « Meminit huius Marci et Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans ». *Ven. Beda* in 1 Petr. 5,13 (M. 93,67) : « Babylonem typice Romam dicit, videlicet propter confusionem muliplicis idololatriae ». *Oecum.* in 1 Petr. 5,13 (M. 119,576) : « Babylonem autem vocat Romam, eo quod adeo insignis et praeclara esset, quemadmodum longo tempore Babylon ». *Theophyl.* i. eund. l.; *Cat. gr.* ed. Cramer VIII. p. 85. Multi quoque codd. graeci et alii non obstante Babylonis nomine habent : ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης. Cfr. Tischend. N. T. Ed. 8. II. p. 300.

12. *Cosm. Indicopl.* Topogr. christ. II. (M. 88,114) « In romana primum ditione Apostolorum tempore christiana praedicatio diffusa est; statim vero postea in Perside per Thaddaeum Apostolum. Et sane in catholicis epistolis scriptum est : Salutat vos quae est in Babylone coelecta ». Ipse igitur Cosmas de *Petri* itinere babylonico nihil audiverat.

13. *Lorin.* et *Natal. Alex.* in 1 Petr. 5,13. Simili modo *Grotius* i. h. l. : « De Babylone dissident veteres et novi (sc. protestantici) interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo vere Christianus dubitavit, novi Babylonem in Chaldaea. Ego veteribus assentior ». Ex catholicis interpretibus, qui cum *novis* (i. e. protestanticis) sentiunt, praeter *Erasmum* in 1 Petr. 5,13 nominantur soli *Herbst* (Tüb. Quartalschr. 1820. p. 615 sqq.), *Feilmoser* (Einl. p. 504), *Hug* (Einl. II. p. 550 sqq.), *A. Maier* (Einl p. 408). E contra ex protestanticis et « criticis » multi cum *veteribus* (i. e. cum catholicis) sentiunt; cfr *Mynster* (Kl. theol. Schriften. 1825. p. 157), *Hitzig* (Iohannes Marcus. 1843. p. 186), *Thiersch* (Kirche im apost. Zeitalter. 1852. p. 208), *Hengstenberg* (Offenb. d. h. Joh. 1850. p. 141), *Hofmann* (Schriftbeweis. 1855. p. 641), *Wiesinger* (Der erste Br. d. Ap. Petr. 1856. p. 339 sqq.), *Ewald* (Sieben Sendschr. 1870. p. 2), *Baur* (D. Christenth. u. d. christl. Kirche p. 130), *Schwegler* (Nachapost. Zeitalt. II. p. 18. sq.), *Renan* (L'Antéchrist, p. 122), *Hilgenfeld* (Einl. p. 632), *Holtzmann* (Einl. Ed. 2. 1886. p. 521), *v. Soden* (Holtzmann Handcomm. III. 2. 1892. p. 115 sq.), *Jülicher* (Einleitung 1894. p. 132) aliique, quamvis plerique ex « criticis » Petrum auctorem epistolae esse negent.

14. *Strab.* XVI. p. 738; *Plin.* H. N. VI. 26; *Pausan.* Arcad. 33.

15. Seleuciam intelligere voluit *Michaelis* Einl. Ed. 3. II. p. 1177 sqq., Babylonem in Aegypto *Wolf* (Curae Criticae V. p. 170 sq., qui pro eadem sententia allegat *Bertram, Pearson, Wall*), *Vitringa* (in Is. I. p. 421), *Hug* (Einl. p. 552) etc. — Curiositatis gratia adnotemus nonnullos, quia Babylone eo tempore ecclesiam non fuisse videbant, eo usque progressos esse, ut τὴν συνεκλεκτὴν non explicarent « *ecclesiam* coelectam », sed « *mulierem* coelectam », uxorem sc. Petri intelligentes, cuius salutationes una cum salutationibus filii sui Marci transmisisset. Ita teste Wolfio primus *Mill*, quem secuti sunt *Wall, Bengel* aliique.

16. *Col.* 4,10; *Philem.* 24.

17. *Bengel* Gnomon in 1 Petr. 1,1 primus hanc rationem proposuit, illam repetiit recentissimus epistolae interpres *Keil* (Commentar über die Briefe des Petrus u. Iudas. Leipzig 1883. p. 37), quamquam *Ewald* (Sieben Sendschr. p. 3) iam eam irriserat.

18. Cfr. *Thiersch* Kirche in apostol. Zeitalter p. 208; *Hengstenberg* Offenb. des hl. Ioh. p. 141 : « Der einzige Grund, den man dafür geltend gemacht hat, erledigt sich durch die Bemerkung, dass die Briefe des N. T. durchaus nicht in gewöhnlicher Prosa geschrieben sind, und dass der poetische Charakter eines grossen Theils der heil. Bücher nothwendig auch auf die übrigen einwirken musste ».

214. — II. QUIBUSNAM DESTINATA SIT 1 PETRI, sola inscriptione docemur, quae tamen tam clara non est, ut varias sententias excludat. Inscribitur enim « *electis advenis dispersionis* (ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς) *Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae* ». Apostolorum principem illis provinciis Evangelium non attulisse supra iam diximus; S. Paulum vero ecclesias Galatiae et Asiae fundasse constat atque summa cum veri similitudine asserimus in Ponto quoque, Cappadocia et Bithynia Evangelium a S. Paulo eiusque discipulis esse propagatum. Inter quos Silvanus fuit, qui S. Pauli in secundo itinere apostolico socius cum eo Phrygiam, Galatiam aliasque Asiae Min. provincias peragravit[1]; Silvanus autem, postquam cum magistro suo primas ecclesias in Macedonia et Achaia fundavit, nec in Actibus nec in epistolis paulinis amplius commemoratur, atque probabile esse diximus per eum

epistolam suam Paulum Galatis transmisisse simulque eum ecclesiis Asiae Min. eodem modo praeposuisse, quo postea cretensibus Titum et asiaticis Timotheum praeposuit[2]. Revera in nostra epistola, quae ecclesiis Asiae Min. destinata est, Silvanum cum Petro invenimus; eius enim ope epistola transmittitur, atque Petrum de statu ecclesiarum illarum per eundem certiorem esse redditum iure supponimus.

Iam vero ecclesiae Galatiae et Asiae ex Iudaeis et ethnicis conversis ita coaluerant, ut Ethnicochristiani multum praevalerent; idem in ecclesiis Ponti, Cappadociae et Bithyniae obtinuisse non tantum probabile fit, si circumstantias omnes perpenderimus, sed etiam ex epistola ipsa non obscure eruitur. Utrum enim Iudaeochristianis an ethnicis conversis destinata fuerit, antiqua est controversia, quae optime dirimitur, si cum multis interpretibus eam ecclesiis, quas mixtas vocavimus, scriptam dicemus.

Etenim *Cassiodorus, Iunilius* aliique antiqui Latini, qui Petri epistolis titulum « ad Gentes » praefixerunt, non tantum cum *S. Augustino,* qui contra Faustum Manich. Apostolum ethnicis conversis scripsisse contendit, ad 1 *Petr.* 2, 9. 10. rectissime provocare possunt[3], sed alios quoque textus (1 *Petr.* 1, 14. 18; 3, 6; 4, 3) habent, quibus suam inscriptionem defendant. Neque altera ex parte *Origeni, Eusebio, Didymo Alex., Ps. Athanasio* aliisque graecis interpretibus, quibuscum consentit *S. Hieronymus,* si Petrum neophytis iudaicis epistolas suas destinasse censent[4], aut *Ven. Bedae* si illis proxime, « qui de gentilitate ad agnitionem et susceptionem divinae Legis atque perceptis sacramentis legalibus ad acceptionem gratiae fidei pervenire meruerunt »[5], i. e. proselytis iudaicis conversis, eas scriptas esse asserit, validissimum deest argumentum : tam frequens enim in utraque epistola petrina est Veteris T. usus, ut neophyti ethnici, qui recenter fidem acceperant, eas plene vix intellexerint. Idem igitur in nostris obtinet, quod in plerisque paulinis, quae etiam una cum textibus, qui proxime Iudaeos conversos respiciunt, alios plurimos exhibent, qui neophytos olim ethnicos fuisse supponunt; quocirca petrinas, quemadmodum paulinas, ecclesiis mixtis scriptas dicamus oportet. Quod si quis vero ex inscriptione « advenis dispersionis » (παρεπιδήμοις διασπορᾶς) deduceret, solis Iudaeochristianis, utpote in aliena terra dispersis, epistolam scribi, is certissime erraret; « electi advenae dispersionis » enim omnes intelliguntur Christiani inter ethnicos dispersi, qui in hac terra peregrinantes (1,17) peregrini vel advenae vocantur; siquidem epistola integra in eo fere est, ut hac in terra nos permanentem civitatem non habere sed ad meliorem patriam tendere ostendat (2, 11; 1, 4 sqq. etc); recte igitur ipsi graeci interpretes, qui solis Iudaeis epistolam destinatam dicebant, tropicum tamen hunc vocabuli sensum retinuerunt[6].

1. *Act.* 15,40; 16,6.

2. Cfr. *supra* 134. p. 430.

3. *Cassiod.* Instit. div. 14 (M. 70,1125); *Iunil. Afric.* de part. leg. I. 6 (M. 68,16); *Cod. Fuld.* eam « ad Gentes » inscribit; *S. August.* c. Faust. XXII. 89 (M. 42,460).

4. *Orig.* in Gen. tom. III. (M. 12,92); *Euseb.* H. E. III. 4 (M. 20,220); *Didym. Alex.* in 1 Petr. 1. (M. 39,1755); *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 53 (M. 38,407). *S. Hieron.* De vir. ill. 1. (M. 23,638). Eodem modo Oecum., Theoph. etc.

5. *Ven. Beda* in 1 Petr. 1,1 (M. 93,41).

6. *Didym. Alex.* quidem verba de Iudaeis « incolis extranearum civitatum » intelligit alteramque expositionem velut mysticam tantum superaddit; *Oecum.* autem aliique utramque probabilem habent. Eandem porro, quam nos, adoptarunt *Estius, Lorinus, Corn. a Lap., Reithmayr* (Einl. p. 727), *Ad. Maier* (Einl. p. 409), *Bacuez* (Manuel bibl. IV. p. 480), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 650 sq.) etc.

215. — III. De tempore, quo scripta sit 1. Petri, disputaturi pro certo supponimus, quod iam demonstravimus, illis ecclesiis eam esse destinatam, quas S. Paulus eiusque socii in Asiae Min. provinciis fundaverant. Quapropter omnes illas opiniones reiicimus, quae eius originem ante Pauli tertium iter apostolicum finitum (i. e. ante a. 59.) ponunt[1]; Gentium enim Apostolus, etsi in duobus prioribus iam itineribus in provincia Galatiae ecclesias fundasset, in reliqua tamen Asia Min. Evangelium latius non propagavit, nisi quum in tertia expeditione « perambularet ex ordine galaticam regionem et Phrygiam » atque « peragratis superioribus partibus » Asiae citerioris Ephesum venisset ibique per triennium residens tanto cum fructu laborasset, « ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudaei atque gentiles »[2].

At neque immediate post Pauli tertium iter epistola nostra scripta est; ecclesiae enim, quibus S. Petrus scribit, aliquamdiu iam exstiterant atque eo tempore, quo scribit, ob religionem suam tantam ab ethnicis persecutionem aut perferebant aut saltem timebant[3], ut consolatione et exhortatione indigerent. Quam persecutionem fuisse illam ipsam opinamur, in qua a. 64. Nero, ut « iussi incendii » Urbis rumorem aboleret omnemque a semet averteret suspicionem, « quaesitissimis poenis affecit eos, quos per flagitia invisos vulgus *Christianos* appellabat » et « afflicti suppliciis sunt Christiani, genus hominum superstitionis novae et *maleficae* »[4]. Etenim profecto non semel neophytos monet Apostolus, ut persecutorum detractiones calumniasque, qui de ipsis « tamquam de *malefactoribus* detrectent », bonis suis operibus sanctaque sua vita confundant, neve pati « tamquam *Christiani* erubescant, sed Deum in isto nomine glorificent »[5]. Ex eo quidem, quod Tacitus et Suetonius iisdem, quibus epistola nostra, locutionibus crimina Christianis obiecta designarint, firmum argumentum procul dubio desumere non licet; at persecutionem, quam Apostolus commemorat, universalem fuisse monemus neque subita quadam plebis exacerbatione provocatam sed a

magistratibus motam et rectam[6]; eiusmodi autem publicam et universalem Christianorum persecutionem ante neronianam non esse excitatam constat. Neronem quoque, si profanis scriptoribus omnimoda fides esset adhibenda, solos Christianos illos, qui in Urbe degebant, persecutum esse, fatendum esset; at Taciti Suetoniique silentio disertum Orosii testimonium opponere licet[7]. Si quis vero illud, utpote iunioris scriptoris, reiicere velit, ad totam temporis illius rationem provocamus; qui enim fieri potuit, ut persecutionem ab imperatore in Urbe excitatam magistratus adulatores et assentatores in provinciis non imitarentur, praesertim quum ubique terrarum nomen Christianum eo tempore ethnicis et Iudaeis esset odiosum? Immo in Asia Min. persecutionem cruentam nondum exarsisse neque suppliciis et morte Christianos ibi iam esse punitos concedamus : num crudelissima persecutione in Urbe saeviente in provinciis Christiani non erant praemuniendi atque ad vigilantiam exhortandi, quia adversarius eorum tamquam leo rugiens iam circuibat quaerens quem devoraret? Exeunte igitur a. 64., postquam Romae « quaesitissimis poenis » affecti erant Christiani atque in provinciis ethnicorum animi contra eosdem excitari iam inceperant, Silvanum Romam venisse censemus, ut cum Paulo, quem vinculis liberatum esse forte nondum audiverat, de ecclesiarum sibi commissarum statu conferret; Paulus autem paucis mensibus antea ex carcere dimissus in Hispaniam erat profectus, quare illo absente Petrus ecclesias illas epistola sua confortare et consolari voluit.

Ante a. 64. finem vel insequentis initium epistolam nostram non esse scriptam affinitate confirmatur, quam inter illam interque paulinas nonnullas, maxime illam ad Ephes., aliquatenus etiam alias ad Coloss. et Rom. intercedere, moderni interpretes plerique docent. Illis quidem non assentimur, qui integram fere Petri epistolam ex laciniis paulinis consutam esse volunt[8]. Quis enim crediderit scriptorem quemcunque, nedum inspiratum, ea qua illi interpretes volunt ratione textus paulinos varios conquisivisse atque disiecta membra in novum corpus conglutinasse? Num ita exorta esset epistola, quam ipse Erasmus « perfecte dignam Apostolorum principe, plenam auctoritatis et maiestatis apostolicae, verbis parcam sententiis disertam » esse iudicavit quamque alius criticus non minus severus, Grotius « τὸ σφοδρὸν conveniens ingenio principis Apostolorum » habere dixit? Si ex paulinis locis et vocabulis Petrus suam epistolam contexuit, quomodo factum est, ut in brevissimo hoc scripto circiter sexaginta ἅπαξ λεγόμενα, quibus nec Paulus nec alius N. T. scriptor usus est, legantur? Revera affinitates, quas illi interpretes invenisse sibi videntur, aliae ex usu vocabulorum exoriuntur, quae apostolicus scriptor, si ideas suas exprimere voluit, evitare non potuit (πίστις, ἐλπίς, ζωή, χάρισμα etc), aliae longissime sunt quaesitae,

quum eadem vocabula in diverso prorsus contextu et diversa significatione adhibeantur, aut ideae similes aliis omnino vocabulis exprimantur. Nihilominus affinitatem quandam adesse non diffitemur, immo asserimus[9], atque ex ea concludimus epistolam nostram post illam ad Ephesios esse conscriptam. Etenim in altera sua epistola S. Petrus se fratris sui Pauli epistolas legisse diserte testatur; inter Novi T. autem scriptores alius non est, qui Petro frequentius aut Veteris T. locos alleget aut verba ex V. T. desumta ad suas exprimendas ideas adhibeat; nihil igitur absoni aut miri habet, quod simili ratione etiam verbis paulinis, quae in memoria retinuerat, ad suos sensus exprimendos utatur. Epistolam vero ad Ephesios exeunte a. 63. scriptam esse ostendimus (161); nostram igitur ante a. 64. scriptam non esse iure asserimus[10].

1. Inter quos *Ven. Beda* (in 1 Petr. 5,13. M. 13,68) tempore Claudii (41-54), *Baronius* (Ann. ad. a. 45,16) a. 45, *Foggini* (de romano D. Petri itinere. Forent. 1742. p. 196 sqq.) inter a. 42. et 49, *Mauduit* (Analyse VIII. p. 301) a. 43. epistolam scriptam censent. Inter acatholicos eam paulinis priorem dicunt *B. Weiss* (Petrin. Lehrbegr. p. 365 sqq.; Einl. Ed. 3. 1889. p. 427 sqq.), *de Wette-Brückner* (Kurze Erkl. d. Briefe d. P. Ed. 3. p. 16), *Kühl* (Meyer Exeg. Hdb. XII. Ed. 5. 1887. p. 60 sqq.) etc.

2. *Act.* 18,23; 19,1. 10.

3. 1 *Petr.* 1,6 sqq.; 3,14 sqq.; 4,12 sqq. Num persecutio iam exarserit, ex epistola non satis apparet.

4. *Tacit.* Annal. XV. 44; *Sueton.* Nero 16.

5. 1 *Petr.* 2,12; 3,15; 4,14. 16.

6. 1 *Petr.* 5,9 (εἰδότες τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων τῇ ἐν τῷ κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι ἐπιτελεῖσθαι); 3,15 (parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe).

7. *Orosii* Hist. VII. 7. (M. 31,1078) : « (Nero) primus Romae Christianos suppliciis affecit ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit ».

8. Ex. gr. *Credner* (Einl. p. 634 sq.) in solo primo capite has affinitates invenit :

1 *Petr.* 1,1. 2. *Ephes.* 1,1. 4. 7.
1 *Petr.* 1,3. 4. *Ephes.* 1,3.
1 *Petr.* 1,5. *Eph.* 1,7-9.
1 *Petr.* 1,6-9. *Iacob.* 1,2. 3. 12. 21.
1 *Petr.* 1,10-12. *Ephes.* 3,2-10.
1 *Petr.* 1,13 sqq. *Ephes.* 2,11 sqq.; 4,17 sqq.
1 *Petr.* 1,17. *Eph.* 2,19.
1 *Petr.* 1. 20. 21. *Eph.* 1,4. 6. 7; 3,5. 6.
1 *Petr.* 1,24. *Iacob.* 1,11.

Secundum *De Wette* (Einl. p. 382 sq.) 1 *Petr.* 2,1. 2. 5. 6. 7. 10. 13. 14. 16. 18. parallelos suos habent in ep. ad Rom., Coloss., Gal., Ephes. etc. Similes catalogos exhibent *Renan* L'Antechrist p. 112. n. 3., *Holtzmann* in Schenkel Bibellexicon IV. p. 496 sq. et Einl. Ed. 2. 1886 p. 518 sq. etc.

9. Revera 1 *Petr.* 3,22 est summa quaedam eorum, quae leguntur *Eph.* 1,20. 21.

(Ἰησοῦ Χριστοῦ) ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ θεοῦ, πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων.

(Θεὸς) ἐγείρας αὐτὸν (Χριστὸν) ἐκ νεκρῶν καὶ καθίσας ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπεράνω πάσης ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος κτλ.

Gratiarum actionem eodem modo incipiunt 1 *Petr.* 1,3 et *Eph.* 1,3 (cfr. 2 *Cor.* 1,3 ubi similis habetur) : « Benedictus Deus et Pater D. N. Iesu Christi, qui » etc; monita nonnulla ad amussim fere consonant :

1 *Petr.* 3,1. Αἱ γυναῖκες, ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν κτλ. 2,18. Οἱ οἰκέται ὑποτασσόμενοι ἐν παντὶ φόβῳ τοῖς δεσπόταις κτλ.	*Eph.* 5,22. Αἱ γυναῖκες, τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε. 6,4. Οἱ δοῦλοι, ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα μετὰ φόβου κτλ.

Petrum paulinas epistolas eo, quem nos quoque admittimus, modo adhibuisse inter catholicos interpretes admittunt *Hug* (Einl. II. p. 540 sqq.), *A. Maier* (Einl. p. 410), *Reithmayr* (Einl. p. 735), *Valroger* (Introd. II. p. 380), *Bacuez* (Man. bibl. IV. p. 480), *Bisping* (Exeg. Handb. VIII. p. 98). — *Drach* (Épitres cath. p. 71 sq.) non satis accurate loquitur de « ressemblances *voulues* et de reproductions *recherchées* » « *dues à un dessein prémédité* de faire allusion à des passages d'épitres déjà connues »; quomodo enim haec assertio demonstretur, non videmus. *Hundhausen* (l. c. I. p. 102 sq.) dubitat, num usus qualiscunque paulinarum sit admittendus. Aliqui praeter paulinas etiam Iacobi epistolam cognitam fuisse Petro putant (1 *Petr.* 5,5. 6 et *Iac.* 4,6. 7. 10; 1 *Petr.* 1,6. 7 et *Iac.* 1,2. 3; 1 *Petr.* 2,1 et *Iac.* 1,21 etc), at longius quaesitas censemus istas assimilationes.

10. Cfr. de hac quaestione *Hundhausen* l. c. p. 90 sqq., qui neronianam persecutionem respici negans epistolam exeunte a. 63. vel ineunte 64. scriptam censet, *Reithmayr* (Einl. p. 728) et *Valroger* (Introd. II. p. 374) inter a. 63. et 65., *Hug* (Einl. II. p. 545 sqq.), *Windischmann* (Vindiciae Petrinae p. 127), *A. Maier* (l. c.), *Drach* (l. c. p. 69) exeunte 64. vel ineunte 65; *Kaulen* (l. c. p. 659) ineunte a. 64. etc.

216. — IV. De fine et argumento 1. Petri. Apostolus finem suum his verbis ipse indicat : « vobis breviter scripsi obsecrans (vel potius exhortans παρακαλῶν) et obtestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis » (5,12). Ne neophyti gravissimis in periculis constituti ethnicorum calumniis et persecutionibus a vera fide abstrahi se sinerent, quam maxime erat timendum; quapropter edocendi erant religionem, quam Apostoli Gentium ministerio acceperant, veram et divinam esse, etsi eius professione persecutionem hanc sibi attraxissent. At simul erant exhortandi, ut non tantum spretis periculis firmi constantesque fidei acceptae inhaererent, sed etiam moribus suis vere christianis calumnias ethnicorum confunderent omniaque sua officia erga superiores et erga aequales, sive ethnicos sive christianos, rite implerent haereditatis coelestis memores eiusque spe viva confortati. Duplicem vero hunc finem non eo modo, quem S. Paulus fere tenere solet, prosequitur, ut in dogmatica quadam parte doctrinam eorum non obstantibus persecutionibus, quas provocavit, veram et divinam esse ostendat, in altera autem conclusiones practicas deducat moresque corrigat, sed integra epistola exhortationibus constat, argumenta autem, quibus religionem christianam esse veram gratiam Dei demonstrat, aptis in locis inserit[1].

Quamobrem *divisionem* accuratam epistolae nostrae tradere admodum est difficile; satis apte tamen in tres quasi classes exhortationes distribuemus[2]; nam aliae generaliori modo integram vitam christianam respiciunt (1,13-2,10), aliae autem, in quibus Apostolus ad ethnicos, inter quos Christiani vivunt, periculaque, in quibus versantur animum advertit, singulorum officia diligentius explicant (2,11-4,19),

aliae demum de oeconomia ecclesiastica agunt (5,1-11). Idearum nexum in analysi evolvere conabimur.

1. 1 *Petr.* 1,18 sqq.; 2,3 sqq.; 3,14 sqq. etc. Egregie hac de re *Hundhausen* l. c I. 74. « Die Bezeugung, dass das Christenthum trotz der mit denselben verknüpften Leiden und Verfolgungen die wahre Gnade Gottes sei, zieht sich durch den ganzen Brief hindurch... Insbesondere weist der Apostel zum Zwecke dieser Bezeugung hin auf die wunderbare Grösse und Herrlichkeit der Erlösung, auf das Leiden und Sterben, die Auferstehung und Verherrlichung des Heilandes, sein kostbares Blut, auf die innere Süssigkeit des Herrn für die christl. Seele, auf den Segen, der von ihm ausgeht » etc.

2. *Card. Hugo* duas dumtaxat agnoscit partes, « in quarum prima loquitur generaliter ad omnes (1,1-2,10), in secunda specialiter secundum diversas hominum conditiones » (2,11-5,14), quam alteram distinguit in quatuor sectiones (2,11-25 de conditione dominorum et servorum; 3,1-8 de conditione virorum et mulierum; 3,9-4,19 de quibusdam praeceptis generalibus, sine quibus nulla salus est; 5,1-14 de conditione praelatorum et subditorum). Simili modo *Lyranus*, qui specialem partem a 2,17 inchoat et etiam in quatuor sectiones distinguit, quemque fere sequitur *Mauduit* (Analyse VIII. p. 299 sqq.). — *Kilber* (Analys. II. 525 sqq.) facit partem dogmaticam (1,3-2,12 de christianae religionis beneficiis et obligationibus) et partem ethicam (2,13-5,9 de variis Christianorum officiis); *Bisping* (l. c. p. 99) et *Drach* (l. c. p. 70) eodem fere modo, quo nos, tres partes agnoscunt praeter exordium et epilogum (1,13-2,10; 2,11-4,6; 4,7-5,11); *Hundhausen* (l. c. p. 75-82) longa analysi nexum idearum accurate quidem indicat, de epistolae autem dispositione nihil tradit.

217. — V. Analysis epistolae 1. Petri.

I. Exordium (1, 1-13) continet

1. *inscriptionem* (1,1. 2.), in qua praerogativas Christianorum iam insinuat,
2. *gratiarum actionem* (1,3-13), quae beneficia Christianis per Evangelium allata commendat.
   a.) Namque regenerati sunt in haereditatem coelestem, quae illis certa est, quum Deus illos per fidem sit custoditurus (1,3-5); quapropter etsi nunc calamitatibus probentur, gaudebunt tamen adveniente Christo et salutem perfectam afferente (1,6-9);
   b.) quanta autem haec salus sit, ex eo elucet, quod prophetae avide illam desideraverint et perscrutati sint, atque Angeli ipsi accuratius illam cognoscere cupiant (1,10-13).

II. Quo exhortationum fundamento posito in prima parte (1,13-2,10) ad vitam vere christianam agendam generali modo eos exhortatur.

1. Etenim quia tanta salus eis parata est, repleti sint oportet *spe viva*, qua impellantur, ut ei, qui ipsos ad salutem vocaverit, vita sancta assimilentur (1,13-16). Quam exhortationem efficaciorem reddit monens
   a.) eos patrem habere, qui simul est iudex iustus (1,17),
   b.) eosque pretioso sanguine Christi esse redemtos atque per Christum eos fidem accepisse (1,18-21).
2. Cum hac spe coniungant oportet veram *caritatem fraternam* (1,22); fratres enim facti sunt secunda illa generatione ex semine incorruptibili

i. e. ex verbo Dei, quod in aeternum manet (1,23-25), ac proin deponant oportet, quidquid verae caritati opponitur (3,1).

3. Quibus depositis renati velut infantes lac *verae doctrinae* concupiscant oportet, qua crescant et confortentur, ut tamquam lapides vivi vero lapidi angulari superaedificari cum eoque intime uniti vera sacrificia spiritualia offerre possint (2,2-5). Qua doctrina Scripturae (Is. 28,16) testimonio confirmata (2,6-8) eorum dignitatem commendat, qui Christo superaedificati verum Dei populum constituunt (2, 9. 10).

III. In ALTERA PARTE (2,11-4,19) post generalem regulam stabilitam, ut nimirum inter ethnicos degentes bonis suis moribus eorum calumnias confundant eosque ad gloriam vero Deo dandam adducant (2, 11. 12), transit ad monita specialia; atque

1. quidem docet quomodo, *utpote inter ethnicos degentes,* gerere se debeant (2,13-3,12).
   a.) Omnes subiecti sint superioribus, quia haec est voluntas Dei, ut hac ratione ad silentium redigant calumniatores (2,13-17);
   b.) servi quoque subditi sint dominis etiam dyscolis (2,18); si enim iniuste patientur, Christo similes fiunt, qui, etsi innocentissimus esset, propter nostra peccata passus est nosque sanguine suo redemit (2,19-25);
   c.) mulieres subditae sint maritis, ut eos, si forte nondum conversi sint, conversatione sua bona ad fidem attrahant (3, 1. 2); neve corpus vestibus pretiosis, sed cor virtutibus exornent Saram imitatae, cuius filiae factae sint (3,3-6);
   d.) viri vicissim uxores suas utpote cohaeredes gratiae coelestis honorent (3,7);
   e.) omnes demum veram caritatem exerceant, neve unquam malum malo rependant, sed e contra omnibus benedicant, ut ipsi quoque benedictionem aeternam consequantur (3,8-9); quam doctrinam Scripturae (***Ps.*** 33, 13 sqq.) testimonio confirmat (3,10-12).
2. Secundo loco, quomodo *in praesenti persecutione* sese gerere debeant, explicat (3,13-4,14).
   a.) Praeprimis bonam conscientiam habere studeant, atque sine ullo timore coram magistratibus rationem spei suae ita reddant, ut calumniatores moribus suis confundant (2,13-16); melius enim est eos innocentes, quam reos, pati assimilatos Christo, qui iustus pro iniustis moriens et sibi et nobis et iis, qui poenitentes in diluvii aquis perierunt, bona ingentia meruit (3,17-22).
   b.) Christo autem mortuo assimilati ipsi quoque mortui sint peccatis, in quibus ante vocationem suam vixerant (4, 1. 2); neve ethnicorum increpationibus atque blasphemiis ad pristinam vitam sese retrahi sinant (4, 3. 4); ethnici enim de his iusto iudici rationem reddere tenebuntur (4, 5. 6).

   Ad quod iudicium instans animos advertentes Christiani ipsi vigilent, precentur, omnimodam virtutem, maxime caritatem, exerceant (4,7-11).

c.) Nolint mirari, quod haec persecutio super eos venerit, sed potius de illa gaudeant, quippe qua participes fiant passionum Christi (4,12-14); caveant igitur, ne rei patiantur, sed neve erubescant, si pro nomine christiano pati debeant (4, 15. 16); iam enim instare iudicium, in quo propter persecutiones, quas patiuntur, vitam aeternam sint obtenturi (4,16-19).

IV. In TERTIA PARTE (5,1-11) habentur monita quaedam specialissima,

1. ad *presbyteros*, ut gregem suum sollicite pascant vitaeque exemplo ei praeluceant (5,1-3); quod si faciant, a principe pastorum immarcescibilem coronam percipient (5,4);
2. ad *gregem*, ut pastoribus sit subditus (5,5),
3. ad *pastores et gregem*,
   a.) ut omnes veram exerceant humilitatem sese humiliantes sub potenti manu Dei, qui eos exaltabit in tempore opportuno (5,5-7);
   b.)ut sobrii sint ac vigilent, quo resistere possint diabolo eos perdere volenti, sese consolentur cogitatione, fratres eorum eadem persecutione premi, Deum autem, qui eos vocavit, in persecutione etiam eos esse confirmaturos (5,8-11).

V. In brevissimo EPILOGO (5,12-14) scopum epistolae huius, quam per Silvanum eis transmittit, clare indicat, salutationes aliquas addit, apostolicamque benedictionem eis impertit.

218. — VI. AUTHENTIAE 1. PETRI tot antiquitatis habemus documenta, ut quomodo hoc nostro saeculo rationalistae quidam eam in dubium vocaverint atque negaverint, vix intelligatur. *Eusebius* enim eam inter τὰ ὁμολογούμενα enumerat, idque iure merito, quandoquidem inde ab ipso tempore apostolico luculentissima et continua testimonia eam in Ecclesia agnitam esse demonstrant. Allusionibus illis magis minusve dubiis, quae ex *SS. Clementis Rom.* et *Ignatii M.* genuinis epistolis afferri solent[1], non indigemus, siquidem duorum aliorum virorum apostolicorum testimonia *certa* nobis sunt conservata, qui vel eam solam ob causam testes sunt maximae auctoritatis, quoniam sedes episcopales in illis provinciis, quibus nostra epistola inscribitur, tenuerunt: Eusebio scilicet teste *S. Papias* « testimoniis ex priore Petri epistola desumtis usus est », et *S. Polycarpus M.* « in illa, quae etiamnunc exstat ad Philippenses epistola, testimonia nonnulla ex priore Petri epistola desumsit »; revera in brevissima Polycarpi epistola octo textus petrini fere ad verbum adhibentur[2]. Quibus duos haereticos, qui eadem fere aetate vixerunt, adiungamus : teste enim Clemente Alex. *Basilides* et Valentini discipulus *Theodotus Byz.* nostram epistolam genuinam habuerunt et pro auctoritate allegaverunt[3]. Omittimus iterum *S. Iustinum* et auctorem epistolae *ecclesiae Vienn.*, qui ad eam dumtaxat alludunt[4], ut illos exeuntis 2. et ineuntis 3. saec. Patres nominemus, qui disertis verbis eam S. Petro auctori attribuunt. In versione

Peschito eam semper sub Petri nomine adfuisse omnes concedunt; praeterea in Oriente habemus *S. Firmilianum*, Caesareae in Cappadocia, i. e. una ex provinciis, quibus scripta est epistola nostra, episcopum, et magnos alexandrinae ecclesiae doctores, *Clementem* et *Origenem*[5], et in Occidente *S. Irenaeum*, *Tertullianum*, *S. Cyprianum*[6], qui sine ullius dubitationis expressione et non semel sed frequenter eam Petri nomine addito pro divina auctoritate allegant. Mirum forsitan nonnemini videatur, quod *fragmentum Muratorianum*, canon igitur ecclesiae romanae, eam non recenseat, attamen verba, quae de S. Petri scriptis agunt, librariorum negligentia vel interpretis ignorantia ita sunt corrupta, ut quid auctor de illis dicere voluerit prorsus ignoretur; monuimus quoque fragmentum, quum acephalum sit, eodem modo, quo 1. Ioannis epistolam, quae ab omnibus recipiebatur, una cum quarto Evangelio posuit, etiam cum secundo Evangelio, cuius praecipuum auctorem Petrum fuisse tota antiquitas testatur, priorem Petri epistolam forte coniunxisse[7]. Ceterum ex *S. Clementis Rom.* et *S. Hermae* allusionibus eam ab Ecclesia romana fuisse agnitam satis constat[8].

1. Ex *S. Clem. Rom.* 1 Cor. plus quindecim allusiones recenset *Funk* Patres apostol. I. p. 570, inter quas certiores censemus 1 *Cor.* 7 : ἀτενίσωμεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ καὶ ἴδωμεν, ὡς ἔστιν τίμιον τῷ θεῷ (1 *Petr.* 1,19 ἐλυτρώθητε... τιμίῳ αἵματι... Χριστοῦ) et 1 *Cor.* 2., ubi ἀδελφότης eodem sensu usurpatur, quo asolo Petro adhibetur (1 *Petr.* 2,17; 5,9). — *S. Ignatii M.* una sola allusio a Funk l. c. p. 573 (1 *Petr.* 5,5 et S. Ign. Eph. 5,3) affertur, at eodem cum iure Magnes. 13 afferri potuit.

2. *Euseb.* H. E. III. 39; IV. 14 (M. 20,300. 340). — Cfr. *S. Polyc.* ad Phil. 1 et 1 *Petr.* 1,8; Phil. 2. et 1 *Petr.* 1,13. 21; 3,9; Phil. 5 et 1 *Petr.* 2,11; Phil. 7 et 1 *Petr.* 4,7; Phil. 8 et 1 *Petr.* 2,22. 24; Phil. 10 et 1 *Petr.* 2,12.

3. *Clem. Alex.* Strom. IV. 12 (M. 8,1292 cfr. 1 *Petr.* 4,14 sqq.); Theodoti excerpt. 1. 4. 12 (M. 9,653. 656. 664.)

4. *S. Iustin.* epistolam nostram adhibuisse concedit ipse *Hilgenfeld* Einl. p. 68; *Vienn. eccl.* testimonia invenis in *Euseb.* H. E. V. 1. 2 (M. 20,421. 436).

5. *S. Firmil.* ad S. Cypr. 15 (M. 3,1168 : « quemadmodum et Apostolus Petrus dicens » : 1 *Petr.* 3,21); *Clem. Alex.* Paedag. III. 11. 12; Strom. IV. 20 etc (M. 8,641. 649. 664. 1340); *Orig.* De princ. II. 3; in Matth. t. XV. 27; in Ioan. t. VI. 18 etc (M. 11,206; 13,1334; 14,260). Clemens plus vicies, Origenes plus quinquagies nostram epistolam adhibet; cfr. *Hundhausen* l. c. I. p. 95.

6. *S. Iren.* c. haer. IV. 9. 16 (M. 7,998. « Petrus ait in epistola sua » : 1 *Petr.* 1,8; M. 7,1019 : « propter hoc Petrus ait » 1 *Petr.* 2,16); *Tertull.*, de orat. 20; Scorp. 12. 14 (M. 1,1184 : « De modestia quidem cultus et ornatus aperta praescriptio est etiam Petri, cohibentis eodem ore, quia eodem et spiritu, quo Paulus, vestium gloriam » etc 1 *Petr.* 3,3; M. 2,146 « Petrus ad Ponticos » 1 *Petr.* 2,20. 21; 4,12-17); *S. Cyprian.* De bono pat. 9 (M. 4,628 « Item Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in epistola sua ponit « 1 *Petr.* 2,21); Ep. ad Fortun. 9; c. Iud. III. 36 (M. 4,663 « Petrus in epistola sua » 1 *Petr.* 4,12; M. 4,756 « De hoc ipso in epistola Petri ad Ponticos » 1 *Petr.* 3,3) etc.

7. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 63. p. 184 sqq.

8. *S. Hermae Past.* Vis. 3,11; 4,2.3 et 1 *Petr.* 5,7; 1,7. Aliae allusiones minus certae sunt.

Quibus externis testimoniis permoti usque ad saeculi nostri initium omnes, qui christiano nomine gloriabantur, epistolam hanc principi Apostolorum auctori attribuerunt et pro divina auctoritate adhibuerunt; etenim Theodorum Mopsuest. eam cum aliis catholicis reiecisse non satis recte ex Leontii Byz. verbis colligi videtur; certe Nestoriani, qui Theodori canonem retinuerunt, hodie adhuc eam inter suas Scripturas sacras habent[9]. At nostra aetate a criticae scholae interpretibus magna cum vi impugnata est eius authentia. Omnibus facem praetulit *H. H. Cludius*, qui nimiam eius cum paulinis affinitatem esse ratus eam a discipulo quodam Pauli scriptam proclamavit[10]. Quod quam maxime placuit Neotubingianis, qui pro more suo eam ad Paulinos et Petrinos uniendos compositam demonstrare voluerunt; at irriti fuerunt eorum conatus, nec inter reliquos « criticos » quisquam illis assentiebatur, quamquam ipsi quoque iunioris originis epistolam esse declararunt[11]. Quodsi vero interpretes illos interrogas, quonam tandem tempore sit scripta, alius respondet tempore Domitiani (a. 95), alii aut in initio aut in fine regni Traiani (98-117), alius tempore Antonini Pii (a. 140)[12]. Omnia haec systemata nec accuratiore expositione nec diligenti refutatione indigere per se patet; inter se primum conveniant « critici » atque in propria domo lites suas componant, antequam a nobis postulent, ut arbitrarias eorum fictiones examini subiiciamus. Hoc igitur loco sufficiet, quid de praecipuis eorum argumentis sit sentiendum, paucis verbis explicasse.

Praeprimis nostram epistolam a paulinis dependere monent; atqui Petrum, inquiunt, coapostoli sui scripta adhibere non tantum non decuit, sed inter epistolas adhibitas etiam nonnullae sunt, quae diu post Pauli et Petri mortem exortae ab eo adhiberi non potuerunt[13]. Validissimum sane argumentum, si omnia, quae in praemissis asseruntur, vera essent! S. Petrum paulinas epistolas cognovisse atque adhibuisse ipsi asseruimus, at exaggerandum non esse earum usum diximus; quomodo vero exaggeretur, facile apparet, si tabulas, quibus similitudines inter petrinam et paulinas a rationalistis recensentur, inter se comparaveris; ne duas quidem invenies, quae in maiore etiam exemplorum parte (nedum integrae) consentiant; vix non vocabula quaecunque a Petro adhibita, si in paulina epistola leguntur, ex illa desumta dicuntur, atque Petrus, ut in rationalistarum iudicio absolveretur, novam sibi linguam fingere debuisset. Alterum, quod asseritur, nonnullas paulinas post Apostolorum mortem conscriptas esse, commentum esse rationalisticum supra demonstravimus

Praeter hoc argumentum, quod illis « decretorium » est[14], alia minora afferuntur : Petrum enim aiunt fuisse « apostolum circumcisionis » ideoque ecclesiis asiaticis, quae ethnicis conversis coaluerant, scribere non potuisse; hierarchiam quoque supponi, quae Petri aetate nondum exstiterit; nullum aptum tempus inveniri, in quo a Petro epistola sit scripta; epistolam ipsam, utpote quae certo fine careat cuique omnis idearum nexus et unitas desit, indignam esse, quae Petro auctori attribuatur[15] etc. Quae omnia, postquam

supra de origine, fine, analysi epistolae disseruimus, nova refutatione non indigent.

9. *Leont. Byz.* c. Nest. III. 14 (M. 86,1366); cfr. *Kihn* Theodor. v. Mopsuest. und Iunilius Afric. Freiburg 1880. p. 64 sqq.

10. *Cludius* Uransichten des Christenthums. Altona 1808. p. 296 sq.; cfr. etiam *Eichhorn* Einl. III. p. 615 sq.; cum aliqua haesitatione *De Wette* Einl. p. 385 sq., *Reuss* Gesch. d. N. T. I. p. 144 aliique, qui tamen authentiam non absolute negant.

11. *Baur* Theolog. Iahrbücher 1856. II. p. 193 sqq.; Das Christenthum etc. p. 124; *Schwegler* Nachapost. Zeitalter II. p. 2 sqq.; *Zeller* Apostelgeschichte etc. p. 481; *Holtzmann* in Schenkel Bibellex. IV. 494 sqq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 625 sqq.; *Volkmar* in Hilgenfeld Zeitschr. 1861. p. 427 etc.

12. Cfr. *Hilgenfeld* Einl. p. 626.

13. *Schwegler* l. c. p. 3 sq., Holtzmann l. c. p. 496 sqq., *Hilgenfeld* l. c. p. 633 sqq. etc.

14. *Holtzmann* l. c. p. 500 « Ein auf Unechtheit lautendes Schlussurtheil ist in jeder Bezichung unvermeidlich. *Das Verhältniss zu den Paulinen ist entscheidend* ».

15. *Holtzmann* l. c. p. 501; *Schwegler* l. c. p. 4. 6. 20 etc.

219. — VII. De occasione, fine, argumento 2. Petri epistolae. Paullo ante mortem suam, quam mox instare divina revelatione scivit, exeunte ergo a. 66. vel ineunte 67., S. Petrus ex Urbe iisdem ecclesiis asiaticis, quibus priorem, hanc alteram quoque epistolam scripsit[1]. Duobus autem illis annis, qui a priore scripta effluxerant, status rerum illis in ecclesiis mutatus erat. Etenim persecutio illa, ad quam strenue perferendam neophytos erat exhortatus, desaevierat, maius autem Christianis imminebat periculum ab haeretica aliqua secta, quae non vi, sed dolo et ludibriis neophytorum fidem subvertere conabatur[2].

Haeretici illi, quos ψευδοδιδασκάλους appellat, S. Pauli ut videtur textibus nonnullis abutentes antinomisticum errorem propagabant, atque Christianos a lege solutos ad luxuriam aliaque vitia, quibus ipsi indulgebant, seducere conabantur[3]. Quem finem ut facilius attingerent, Christi dignitatem divinamque naturam videntur negasse; nam quin ad eandem sectam, quam Petrus vitandam monet, illi quoque haeretici pertinuerint, quos S. Iudas impugnavit, quia « Dei nostri gratiam in luxuriam transferentes solum dominatorem et Dominum N. Iesum Christum negent », non est dubium[4]; ulterius autem progressi S. Petri adversarii secundum quoque Christi adventum ludibriis scurrilibus impugnarunt, quapropter etiam ἐμπαῖκται (illusores) ab Apostolo vocantur[5]. Difficilior est quaestio, quaenam inter haereticos istos interque adversarios, quos Iacobus et Ioannes impugnant, relatio intercedat. Quantum equidem iudicare possum, in Iacobi epistola antinomistici erroris prima habemus vestigia; Pauli doctrina de cessatione Legis male intellecta perversi homines ad pervertendos neophytos abuti quidem coeperant, at totam suam perversitatem nondum manifestaverant. Haeretici quos Iudas impugnat, theoreticis illis deductionibus non contenti pravam doctrinam in praxin iam deduxerant atque exemplis

suis non minus, quam verbis, fideles seducebant. Ut divini vero iudicii minis, quas eis proposuerat S. Iudas, fideles non terrerentur, secundum Christi adventum et futurum iudicium ludibrio habuerunt haeretici ideoque Petri epistola perstringi merebantur. Ea demum, quae Ioannes, praesertim in Apocalypsi, de Nicolaitis ecclesias asiaticas vastantibus tradit, ita sunt comparata, ut eosdem nobis haereticos in perversis suis placitis iam obduratos ante oculos ponere videantur. Quocirca in epistolis catholicis et in Apocalypsi unam eandemque haeresin ab eius initiis usque ad adultam eius aetatem describi et impugnari opinamur[6]. Quidquid autem de hac sententia censeatur, illud negare non licet, eo tempore in Asiae Min. ecclesiis antinomisticos errores esse propagatos neque paucas turbas excitasse, ita quidem ut mirum non sit, quod princeps quoque Apostolorum eos refellere voluerit.

Quomodo S. Petrus asiaticarum ecclesiarum novum periculum resciverit, utrum iterum per Silvanum, per quem epistolam priorem iam transmiserat, an per alium, ignoramus. Pro pastorali autem sua sollicitudine illi occurrere fidelesque contra illud praemunire voluit; quam ob causam, antequam e vita egrederetur, cuius proximum finem Dominus ei revelaverat, nostram epistolam velut testamentum eis relinquere statuit, ne insipientium ore traducti a propria firmitate exciderent, sed potius crescerent in gratia et in cognitione Domini N. et Salvatoris Iesu Christi[7].

Occasione autem et fine, quibus ad scribendum adductus est, argumentum quoque epistolae ei erat indicatum. Etenim ut blasphemias, quibus pseudodoctores divinitatem Christi impugnabant, confunderet refelleretque, asserenda quidem divina eius natura erat summaque dignitas : quare etiam statim in inscriptione eum disertis verbis « Deum nostrum et Salvatorem » (ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ) appellat, nec unquam per totam epistolam nomen eius nisi « Domini nostri » titulo addito commemorat[8]. At praeprimis, ut Christianos in fide retineret et infirmos contra seductorum fraudes praemuniret, una ex parte magna bona, quae per Christum acceperant, firmumque fundamentum, cui eorum fides innitebatur, in memoriam eis erant revocanda, altera autem ex parte non minore cum cura extremum perditionis periculum, cui seductores et seducti erant expositi, ostendendum erat ludibriaque illa refutanda, quibus « illusores » ad labefactandam neophytorum fidem abutebantur. Unde pro duplici argumento duae epistolae partes : in *priore* (**1,3-21**) magnitudinem donorum per Christum allatorum firmitatemque fidei nostrae adstruit, in *altera* (**2,1-13**) neophytos ab haereticorum doctrinis absterret et contra eorum seductiones praemunit[9].

1. 2 *Petr.* 1,14; 3,1. Quo tempore et quo loco et quibus epistola haec sit scripta, consentiunt omnes, qui eius authentiam admittunt; quapropter his quaestionibus non immoramur. Cfr *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 667 sq.

2. Ex 2 *Petr.* 2,1 (« *erunt* magistri mendaces » etc); 3,3 (« *venient* in novissimis diebus illusores ») non pauci interpretes concludunt a Petro non describi eius temporis haereticos, sed praedici futuros; at parum recte. Re enim vera Apostolus contra *praesens* periculum fideles praemunire vult, quare etiam de iisdem, quos 2,1 futuros dixerat, 2,10 sqq. velut de praesentibus loquitur; non aliter S. Paulus, ut recte iam monet Estius, postquam 2 *Tim.* 3,1 dixit: « in novissimis diebus *instabunt* tempora periculosa, *erunt* homines se ipsos amantes » etc, discipulum monet: « et hos *devita*; ex his enim *sunt* » etc. Quare futura illa ita sunt explicanda, ut id, quod nunc iam est, postea apertius futurum esse indicent (Est.), aut tempori Veteris Foederis praeterito tempus praesens et futurum Novi Foederis opponat. Cfr *Hundhausen* Die beiden Pontificalschr. des Apostelfürsten. II. p. 56 sq.

3. 2 *Petr.* 2,13. 19; 3,15. 16; 2,1 sqq.

4. 2 *Petr.* 1,16; 2,1; cfr. *Iudae* 4.

5. 2 *Petr.* 3,3 sqq. Cum multis protestanticis interpretibus (*De Wette* Einl. p. 388; *Fronmüller* in 2 Petr. 3,3 in Lange's Bibelwerk N. T. XIV. Ed. 3. p. 106; *Huther* in Meyer Krit. exeg. Handb. XII. Ed. 3. p. 286 etc) pauci catholici (*Bisping* in 2 Petr. 3,3. p. 257) duas haereticorum classes distinguunt, quum prioribus « magistris mendacibus » antinomisticae dumtaxat doctrinae obiiciantur, aliis autem « illusoribus » errores de Christi dignitate et secundo adventu. Arctissime autem errores illi inter se cohaerent, atque « magistris mendacibus » etiam errores de Christi natura obiiciuntur (2,1), de secundo autem eius adventu iam 1,16 loquitur S. Petrus.

6. Haereticos, quos Petrus in altera epistola impugnat, esse Nicolaitas Apocalypseos (2,4. 14 sq. 20 sqq.) innuit *Oecumenius* (in 2 Petr. 2,1. M. 119,592); Nicolaitas quoque fuisse haereticos ab Iuda impugnatos auctor est *Didymus Alex.* (in Iud. 3. M. 39,1813). De utrisque post *Baronium* (Ann. ad a. 68 n. 8) idem sentiunt non pauci moderni interpretes (inter catholicos *Windischmann* Vindiciae Petrinae p. 34 sqq.; *Hug* Einl. II. p. 572, *Rampf* Der Brief Iudae p. 102 sqq., *Reithmayr* Einl. p. 743, *Valroger* Introd. II. p. 388 sqq., etc); dubitat quidem *Hundhausen* (l. c. II. 10), dubitationi autem non videtur esse locus, dummodo statuatur S. Ioannem haeresin adultam et aperte veritati sese opponentem prae oculis habere, SS. Iudam autem et Petrum eius priorem statum describere, quando magis in occulto gliscebat. Prima igitur eius initia Iacobus describit, in adultam invehitur Ioannes; statum intermedium respiciunt Petrus et Iudas, at non prorsus eundem; ad maiorem enim perversitatis gradum erant progressi haeretici, quando Petrus contra eos scripsit; sed de hac quaestione utrum Petrus Iuda, an Iudas Petro prior scripserit, cfr. *infra* 222 p. 645 sqq.

7. 2 *Petr.* 1,14. 15; 3,17. 18.

8. 2 *Petr.* 1,1; 1,2. 8. 11. 14. 16 etc.

9. *Card. Hugo*: « Dividitur autem haec epistola in *tres* partes secundum quod continet tria capita: in prima hortatur ad constantiam fidei, in secunda ostendit, quare debeant esse constantes, sc. quia multi venient haeretici, qui eos, nisi constantes sint, avertant a fide; in tertia parte, ut constantiores sint, iudicium futurum ostendit et errorem haereticorum causamque deceptionis eorum aperit ». *Lyranus* duas distinguit partes, in quarum priore (1,3-21) Apostolus credentes inducat ad firmiter tenendam fidei veritatem, in altera moneat ad praecavendam oppositam falsitatem de Christi adventu in mundum (2,1-22) et de eius adventu ad iudicium (3,1-18). Recentes interpretes tantum non omnes tres partes distinguere volunt, in corum autem nexu indicando quam maxime dissentiunt cfr. *Mauduit* Analyse VIII. p. 367 sqq., *Kilber*

Analysis II. p. 531 sqq. (1. Adhortatio ad profectum fidei desumta ex praeteritis 1,3-21; ad cautelam in fide desumta ex instantibus 2,1-22, ad constantiam in fide desumta ex futuris 3,1-18); *Bacuez* Manuel IV. p. 490 (« Dans le premier chapitre, il inculque les grands principes qui obligent les chrétiens à la pratique des vertus et il fait sentir la certitude de la doctrine des Apôtres...; dans le second il dévoile et flétrit les maximes et les mœurs des hérétiques et surtout des hérésiarques; dans le troisième il réfute les raisons par lesquelles ils cherchaient à ébranler la foi des chrétiens »); *Bisping* Exeget. Handb. VIII. p. 103 (Ermahnung zum Tugendeifer und Begründung derselben durch Hinweis auf seinen nahen Tod und die Gewissheit der Wiederkunft Christi 1,3-21; Warnung vor Irrlehrern 2,1-22; Widerlegung der Zweifel an der Wiederkunft Christi. Schlussermahnung 3, 1-18); *Drach* (Épitres cath. p. 119 sq.) cum Bacuez, *Kaulen* autem (Einl. Ed. p. 660) cum Bisping fere consentit.

220. — VIII. Analysis 2. Petri epistolae.

In INSCRIPTIONE (1, 1. 2) argumento et fine subobscure indicatis

I. in PRIORE PARTE (1,3-21) magnitudinem donorum, quae Christus attulit [a], firmitatemque fundamenti, cui christiana fides innititur, evolvit.

1. Atque praeprimis *bona accepta indicat conclusionemque practicam deducit* (1,3-15).
   a.) Namque divina Domini virtus Christianis omnia omnino dedit, quae ad vitam supernaturalem pertinent, quoniam eos ad Evangelium vocavit divinaeque suae naturae participes effecit (1, 3. 4);
   b.) quare ex sua parte Christiani omnem curam adhibeant oportet, ut in virtutibus omnibus crescant ex una ad alteram progredientes. Octo autem virtutes enumerat, quae totius vitae christianae quasi sunt fundamentum (1,5-7).
   c.) In virtutibus vero crescentes pervenient ad perfectam Christi cognitionem, eas vero negligentes infelices erunt: quare studeant, ut per bona opera certam reddant suam vocationem sibique introitum in regnum aeternum aperiant (1,8-11).
   d.) Quod ut facilius facere possint, Apostolus eis, quamquam haec iam sciunt, semper eadem in memoriam revocat, et quia mox se moriturum esse ex divina revelatione cognovit, etiam hac epistola iterum inculcat, ut eorum etiam post mortem suam memores sint (1,12-15).
2. Ratio autem, ob quam hoc tantopere urget, est *firmitas fundamenti, cui innititur eorum de secundo Christi adventu fides* (1,16-21);
   a.) Ipse enim, quia in Domini transfiguratione praesens adfuit, testis

a) Cum Estio modernisque interpretibus interpunctione Vulgatae hoc loco, utpote parum probabili, relicta inscriptionem v. 2. absolvi atque a v. 3. argumenti tractationem inchoari censemus. Atque etiam in v. 3. consueta Vulgatae interpunctio sensum reddit obscuriorem. Legendum enim est : « Quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem (sc. pertinent), donata sunt per cognitionem » etc. Ceterum ex graeco textu accuratius et clarius habemus : « Quoniam omnia nobis divina eius virtus, quae ad vitam et pietatem pertinent, donavit per cognitionem eius, qui nos vocavit,... etiam ipsi omnem curam adhibentes » etc. Cum Lachm. enim, Griesb. etc secundum A. et Vulg. v. 5. legimus : καὶ αὐτοὶ δὲ σπουδὴν κτλ.

ocularis est magnitudinis Christi, ideoque certam scientiam de virtute et adventu Christi habet (1,16-18);

b.) ad maiorem autem certitudinem dandam accedunt vaticinia V. T., quae a Spiritu S. ipso sunt profecta (1,19-21).

II. Quibus velut fundamento praemissis in SECUNDA PARTE (2,1-3,13) Christianos monet, ut ab haereticis caveant.

1. Transitum facit a V. T. pseudoprophetis, qui veris vaticiniis falsa opposuerunt, atque etiam *in Novo foedere falsos doctores fore (et esse) monet,* qui, quia Dominum negent et luxuriosa sua vita Christianos seducant, certum interitum non sint evasuri (2,1-3).

a.) Eos autem iram Dei effugere non posse probat Apostolus poenis, quas Deus angelis peccantibus, toti generi humano in diluvio et civitatibus Sodomae et Gomorrhae inflixit (2,4-6);

b.) ne vero fideles se quoque communibus istis poenis subiacere putent, in memoriam eis Lot revocat, qui quia iustus erat solus a Deo est servatus (2, 7. 8), atque concludit Dominum iustos esse servaturum, impios puniturum, haereticis, qui pro sua superbia omnibus spretis novas sectas introducunt[a], maiores poenas esse illaturum, quamquam vel ipsi angeli damnati suas poenas iam portare non possint, (2,9-11).

2. *Describit dein vitam et doctrinam pseudodoctorum,* simul eos refutans (2, 12-3,13).

a.) Pseudodoctores in vita sua blasphemi sunt, avari, voluptatibus omnis generis dediti, seductores, veri filii Balaam (2,12-16). Omnino diversi ab iis, qui esse creduntur, falsa libertatis specie, licet ipsi servi sint corruptionis, alios ad vitia pelliciunt maioremque sibi attrahunt culpam, quia ad vomitum suum redierunt (2,17-22).

b.) Ad eorum doctrinam transiens se ideo haec scribere praemonet, ut memores sint doctrinae, quam ab Apostolis suis acceperunt, atque deinde

α.) haereticorum illorum proponit argumentum, qui ex eo, quod omnia hucusque ab initio creationis permanserint, concludere volunt omnia etiam eodem modo permansura esse (3, 3. 4).

β.) At illi, qui ita loquuntur, Deum iam semel mundum diluvio punivisse atque coelum et terram nunc igni in diem iudicii reservari ignorant (3,5-7); ignorant quoque Deum aliam, atque nos, temporis mensuram habere, eumque, si promissiones suas nunc retardat, id eum in finem facere, ut omnibus poenitentiae relinquat tempus (3, 8. 9).

a) Ita quidem secundum textum Vulgatae. Secundum textum graecum autem ab altera parte v. 10 (τολμηταὶ αὐθάδεις κτλ) descriptio haereticorum iam inchoatur, quorum primo in loco proponitur superbia, qua maiestates blasphemare audent, quamquam ne ipsi quidem Angeli de eis blasphemum iudicium ferunt. Si *Iudae* 9. confertur, « maiestates », de quibus ne ipsi quidem boni Angeli iudicium ferunt, intelligendi sunt angeli mali. Graecus textus omnino videtur praeferendus.

γ.) Quoniam vero dies Domini certissime sit venturus, sancta sua vita studeant adventum Domini et novam illam creationem accelerare, in qua iustitia sit inhabitatura (3,10-13).

In EPILOGO (3,14-18) omnia, quae scripsit, colligens Christianos exhortatur

a.) ut sanctam vitam agant (3,14);

b.) ut tempus sibi concessum ad salutem suam operandam adhibeant, id quod etiam Paulus iam in suis epistolis docuit, in quibus tamen nonnulla sunt difficilia intellectu, quibus aeque ac ceteris Scripturis haeretici ad suam ipsorum perniciem abutantur (3,15.16);

c.) ut praemoniti caveant, ne in errores se trahi sinant, crescant vero in cognitione Domini Nostri (3,17.18).

221. — IX. AUTHENTIA 2. PETRI EPISTOLAE, etsi non tot, quot prioris, Patrum testimoniis confirmetur, a prudente tamen in dubium non vocatur. Adulterinam quidem spuriamque eam esse tam persuasum est nonnullis « criticis », ut argumentis asserta sua non amplius indigere arbitrentur; ad primum enim aspectum eam ex aliorum librorum apostolicorum laciniis artificiose esse compositam vident[1]. Veri autem critici, quum audacibus eiusmodi et ridiculis assertionibus rem non definiri optime sciant, rationes congesserunt, quibus epistolae nostrae iuniorem originem demonstrare sunt conati, atque nostrum erit illas examini subiicere, postquam pro more antiquitatis documenta in medium attulimus, quibus in quaestione de libri authentia primum et praecipuum locum deberi saepissime iam diximus[2].

Tardius, quam reliquos fere omnes Novi Testamenti libros, 2. Petri epistolam plerisque ecclesiis innotuisse non negamus; at quum omnibus fatentibus inde a saec. 3. exeunte ab omnibus pro genuino Petri opere et pro divina Scriptura sit recepta, in hoc solo consensu validissimum iam authentiae et canonicitatis argumentum agnoscimus, atque S. Hieronymi verbis dicere possumus ac debemus « nunquam in toto orbe a cunctis ecclesiis esset recepta, nisi Petri Apostoli genuinum opus esset credita »[3]. Etenim quanta cum diligentia et sollicitudine antiquae ecclesiae invigilaverint, ne libri spurii et adulterini pro sacris reciperentur, libri apocryphi illi clarissime nos docent, qui per certum aliquod tempus primis duobus vel tribus saeculis ab una alterave ecclesia una cum Scripturis S. ad publicam lectionem admissi, postea autem origine eorum melius cognita ab iisdem ecclesiis sunt reiecti. Qui factum est, ut Apocalypsis Petri, Praedicatio Petri aliaque eiusmodi opera, quae a nonnullis antiquissimis Patribus cum honore allegata invenimus, prorsus interierint, 2. Petri epistola autem, cuius forte pauciora vestigia primis tribus saeculis invenimus, ab omnibus sit suscepta? Nemo hoc explicabit, nisi qui nobiscum admiserit, antiquas ecclesias nullum

librum in canonem recepisse, qui sufficientibus authentiae et divinitatis argumentis non esset munitus, atque divinam providentiam ecclesiae in recipiendis libris apostolicis adstitisse. Quocirca unanimis hic ecclesiarum saec. 3. consensus tam validum praebet argumentum, ut rationes illae internae, ob quas cum rationalistis plerique moderni interpretes protestantici epistolam nostram reiiciunt, etsi longe fortiores essent, quam re vera sunt, illud nulla ratione labefactent, nedum confutent.

Quibus praemissis trium priorum saeculorum testimonia colligamus, quae, etsi pauca sint, primitivas tamen ecclesias nostram epistolam non ignorasse demonstrant.

1. Huc praeprimis pertinent *Schwegler* et *Renan*. Atque prior quidem (Nachapostolisches Zeitalter I. p. 490 scribere non dubitavit : « Von Calvin, Grotius, Scaliger und Salmasius an bis auf Semler, Neander, Credner und de Wette haben sich die Stimmen aller Einsichtigen (!!) in seiner Anzweiflung und Verwerfung vereinigt ». Fortius, si fieri potest, Renan. (L'Antechrist. Introd. p. VI) : « La deuxième épître attribuée à Pierre est sûrement apocryphe. On y reconnaît au premier coup d'œil (!!) une composition artificielle, un pastiche composé avec des lambeaux d'écrits apostoliques, surtout de l'épître de Iude. Nous n'insistons pas sur ce point, car nous ne croyons pas que la *II^a Petri* ait, parmi les vrais critiques, un seul défenseur ». Similiter *Jülicher* (Einl. 1894. p. 149) : « Bei keiner neutestam. Schrift ist die Pseudonymität so schlagend erwiesen, wie bei 2 Petr. und von vielen sonst äusserst conservativen Forschern anerkannt ". Revera ipse *Weiss*, qui authentiam olim defendit (Stud. u. Krit. 1866. p. 255-307), in sua Einl. Ed. 3. 1889. p. 450 sqq. de ea nihil certi statui posse iam concedit.

2. Egregie authentiam defendunt *Hundhausen* (l. c. II. p. 18-100), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 663 sqq.) etc.; ex acatholicis cfr *Keil* Comm. 1833. p. 184-207.

3. S. Hier. in Philem. Prol. (M. 26,637) : « (Epistola ad Philem.) nunquam in toto orbe a cunctis ecclesiis esset suscepta, nisi Pauli Apostoli crederetur ».

Iam apostolicis Patribus epistolam nostram cognitam fuisse paucae quaedam allusiones ostendere videntur. Etenim *S. Barnabam*, quum diem apud Dominum sicut mille annos esse diceret, ad S. Petri potius verba, quam ad similem Psalmorum textum respexisse, pro certo quidem non asserimus, sed probabile esse censemus[4]. *S. Clemens Rom.* quoque, si de Loth ex Sodomis eversis salvato loquens Dominum palam fecisse ait, « se non derelinquere sperantes in ipsum, contra vero eos, qui a mandatis eius declinassent, suppliciis et tormentis punire », aliis verbis eandem ideam exprimit, quam S. Petrus in nostra epistola Lothi exemplo addidit; quocirca textum petrinum in memoria habuisse, quando sua scripsit, non inepte dicitur[5]. Simili ratione *S. Polycarpum* « illusores » a S. Petro descriptos prae oculis habuisse verisimile est, ubi primogenitum Satanae vocat eum, ὃς μεθοδεύει τὰ λόγια τοῦ κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας καὶ λέγει μήτε ἀνάστασιν μήτε κρίσιν εἶναι[6].

Medio saeculo 2. *S. Iustinus M.* saltem semel et *S. Theophilus Antioch.* bis ad 2. Petri ita alludunt, ut dubium non sit, quin eam cognoverint et adhibuerint[7]. Eodem saeculo exeunte *Clemens Alex.* testibus Eusebio, Cassiodoro, Photio in suis ὑποτυπώσεων libris hodie deperditis « Utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit enarrationem illis quibus contradicitur non omissis : Iudae dico et reliquas catholicas epistolas », ergo etiam nostrae ; si eam enim omisisset, Eusebius certissime id indicasset[8]. Ineunte saec. 3. auctor *Philosophumenon* satis clare ad eam alludit, *Firmilianus Caes.* eam allegat[9], certissimus autem testis est *Origenes*, de quo statim dicemus.

Satis pauca esse haec duorum priorum saeculorum testimonia fatendum est, at probe quoque animadvertendum non multa nobis superesse aetatis illius documenta. Eusebius enim in celeberrima sua canonis descriptione 2. Petri epistolam priori sectioni classis secundae adnumerat, quae libros illos continet, quibus quidem contradicebatur, qui vero *a plerisque* recipiebantur (τῶν δὲ ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δὲ τοῖς πολλοῖς); iam vero id facere non potuisset, nisi longe plura et clariora ei, quam nobis, testimonia praesto fuissent[10]. Quare authentiae et canonicitati epistolae non obstat, quod eam in primis versionibus, Itala et Peschito, forte defuisse, eam nec a Tertulliano vel Cypriano, nec ab Irenaeo, nec a fragmento Muratoriano commemorari fateamur; nihil aliud enim eorum silentium demonstrat, nisi *nonnullis in ecclesiis* eam usque ad saec. 3. incognitam fuisse.

Quo pauciora autem duobus primis saeculis, eo frequentiora inde ab exeunte saec. 3. occurrunt testimonia. Inter magnos enim aureae illius aetatis Patres sive orientales sive occidentales nullum invenimus, qui epistolam nostram repudiaverit, paucissimos, qui dubium aliquod expresserint, quam plurimos, qui eam authenticam et canonicam esse aut diserte asseruerint aut usu suo continuo demonstraverint. Quorum testimonia, quum notissima sint, nec a quoquam in dubium vocentur, longa serie adscribere supersedemus, sed nonnulla de Patribus illis dicamus oportet, qui de epistolae nostrae authentia dubitasse perhibentur.

4. *S. Barnabae* ep. 15. Ἡ γὰρ ἡμέρα παρ' αὐτῷ (sc. κυρίῳ) χίλια ἔτη. Cfr. 2 *Petr.* 3,8 μία ἡμέρα παρὰ κυρίῳ ὡς χίλια ἔτη ; sed Ps. 89,4 χίλια ἔτη ἐν ὀφθαλμοῖς σου, κύριε, ὡς ἡ ἡμέρα ἡ ἐχθὲς ἥτις διῆλθεν.

5. *S. Clem. Rom.* 1 *Cor.* 11 ; cfr. 2 *Petr.* 2,7-9 « iustum Lot oppressum a nefandorum iniuria ac luxuriosa conversione eripuit... ; novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos » etc.

6. *S. Polyc.* ad Philipp. 7 ; cf. 2 *Petr.* 3,3 ἐμπαῖκται κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας πορευόμενοι. Illusores *resurrectionem* negare, S. Petrus non dicit quidem, sed quum adventum iudicis negarent, recte S. Polycarpus etiam de resurrectione negata loquitur.

7. *S. Iustin. M.* c. Tryph. 82 (M. 6,669) ; cfr. 2 *Petr.* 2,1.

Ὅνπερ δὲ τρόπον καὶ ψευδοπροφῆται ἐπὶ τῶν παρ' ὑμῖν (Iudaeis) γενομένων ἁγίων προφητῶν ἦσαν, καὶ παρ' ἡμῖν (Christianis) νῦν πολλοί εἰσι καὶ ψευδοδιδάσκαλοι. Ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται ἐν τῷ λαῷ (Iudaeorum), ὡς καὶ ἐν ὑμῖν (Christianis) ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι.

S. Theoph. Antioch. ad Autol. II. 9. (M. 6,1064) Οἱ τοῦ θεοῦ ἄνθρωποι πνευματοφόροι Πνεύματος ἁγίου καὶ προφῆται γενόμενοι ὑπ' αὐτοῦ τοῦ θεοῦ ἐμπνευσθέντες καὶ σοφισθέντες ἐγένοντο θεοδίδακτοι; cfr. 2 *Petr.* 1,21 ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἀπὸ θεοῦ ἄνθρωποι. Quemadmodum autem 2 *Petr.* 1,19 propheticum verbum « lucernae lucenti in caliginoso loco » comparat, ita Theophil. ad Autol. II. 3 (M. 6,1073) verbum divinum dicit « in clauso conclavi lucens totum orbem illuminasse ».

8. *Euseb.* H. E. VI. 14 (M. 20,549); *Cassiod.* de inst. div. lib. Praef. (M. 70,1107); *Phot.* Biblioth. Cod. 109.

9. *Philosoph.* IX. 7 (M. 16,3371) Auctor de adversariis suis loquitur, qui ad tempus quidem a veritate subacti confitebantur, paullo post autem ἐπὶ τὸν αὐτὸν βόρβορον ἀνεκυλίοντο cfr. 2 *Petr.* 2,22 ὗς λουσαμένη εἰς κυλισμὸν βορβόρου. *Firmilian Caes.* ep. ad Cypr. 6 (M. 3,1159). « (Petrus et Paulus) in epistolis suis haereticos exsecrati sunt et ut eos evitemus monuerunt »; in 1 *Petr.* autem de haereticis non fit sermo.

10. *Euseb.* H. E. III. 25. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 67. p. 195 sqq.

Inter antiquos scriptores, qui de epistolae nostrae auctoritate dubitasse dicuntur, tempore primus est *Origenes;* teste enim Eusebio canonem N. T. recensens « Petrum, cui tamquam fundamento superstructa sit ecclesia Dei, unam epistolam communiter receptam (ὁμολογουμένην) reliquisse » dixit atque adiecit : « concedatur etiam altera; de ea enim ambigitur ». Errare autem eos neque ad verborum contextum attendisse, qui in hoc Origenis loco genuinam eius sententiam de N. T. canone inveniunt, alibi iam ostendimus [11]; nihil aliud enim demonstrant, nisi epistolam eius tempore nondum ab omnibus ecclesiis esse receptam; quid vero ipse senserit, evidentissime demonstrat, quando nullo prorsus dubio addito « Petrum duarum epistolarum suarum tubis personasse » asserit et Petri nomine addito secundam quoque velut divinum librum allegat [12]. Alter quoque alexandrinae ecclesiae scriptor, *Didymus A.,* de nostra dubitasse fertur; nam « non ignorandum, inquit, praesentem epistolam esse falsatam, quae licet publicetur non tamen in canone est » [13]. Verba autem haec in fragmento enarrationis leguntur, quam Didymus in nostram epistolam aeque atque in reliquas catholicas epistolas exaravit; quis vero crediderit librum non canonicum aut « falsatum » ab eo commentariis esse illustratum? Merito igitur verba haec, quae nobis in fragmento latino dumtaxat conservata sunt, ipsius Didymi esse negamus; forte interpres ea ex suis addidit, aut dubium quoddam, quod Didymus historice retulerat, parum accurate vertit [14]. Revera Didymus in ultimo suo de Trinitate opere 2. Petri epistolam non raro pro canonica Scriptura allegat, atque eius aetate in ecclesia alexandrina de illa nullam amplius superfuisse dubitationem *S. Athanasius M.* docet, qui illam una cum reliquis N. T. libris inter « salutis fontes » recensuit [15].

Tertius nobis obiicitur *Eusebius*, quem in suo N. T. canone describendo 2. Petri epistolam inter libros, quibus contradicatur quidem, sed qui a plerisque recipiantur, recensuisse supra iam monuimus. Altero in loco scripta, quae antiquitus sub nomine Petri ferebantur, in tres classes distinguit; priorem Petri etiam « *ab antiquis presbyteris velut indubiam frequenter esse adhibitam* » tradit; « quae autem, inquit, secunda Petri dicitur, eam in canone quidem non esse accepimus (τὴν δὲ φερομένην αὐτοῦ δευτέραν οὐκ ἐνδιάθηκον μὲν εἶναι παρειλήφαμεν); nihilominus quia multis utilis esse videbatur, cum reliquis Scripturis lectitata est » (μετὰ τῶν ἄλλων ἐσπουδάσθη Γραφῶν). Tertiam demum classem constituunt Petri Actus, Evangelium, Praedicatio, Apocalypsis, « quae inter catholica scripta omnino non esse tradita scimus, *siquidem nec antiquus aliquis nec recens scriptor eorum testimoniis usus est* »[16]. Arctiorem hoc in loco definitionem canonis Eusebium in mente habuisse evidens est; canonicum (ἐνδιάθηκον) librum supponit esse illum solum, qui a veteribus scriptoribus frequenter est adhibitus. Ex solo autem scriptorum usu canonicitas libri non definitur, sed multo magis ex quotidiano et publico ecclesiarum usu determinandus est; epistola ad Philem. quamvis multo pauciora, quam nostra, penes trium priorum saeculorum *scriptores* habeat testimonia, nihilominus ab Eusebio inter τὰ ὁμολεγούμενα ponitur, quia nimirum cum reliquis paulinis in publico ecclesiarum usu fuit; nostram autem « una cum reliquis Scripturis » in ecclesiis lectitatam esse (σπουδασθῆναι) ipse Eusebius testatur; quare si semper eandem canonicitatis definitionem retinuisset, eam οὐκ ἐνδιάθηκον non vocasset.

Quartus demum et ultimus nobis obiicitur *S. Hieronymus*, quia Petrum « duas epistolas, quae catholicae nominantur », scripsisse asserens « secundam a plerisque eius esse negari propter styli cum priore dissonantiam » monuit[17]. Praeprimis vero animadvertas velim, S. Doctorem aliorum quidem dubium referre, sed non approbare. Alio enim in loco rationem de styli dissonantia allatam diligenter solvere conatur, « denique et duae epistolae, inquiens, quae feruntur Petri, stylo inter se et charactere discrepant structuraque verborum : ex quo intelligimus pro diversitate rerum diversis eum usum esse interpretibus », atque S. Paulino Scripturarum studium commendans « *septem* epistolas tam mysticas quam succinctas » ab Iacobo, Petro, Ioanne et Iuda Apostolis editas asserit, neque raro nostram epistolam pro genuina et canonica allegat[18]. Quod si dein « *a plerisque* » Petro epistolam abiudicari dixit, modum videtur excessisse; eius enim aetate illam in tota Ecclesia iam diu cum reliquis Scripturis publicae lectioni inservisse constat; inter *scriptores* ecclesiasticos autem, qui eum praecesserunt, multi quidem epistolam non commemorant, sed praeter Origenem,

Didymum, Eusebium nullus dubium aliquod expressit neque ullus de styli dissonantia locutus est[19].

11. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 65. p. 192 sq.

12. *Origen.* in Ios. hom. 7,1 (M. 12,857); in Exod. hom. 12,4; in Lev. hom. 4,4; in Num. hom. 13,8; in Rom. VIII. 7 (M. 12,387. 437. 676; 14,1179). Omnes hae allegationes in sola quidem versione Rufini nobis conservatae sunt; sed qui ad modum attenderit, quo textus petrini cum aliis Scripturarum verbis connectuntur et coniunguntur, illos ab interprete latino additos esse negabit.

13. *Didym.* Enarr. in 2 *Petri* (M. 39,1774).

14. Cfr. *Mingarelli* De Didymo Comment. II. 16 (M. 39,212). Quum epistola nostra a Didymo « *publicata* » dicatur, certe *apocryphis* opponitur ab iisque prorsus distinguitur; ita enim idem in Act. 8,36 (M. 59,1669) de Henoch loquens : « Quia vero in *publicatis* libris (ἐν ταῖς δεδημοσιευμέναις βίβλοις) quo sit translatus non refertur, in *apocryphis* (ἐν ἀποκρύφοις) legitur in paradisum translatus ».

15. *Didym.* de Trinit. I. 15. 28. 29 etc (M. 39,304. 409. 416). — *S. Athan.* Ep. fest. 39 (M. 26,1176. 1437).

16. *Euseb.* H. E. III. 3 (M. 20,216).

17. *S. Hieron.* de vir. ill. 1 (M. 23,638).

18. *S. Hieron.* ad Hedib. ep. 120,11; ad Paulin. ep. 53,8 (M. 22,1002. 548); c. Iovin. I. 39. II. 3 (M. 23,279. 300).

19. Dubitari licet, annon Didymus, cuius discipulum se fuisse S. Hieronymus non semel gloriatur, in suo commentario aliquid de styli dissonantia duarum epistolarum dixerit, atque interpres ea non intelligens epistolam « falsatam » esse transtulerit. Sine ullo enim dubio *graeci* alicuius interpretis iudicium in mente habuit S. Hieronymus; in latina enim versione « structura verborum » et « stylus » ambarum epistolarum inter se differe inepte dicerentur.

222. — Ex testimoniis allatis id quidem sequi concedimus tardius, quam reliquos N. T. libros, 2. Petri epistolam ecclesiis plerisque innotuisse[1]; quomodo autem ex antiquitatis documentis argumentum contra eius authentiam vel canonicitatem desumatur, non videmus. Duobus primis saeculis pauca dumtaxat testimonia inveniuntur, quibus eam cognitam et receptam fuisse demonstratur, at tota illa aetate ne minimum quidem vestigium habetur, quo de cognita epistola ab ulla ecclesia vel ab ullo scriptore dubitatum esse ostendatur. Saeculis 3. et 4. epistola magis magisque innotescens ubique recipitur, atque quatuor illi scriptores, qui in illa aetate de ea dubitasse perhibentur, aut agendi modo suo aut disertis verbis luculentum ei testimonium exhibent. A finito vel potius iam a medio saec. 4. in omnium ecclesiarum canone est[2], atque inter catholicos scriptores vix unus alterve invenitur, qui antiqua paucorum dubia historice potius referat, quam approbet[3]. Quae quum ita sint nec positivis nostris testimoniis quidquam praeter silentium aliquorum opponatur, in antiquitatis documentis sufficiens authentiae et canonicitatis argumentum habemus, cui innixum magisterium infallibile rectissime eam sub Petri nomine in canonem retulit. Quare mirum quoque non est, quod dubia, quae Erasmus et

Calvinus saec. 16. et Grotius saec. 17. moverunt, ne apud ipsos quidem Protestantes quidquam valuerint[4], atque nostro tandem saeculo, quo historica documenta sperni coepta sunt, a rationalistis multisque protestanticis interpretibus cum plausu et approbatione sint recepta. Rationes igitur, quibus freti epistolae adversarii eam respuunt atque eius auctori notam falsarii inurere non erubescunt[5], examini subiiciamus; quia ab omnibus eaedem, licet alio ordine et aliis verbis, proferri solent, sufficit ut eas transcribamus, quas congessit de Wette[6].

1. Cur reliquis tardius innotuerit, ignoramus; non immerito coniicit *Hundhausen* (l. c. II. p. 31) eam aliis ecclesiis forte minus utilem esse visam, quia sectam haereticam in sola Asia Min. propagatam unice respiciat, aut haereticos impugnatos ipsos eius propagationem omni quo potuerunt modo impedivisse.

2. Ecclesiam quoque syriacam eam saec. 4. possedisse nos docet *S. Ephraem* (Opp. syr. II. p. 342; Opp. gr. II. p. 387 etc); in reliquis omnibus versionibus, quae saec. 3. et deinceps adornatae sunt, cum 1. Petri ponitur.

3. Huc spectat *Amphiloch.* ad Seleuc. 310 sqq. (M. 37,1597) : « Catholicas epistolas nonnulli quidem septem numerant, alii tres duntaxat recipiendas aiunt » etc. Eodem enim tempore in eadem ecclesia *S. Gregor. Naz.* De veris Script. 36 sq. (M. 37, 474) sine ulla haesitatione « duas Petri » cum reliquis catholicis recenset.

4. *Erasm.* in fine Comment. in 2 Petri, ubi tamen epistolam ab interprete (ex aramaica in graecam linguam) translatam quam fictam dicere mavult; *Calvin.* in 2 Petr. Prolog. etiam nihil invenit nisi « probabiles coniecturas, ex quibus colligere liceat, alterius esse potius quam Petri; interim omnium consensu eam adeo nihil habere Petro indignum, ut vim spiritus apostolici et gratiam ubique exprimat ». *Grotius* Adnot. in 2 Petr. 1,1 fortius in eius authentiam invehitur eamque post Ierosolymorum eversionem a Simeone, secundo Ierosolymorum episcopo, scriptam esse contendit.

5. Auctor non tantum in inscriptione se Simonem Petrum Apostolum appellat, sed etiam 1,17 se illis adnumerat, qui transfigurationis testes erant, atque 3,1 priorem epistolam iisdem ecclesiis se scripsisse asserit; quapropter, si Petrus non est, falsarius est, qui lectores in errorem inducere voluit.

6. *De Wette* Einl. Ed. 6. p. 388 sqq.

1. Epistola 2. Petri magnam habet cum Iudae epistola affinitatem, imo integrum caput 2. fere ex illa desumtum est : atqui Apostolo indignum est hac ratione alterius Apostoli scripta expilare : ergo Petro auctori epistolam attribuere non licet.

Nonne sollicitudinem admirabimur, qua rationalistae de Principis Apostolorum honore anxii integrum librum e canone eiicere non dubitant, ne fateri cogantur Petrum aliquid a coapostolo accepisse? Num iocari an serio agere volunt? Affinitatem satis magnam inter 2. Petri et Iudae epistolas inveniri nemo sane negabit, qui eas unquam legerit; at num Petrus ab Iuda, an Iudas a Petro nonnulla sit mutuatus, aeque clarum non est; quemadmodum enim ante tria saecula, ita adhuc quaestio haec controvertitur, atque utraque sententia suos patronos olim habuit et hodie habet[7]. Quoniam vero illa, quae Iudam Petro priorem scripsisse et Petrum Iudae epistolam cognovisse tenet, longe nobis probabilior videtur, ad adversariorum argumentum hoc iam loco respondeamus oportet[8].

Duo autem praenotabimus. a.) Ex controversia, quae a tribus saeculis inter interpretes de alterutrius epistolae prioritate agitatur, luce clarius apparet, de servili quadam epistolae Iudae imitatione sermonem non esse, multo minus autem de furto literario, cuius accusare auctorem epistolae nostrae rationalistas non puduit [9]. b.) Affinitas haec tanta non est, quantam eam faciunt adversarii; non enim nisi in solo cap. 2. et in tribus prioribus versibus cap. 3. apparet, ita ut, si adversariorum comparationem pro genuina admittamus, inter istos viginti quinque versus adsint duodecim, qui maiorem minoremve similitudinem cum Iudae epistola habeant; reliquae autem similitudines, quae ex primo capite afferuntur, et paucissimae sunt numero et tam leves, ut quo cum iure afferantur non intelligatur [10].

Quibus praenotatis interrogare licet, quid impediat, quominus Petrum Iudae epistolam legisse atque ex illa in suam nonnulla transumsisse dicamus. In priore sua S. Petrum textibus quibusdam paulinis usum esse supra asseruimus (215), cur igitur Iudae verbis et argumentis eum usum esse negemus? Supponamus eum eodem tempore, quo ecclesias asiaticas haeresi nova turbari audivit, etiam epistolam accepisse, qua Iudas illam reprimere conatus erat; quis Principe Apostolorum indignum esse dixerit, si ex epistola ista, cuius auctor in inscriptione apostolicam suam dignitatem tacuerat, argumenta nonnulla ad eundem errorem refellendum transumsit, ut hac ratione coapostoli sui epistolae maiorem conciliaret auctoritatem?

Attamen, instat de Wette, haeretici, qui in 2. Petri describuntur, chimaera (ein Unding) sunt nec unquam exsistere potuerunt; tota eorum descriptio nihil est, nisi imitatio erronea seductorum, quos describit Iudas (eine falsche Copie der Verführer bei Iudas). Sed cur, quaeso, fieri non potuit, ut haeretici vitiis indulgere sibi licere legibus omnibus spretis putarent, moniti autem de poena in secundo Christi adventu subeunda futuram quoque retributionem Iudibriis impugnarent? Inter gnostica systemata, immo inter systemata philosophica et theologica, quae nostrae aetatis haeretici excogitaverunt, non pauca opinor inveniuntur, quae prudens chimaerae similiora dicet, quam systema a Petro impugnatum. Ceterum haeretici, a quo tempore Iudas contra eos scripserat, in mala via ulterius progressi, ut neophytos a futurarum poenarum, quas Apostolus eis ob oculos posuerat, timore liberarent, ultimum iudicium negare coeperant, ideoque nova indiguerunt refutatione, quae novum additum errorem respiceret.

7. Lutherus inter rationes, quibus Iudae epistolam impugnavit, eam posuit, quod « ex posteriore Petri transcripta videatur ». Quae opinio, quamvis Lutheri conclusionem negarent, etiam multorum fuit et est catholicorum interpretum, *Baronii* Ann. an. 68. n. 5; *Lorin.* in ep. Iud. Proleg. 1 et 4 (« Minus probantur nobis illi, qui dubitant, an ex Iuda Petrus transtulerit aliquid in epistolam suam, et non potius ex Petro Iudas »); *Est.* in 1 Petr. Prooem. (« Iudae epistola cum hac eiusdem est argumenti et huius velut compendium »); *Menoch.* in Iud. 17; *Calmet* in 2 Petr. Praef.; *Goldhagen* Introd. III. p. 530; *Windischmann* Vindiciae Petrinae. p. 48 sqq.; *Reithmayr* Einl. p. 745 sq.; *Valroger* Introd. p. 391 sqq.; *Bacuez* Manuel IV. p. 515; *Drach* Les épitres cath. p. 121. Inter recentiores protestantes eandem defenderunt et defendunt *Michaelis, Storr, Schulze, Hofmann* Weissagung und Erfüllung II. p. 306 sqq., *Thiersch*

Herstellung etc. p. 275; *Fronmüller* Briefe Petri und Iudae Ed. 3. Bielefeld 1871. p. 78; *Lumby* in The Speaker's Commentary N. T. IV. London 1881. p. 231 sqq. et p. 386 sq. — Petrum a Iuda dependere inter Catholicos iam censuerunt *Salmeron* Disput. in Ep. Iudae (Opp. XVI. p. 339); *Tirinus* in ep. Iudae Praef.; *Gordon* in Iud. 1,1; *Nieremberg* De orig. S. Script. XII. 17 et moderni plerique, quos enumerat *Hundhausen* l. c. II. p. 101. Etiam Protestantes hodie in hanc sententiam magis inclinant cfr. *Hundhausen* l. c.

8. Fortissimum argumentum, quo solo, nisi omnia nos fallunt, prioritas epistolae Iudae demonstratur, exhibet descriptio haereticorum in utraque epistola. Etenim si haeretici eo tempore, quo S. Iudas contra eos scripsit, iam omnes illos errores propagassent, qui in 2. Petri refelluntur, Iudas de illis tacere non potuisset. Necessario igitur supponendum est haereseos initia a S. Iuda, ulteriora eius incrementa a S. Petro impugnari. Praeterea ratio nulla datur, cur S. Iudas uberiorem S. Petri epistolam ad eosdem haereticos impugnandos in compendium quoddam redegerit argumentis efficacissimis, quae in 2 Petr. 2,5; 3,3 sqq. leguntur, prorsus omissis; e contra optime explicatur, quod Princeps Apostolorum ex epistola Iudae nonnulla transumens atque nova argumenta, quae novis exortis erroribus opposita erant, adiiciens praedecessoris sui literas confirmare voluerit. Ceterum accurata quoque parallelorum textuum comparatio prioritati Iudae favet; sed hoc argumentum interpretibus relinquimus evolvendum; cfr. *Hundhausen* l. c. II. p. 100-112, *Rampf* Der Brief Iudae p. 156-162, *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 661 sq.

9. *Reuss* Gesch. der h. Schriften des N. T. Ed. 5. I. p. 277. « Die wirkliche Unechtheit des 2 Br. Petri verräth sich aus unzweideutigen Zeichen, unter denen *das ganz offenbare Plagiat*, welches der Verfasser an dem Briefe Iudae begeht, oben an steht ». Similiter *Jülicher* Einl. 1894. p. 150 sqq. aliique.

10. Hos parallelos enumerat *De Wette* l. c. p. 389 sq. 2 *Petr.* 2,1-3 et *Iud.* 4; 2 *Petr.* 2,4 et *Iud.* 6; 2 *Petr.* 2,6 et *Iud.* 7; 2 *Petr.* 2,10-12 et *Iud.* 8-10; 2 *Petr.* 2,15 et *Iud.* 11; 2 *Petr.* 2,13 et *Iud.* 12; 2 *Petr.* 17 et *Iud.* 13; 2 *Petr.* 2,18 et *Iud.* 16; 2 *Petr.* 1,1-3 et *Iud.* 17. 18. Qui textus inter se conferre voluerit, raris dumtaxat in versibus eadem vocabula adhibita esse videbit atque consensum in exemplis electis magis apparere, quam in verbis. De Wette, si l. c. parallelos facit 2 *Petr.* 1,1 et *Iud.* 1, quia uterque se « servum Iesu Christi » dixit, aut 2 *Petr.* 1,5 et *Iud.* 3, quia prior habet σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες et alter in diverso prorsus contextu πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος, modum sine dubio excessit.

2. Cui argumento, quod utpote decretorium nonnulli solum afferunt, confirmationis gratia de Wette alia secundaria adiungit. Non eadem enim, inquit, relatio lectores inter et epistolae auctorem, quae in priore epistola habetur, in hac altera adest; ubique auctor sese lectoribus, ac si Petrus Apostolus esset, obtrudere conatur, atque nihilominus ad « apostolicum » praeceptum provocat (3,2); omnes epistolas paulinas pro Scripturis habet, id quod apostolica aetate nondum fieri potuit (3,15 sq.); dubia de altero Christi adventu profert, quae non nisi post Apostolorum aetatem exorta esse probabile est; de ortu et fine mundi tradit sententiam, quae ab apostolicae aetatis simplicitate abhorret; quibus omnibus demum utriusque epistolae accedit styli dissonantia[11].

Quae omnes obiectiones partim arbitrariis interpretationibus aut praeiudiciis dogmaticis innituntur, partim exaggerantur. Illud utique concedendum est, ecclesiarum, quibus S. Petrus scribit, statum alterum in priore, alterum

in secunda epistola supponi; quando prior scribebatur, ecclesiis persecutio ab hostibus externis imminebat, in secunda autem alterum periculum ab hostibus internis, i. e. ab haereticis, imminebat. Duos igitur vel tres annos post priorem scriptam effluxisse, antequam altera data sit, rectissime ex prima obiectione deducitur; sed diverso hoc ecclesiarum statu epistolam fictitiam demonstrari pernegamus. Prior eodem modo, quo secunda, ecclesias illas non a Petro, sed ab aliis, esse fundatas supponit, eas iam satis diu exstitisse, eis epistolas paulinas esse cognitas etc [12].

Multo minus, si fieri potest, illud valet, quod secundo loco obiicitur; auctor sine ullo dubio se Petrum esse prodit, sed minime sese, ac si Petrus esset, lectoribus obtrudit. Num forte Petro, qui morte se proximum esse ex revelatione scivit, ad ea provocare non licuit, quae testis ocularis de Christi magnitudine in monte sancto spectaverat, ut Christianos ab haereticis Domini dignitatem negantibus efficacius averteret? Num illa in memoriam revocare non potuit, quae in priore epistola iam scripserat? Profecto falsarius, qui Petrum se fingere voluisset, inscriptionem prioris epistolae retinuisset nec nomini Petri, quod solum in priore legitur, alterum Simonis addidisset, nec eius formam (Συμεών) elegisset, quae semel tantum in N. T. de Principe Apostolorum adhibetur [13]. Neque ad « apostolicum » sed ad « dominicum » praeceptum, quod lectoribus per eorum Apostolos promulgatum est, provocat Apostolus [14].

Quod ad « *omnium* paulinarum epistolarum » commemorationem attinet, verba quidem epistolae nos non cogunt, ut omnes omnino Pauli epistolas scriptori iam cognitas fuisse dicamus, quum de illis solis, quae eo tempore vulgatae et in Christianorum manibus iam erant, optime intelligantur: at nihil quoque obstat, quominus omnes paulinae praeter 2. Tim., quae probabiliter post nostram scripta est, Petro an. 67. iam innotuerint. Quod illas autem S. Scripturis adnumeret, id optime se habet; unde enim, nisi ex Apostolorum testimonio sive scripto sive tradito, libros N. T. esse inspiratos nobis innotuit, et si tempore apostolico de eorum inspiratione non constitisset, quomodo nobis de ea constaret?

Refutatione non indigent, quae de dubiis post apostolicam aetatem exortis et de doctrinis ab apostolica simplicitate abhorrentibus proferuntur; arbitraria enim rationalistarum sunt commenta, qui secundum historicas rationes, quas non ex fontibus historicis sed ex praeiudicatis opinionibus hauriunt, omnes libros sacros diiudicant. Styli igitur dissonantia secundae a priore epistola est unica difficultas, quae remanet; ei autem multum immorari opus non est, siquidem probabilem eius solutionem iam indicavit S. Hieronymus. Quemadmodum enim iam Origenes aliique multi eum secuti auctorem epistolae ad Hebr. Paulum dixerunt, etsi per unum ex Apostoli discipulis eam scriptam esse concederent (177), ita Petrus quoque nostrae epistolae auctor iure dicitur, licet forte ei solas sententias solumque ordinem, uni autem ex eius discipulis dictionem sermonisque ornatum debeamus; id autem insinuat S. Hieronymus, ubi Petrum « pro necessitate rerum aliis usum esse interpretibus » asserit [15]. At illud quoque non est omittendum, styli dissonantiam ex diverso utriusque argumento et fine satis apte explicari;

prior enim est paraenetica, nostra autem didactica et polemica. Neque immerito monet Caietanus « unum atque eundem hominem diverso stylo quandoque scribere; Registrum Gregorii tantum dissonare ab aliis eius scriptis, ut si ex stylo argueretur, negaretur Gregorii ». Demum addamus tam parvas esse epistolas illas, ut certum ex illis iudicium de S. Petri stylo nobis efformare non possimus.

11. *De Wette* l. c. p. 392 sq.

12. 1 *Petr.* 1,12. 25; 5,12; 2 *Petr.* 3,2. — Cfr. *supra* 215. p. 626. et 2 *Petr.* 3,15 sq.

13. Cfr. *supra* 212 n. 1 p. 618. In priore inscriptione se « Apostolum Iesu Chr. » vocat, in nostra « servum et Apostolum Iesu Chr. », priorem inscribit ecclesiis Ponti etc, nostram « iis qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem », quamvis ex 3,1 appareat easdem Ponti etc ecclesias esse intelligendas.

14. 2 *Petr.* 3,2 τῆς τῶν ἀποστόλων ὑμῶν ἐντολῆς τοῦ κυρίου. Lectionem ὑμῶν tuentur cum *Vulg.* et *Arm.* omnes boni codd. graeci (B ℵ A C K L P et plus sexaginta minusc.), ἡμῶν habetur in solis minusculis. Genitivum τοῦ κυρίου cum ἀποστόλων coniungere vult de Wette contra grammaticam; ἐντολή secum habet duos genitivos, quorum unus (τοῦ κυρίου) auctorem, alter (τῶν ἀποστόλων ὑμῶν) promulgatores praecepti indicat. (Cfr. *Beelen* Gramm. Graecit. N. T. p. 193; *Winer* Grammat. des N. T. Ed. 5. p. 219.) Ἐντολὴ τοῦ κυρίου autem est Evangelium, quod per Apostolos propagatum est.

15. *S. Hier.* ad Hed. ep. 120,11. — *Tertull.* c. Marc. IV. 5 (M. 2,367) Marcum vocat Petri interpretem; *Clem. Alex.* Strom. VII. 17 (M. 9,549) Glauciam Petri interpretem commemorat.

§ 21. —*De S. Iudae Apostoli epistola.*

223. — I. De vita S. Iudae. Epistolae catholicae, quae in editionibus nostris ultimum locum occupat, auctor sese ipse « Iudam Iesu Christi servum, fratrem autem Iacobi » nominat. Iam dubitare non licet, quin idem ille sit, quem Lucas in suis Apostolorum catalogis » Iudam Iacobi », Matthaeus vero et Marcus, ut a traditore Iuda certius eum discernerent, alio nomine Thaddaeum vel Lebbaeum appellaverunt[1]. Inter « fratres Domini » quidem etiam Iudas quidam nominatur, at eum ab Apostolo Iuda Thaddaeo non esse distinguendum manifestum est. Plures enim, quam duos, viros nomine Iudae in primitiva Ecclesia non fuisse cognitos ex *Ioan.* 14, 22 clarissime elucet, quo in loco ab Evangelista alter Iudas, ut a traditore discernatur, « Iudas non ille Iscariotes » (Ἰούδας οὐκ ὁ Ἰσκαριώτης) appellatur, quae expressio inepta esset, si praeter traditorem plures discipuli idem Iudae nomen gessissent. Iudas igitur, cui epistolam inscriptio attribuit, Iacobi Minoris erat frater, patrem autem habuit Alphaeum (Clopam) et matrem Mariam B. Virginis sororem, quare « frater Domini » appellatus est; in Apostolorum vero collegium una cum duobus aliis fratribus, Iacobo et Simone Chananaeo vel Zelota, a Domino est admissus[2]. Cui sententiae Patres illi suffragantur, qui epistolam « Apostolo Iudae » attribuunt, inter quos antiquissimi sunt *Origenes* et *Tertullianus*[3].

Apostolum quidem Iudam ab auctore nostrae epistolae distinguunt non pauci moderni interpretes protestantici et rationalistici duplici argumento freti. Etenim in Lucae catalogis « Iudam Iacobi » fratrem esse negant sed filium incogniti cuiusdam Iacobi Apostolum fuisse volunt atque hac ratione quatuor Iacobos et tres Iudas in Scripturis inveniunt. Opinionem autem suam omnino certam reddi censent ex Iud. 17., quo in loco auctor epistolae sese ipse ex numero Apostolorum excludat[4]. Quae omnia parum recte sunt dicta. Etsi enim in illa loquendi formula Ἰούδας Ἰακώβου genitivum plerumque patrem designare concedamus, satis tamen constat eam per se nihil nisi cognationis relationem exprimere atque ex contexta ratione vel aliunde, si fieri possit, esse definiendum, cuiusnam generis sit illa relatio[5]. Atqui in primitiva Ecclesia Iacobus, frater Domini, primus ecclesiae hierosolymitanae episcopus, quem Paulus « columnam Ecclesiae » vocat, tanta famae celebritate claruit, ut eius nomine apposito et mater (Μαρία Ἰακώβου) et fratres eius ab homonymis distinguerentur; nec ante nostram aetatem quisquam dubitavit, quin apud Lucam « Iudas Iacobi » sit frater. Porro ex *Iud.* 17. nihil aliud sequitur, nisi Iudam inter illos Apostolos non fuisse, a quibus epistolae lectores verba illa audierant : μνήσθητε τῶν ῥημάτων τῶν προειρημένων ὑπὸ τῶν ἀποστόλων τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτε ἔλεγον ὑμῖν κτλ. Num forte Petrus se etiam ex numero Apostolorum excludit, quia se ab iis distinguit, qui lectoribus prioris suae epistolae Evangelium annuntiarant[6].

Praeter ea, quae de omnibus Apostolis nobis in Evangeliis et Actibus narrantur, nihil certi nobis de S. Iudae vita constat. Si *Constitutionum apostolic.* auctor fidem mereretur, « Iudam Iacobi » tertium episcopum hierosolymitanum fuisse diceremus, ita ut tres fratres Iacobus, Symeon, Iudas in eadem sede sese excepissent. At tertium Ierosolymorum episcopum *Eusebius,* quem plerique sequuntur, Iustum appellat, atque ex Hegesippi relatione, quam Eusebius nobis conservavit, satis videtur constare Iudam ante Simeonem, qui sub Traiano a. 108. senex centum viginti annorum martyrium passus est, e vita excessisse[7]. *Nicephorus Call.* Iudam « Iudaeam primum et Galilaeam, Samariam, et Idumaeam, deinde Arabiae civitates atque Syriae et Mesopotamiae regiones sagena evangelica cepisse » scribit atque « Edessae, in Abgari civitate, morte pacifica et quieta » finivisse vitam ; eundem mortis locum ab ecclesiastica historia tradi asserit *S. Hieronymus*[8]. *Eusebius* vero et scriptores syri Thaddaeum illum, quem ad Abgarum regem venisse referunt, ab Apostolo Thaddaeo distinguunt; Apostolum vero Aradi vel Beryti in Syria martyrio esse coronatum tradunt Syri[9].

1. *Luc.* 6,16; *Act.* 1,13. — In Apostolorum catalogo *Matth.* 10,13 codices non consentiunt; alii enim legunt Θαδδαῖος, alii Λεββαῖος, alii Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος

(Cfr. Tischend. N. T. Ed. 8. I. p. 47), quam lectionis incertitudinem iam commemorat *S. August.* (De cons. Evang. II. 30. M. 34,1112). Quare nonnulli Apostolum trinominem fuisse censent : Ἰούδας ὁ Λεββαῖος ὁ καὶ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος (*S. Chrysost.* in Matth. hom. 32,2. M. 57,381; *S. Hieron.* in Matth. 10,3. M. 26,61 : « Quis unquam prohibuerit duobus vel tribus nominibus hominem unum vocari? » *S. August.* l. c. etc) ; alii autem librariorum errore nomen Lebbaei in codices irrepsisse censent; rectius demum sentire videntur, qui nomina Lebbaei et Thaddaei, quae eiusdem fere sunt significationis (« corculum meum » « deliciae meae ») a parentibus filio caritatis causa praeter nomen eius proprium indita dicunt (Cfr. *supra* 7 n. 12. p. 17.)

2. Cfr. ea quae *supra* 203 p. 595 sqq. de fratribus Domini disseruimus.

3. *Origen.* de princip. III. 2; in Rom. V. (M. 11,303; 14,1016 « Iudas Apostolus in epistola catholica ». Etsi verba haec in solis operibus, quae latine ad nos venerunt, conservata sint, de eorum auctoritate nullus est ambigendi locus, siquidem ne unum quidem testimonium affertur, quo de apostolica dignitate auctoris nostri antiquitus dubitatum fuisse demonstretur) ; *Tertull.* de cultu femin. I. 3 (M. 1,1308 « Enoch apud Iudam Apostolum testimonium habet » ; *S. Athan.* ep. fest. 39 (M. 26,1437 : καὶ ἐπιστολαὶ καθολικαὶ καλούμεναι τῶν ἀποστόλων ἑπτά· οὕτως μὲν Ἰακώβου α'... Ἰούδα α'), *Ps. Athan.* Syn. 3 (M. 28,292); *S. Epiph.* haer. 26,11 (M. 41,348. « περὶ τούτων, οἶμαι, ἐκινήθη τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐν τῷ ἀποστόλῳ Ἰούδᾳ, λέγω δὴ ἐν τῇ ὑπ' αὐτοῦ γραφείσῃ καθολικῇ ἐπιστολῇ· Ἰούδας δέ ἐστιν οὗτος ὁ ἀδελφὸς Ἰακώβου καὶ Κυρίου λεγόμενος κτλ); *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53,8 (M. 22,548 : « Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas Apostoli septem epistolas ediderunt » etc).

4. Cfr *Kühl* in Meyer Exeg. Handb. XII. Ed. 5. p. 268.308; *Mangold* in Schenkel Bibellex. III. p. 425 sq.; *Fronmüller* in Lange's Bibelwerk XIV. p. 118; *Lumby* in the Speaker's Commentary p. 383 sq.

5. Cfr. *Beelen* Gramm. Graecit. N. T. p. 195. *Winer* Gramm. des neutestam. Sprachgebrauchs. Ed. 5. p. 217 sq. Nemo dubitat, quin Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου (*Luc.* 24,10; *Marc.* 16,1) et Μαρία ἡ Ἰωσῆτος (*Marc.* 15,40) Iacobi et Iosephi fuerit *mater* (non filia), et ἡ τοῦ Οὐρίου (*Matth.* 1,6) non sit Uriae filia, sed *uxor* ; ex profanis scriptoribus exempla affert *Winer* l. c. : ἡ πόλις ἀπὸ Δαιδάλου τοῦ Ἰκάρου (non filii, sed *patris* Steph. Byz. s. v. Δαίδαλα), Τιμοκράτης ὁ Μητροδώρου (non filius, sed *frater*. Alciph. epp. 2,2) etc.

6. 1 *Petr.* 1,12. Quemadmodum *Act.* 5,29; 11,1; 1 *Cor.* 15,5. 7 etc Petrus vel Iacobus ab Apostolis distinguitur nec tamen ex eorum numero excluditur, ita etiam unus ex Apostolis se a collegis suis distinguere nec tamen ex eorum collegio excludere potuit. Quod si quis urgere velit Iudam in epistolae inscriptione se « *servum* Domini » dumtaxat appellare, monemus eodem titulo fratrem eius Iacobum sese appellasse (*Iac.* 1,1), immo ipsum S. Paulum in ep. ad Philipp. (1,1) alium non adhibuisse, in ep. ad Philem. se « vinctum Christi Iesu » nominasse et in duabus ad Thess. nudum suum nomen posuisse.

7. *Constit. Apost.* VII. 46 (M. 1,1046); cfr. *Euseb.* Chron. ad a. 108; H. E. IV. 5; III. 20. 32. (M. 19,553; 20,309. 252. 284).

8. *Niceph. Call.* Hist. Eccl. II. 40 (M. 145,864); *S. Hieron.* in Matth. 10,4 (M. 26,63).

8. *Euseb.* H. E. I. 13 (M. 20,124); *Asseman.* Biblioth. orient. III. 2. p. 13.

224. — II. De epistolae primis lectoribus, occasione, argumento. S. Iudas epistolam suam inscribit « his, qui sunt in Deo Patre dilectis et Christo Iesu conservatis (et) vocatis » (τοῖς ἐν Θεῷ πατρὶ ἠγαπαμένοις καὶ Ἰησοῦ Χριστῷ τετηρημένοις κλητοῖς), quo alloquendi modo omnes omnino omnium ecclesiarum Christianos videtur designare. Ex epistola

ipsa autem eum certas quasdam ecclesias prae oculis habuisse manifesto apparet, quas easdem fuisse, quibus SS. Iacobus et Petrus suas inscripserunt epistolas, supra iam diximus[1]. Neque parum id confirmatur verbis, quibus occasionem, qua ad epistolam suam exarandam permotus sit, Apostolus nobis indicat. Quum enim, inquit, animus mihi esset, ut communia salutis monita consiliaque vobis traderem, coactum me vidi periculo vestro, ut ad fidem perceptam strenuo retinendam vos exhortarer; « subintroierunt enim quidam homines impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam et solum dominatorem et Dominum nostrum Iesum Christum negantes ». Veros haereticos verbis hisce describi, qui perversos suos mores suis doctrinis cohonestare conabantur, tam manifestum est, ut eorum sententia, qui S. Iudam morum dumtaxat corruptionem impugnasse censent, ne speciem quidem habeat verisimilitudinis[2]; descriptio autem in illos haereticos quadrat, contra quos Iacobi et 2. Petri epistolae directae sunt, qui scilicet ex verbis nonnullis paulinis male intellectis se nulla prorsus lege teneri deducebant ideoque « gratiam Dei in luxuriam transferentes » « secundum desideria sua ambulabant in impietatibus », ulteriusque progressi « blasphemantes quae ignorant » Dominum N. Iesum Christum eiusque secundum adventum negare coeperant. Haereticos autem istos in Asiae Min. ecclesiis doctrinas suas sparsisse ex Iacobi et 2. Petri epistolis scimus; iure igitur concludimus Iudam quoque epistolam iisdem ecclesiis destinasse. Quoniam vero fratris eius epistola iam praecesserat, in inscriptione « Iacobi fratrem » sese videtur appellasse, ut eius monita lectoribus in memoriam revocaret plenumque suum cum eo consensum significaret.

At aliam viam, quam S. Iacobus, ingressus est. Solis enim monitis non contentus lectoribus suis salutarem incutit terrorem gravissimis enumeratis poenis, quibus Deus iustissimus iam olim omnes mandatorum suorum transgressores afflixit, atque vae dicto haereticis illis, qui antiquorum seductorum exempla secuti populum electum perdere studebant. Quod exemplum S. Petrus secutus in suam secundam epistolam nonnulla divinae iustitiae exempla ex Iudae libello transumsit. Ex relatione autem, quam inter tres epistolas intercedere opinamur, etiam elucet, quo fere tempore nostra sit scripta : Iacobum enim suam a. 61. vel 62. brevi ante mortem suam atque item Petrum secundam suam morte iam instante a. 66. exeunte vel ineunte 67. scripsisse diximus; S. Iudae autem epistola intermedia est ac proin c. a. 65. videtur esse scripta[3].

1. Cfr. *supra* 207. 219. 222. p. 606. sq. 634 sqq. 645 sq.

2. Ita *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter I. p. 518 sq.; *de Wette* Einl. p. 408. etc. Quibus confutandis vel solus v. 4 sufficit, in quo non tantum morum corruptio (« Dei

gratiam transferentes in luxuriam ») sed simul haeresis indicatur (« et solum Dominatorem et Dominum N. Iesum Christum negantes »). Eundem duplicem characterem adversariorum, qui impugnantur, corruptionem morum et falsam doctrinam, indicant vv. 8. 10. Quae si non sufficerent, idem deduceretur ex v. 11, in quo Cain, Balaam, filii Core ideo velut praecursores adversariorum proponuntur, quia cum vita mala cultum Dei perversum coniunxerant. — Novam sententiam de adversariis ab Apostolo Iuda impugnatis proposuit *Renan* (Saint Paul p. 300 sq.), eamque tam miram et absurdam, ut vel ipsorum rationalistarum cachinnos provocarit, et tam blasphemam, ut dubitare liceat, an magis blasphema unquam de libro sacro sit prolata. Secundum Renan a. 54., postquam Petrus a Paulo Antiochiae publice reprehensus est, Iudas hanc epistolam odio plenam (« cette lettre haineuse ») *et violentissimam* (« un factum des plus violents ») *contra Paulum eiusque discipulos scripsit.* Impudentissimus rationalista de Iudae 9. dicere non dubitavit : « Jude oppose ici la modération relative de Satan à l'impertinence de Paul, qui a osé traiter Pierre de κατεγνωσμένος ». Num versum illum non legit an non intellexit, ut de Satanae moderatione in illo aliquid inveniret? Ut fucum deinde lectori faciat, allegat « Homélies pseudo-clém. XVII. 19 », quo in loco nec de SS. Iuda et Paulo nec de Satana, sed de S. Petro impudentiam Simonis Magi increpante sermo est.

3. Qui epistolam Iudae a 2. Petri dependere censent, eam paullo tardius scriptam dicunt : post a. 66. (*Reithmayr* Einl. p. 752, *Valroger* Introd. II. p. 398), circa a. 70. (*Drach* l. c. p. 222), paullo ante Ierosolymorum eversionem (*Bacuez* l. c. p. 516). Ante templi destructionem certe videtur ponenda, quia in enumerandis Dei iudiciis Iudas maximum hoc divinae iustitiae argumentum omittere vix potuit.

225. — III. Analysis ep. Iudae. Brevissimae huius epistolae pars maior (5-16) in hoc versatur, ut severis Dei iudiciis enumeratis lectores contra haereticorum conatus praemuniat, in altera breviore (17-23) eosdem exhortatur, ut doctrinae ab Apostolis traditae inhaereant. Nexus idearum hic est :

1. In exordio post inscriptionem (1.2.) pro ratione, qua ad hanc epistolam illis scribendam permotus sit, indicat periculum, quod ecclesiis ex parte haereticorum gratiam Dei in luxuriam transferentium et Dominum negantium immineat (3.4).
2. In priore parte (5-16) haereticos illos accuratius describens et sortem, quae eos exspectat, indicans, lectores ab eorum doctrinis absterret.
   a.) Tria praeprimis iudiciorum divinorum exempla affert (5-7), Iudaeorum, qui quia non crediderunt, in deserto perierunt, Angelorum damnatorum, qui ob inobedientiam et superbiam suam in caliginem sunt detrusi, Sodomitarum, qui ob luxuriam suam puniti sunt. Atque eadem peccata luxuriae, superbiae, incredulitatis ab haereticis committi monens similem poenam illis esse reservatam innuit (8).
   b.) Modestiae Michaelis Archangeli, qui ne ipsi quidem diabolo imprecatus est, opponit haereticorum superbiam, qui iis quae ignorant blasphemant, iisque quae norunt in suam perniciem abutuntur (9.10).
   c.) Poenas Caini, Balaam, filiorum Core, quippe quos in peccatis imitati sint, haereticis praedicit (11-13),

d.) atque tandem seductores eorumque interitum futurum iam ab Enoch praedictos fuisse docet (14-16).

3. In ALTERA PARTE (17-23) fideles exhortatur,

a.) ut doctrinae apostolorum suorum memores, qui etiam tales haereticos venturos esse praedixerunt (17-19), firmique fidei verae inhaerentes sese in dilectione Dei conservent futurum praemium exspectantes (20.21),

b.) eosque docet, quomodo erga haereticos illos gerere se debeant: obstinati enim, utpote iam iudicati, sunt arguendi, alii autem de errore convincendi, illi demum, qui sine sua culpa in errorem sunt prolapsi, magna cum misericordia tractandi (22.23).

4. Epistolam concludit *doxologia* (24.25).

226. — IV. DE EPISTOLAE IUDAE AUTHENTIA ET CANONICITATE. S. Iudae quoque epistolam *Eusebius* priori sectioni τῶν ἀντιλεγομένων adnumerat, *S. Hieronymus* vero haec de ea tradit : « Iudas parvam, quae de septem catholicis est, epistolam reliquit; et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, *a plerisque* reiicitur, tamen auctoritatem vetustate iam et usu meruit et inter sacras Scripturas computatur »[1]. Quo cum iure et quo sensu Eusebius eam inter τὰ ἀντιλεγόμενα recensuerit et Hieronymus eam « a plerisque » reiici dixerit, non satis intelligitur, si antiqua, quae nobis conservata sunt, testimonia examini subiiciantur.

Etenim in eo ipso, quod S. Petrus eam in sua secunda adhibuerit ex eaque nonnulla in suam transumserit, iam evidens et antiquitatis et auctoritatis epistolae habemus argumentum. Quod autem in Patrum apostolicorum, quibus cum haereticis non erat litigandum, operibus certas allusiones ad nostram epistolam non inveniamus, id difficultatem non creat; tam brevis enim est epistola eiusque argumentum tam singulare, ut, quid ex ea S. Clemens aut S. Ignatius aut S. Polycarpus apte desumere potuerint, non cernatur. Divinae enim iustitiae exempla, quibus maior epistolae pars constat, a Patrum apostolicorum argumentis erant aliena.

Immediate post apostolicorum Patrum aetatem saeculo 2. ad finem vergente a praecipuis ecclesiis epistolam nostram esse susceptam multa testimonia demonstrant. Romanae ecclesiae testimonium nobis conservatum est in *Fragm. Muratoriano,* cuius auctor sine ulla haesitatione asserit : « epistola sane Iudae in (vel inter) catholica habetur ». Paullo post in africana ecclesia *Tertullianus* ex epistola « Apostoli Iudae », quam ab omnibus pro canonica receptam esse supponit, auctoritatem libri Henoch demonstrare vult[2]. Alexandrinae ecclesiae testes sunt *Clemens* et *Origenes;* atque prior quidem in epistolam Iudae adumbrationes conscripsit, quarum versionem a Cassiodoro curatam adhuc

possidemus, eiusque sententias pro auctoritate divina allegavit[3]; alter autem Iudam brevem quidem, sed divinae sapientiae plenam epistolam scripsisse testatur, eam in canone suo enumerat, nec infrequenter eam adhibet[4]. Ecclesia syriaca quidem illo tempore ea caruisse asseritur, at non satis recte. Verum est hodiernam epistolae versionem iuniorem esse, quam Peschito ipsa; at antiquiorem versionem olim exstitisse nos docet *S. Ephraem*, qui eam integram allegavit; allegatio haec utique in opere, quod graece dumtaxat ad nos pervenit, legitur, at in operibus quoque, quae adhuc syriace habentur, libello nostro usus est[5]. Uno verbo ante finitum saeculum 3. non pauci testes epistolam nostram pro genuina agnitam esse confirmant; at ne unus quidem allegatur, qui de eius authentia vel canonicitate addubitaverit. Quare Eusebius non satis recte eam « a non multis antiquis » allegari dixit, et si eam τοῖς ἀντιλεγομένοις adnumeravit, dictione hac designare noluit inter antiquos fuisse, qui eam reiicerent aut positive de ea dubitarent, sed tantum in aliquibus ecclesiis eam non semper esse receptam[6].

Authentiae testes Eusebio quidem iuniores, S. Hieronymo autem antiquiores multo plures sunt. In ecclesia occidentali *S. Philastrius, Lucifer Calarit., S. Ambrosius, S. Augustinus, Concilia Africana*, atque *S. Hieronymus* ipse epistolam sub Iudae Apostoli nomine velut divinam Scripturam allegant[7]; atque in orientali ecclesia praeter *S. Ephraem*, quem supra iam laudavimus, Alexandriae habemus *S. Athanasium M.* et *Didymum*, Ierosolymis *S. Cyrillum*, in Cypro *S. Epiphanium*, in Cappadocia *S. Gregorium Naz.*[8]. « A plerisque » igitur eam reiici parum recte dixit S. Hieronymus, etsi *S. Amphilochius* dubium aliquod historice commemoravit et *antiocheni* Patres illam non adhibuerint[9]. Multo minore autem cum iure *Caietanus* verbis Hieronymi fretus epistolam Iudae minoris, quam reliquas Scripturas, auctoritatis esse asseruit[10].

1. *Euseb.* H. E. III. 25; cfr. II. 23 (M. 20,269. 205); *S. Hieron.* de vir. ill. 4 (M. 23,645).

2. *Fragm. Murator.* lin. 68 sq. (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. n. 63. p. 184); *Tertull.* de cultu femin. I. 3 (M. 1, 1308).

3. *Clem. Alex.* in Iudae ep. Adumbrat. (M. 9,731; cfr. Euseb. H. E. VI. 14. M. 20, 549); de epistola nostra a Clemente allegata *Euseb.* H. E. VI. 13. (M. 20,548); cfr. deinde Paedag. III. 8; Strom. III. 2 (M. 8,616. 1113).

4. *Orig.* in Matth. tom. X. 17; in Ios. hom. 7,1 (M. 13,877; 12,857); allegationes habes De princ. III. 2; in Gen. hom. 2,5; in Matth. tom. XVII. 30; in Rom. III. 6; IV. 1 (M. 11,303; 12,172; 13,1569; 14,939. 1016). Quid de Origenis silentio in Ioan. tom. V. 3 (M. 14,188 sq.; cfr. *Euseb.* H. E. VI. 25. M. 20,584) sentiendum sit, alibi diximus (Introd. gen. 65. p. 178); eo in loco Origenes, qui sibi obiectionem facit, quod tot libros scripserit, non commemorare potuit nisi illos Apostolos, qui uno plures libros conscripserant, ideoque multo minus contra Iudae epistolam, quam contra 2. Petri vel 2. 3. Ioannis, eius silentium afferri potest.

5. *S. Ephraem* c. impudicit. Opp. gr. III. p. 61 sqq.; Opp. syr. I. p. 136.

6. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 67. p. 195 sqq.

7. *S. Philastr.* haer. 88 (M. 12,1200); *Lucif. Calarit.* De non conven. cum haer. (M. 13,792); *S. Ambros.* Expos. Evang. S. Luc. VI. 43 (M. 15,1679); *S. August.* Doctr. christ. II. 8; in Ioan. tract. 78,1; de Civ. Dei XVIII. 38 etc (M. 34,41; 35,1831; 41, 598); *Conc. Hipp.* can. 37, *Carthag.* can. 29 (Mansi III. 924. 1041); *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,8; in Tit. 1,12 (M. 22,548; 26, 608 « de Enoch Apostolus Iudas in epistola sua testimonium posuit »).

8. *S. Athanas.* ep. fest. 39 (M. 26,1176. 1437); *Didym. Alex.* Enarr. in ep. Iudae (M. 39,1811 sqq.); *S. Cyr. Ieros.* Catech. IV. 36 (M. 33,500); *S. Epiph.* haer. 26,11 (M. 41,348), *S. Gregor. Naz.* de ver. Script. 39 (M. 37,474).

9. *S. Amphiloch.* ad Seleuc. 310 sqq. (M. 37,1597). De quatuor minoribus epistolis ab antiochena ecclesia non receptis cfr. *Montfaucon* Diatriba in S. Chrys. Synopsin S. Script. M. 56,307 sq. et Introd. gen. 71. p. 192. Quibus tamen hoc loco addamus oportet, argumentum, quo Montfaucon ex Chrysostomi silentio demonstrat eum epistolas minores non agnovisse, non omnino firmum videri. Etenim *Palladius*, S. Chrysostomi amicus et familiaris, in suo de vita Chrysostomi dialogo omnes illas minores epistolas sine ulla haesitatione pro genuinis et catholicis adhibet (Iudae et 2. Petri M. 47,63; 3. Ioan. M. 47,73); num Palladium, qui cum Chysostomo diu familiariter vixit, alium, quam amicus habuit, canonem agnovisse dicemus?

10. *Caietani* Comment. in SS. Scripturas. Lugduni 1639. V. p. 398 b; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 70. p. 203.

Epistolam nostram, etsi Lutherus ei parum faveret eamque, utpote ex S. Petri excerptam, indignam declararet, quae inter praecipuos libros sacros numeraretur [11], plerique Protestantes tamen genuinam et canonicam habent; soli rationalistae moderni iique pauci numero hodie eam respuunt. Gnosticos enim saec. 2. ineuntis vel medii in ea impugnatos vident, ita ut ante a. 140. scribi non potuerit. Cui obiectioni verba nonnulla *Clementis Alex.* ansam dederunt. Etenim ad morum corruptionem haereticorum, in quos S. Iudas invehitur, animum advertens eamque cum perversis Carpocratianorum moribus comparans Clemens « de his, inquit, et similibus haeresibus existimo Iudam prophetice dixisse in epistola sua: *similiter quidem hi quoque somniantes* usque ad illud: *et os eorum loquetur superba* » (*Iudae* 8-17) [12]. Quae pauca verba « criticis » nonnullis interpretibus plane sufficiunt, ut totum systema Carpocratis in Iudae epistola descriptum dicant eamque auctori alexandrino saec. 2. attribuant [13]. Attamen, etsi prima gnostici erroris initia in nostra epistola et in aliis libris apostolicis impugnari omnino sit concedendum, nemo in descriptione haereticorum epistolae nostrae systema definitum gnosticum, sive carpocratianum sive aliud quodcunque deteget, nisi qui in semine iam totam arborem videt. Iam vero nobis tantum mentis acumen a Deo non esse datum libentes fatemur.

Quibus nugis omissis pauca verba de illa obiectione addamus, quam commemoravit S. Hieronymus; ideo enim « a plerisque » epistolam reiici dixit, « quia de libro Henoch, qui apocryphus est, in ea assumserit testimonium ». In illis quidem Patrum operibus, quae nobis conservata sunt, obiectio haec « plerisque » attributa non invenitur; e contra *Tertullianus* libri Henoch auctoritatem nostro libello demonstrare conatur, *Origenes* librum Henoch

non absolute reiicit, *S. Augustinus* ex nostra epistola concludit patriarcham Henoch « nonnulla divina scripsisse »[14]. Sed quidquid de hac sententia S. Hieronymi est, id unum nobis est investigandum, num S. Iudas in sua epistola libros apocryphos pro divina auctoritate allegaverit. Praeter Patres illos, qui librum Henoch allegatum dixerunt, nonnulli alexandrini, *Clemens*, *Origenes* et *Didymus*, Apostolum ea, quae de altercatione S. Michaelis Archangeli et Satanae habet, ex libello apocrypho « Ascensio » vel « Assumtio Moysis » desumsisse putaverunt[15]. S. Hieronymus ipse, ut difficultatem solvat, quae ex apocryphorum allegatione contra epistolae nostrae divinam originem fieri potest, totum opus non approbari monet, si particula eius approbetur[16]. Facilius autem eam solvemus negantes *librum* Henoch vel traditionem *scriptam* de altercatione S. Michaelis ab Apostolo allegari. Re enim vera epistolam legenti satis patet neutro in loco librum commemorari; atque eodem modo, quo S. Paulus nomina magorum, qui Moysi restiterunt (2 *Tim.* 3,8), etiam S. Iudas ea, quae de Henoch et S. Michaele tradidit, ex certa Iudaeorum traditione *orali* hausit[17].

11. Cfr. Lutheri verba penes *Hilgenfeld* Einl. p. 177. Recte quidem monet ipse Lutheranus *Keil* Comment. p. 296 « ob mere subiectivas rationes » Lutherum epistolam reiecisse, at nonne ipse cum aliis Protestantibus, qui infallibile magisterium negant, « ob mere subiectivas rationes » eam admittunt?

12. *Clem. Alex.* Strom. III. 2 (M. 8,1113).

13. *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter I. p. 518; *Hilgenfeld* Einl. p. 742; *Schenkel* in Bibellex. III. p. 435 sqq.; *Mangold* in Bleek Einl. Ed. 3. p. 645; *Holtzmann* Einl. Ed. 2. 1886. p. 532. sq.; *Jülicher* Einl. 1894. p. 146 etc.

14. *Tert.* de cult. fem. I. 3. II. 10 (M. 1,1307.1328); *Orig.* de princ. IV. 35; c. Cels. V. 54 etc. (M. 11,409.1267); *S. Aug.* de Civ. Dei XV. 23 etc. (M. 41,470).

15. *Clem. Alex.* Enarr. in ep. Iudae (M. 9.733), *Orig.* de princip. III. 2 (M. 11, 303); *Didym. Alex.* Enarr. in ep. Iudae (M. 39,1815); *Phot.* Amphiloch. Quaest. 151 al. 183 (M. 101,813).

16. *S. Hier.* in Tit. 1,12 (M. 26,608). Similiter *V. Beda* in Iud. (M. 93,129) : « tale testimonium de apocrypho Iudas assumsit, quod non apocryphum et dubium, sed verae lucis lucida esset veritate conspicuum ».

17. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 76. p. 221 sqq.

§ 22. — *De tribus S. Ioannis Apostoli epistolis.*

227. — I. De S. Ioanne Apostolo trium epistolarum auctore. Praeter Evangelium et Apocalypsin in canone tres epistolae S. Ioanni attribuuntur, quarum primam inter τὰ ὁμολογούμενα, duas reliquas inter τὰ ἀντιλεγόμενα recenset Eusebius. Quamvis prima omni inscriptione careat et aliarum auctor in inscriptione nomine suo proprio omisso se « Seniorem » (ὁ πρεσβύτερος) dumtaxat appellet, nullum tamen est dubium, quin omnes tres S. Ioannem Apostolum et Evangelistam habeant auctorem.

Atque primae quidem tanta est cum quarto Evangelio affinitas, ut eidem auctori utrumque librum adscribere cogeremur, etsi Patrum

expressa et diserta testimonia non haberemus; S. Ioannem autem, Zebedaei filium, discipulum, quem dilexit Iesus, atque unum ex praecipuis Apostolis, Evangelii quarti esse auctorem iam demonstravimus. Attamen testimonia non desunt. Nam non tantum *SS. Papias* et *Polycarpus*, Ioannis Apostoli discipuli, epistolam nostram iam cognoverunt[1], sed S. Polycarpi discipulus *Irenaeus* eam sub Ioannis nomine allegavit[2], atque eadem aetate ecclesia romana teste *Fragmento Muratoriano*, africana teste *Tertulliano*, alexandrina teste *Clemente*, syriaca teste *Peschito* eam S. Ioanni attribuerunt[3]. Neque ab illo tempore unquam hac de re dubitatum est, usque dum nostra aetate una cum Evangelio nostram quoque epistolam Neotubingiani S. Ioanni abiudicare scriptorique saec. 2. attribuere conati sint. Quorum obiectionibus eo minus hoc in loco immorabimur, quo certius Evangelium quartum et epistolam eidem auctori deberi constat[4].

1. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20,300) : « Idem Papias testimoniis ex priore Ioannis epistola... desumtis utitur ». *S. Polyc.* ad Philipp. 7. « Omnis enim, qui non confessus fuerit, Iesum Christum in carne venisse, antichristus est » cfr. 1 *Ioan.* 4,2.3.

2. *S. Iren.* c. haer. III. 16 (M. 7,924.927) : « Quemadmodum Ioannes Domini discipulus confirmat dicens : Haec autem scripta sunt... (*Ioan.* 20,31). Propter quod et in epistola sua sic testificatus est nobis : Filioli novissima hora est » etc (1 *Ioan.* 2,18 sqq.). — (Ioannes discipulus Domini) « rursus in epistola ait : Multi pseudoprophetae exierunt » etc (1 *Ioan.* 4,1-3).

3. *Fragm. Murat.* lin. 28 sqq. (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 183); *Tert.* c. Prax. 15. (M. 2,173) : « Denique inspiciamus, quem *Apostoli* viderint; quod vidimus, inquit *Ioannes*, quod audivimus » etc. (cfr 1 *Ioan.* 1,1); *Clem. Alex.* Strom. II. 15 (M. 8,1004) : « Videtur autem *Ioannes* quoque in maiore epistola peccatorum docere differentias : Si quis viderit » etc. (cfr 1 *Ioan.* 5,16.17).

4. « Critici » utrumque librum S. Ioanni abiudicant, sed inter eos alii eos tamen eidem auctori attribuunt (*Koestlin, Georgii, Renan* etc), alii duos diversos auctores statuunt (*Baur, Holtzmann*); priorum argumenta omittemus, quum Evangelii authentia demonstrata authentiam epistolae extra dubium ponat; de aliis cfr *infra* 228. — Ante hodiernos « criticos » iam *Cludius* (Uransichten des Christenthums. p. 52 sqq.) epistolam nihil esse, nisi opus iudaeochristianum a gnostico quodam haeretico retractatum, declaraverat, Bretschneider eam Ioanni presbytero adscripserat etc; sed commenta haec hodie oblivioni meritae iam diu sunt data.

De 2. et 3. Ioannis haec tradit *S. Hieronymus*, postquam de prima disseruit : « reliquae duae, quarum principium est *Senior Electae Dominae* et sequentis *Senior Caio carissimo*, Ioannis presbyteri asseruntur, cuius et hodie alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur, etsi nonnulli putant, duas memorias eiusdem Ioannis Evangelistae esse », atque de S. Papia disserens « a plerisque » tradi asserit « duas posteriores epistolas Ioannis non Apostoli esse sed presbyteri »[5]. Quid de Ioanne presbytero illo tenendum sit, quem solus Eusebius invenit, alibi diximus[6]; quia vero S. Hieronymi assertio, duas posteriores epi-

stolas *a plerisque* presbytero illi adscribi, a multis iunioribus interpretibus latinis est repetita, operae pretium est inquirere, quinam tandem « plerique » illi sint. Mirum enim, quod huius sententiae in Patrum operibus, quae ad nos pervenerunt, vestigium nullum inveniatur.

Etenim inter « plerosque » illos certissime non sunt numerandi occidentales scriptores exeuntis saec. 2. Nam *Tertullianus*, quum diceret : « Ioannes in *prima* epistola negat nos esse sine delicto »[7], eidem Apostolo saltem duas alias attribuit. Item *S. Irenaeus* saltem bis textum ex altera epistola desumtum « Ioannis discipuli Domini » esse asserit[8]; cum autem hoc nomine Apostolum designare voluisse, non tantum ex toto opere eius apparet, in quo Ioannes semper hoc titulo prae reliquis Apostolis insignitur, sed etiam ex eo fit evidens, quod in secundo loco cum textu ex secunda epistola desumto alterum ex prima coniungit hac formula : « et rursus in epistola ait ». Neque inter « plerosque » illos numerandi sunt alexandrini Patres : nam *Clemens Alex.*, « maiorem » epistolam Ioannis Apostoli allegans se etiam *minores* eiusdem auctoris agnoscere prodit; exstat quoque eius « Adumbratio in 2. Ioannis », in qua nullum prorsus invenitur vestigium, quod de auctore dubitaverit[9]. *Origenes* Apostolum Ioannem « per epistolas suas et Apocalypsin », sicut per Evangelium suum, tuba cecinisse tradit et alibi Ioannis epistolas tres esse numero refert[10]. Origenis discipulo, *S. Dionysio M.*, de Ioanne Apostolo 2. et 3. epistolarum auctore tam certo constitit, ut ex iis Apocalypsim non esse ab Apostolo scriptam demonstrare conaretur[11]. Iuniorum Patrum, qui paullo ante S. Hieronymum vixerunt aut eius aequales fuerunt, testimonia omnia afferre supersedemus; id unum adnotamus in omnibus catalogis librorum N. T., qui eo tempore in occidentali et in orientali ecclesia sunt editi (uno solo excepto), tres epistolas Ioannis enumerari nec ullo modo moneri, eas diversis auctoribus deberi[12]; immo ipse *S. Hieronymus* eas non semel S. Ioanni Apostolo adscribit[13].

Cum satis magna igitur exaggeratione « *a plerisque* » epistolas Ioanni *presbytero* adscribi dixit S. Doctor. Nam profecto, si ex operibus superstitibus certum iudicium ferre nobis licet, paucissimi sunt, qui alteri auctori duas minores epistolas attribuerunt. Inter quos *forte* numerandus est scriptor ille, qui in *Fragmento Muratoriano* nobis canonem antiquissimum ecclesiae romanae reliquit. Etsi enim de quarto Evangelio loquens complures eiusdem auctoris epistolas agnoscat, paullo post tamen *videtur* asserere *duas* Ioannis epistolas ab eius amicis in eius honorem (i. e. sub eius nomine) esse scriptas[14]. Atque *Eusebius* quoque, diligens in canonis N. T. historiam investigator, eas inter τὰς ἀντιλεγομένας quidem recenset dubitationemque aliquam manifestat, utrum ab Evangelista an ab alio viro homonymo editae sint, sed tantum abest,

ut « a plerisque » eas presbytero Ioanni attribui dicat, ut alibi nullo dubio expresso ipse de Apostoli Ioannis epistolis loquatur[15]. Quibus si addas decretalem « de recipiendis et non recipiendis libris », quae libros sacros recensens « Ioannis *Apostoli* epistolam unam, alterius Ioannis *presbyteri* epistolas duas » nominat, omnes habes testes, quos S. Hieronymus citare potest; at ultimus hic quam maxime est dubius; decretalis enim haec aut satis diu post S. Doctoris aetatem exarata ab eo ipso dependet, aut si forte, id quod probabile habemus, a S. Damaso est edita, iterum S. Hieronymo deberi videtur[16].

Certum igitur indubiumque est, antiquitatis testimonia origini apostolicae duarum epistolarum, quae in quaestione versantur, omnino favere : tanto maioris autem aestimanda sunt haec testimonia, quo breviores sunt epistolae, quae simul iunctae vix illam ad Philemonem vel S. Iudae libellum aequant, et quo minus argumentum eorum a Patribus allegari potuit. At ne ipsa quidem earum brevitas eas a « criticorum » impugnatione tuita est. Qui quum obsoletam S. Hieronymi sententiam recoquere vellent, documentis vero historicis ad eam stabiliendam carerent, pro more ad internas rationes confugerunt[17]. Atque mirabile dictu alias non invenerunt, nisi illas, quibus authentiae patroni suam sententiam confirmare solent, unde quid internae rationes, si historica documenta desunt, in authentiae quaestione valeant, satis elucet. Stylum enim in his epistolis eundem esse, quem in aliis Ioannis libris affirmant patroni, adversarii negant; in inscriptione Ioannem Apostolum nomine suo proprio tacito se « presbyterum » vel « seniorem » appellare potuisse negant adversarii, affirmant patroni; ea quae in 3. epistola de Diotrephe dicuntur (3 *Ioan.* 9. 10) Apostolo optime convenire asserunt patroni, adversarii negant. Merito igitur relictis his argumentis, quibus nihil certi demonstratur, historicis, quae attulimus, testimoniis freti pro certo habemus S. Ioannem Apostolum non primae tantum, sed reliquarum quoque duarum epistolarum esse auctorem.

5. *S. Hieron.* de vir. illustr. 9. 18 (M. 23,655.670).

6. Cfr. *supra* 58. n. 18. p. 213 sq.

7. *Tertull.* de pudic. 19 (M. 2,1020). Tertullianus, si duas dumtaxat Ioannis epistolas admisisset, procul dubio scripsisset : *in priore*. Ceterum *Roensch* (Das Neue Testament Tertullians. Leipzig 1871. p. 544 sq.) textum tertullianeum ita explicandum censet, ut verba Ioannis, quae in initio epistolae (« in prima », vel secundum Roenschii lectionem : « in primore epistola ») leguntur, aliis eiusdem Ioannis verbis in eadem epistola (media vel extrema) opponantur. Veri similitudine hanc explicationem non carere fatemur; ulteriorem autem eius conclusionem, quod tempore Tertulliani duae aliae epistolae in canone occidentali nondum fuerint, negamus; ex Fragmento enim Muratoriano et S. Irenaei testimonio constat ante Tertullianum iam duas epistolas minores in Occidente cognitas et agnitas esse.

8. *S. Iren.* c. haer. I. 16; III. 16 (M. 7,633. 927). « Quos... Ioannes in praedicta

epistola fugere praecepit dicens : *Multi seductores* etc (2 *Ioan.* 7. 8). Et rursus in epistola ait : *Multi pseudoprophetae exierunt* » etc (1 *Ioan.* 4,1-3).

9. *Clem. Alex.* Strom. II. 15 (M. 8, 1004); Adumbr. in 2 Ioan. M. 9,737 sqq. Cfr. *Cassiod.* de instit. div. lit. 8. (M. 70,1120).

10. *Orig.* in Ios. hom. 7,1 (M. 12,857); cfr. in Ioan. tom. V. 3 (M. 14,188); *Euseb.* H. E. VI. 25 (M. 20,584), quo in loco dubitatio de minorum auctore commemoratur quidem, sed non approbatur; cfr *Introd. gen.* Ed. 2. n. 65. p. 192.

11. *S. Dionys. Alex.* apud Euseb. H. E. VII. 25 (M. 20,700) : « Sed neque in secunda quae fertur Ioannis epistola (οὐδὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ φερομένῃ Ἰωάννου) aut in tertia, quamvis brevibus, Ioannis nomen exstat, verum sine ullo nomine *Senior* inscribitur. Hic autem (Apocalypseos auctor) non satis habuit nomine suo semel posito narrationem prosequi, sed iterum repetit : Ego Ioannes » etc. Quod secundam vocet τὴν φερομένην, id dubitationem non prodit; eodem modo *Eusebius* II. E. III. 25 primam Ioannis, quam ab omnibus agnosci tradit, vocat τὴν φερομένην Ἰωάννου προτέραν.

12. *S. Philastr.* haer. 88 (M. 12,1200); *S. August.* Doctr. christ. II. 8 (M. 34,41); Conc. *Hippon.* c. 37, *Carthag.* c. 29 (Mansi III. 924. 1041); *S. Athanas.* ep. fest. 39 (M. 26,1437); *S. Gregor. Naz.* de ver. Script. 37 (M. 37,474); cfr. *S. Amphil.* ad Seleuc. 310 sqq. (M. 37,474).

13. *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,8; ad Ageruch. ep. 123,12; ad Evangel. 146,1 etc (M. 22,548. 1053 sq. 1193 sq.).

14. *Fragm. Murat.* lin. 28. 68 sq. (cfr *Intr. gen.* Ed. 2. p. 183 sq.).

15. *Euseb.* H. E. III. 25 (M. 20,269) : « quae dicuntur Ioannis secunda et tertia, sive ab Evangelista sive ab homonymo viro sunt scriptae ». Cfr Demonstr. Evang. III. 5 (M. 22,216) : « Nam Ioannes *in suis epistolis* suum nomen ne commemorat quidem, aut *Seniorem* se appellat, nusquam vero Apostolum aut Evangelistam ».

16. De hac decretali egimus in *Introd. gen.* Ed. 2. n. 40 *n.* 15. p. 95 sq.

17. *Erasm.* Annot. in 3 Ioan. 9; *Grot.* in 2 Ioan. Praef.; *Ammon* Leben Iesu I. p. 45 sq.; *Ebrard* in Herzog. P. R. E. Ed. 2. VII. p. 20; minus certo modo *Credner* Einl. p. 688 sqq., *Reuss* Gesch. des N. T. I. p. 237. — Inter Neotubingianos *Baur* (Tüb. Theol. Iahrb. 1848. p. 293 sq.) cum *Schwegler* (Montanism. u. christl. Kirche. 1841. p. 284) auctorem inter Montanistas quaerit; *Hilgenfeld* (Einl. 1875. p. 684. 693) nescio quem Deutero Ioannem statuit, qui nescio quem fictionis suae finem habuerit; *Jülicher* (Einl. 1894. p. 160) auctorem coniicit esse admiratorem quendam Evangelii et primae epistolae, qui res aliquas disciplinares auctoritate Ioannis Apostoli simulata definire voluerit etc. Sed haec similiaque commenta « criticorum » refutatione non indigent.

228. — II. De 1. Ioannis epistolae destinatione deque eius ad Evangelium relatione. Nec Apostolus ipse nec Patres, quibusnam prima epistola destinata primitus fuerit, nobis indicant; solus *S. Augustinus*, qui ei titulum « ad Parthos » indidit[1], eam Christianis in Persiae antiquae regione degentibus scriptam esse insinuat. Quae sententia, etsi ab iunioribus nonnullis scriptoribus latinis sit recepta, ipsi epistolae videtur repugnare. Namque Apostolum Christianos illos, quibus scribit, optime cognovisse, immo in eorum quasi medio versatum esse epistola supponit; S. Ioannem autem unquam in Persiam venisse, nemo ex antiquis tradidit. S. Augustinum igitur hac in quaestione errasse fatendum est; quomodo autem in errorem sit inductus, difficile est dictu; forte epistolae *secundae* inscriptionem, quam πρὸς παρθένους antiquitus fuisse

Clemens Alex. testatur, ad primam traxit et, quia per compendium esset scripta, male interpretatus est[2]. Nemo unquam in Oriente, nec ante Augustinum quisquam in Occidente epistolam nostram Parthis scriptam esse dixit. Quare hanc sententiam merito praetermittimus.

Certa igitur deficiente traditione, ut epistolae destinationem cognoscamus, ad coniecturas nobis est confugiendum internisque rationibus, quantum fieri potest, res est definienda. Iam ante omnia Christianos illos, quibus epistola scribitur, plerosque ex ethnicis venisse certum est; Iudaeochristiani enim praecepto illo, quo epistola terminatur : « *Filioli, custodite vos a simulacris* » non indiguerunt. Porro qui semel eam legerit, facile nobiscum asseret Apostolum cum illis, quibus scribit, magna familiaritate intime fuisse coniunctum; ex singulis enim fere phrasibus apparet eum non ignotis aut alieno cuidam gregi, sed suis ovibus, monita haec destinasse. Demum inter Christianos illos exortae erant haereses, quae Iesum esse Christum Filium Dei negantes « Iesum solvebant », atque vera et reali incarnatione impugnata docetismum quendam statuebant[3]. Atqui haec omnia dubitationi vix relinquunt locum, Asiae Min. ecclesiis epistolam nostram esse scriptam. In illis enim S. Ioannem apostolicum suum ministerium exercuisse tota antiquitas tradit[4]; illas maximam partem ex ethnicis conversis coaluisse constat; in illis quoque apostolico iam tempore Cerinthus, Ebionitae, Nicolaitae errores suos sparserant[5].

1. *S. August.* Quaest. Evang. II. 39. Cfr. eius « in epistolam Ioannis ad Parthos tractatus » (M. 35,1353. 1977). Eodem modo eam inscribunt *Vigil. Taps.* c. Varim. I. 5 (M. 62,359), *Cassiod.* de instit. divin. lit. 14 (M. 70,1125) aliique Latini.

2. *Clem. Alex.* Adumbr. in 2 Ioan. (M. 9,737). Num compendium πρὸς παρθους in codice aliquo legatur, ignoro; in Bodleiano Geneseos cod. pro παρθένος legitur $\overline{\underline{\theta}}$ παρνος. Cfr. *Scrivener* Introd. to the criticism of the N. T. p. 48. — Minus placet aliorum explicatio, inscriptionem fuisse πρὸς τοὺς διεσπαρμένους, latine « ad dispersos » vel « ad sparsos », unde per librariorum errorem exortum sit « ad Spartos » (Cod. Genes.) vel « ad Parthos ».

3. 1 *Ioan.* 2,19 sqq.; 4,2 sq. 9. 14 sq. etc.

4. Cfr. *supra* 57. p. 210 sqq.

5. Cfr. *supra* 64. p. 241 sqq.

Quam sententiam summa affinitas, quam inter Evangelium quartum et inter epistolam nostram intercedere omnes concedunt, non parum confirmat. Evangelium enim asiaticis ecclesiis proxime destinatum esse demonstravimus, affinitas autem tanta est, ut uterque liber non tantum ab eodem auctore et eodem tempore, sed ad eosdem quoque lectores scriptus sit dicendus[6]. Namque *finis* utriusque libri est idem: Evangelium ideo enim scripsit Apostolus, ut crederent lectores, « quia Iesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam haberent in nomine eius », epistolam autem, ut scirent lectores, « quoniam vitam

habent aeternam, qui credunt in nomine Filii Dei »[7]. Idem quoque in utroque *argumentum* tractatur. Etenim totum Evangelium in eo versatur, ut Iesum esse Christum Filium Dei historica narratione demonstret; idem vero dogma velut radix et fundamentum integrae vitae christianae in epistola identidem asseritur et inculcatur[8]. Idem « *mandatum novum* » fraternae caritatis, quod Iesum discipulis suis tradidisse frequenter asserit Evangelista, epistola ita repetit, ut tota fere sit illius commentarius practicus[9]. Iidem *haeretici*, qui in Evangelio indirecte confutantur, directe in epistola impugnantur; eadem *oppositio* lucis ad tenebras, mundi ad regnum Dei, quae in Evangelio toties commemoratur, ubique in epistola reperitur[10]. Evangelium a Verbo *incipit*, quod erat in principio, epistolae *exordium* de eodem Verbo vitae agit etc[11].

Quae omnia, etsi eundem utriusque libri esse auctorem proxime demonstrent, simul etiam eosdem fuisse lectores insinuant. Accedit autem tamquam argumentum decretorium, quod epistola disertis verbis ad Evangelium respiciat. Nam prooemii verba, quibus Apostolus se illa annuntiare asserit, quae de Verbo vitae audivit, oculis vidit, perspexit, manibus pertrectavit, nisi de Evangelio intelligantur, aptum sensum non praebent. De illis enim, quae in epistola leguntur, intelligi non possunt, quippe quae, utpote abstracta dogmata et praecepta, nec oculis videntur nec manibus pertrectantur. Neque magis ad Evangelium viva voce praedicatum referri possunt, quia non de praeterito sed de praesente tempore loquitur Apostolus (ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν καὶ ὑμῖν, « *etiam* vobis ea annunt*iamus* », quemadmodum reliquis ecclesiis, quibus hanc epistolam et Evangelium nostrum transmittimus). Quapropter iure merito iam in *Fragmento Muratoriano* haec verba de Evangelio quarto intelliguntur[12]. Alterum praeterea habemus locum, in quo non minus clare de Evangelio sermo est. Nam Apostolus, si omnia ecclesiae membra (τεκνία, παιδία) et seorsim aetate provectos (πατέρες) et iuniores (νεανίσκοι) alloquens ter se ad eos scribere (γράφω) et ter se ad eos scripsisse (ἔγραψα) dicit, nemo ista verba de unica hac epistola explicare poterit, nisi eum verbis lusisse putaverit[13]; scripsit autem in Evangelio, scribit in epistola, quam terminato Evangelio addit.

Illis igitur assentimur, qui epistolam Evangelii praefationem quandam vel introductionem esse censent[14], qua Apostolus, quum Evangelium suum ecclesiis transmitteret, eius summum argumentum finemque indicavit fructumque accuratius evolvit, quem a Christianis ex illius lectione hauriri desideravit. Eam quoque ob causam haereses, quas in Evangelio directe designare non potuit, nisi pro historia tractatum polemicum dare voluit, in epistola aperte et clare describit. Cui sententiae externa quoque libelli nostri forma favet. Minus apte enim epistola ap-

pellatur, quandoquidem et inscriptio et clausula epistolaris prorsus desiderantur, quamvis in duabus aliis Ioannis epistolis adsint; neque rectius homilia appellatur, quo nomine interdum epistola ad Hebraeos, cui etiam inscriptio deest, a modernis insignitur, nam nec logico nec rhetorico modo argumentum suum evolvit, sed identidem ea, quae in Evangelio evolverat, repetit atque inculcat.

Ex quibus iam elucet, qua *occasione* Apostolum ad hanc epistolam scribendam permotum esse arbitremur. De tempore autem, quo illam scripsit, et de loco, ubi illam scripsit, nihil necesse est iis addere, quae de Evangelio disseruimus[15].

6. *Baur* (Tüb. Theol. Iahrb. 1848. p. 322 sqq; 1855. p. 315 sqq.), *Hilgenfeld* (Das Evang. u. die Br. Joh. 1849. p. 322 sqq.) aliique « critici » eundem esse Evangelii et epistolae auctorem negarunt, quamvis duorum librorum affinitatem agnoscerent. Alii autem ex eis Evangelium, alii epistolam prius in lucem prodiisse, alii montanismi, alii gnosticismi, alii nescio cuius haereseos vestigia in alterutro libro inveniri contenderunt. Recte tamen *Westcott* (The epistles of St John. Ed. 2. 1886. p. XXX) adnotat: « The arguments which have been alleged to support the opinion, that the Books (sc. Evang. et Ep.) were by different authors, do not seem to me to need serious examination. They would not been urged, if the Books were not... criticised without regard to their main characteristics ». Revera *Hilgenfeld* (Einl. 1875. p. 737 sq.) priorem suam opinionem iam retractavit; recentissimi autem fere omnes Evangelium et epistolam eidem auctori attribuunt, licet multi eum Apostolum Ioannem fuisse negent; cfr *Weiss* Einl. Ed. 2. 1889. p. 461 sqq.; *Holtzmann* Einl. Ed. 2. 1886. p. 491 sqq.; *Jülicher* Einl. 1894. p. 155 sqq.

7. *Ioan.* 20,31; 1 *Ioan.* 5,13. De quarti Evangelii fine cfr. *supra* 63 sq. p. 238 sqq.

8. 1 *Ioan.* 2,22 sqq.; 4,2 sqq. 15 sqq.; 5,5 sqq. 10 sqq.

9. *Ioan.* 13,34; 15,12 etc; 1 *Ioan.* 2,7 sqq.; 3,14 sqq.; 4,9 sqq. etc.

10. *Ioan.* 1,4; 3,19; 17,9 sqq. etc; 1 *Ioan.* 1,5 sqq.; 2,8. 15; 3,1. 13 etc.

11. *Ioan.* 1,1 sqq.; 1 *Ioan.* 1,1-3. Cfr. etiam 1 *Ioan.* 2,5 et *Ioan.* 14,21; 15,10; — 1 *Ioan.* 2,24 sq. et *Ioan.* 15,5. 7; — 1 *Ioan.* 3,5 et *Ioan.* 1,29; — 1 *Ioan.* 3,8; 4,6 et *Ioan.* 8,44. 47 etc.

12. 1 *Ioan.* 1,1-3; *Fragm. Murator.* lin. 26 sqq. (cfr *Introd. gen.* Ed. 2. p. 183).

13. 1 *Ioan.* 2,12-14; in Vulgata tempora non distinguuntur. Γράφω ὑμῖν, τεκνία... γράφω ὑμῖν, πατέρες... γράφω ὑμῖν, νεανίσκοι... ἔγραψα ὑμῖν, παιδία... ἔγραψα ὑμῖν, πατέρες... ἔγραψα ὑμῖν, νεανίσκοι.

14. Cfr. *Hug* Einl. II. p. 243 sqq.; *Reithmayr* Einl. p. 754 sqq.; *A. Maier* Einl. p. 430 sq.; *Valroger* Introd. II. p. 399 sqq.; *Bisping* Exeg. Handb. VIII. p. 258 sq.; *Haneberg* Gesch. des Offenb. Ed. 4. p. 741 sqq. Inter protestantes multi eandem sententiam tenent: *Thiersch* Versuch zur Herstellung etc. p. 78, Kirche im apostol. Zeitalter. p. 266; *Ebrard* Kritik der evangel. Geschichte. p. 148; *Reuss* Gesch. der h. Schriften N. T. Ed. 5. I. p. 235 etc.

15. Cfr. *supra* 69. p. 259 sqq.

229. — III. De argumento et ordine 1. Ioannis epistolae. Epistola igitur nostra Evangelii quarti est introductio quaedam, qua dogmata in Evangelio historice demonstrata et praecepta in Evangelio a Domino ipso tradita lectoribus commendantur. Inter quae dogmata illud emi-

net, quod Iesus sit Christus, verus Dei Filius et verus homo, propitiator pro peccatis nostris et advocatus noster ad Patrem, a quo solo remissionem peccatorum exspectare possimus ac debeamus : haec enim est quarti Evangelii summa dogmatica. Inter praecepta vero, quae Evangelium, licet non semper disertis verbis sed tota sua narratione inculcat, ita praevalet caritatis praeceptum, ut rectissime dixerit *Origenes* « neminem quarti Evangelii sensum percipere posse, nisi qui supra pectus Iesu recubuerit vel ab Iesu Mariam velut matrem suam acceperit »[1], i. e. nisi vera Christi et proximi caritate inflammatus sit. Praeter quod non minore fere cum cura alterum praeceptum commendatur, nimirum ut « mundum », quippe qui regno Christi sit oppositus, odio habeamus. Iam vero tria haec epistolae nostrae argumentum constituunt; ab incarnationis enim dogmate incipit et ad illud continuo revertitur; ad praeceptum caritatis quod attinet, *S. Augustinus* iam monuit in epistola « maxime caritatem commendari; locutum esse Apostolum multa et prope omnia de caritate »[2], rectius autem addidisset « et de odio mundi ».

Verum tria haec non ita tractat, ut unum post alterum evolvat, sed semper ab uno ad alterum transit et ad ea, quae iam tractaverat, revertitur. Multi quidem interpretes divisionem quandam epistolae eiusque logicam analysin indicare sunt conati; at operam suam eos perdidisse opinamur. Nam severam illam argumentandi methodum, qua S. Paulus excellit, in hac epistola non invenies; maiorem cum S. Iacobi libello habet similitudinem, quum singulis fere constet sententiis, quae omnes quidem circa incarnationis dogma atque Christi amorem odiumque mundi versantur, at arcto vinculo logico inter se non connectuntur. Sed Iacobi quoque epistola in eo maxime a nostra differt, quod nostra ab omni fere demonstratione abstineat. Cave tamen, ne omnem unitatem nostro libello deesse concludas; scopo enim et fine loquentis omnes sententiae ad unitatem rediguntur. Velut bonus pater, qui filiis ante mortem omnia ea, quae maxime necessaria eis esse cognovit, repetere non cessat, S. Apostolus continua eiusdem dogmatis eorundemque praeceptorum repetitione filiorum mentibus altius ea imprimere desideravit. Neque demonstratione accurata ad hunc finem indiget; in Evangelio enim, cui epistola additur, omnia ipsius Domini verbis evoluta atque Domini sermonibus vel exemplis demonstrata sunt.

Quo fit, ut analysis, quam pro more subiicimus, nihil sit nisi enumeratio sententiarum eo ordine, quo ab Apostolo proponuntur. Nihilominus ad maiorem claritatem tres partes distinguimus, quarum unaquaeque ad sententiam quandam in Evangelii principio propositam alludere eamque aliquo modo etiam evolvere videtur, ita tamen ut eaedem ideae in omnibus tribus partibus magis minusve recurrant[3].

1. *Orig.* in Ioan. tom. I. 6 (M. 14,32).

2. *S. August.* Tract. in Ioan. ep. ad Parth. Prol. (M. 35,1977).

3. *Card. Hugo* : « Dividitur in quinque partes, secundum quod quinque capitibus continentur. In primo ostendit et determinat, quid credendum sit (1,1-10), in secundo quid diligendum sit (2,1-29), in tertio ostendit, qualiter diligendum sit (3,1-24), in quarto agit de cautela diligendi et credendi, ostendens quid sit imitandum et quid non (4,1-21), in quinto agit plenius de effectibus fidei et caritatis » (5,1-21). *Lyranus* post prooemium (1,1-4) tres distinguit partes : 1. De fidelium inter se et cum Deo associatione per caritatem inchoatam in via (1,5-2,29), consummatam in patria (3,1-24), 2. De Verbi incarnatione (4,1-21), 3. De Verbi generatione (5,1-21). *Kilber* (Analys. bibl. II. p. 535 sqq.) : 1. Pars dogmatica s. compendiaria Evangelii expositio de credendis (1,1-7), agendis (1,8-2,11), considerandis (2,12-14) fugiendis (2,15-17); 2. Pars polemica s. antithesis verae doctrinae et haereticae (2,18-29), vitae spiritualis et carnalis (3,1-10), studiorum filiorum Dei et mundi (3,11-24); 3. Pars didactica s. instructio de probatione spirituum (4,1-6), de dilectione proximi (4,7-21), de notione fidei (5,1-20). *Drach* (l. c. p. 172) quatuor partes facit praeter exordium (1,1-4) et epilogum (5,18-21) : « Dans la première (1,5-2,11) il enseigne qu'il ne peut y avoir pour nous d'union avec Dieu que par Jésus-Christ, et que pour être uni avec celui-ci, il faut observer sa loi...; la seconde partie (2,12-29) a pour but de prémunir les fidèles contre l'amour du monde...; dans la troisième (3,1-22) S. Jean parle sur la qualité d'enfants de Dieu, qui nous vient de Jésus-Christ...; dans la dernière partie (4,1-5,17) l'Apôtre insiste sur la foi que nous devons avoir dans la divinité et dans l'humanité de J.-Chr. ». *Bisping* (l. c. p. 278 sq.) easdem fere, quas nos, tres partes agnoscit, sed alio modo eas describit : 1. *Deus est lux*, ergo debet Christianus in luce ambulare, mandata observare, a mundo cavere (1,5-2,28); 2. *Deus est iustus*, ergo Christianus iustitiam exercere debet atque ab haereticorum Verbi incarnationem negantium societate abstinere (2,29-4,6); 3. *Deus est caritas*; Christianus igitur Deum amare tenetur caritatemque fraternam exercere (4,7-5,17).

230. — IV. Analysis 1. Ioannis epistolae.

I. In brevi exordio (1,1-4) Evangelium, quod cum epistola transmittit, lectoribus commendat, quia in illo testis ocularis de Verbo vitae loquitur ideoque illud scripsit, ut cum Patre et Filio intime coniuncti fideles pleno gaudio fruantur.

II. In prima parte (1,5-2,29) ad illam doctrinam in Evangelio (*Ioan.* 1,4 sqq.) propositam, quod *Deus sit lux* provocans (1,5)

1. docet nos intimam cum Deo coniunctionem non habere, nisi ipsi quoque *in luce ambulemus* (1,6.7). Qui vero in luce ambulat,
   a.) imprimis confiteri debet se esse peccatorem, ut hac confessione peccatorum remissionem obtineat (1,8-10),
   b.) atque deinde a peccatis abstinere. Quamvis enim advocatum apud Deum habeamus Iesum, qui pro totius mundi peccatis propitiationem se Patri obtulit, ad eum tamen appellare non possumus, nisi mandata eius observemus eumque imitari studeamus (2,1-6).
   c.) Inter mandata eius autem eminet vetus illud et novum caritatis praeceptum; ex cuius observatione igitur diiudicandum est, utrum in luce, an in tenebris aliquis ambulet (2,7-11).

2. Praemissa deinde captatione quadam benevolentiae, in qua virtutibus lectorum suorum enumeratis se permotum esse asserit, ut illis et Evangelium scriberet et nunc epistolam scribat (2,12-14), duo indicat vitia, quibus homines, quominus in luce ambulent, impediuntur;
   a.) quorum prius est amor mundi, qui diligi non debeat, quum sit corruptio universalis et cito transeat (2,15-17);
   b.) alterum est commercium cum haereticis, quos antichristos vocat, quia praecursores sunt Antichristi et Iesum esse Christum negantes nec Patrem nec Filium agnoscunt (2,18-23). Ab his igitur caventes in eo fideliter permaneant, quod per Spiritum S. didicerint, ut cum fiducia adventum Christi exspectare possint (2,24-29).

III. In ALTERA PARTE (3,1-4,6) ad alteram veritatem in Evangelio (*Ioan.* 1, 12) enuntiatam provocans, quod nimirum Christus « dederit potestatem *filios Dei fieri* his, qui credunt in nomine eius », eamque ob futuram filiorum Dei gloriam exaltans (3,1.2) conditiones tres exponit, quae in filiis Dei requiruntur.

1. Anhelandum illis est ad sanctitatem (3,3) et vitanda sunt omnia peccata, quia Christo, qui ad ea auferenda venit, sunt opposita (3,4-7) et hominem constituunt filium diaboli, ita ut in sanctitate ex una parte et ex altera parte in peccato habeamus signum, quo filii Dei et filii diaboli cognoscantur (3,8-10).
2. Altera conditio, quae cum sanctitate intime cohaeret, quum sit impletio mandati alicuius divini, est caritas fraterna, quam filii diaboli, velut Cain, et mundus ignorant et odio habent (3,10-13). Unde occasionem arripit Apostolus
   a.) commendandae caritatis, quae veram dat vitam, dum odium generat mortem (3,14.15),
   b.) describendae caritatis requisitae, quae exercenda est ad exemplum Christi, qui se ipsum pro nobis tradens eam non verbis sed operibus constare docuit (3,16-18),
   c.) exaltandi fructus caritatis, quippe quae in cordibus nostris fiduciam ad Deum producat et petitionibus nostris exauditionem mereatur (3,19-22).
3. Tertia quoque conditio est impletio alicuius mandati divini, nimirum ut credamus in nomine Filii Dei, Iesu Christi (3,23.24). Quamobrem
   a.) monet non omni spiritui esse credendum, sed is solus ex Spiritu Dei loquitur, qui Iesum Christum esse Filium Dei confitetur; qui vero inter Iesum et Christum distinguit, is ex Deo non est, sed ex Antichristo, qui iam in mundo operatur (4,1-3),
   b.) gaudet, quod lectoribus suis, utpote in quibus sit Deus, nihil timendum sit ab illis antichristis, quorum sermones non audiunt nisi filii mundi, dum ipsi, qui ex Deo sint, audiant vocem Apostoli (4, 4-6).

IV. In TERTIA PARTE (4,7-5,12) tertiam veritatem in Evangelio (*Ioan.* 3,16; 1,14) enuntiatam in memoriam revocans, quod nimirum *caritas Deum impulerit, ut filium suum unigenitum daret,*

1. denuo ad caritatem Dei et caritatem proximi exhortatur, quae ita inter se connexae sint, ut una sine altera non possideatur (4,7-21).
   a.) Ab huius caritatis motivo indicando incipit, quod aliud non est nisi ipsius Dei caritas, quae maxime in eo sese manifestavit, quod filium suum unigenitum daret (4,7-11);
   b.) quibus expositis fructus caritatis enumerat. In eo enim, qui caritatem possidet, Deus invisibilis inhabitat eique tribuit Spiritum suum (4,12.13). Caritatis autem radix est fides in Iesum Christum, quare Deus etiam in eo manet, qui (non ore tantum, sed caritate sua) confitetur Iesum esse Filium Dei, quem Deus ex caritate dedit (4,14-16). Qui veram possidet caritatem, cum fiducia diem iudicii exspectat (4,17.18).
   c.) Atque particulam hanc concludit exhortatione ad caritatem Dei et proximi (4,19-21).
2. Fidem radicem esse caritatis mox insinuaverat, idem nunc fusius explicat (5,1-12).
   a.) Fides in Iesum Christum nos facit filios Dei, ac proinde etiam efficit, ut et Patrem et Filium diligamus, quae caritas connexam habet caritatem fraternam et ex observatione mandatorum Dei cognoscitur, qua observatione vincimus mundum; quocirca per fidem in Iesum Christum nos vincere mundum dicendum est (5,1-5).
   b.) Iesum autem esse Christum constat ex divino testimonio, quod omni humano maius recipi debet et, si fide recipitur, vitam aeternam praebet (5,6-12).

V. In epilogo (5,13-21) demum
1. se ideo epistolam scripsisse asserit, ut per fidem in Iesum Christum habituros se esse vitam scirent (5,13), fructumque proximum huius fidei fiduciam esse repetit, quacum a Deo omnia impetrare possint, atque ipsam etiam vitam pro fratre non peccante ad mortem (5,14-17),
2. denuo iis, qui nati sunt ex Deo, abstinendum esse monet a peccatis, abhorrendum a mundo, in Deum eiusque Filium credendum, ut vitam aeternam consequantur (5, 18-20),
3. atque concludit epistolam praecepto, ut ab idololatria sese custodiant (5,21).

231. — V. De integritate 1. Ioannis epistolae. A tribus saeculis controvertitur, num celeberrimum illud comma, quod de tribus testibus coelestibus in Vulgata nostra (1 *Ioan.* 5,7) legitur, ad sacrum textum pertineat, annon. Volumen integrum magnae molis conficeret, qui omnia, quae ab interpretibus et theologis ad versum illum sive defendendum sive impugnandum conscripta sunt, colligeret, digereret, accurato examini subiiceret. Neque tamen adhuc, ne inter ipsos quidem Catholicos, lis est composita : alii enim genuina esse verba acerrime asserunt, immo non nemo eo usque processit, ut « salva fide respui vel in dubium vocari illa posse » negaret, alii sine ulla haesita-

tione illa a S. Ioanne non esse scripta proclamant, alii rem non liquere censentes dubii haerent[1]. Maxima, qua poterimus, cum veritate et aequitate documenta, quibus lis diiudicanda est, in medium afferemus, atque prudens lector, cui parti litiganti causa sit adiudicanda, facile perspiciet. Illud unum autem praenotemus oportet, ab authentiae patronis nonnullis maius, quam par est, pondus ac momentum quaestioni attribui. Unico enim hoc loco negato, si eorum ardorem videris, totum SS. Trinitatis dogma vacillare, collabi, corrui putaveris; at ita res se non habet. Gravissima enim dogmata de Filii et Spiritus S. divinitate et de trium personarum divinarum consubstantialitate sine commatis Ioannei auxilio in antiqua Ecclesia a Patribus asserta, a Conciliis definita, contra Arianorum, Macedonianorum, Tritheitarum etc obiectiones vindicata sunt. SS. Trinitatis dogma igitur, quod versiculi impugnatores non minore cum veneratione, quam eius propugnatores, amplectuntur et profitentur, quaestione nostra non magis attingitur, quam dogma de divinitate Domini N. in dubium vocaretur, si in primo versu Evangelii S. Marci (« Initium Evangelii Iesu Christi, *Filii Dei* ») verba « Filii Dei » reiicienda esse criticis argumentis demonstraretur. De unico dumtaxat argumento agitur; immo ut accurate loquamur, de argumenti unius charactere litigari dicamus. Tota enim quaestio in eo versatur, num argumentum, quo ex verbis 1. *Ioan.* 5,7 dogma SS. Trinitatis demonstratur, sit vere scripturisticum, an traditionale. Per se igitur res est minimi momenti, atque nisi hodie ab omnibus agitaretur, totam quaestionem silentio praeterissemus.

1. Inter modernos authentiae propugnatores catholicos praecipui sunt *Em. Wiseman.* (Two letters on 1 Iohn 5,7. Rome 1833), *Em. Franzelin* (De Deo trino. Ed. 2. Romae 1874. p. 41-80), *Le Hir* (Les trois témoins célestes; Études bibl. Paris 1869. p. 1 sqq.), *Valroger* (Introd. II. p. 553 sqq.), *Danko* (Historia revelationis N. T. p. 506 sq.), *Kleutgen* (De ipso Deo. Ratisbonae 1881. p. 517, qui *salva fide* textum in dubium vocari posse primus negavit neque tamen novis argumentis authentiam demonstravit), *Rambouillet* (Revue des sciences ecclés. Paris 1888. Sept., qui S. Cypriani verba maxime urget, cfr *infra* p. 674), *Flunk* (Innsbr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1889. p. 212 sqq., qui simili modo argumentatur). — Authentiam commatis autem inter catholicos interpretes negant *Bisping* (Exeget. Handb. Münster 1871. VIII. p. 365 sqq.), *Schanz* (in Aberle Einl. Freiburg 1877. p. 127 *n.*, quamvis *Aberle* ipse dubius haereat), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. Freiburg 1890. p. 43), *P. Martin* (Revue des sciences ecclés. Août et Sept. 1887.), *Schneedorfer* (Compend. historiae libr. sacr. N. T. Pragae 1888.) aliique, quibus addatur oportet *A. Scholz*, qui in sua N. T. editione critica comma nostrum omisit. — Inter acatholicos post *Bengel* (Gnomon. Tubingae 1759. p. 1180 sqq.) authentiam defenderunt *Sander* (Comm. zu den Br. Joh. Elberfeld 1851.), *Besser* (Bibelstunden. Johannesbr. Ed. 3. 1862), *Forster* (A new plea for the authenticity etc. Cambridge 1867) aliique pauci. Longe maior acatholicorum numerus hodie eam reiicit, inter quos cuncti editores N. T. graeci (*Griesb., Lachm., Tischend., Tregelles, Westcott-Hort, Gebhard* etc.).

Documenta, quibus tota controversia diiudicanda est, alia sunt critica, alia theologica. A criticis initium capiamus, quae antiquis codicibus, versionibus, Patrum testimoniis continentur.

I. CRITICA DOCUMENTA[2]. 1. Inter CODICES GRAECOS epistolarum catholicarum hucusque *quatuor* sunt inventi, qui soli versum nostrum continent; e contra *centum nonaginta tres* eo carent, illisque accedunt circiter *sexaginta* lectionaria, inter quae nullum omnino est, quod versum exhibeat. Sed ponderandi quoque sunt testes; atqui quatuor illi authentiae testes omnes sunt iunioris aetatis, immo duo ex illis ad testimonium dicendum admitti non possunt. Unus enim (Ravianus. Evang. 110) saec. 16. transcriptus est ex editione typis impressa, alter (Act. 173, qui Neapoli asservatur), saeculi 11. quidem esse creditur, sed comma nostrum in margine dumtaxat et a manu iuniore (saec. 16. vel 17.) adscriptum habet. Duo igitur genuini remanent testes, quorum alter (Montfort. vel Dublin. Act. 34) saeculo 16., alter (Vatic. Ottob. Act. 162.) saec. 15. adscribitur. Auctoritate igitur etiam longe eos superant alii, qui versu carent, siquidem fere omnes antiquiores sunt, et nonnulli (B. N. A.) ad 4. et 5. saeculum, i. e. ad ipsam Patrum aetatem, ascendunt. — Authentiae patroni autem ad codices « antiquissimos et emendatissimos » provocant a Leone X. Cardinali Ximenes transmissos, ex quibus textus Complutensis sit desumtus, qui primus inter impressas editiones comma exhibuit. At praefationis Polyglottorum Complutensium verba, in quibus de exemplaribus a Leone transmissis sermo est, de Novo Testamento non esse intelligenda, demonstravit Vercellone[3], atque Stunica, praecipuus ex editoribus complutensibus in controversia, quam de huius commatis insertione cum Erasmo habuit, ad codices graecos, quibus usus esset, non provocavit, sed « Graecorum codices esse corruptos, nostros (latinos) vero ipsam veritatem continere » asserens indirecte saltem fassus est, se versiculum illum non ex codice aliquo hausisse[4].

2. Ad VERSIONES veniamus. *Syriacae* versionis (Peschito) nullus est cognitus codex, qui comma contineat; ab apostata Tremellio ex latino syriace redditum et margini suae editionis (1569) adscriptum a protestanticis N. T. syriaci editoribus Gutbierio (1664) et Schaafio (1709) in textum ipsum est receptum, at in editione, quam in usum Maronitarum S. Congregatio de Prop. fide (Romae 1703) curavit, est omissum. Neque magis versus noster exstat in versione syriaca *Philoxeniana*, neque in versionibus *copticis*, sive *Memphitica*, sive *Thebanica*, neque in *Aethiopica*. Inter viginti autem epistolae nostrae codices *armeniacos*, quibus usus est Zohrab ad editionem suam criticam Bibliorum armeniacorum praeparandam (Venetiis 1805), unus versum nostrum exhibuit, at saeculo 12. est iunior[5]. In *slavonicam* versionem introductus

est a. 1663, quo anno editio quaedam moscoviensis prima eum in marginem recepit, unde deinde in alias editiones nonnullas transiit.

Aliter autem se res habet, si ad *latinam* versionem attentionem nostram convertimus. Etenim non tantum Sixtina et Clementina, immo, ni fallor, omnes editiones impressae, sed etiam longe maior numerus codicum comma nostrum habent. Ad *codices latinos* autem quod attinet, tria sunt adnotanda :

a.) *Plus quinquaginta cogniti sunt, in quibus versus deest*, atque inter illos sunt duo antiquissimi et accuratissimi, scilicet *Fuldensis*, qui Capuae scriptus et a S. Victore Capuano Romae correctus (a. 546.) S. Bonifacio inservivit, *Amiatinus*, qui exeunte saec. 7. vel ineunte saec. 8. exaratus a. 716. Summo Pontifici a Ceolfrido abbate est oblatus; praeterea plerique, qui aetate sunt proximi, uti *Harleianus* saec. 8., *Vallicellanus* et *Biblia Caroli M.* in museo brittan. asservata, qui duo codices Alcuino adscribuntur et certe sunt saec. 9., *Armaghensis* saec. 8. vel 9. etc. commate nostro carent [6].

b.) *Codices, qui versum continent, inter se dissentiunt;* etenim tribus diversis modis eum exhibent, si minores lectiones varias omittimus. Alii enim cum Vulgata nostra Clementina consentiunt; alii (uti *Cavensis* saec. 8. vel 9, *Toletanus* saec. 10, *Demidovianus* saec. 12. etc) versus 7. et 8. transponunt hac ratione : « Quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in coelo, pater, verbum et spiritus, et hi tres unum sunt »; alii demum (uti *Weissenburg.*, duo *Ulmenses* etc) etiam versus transponunt, versum autem controversum hac ratione reddunt : « Quia tres sunt, qui testimonium dant, spiritus et aqua et sanguis, et tres unum sunt. *Sicut et in coelo tres sunt, pater, verbum et spiritus, et tres unum sunt* ». Advertas velim, in priore membro vocabula *in terra* esse omissa; quare alterum membrum nihil esse nisi glossam ex margine in textum receptam videtur esse evidens [7].

c.) Quod autem in *iuniores codices longe plerosque comma nostrum sit receptum id praefationi cuidam, sub S. Hieronymi nomine a falsario confictae deberi*, multi non inepte existimant. Pseudo Hieronymus enim iste paucis verbis praefatus, se epistolarum rectum ordinem restituisse, in hunc modum pergit : « Quae (epistolae) si, ut ab eis digestae sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret : illo praecipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Ioannis epistola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse a fidei veritate comperimus, trium tantum vocabula, hoc est aquae, sanguinis et spiritus, in sua editione ponentes, et Patris Verbique et Spiritus testimonium omittentes, in quo maxime et

fides catholica roboratur, et Patris et Filii ac Spiritus sancti una divinitatis substantia comprobatur ». Quin haec praefatio sit *dolose conficta*, nemini hodie est dubium[8]; antiquissima autem est fictio, quum in codicem Fuldensem iam medio saeculo 6. sit recepta, quamvis S. Victor Capuanus, qui codicem scripsit et correxit, verbis illis permoveri se non siverit, ut versum ipsum a Ps. Hieronymo commendatum in textum reciperet. At aeque cauti non fuerunt iuniores librarii, eosque secuti interpretes etiam saec. 15. et 16. cum *Luca Brug.*, *Iustiniano*, *Barth. Petri*, Estii continuatore etc ad hanc praefationem provocarunt, usque dum *Ioan. Martianay* O. S. Bened., *Fr. Scip. Maffeius* et *Dom. Vallarsius*, presbyteri veronenses, eam falsarii opus esse demonstrarunt. Quemadmodum autem ex illa praefatione videmus, illo iam tempore de nostri commatis authentia esse litigatum, ita etiam ex illa facile explicatur, quod librarii iuniores, qui eam a S. Doctore scriptam esse putaverunt, versum illum omittere noluerint.

2. Documenta critica diligenter et accurate collegerunt *Griesbach* (Diatribe in 1 *Ioan.* 5,7. — Nov. Tes. gr. Ed. 2. II. Appendix), *Tischendorf* (Nov. Test. graece Ed. 8. II. p. 337 sqq.), *Scrivener* (Introduction to the criticism of the N. T. p. 648 sqq.), *Westcott* (The epistles of St John. Ed. 2. 1886. p. 201 sqq.) etc.

3. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 114. *n.* 2. p. 324 sq.

4. Hinc apparet, quo sensu intelligendum sit, quod haud raro legitur : « in *nonnullis* codicibus graecis inde a saec. 4. scriptis versum deesse, in *nonnullis* eum inveniri », immo « Graecorum codicum, qui adhuc exstent, nonnullos *eosque optimae notae* cum Vulgata consentire » (*Kleutgen* l. c. p. 519).

5. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 145 et *n.* 7. p. 407 sq.

6. Hinc apparet, quo cum iure asseratur : « *fortasse etiam* in aliquibus latinae Vulgatae exemplaribus, quae ad graecorum normam correcta erant, versiculum defuisse » (*Kleutgen* l. c. p. 519). — Ceterum in *antiquioribus illis codicibus* hac ratione locus ille legitur : « Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quia tres sunt, qui testimonium dant : spiritus, aqua et sanguis, et tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus » etc. Quae adscribere voluimus, quia interdum argumentum desumi vidimus ex verbis « *in terra* », quae in oppositione testimonium *coeleste* postulare videantur. At verba illa « *in terra* », nec in graecis codicibus, nec in reliquis versionibus, nec in antiquioribus latinis exemplaribus leguntur.

7. Similes glossae etiam in codicum graecorum margine interdum habentur : ex. gr. in Parisiensi quodam ad v. 8. : « τουτέστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ὁ πατὴρ καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ; atque dein ad verba « ἕν εἰσι » adnotatur : τουτέστι μία θεότης, εἷς θεός.

8. Cfr. *Vallarsi* et *Martianay*, qui fictam esse praefationem in suis operum S. Hieronymi editionibus fuse probaverunt (M. 29,863 sqq. Nota *Vallarsii*, quae ita incipit : « *Hieronymi hunc prologum non esse, sed hominis quum sequioris multo aetatis, tum subsellii paene infimi, certis adeo argumentis recentiores critici atque ipse etiam Martianaeus evincunt, ut si demonstrare id ipsum velimus, actum agere videamur* : clamat enim vero totus orationis contextus e hieronymianis laciniis hinc inde male consarcinatus, stylus ipse incomtus, ubi de suo quaedam auctor subnectit, fluxae sententiae et posteriora saecula redolentes..., nova etiam vocabula » etc.

Diligentissime prae reliquis in *latinorum* documentorum testimonium **P. Martin** inquisivit atque summam studiorum suorum his verbis complectitur (Revue des sciences ecclésiast. 1887. p. 201) : « Comma ioanneum non nisi satis tarde apparet, et quidem una in terra apud scriptores anonymos (saec. 5) et in documentis, quae dubiae aut suspectae sunt originis. Media aetate usque ad 12. saec. fere omnibus scriptoribus latinis incognitum mansit atque ante 12. saec. in paucis tantum codicibus legitur, qui ad unam familiam pertinent multisque et gravibus interpolationibus, praesertim in 1 Ioan. 5., scatent ». Comma in Hispania exortum esse originemque suam haeretico Priscilliano debere Martin coniicit, ad eius autem propagationem praeter B. Hieronymi praefationem, de qua diximus, inde a 13. saec. quam plurimum contulisse auctoritatem Universitatis Parisiensis arbitratur, in qua exeunte saec. 12. et ineunte 13. exorta est illa Vulgatae recensio, cui *Parisii* vel *Parisiensis exemplaris* nomen est inditum (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. p. 452 sqq.).

3. Tertio loco inter documenta critica referenda sunt PATRUM TESTIMONIA. Ex Patribus autem orientalibus, sive *Graecis*, sive *Syris*, sive *Armenis*, hucusque ne unus quidem cognitus est, qui comma nostrum aut allegaverit aut ad illud quoquo modo alluserit. Quod eo magis est mirum, quo frequentiores eis in continuis cum Antitrinitariis, Arianis, Macedonianis etc fuerunt occasiones textus istius allegandi, et quo diligentiores eos in argumentis pro SS. Trinitate conquirendis fuisse opera eorum satis superque demonstrant. Parum recte vero Patrum silentium ita explicatur, ut ab testimonio illo, quod non in omnibus legebatur codicibus, afferendo ideo abstinuisse dicantur, ne cavillandi occasionem darent haereticis. Tam timidi enim non erant Patres, ut propter haereticos particulam verbi divini relinquerent. Innumeris in locis Iudaeos, Marcionem, Gnosticos aliosque haereticos, qui versus nonnullos Scripturae reiecerunt, corruptarum Scripturarum reos declarant Iustinus, Irenaeus, Epiphanius, Tertullianus; non paucioribus fere in locis, ut lectiones codicum suorum defendant, ad antiqua et accurata exemplaria provocant Eusebius, Epiphanius, Gregorius Nyss., Hieronymus. Quis igitur sibi persuadebit, contra Arianos, Macedonianos, reliquosque maximi et altissimi mysterii adversarios unanimi cum consensu Patres ad unum omnes tanta lenitate usos esse, ut ne verbulo quidem ad clarissimum illum textum alluderent[9]? Restat ergo, ut Patribus omnibus ORIENTALIBUS comma nostrum incognitum fuisse fateamur.

Tacentibus vero orientalibus loquuntur OCCIDENTALES, non omnes quidem, at nonnulli saltem. Etenim ante secundam partem saeculi 5. *certum* documentum non invenimus, quo versum inter Latinos cognitum fuisse demonstremus. Ab exeunte deinde saec. 5. usque ad 9. nonnullos quidem *certos* habemus testes, aliis tamen, iisque ni fallor frequentioribus, tacentibus, qui loqui potuerunt. Inde porro a saec. 9. paullatim comma praevalebat atque a saec. 12. communi in usu fuit usque ad saec. 16., quo tempore de eo iterum inter Latinos litigari coeptum est.

De nostro textu prorsus tacent antiquiores Arianorum adversarii, *S. Hilarius Pictav., Lucifer Calarit., Hosius Cordub.;* neque ullibi ad eum alludunt, quamvis occasio eis non defuerit, *S. Ambrosius* eiusque aequales, *S. Hieronymus* aliique bene multi. Ipsi quoque primorum saeculorum Summi Pontifices, inter quos magna illa luminaria *S. Leo M.* et *S. Gregorius M.* in multis suis operibus et epistolis nullam prorsus mentionem nostri versus faciunt. *Ven. Beda,* qui integrae epistolae singulos versus diligenter explicat, nostrum silentio praetermittit. At integrum fere Latinorum Patrum catalogum adscriberemus, si omnes, qui tacent, enumeraremus; de loquentibus potius dicamus.

Testibus incertis adnumeramus Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, quorum testimonia ab authentiae patronis afferri solent. *Tertullianus* bis ad versum nostrum allusisse dicitur : adversus Praxeam de *Ioan.* 14,8 sqq. disputans haec habet : « Paracletum quoque a Patre se postulaturum, quum ascendisset ad Patrem, et missurum repromittit, et quidem alium, sed iam praemisimus quomodo alium. Ceterum *de meo sumet,* inquit, sicut ipse de Patris (i. e. de eo, quod Patris est, sumit). Ita connexus Patris in Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, QUI TRES UNUM SINT, non unus. Quomodo dictum est : *Ego et Pater unum sumus*, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem ». Alter locus sic se habet : « Ecclesia proprie et principaliter ipse est SPIRITUS, IN QUO EST TRINITAS UNIUS DIVINITATIS, PATER ET FILIUS ET SPIRITUS S. »[10]. Cur Tertullianum vocemus testem authentiae incertum, explicatione non indiget. Minus incertum videtur esse *S. Cypriani* testimonium : « Dicit Dominus : *Ego et Pater unum sumus,* et iterum de Patre et Filio et Spiritu S. scriptum est : *Et hi tres unum sunt* »[11], at plane certum tamen non est. Etenim verba eadem de spiritu, aqua et sanguine dicuntur, et fieri potuit, ut S. Cyprianus allegorico modo haec de tribus personis divinis explicaret, quemadmodum revera *S. Augustinus* ea explicavit et S. Cyprianum ea explicasse censuit *Facundus Hermian.*[12].

Ex genuinis *S. Augustini* operibus duo testimonia allegantur, quae simul sumta et coniuncta integrum comma ioanneum constituere dicuntur. De verbis Domini : « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum » disserens, postquam duos quoque vel tres homines, immo integrum populum mentiri posse monuit, in hunc modum pergit : « Si ergo populus constans ex magna hominum multitudine falsus testis inventus est, quomodo accipiendum est : In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis? Vis habere bonam causam? Habeto duos vel TRES TESTES, PATREM ET FILIUM ET SPIRITUM S. ». Alio praeterea in opere haec habet : « Deus itaque summus et verus cum

Verbo suo et Spiritu S., QUAE TRIA UNUM SUNT, Deus unus omnipotens creator et factor omnis animae atque omnis corporis » [13]. Quod ingeniosius quam verius esse argumentum nemo non videt, praesertim quia illis in libris, in quibus de SS. Trinitatis mysterio disputans diligentissime conquisivit testimonia scripturistica, nostrum textum silentio praeteriit S. Doctor, et quia c. Maxim. disputans, tres personas divinas testes vocari posse non ex nostro commate demonstrat, sed longis ambagibus ex aliis textibus colligit [14].

Quae autem in certis S. Augustini operibus non inveniuntur, in dubio habentur. In antiquo codice Cardinalis Mai Speculum Scripturae quoddam invenit, in quo comma ioanneum bis legitur. S. Augustinum librum eiusmodi scripsisse certum est; utrum vero opus recenter repertum, an illud quod eodem Speculi titulo insignitum inter opera Augustini a Maurinis est editum, genuinus sit S. Doctoris foetus controvertitur. Quidquid autem de hac quaestione est, grave semper codicis ipsius est testimonium, siquidem saec. 6. vel 7. est scriptus [15]. Sed antiquiores et graviores alii sunt testes ecclesiae africanae. Etenim a. 484. *S. Eugenius Carth.* cum plus quadringentis quinquaginta episcopis afris regi ariano Hunerico professionem fidei tradiderunt, in qua integrum nostrum testimonium allegant et explicant [16]; inter illos episcopos fuit *Vigilius Taps.*, qui ipse quoque comma illud contra Arianos affert, uti paullo post etiam *S. Fulgentius Rusp.*, ut nullum sit dubium, quin a medio saec. 5. comma ioanneum in ecclesia africana fuerit receptum [17]. Iuniora et pauciora sunt *certa* testimonia in aliis ecclesiis occidentalibus; in Italia non habemus nisi *Cassiodorum* (saec. 6.) et *Autpertum Benev.* (saec. 8.) [18], in Hispania *S. Isidorum Hisp.* (saec. 7.), *Etherium* et *Beatum* (saec. 8.) [19]. Inde a 9. saec., a quo tempore in latinos codices frequentius recipiebatur, etiam a scriptoribus ecclesiasticis frequentius usurpabatur.

9. In homilia quadam contra Anomaeos habita, quae inter Chrysostomi quidem opera legitur, sed eius non est (licet eius aetati sit adscribenda) allusio inveniri dicitur. Haec enim leguntur verba : Εἷς κέκληται ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον (Homilia in illud : In principio erat Verbum. 2. M. 63,545). Sed si in his verbis iam habetur allusio, plures invenire non erit difficile; nam innumeris in locis a graecis Patribus *unitas Patris et Filii et Spiritus S.* asseritur. Alterum vestigium invenire voluit *Le Hir* (l. c. p. 80 sqq.) in textu quodam Claudii Apollinarii, quem Chronicon Pasch. conservavit, in quo Christus crucifixus dicitur ὁ ὑψωθεὶς ἐπὶ κεράτων μονοκέρωτος καὶ ὁ τὴν ἁγίαν πλευρὰν ἐκκεντηθείς, ὁ ἐκχέας ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ τὰ δύο πάλιν καθάρσια, ὕδωρ καὶ αἷμα, λόγον καὶ πνεῦμα. (M. 5,1297). Sed nisi omnia nos fallunt, « Verbum et Spiritus » adduntur velut mystica explicatio vocabulorum « aquae et sanguinis », neque quidquam aliud ex verbis illis derivatur, nisi Claudium Apollinarem, si ei auctori verba sunt adscribenda, cum iunioribus Patribus in aqua et sanguine ex latere Christi profluentibus symbola sacramentorum vidisse. Nihil vero in tota phrasi est, quod

eum ad *epistolam* Ioannis, nedum ad 1 *Ioan.* 5,7, respexisse suadeat; optime enim omnia explicantur, si solus Evangelii textus (*Ioan.* 19,34) respici dicitur.

10. *Tertull.* c. Prax. 25; de pudic. 21 (M. 2,188. 1026). Tertullianum non nisi consubstantialitatem enuntiare, sed nostrum versum non allegare evidens est.

11. *S. Cyprian.* de unit. eccl. 6 (M. 4,504). Immerito alterum eius affertur testimonium ex ep. ad Iubaian. 12 (M. 3,1162), ubi eos, qui ab haereticis baptizati sunt, templum Dei fieri non posse demonstraturus ita argumentatur : « Si templum Dei factus est, quaero cuius Dei? Si Creatoris, non potuit, quia in eum non credidit. Si Christi, nec huius fieri potuit templum, qui negat Deum Christum. Si Spiritus sancti, *quum tres unum sint*, quomodo Spiritus S. placatus esse ei potest, qui aut Filii aut Patris inimicus est? » Nihil enim in his verbis habemus, nisi consubstantialitatis assertionem.

12. *S. August.* c. Maximin. II. 22 (M. 42,795). Verba integra adscribere placet, quia evidenter demonstrant, S. Augustinum versum nostrum controversum non cognovisse. Ostensurus igitur, in v. 8. Spiritum sanguinem et aquam posse recte dici *unum esse* ita argumentatur : « Quae tria si per se ipsa intueamur, diversas habent singula quaeque substantias, ac per hoc non sunt unum. Si vero ea, quae his significata sunt, velimus inquirere, NON ABSURDE OCCURRIT IPSA TRINITAS, qui unus solus verus summus est Deus, Pater et Filius et Spiritus S., de quibus verissime dici potuit : *Tres sunt testes, et tres unum sunt* : ut nomine spiritus significatum accipiamus Deum Patrem; de ipso quippe adorando loquebatur Dominus, ubi ait : *Spiritus est Deus;* nomine autem sanguinis Filium, quia *Verbum caro factum est;* et nomine aquae Spiritum S.; quum enim de aqua loqueretur Iesus, quam erat daturus sitientibus, ait Evangelista : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Testes vero esse Patrem et Filium et Spiritum S., quis Evangelio credit et dubitat, dicente Filio : Ego sum, qui testimonium perhibeo de me; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater? Ubi etsi non est commemoratus Spiritus S., non tamen intelligitur separatus. Sed nec de ipso alibi tacuit, eumque testem satis aperteque monstravit. Nam quum illum promitteret, ait : Ipse testimonium perhibebit de me ». Nonne ad evidentiam haec S. Doctoris verba probant, eum comma nostrum non habuisse? Ad quid enim implicata illa demonstratio Spiritum designare Patrem, sanguinem Verbum, aquam Spiritum S.? Et quid opus habuit undequaque conquirere textus, ut tres personas divinas *testes* vocari posse demonstraret, si versu 7. iam diserte vocatae essent testes. — De S. Cypriani autem verbis *Facundus Hermian.* (Pro defensione trium capitul. I. 3. M. 67,536), postquam eodem modo, quo S. Aug., verba *spiritus, sanguis et aqua* de tribus personis explicavit, ut hanc suam explicationem defendat, haec scribit : « Quod tamen Ioannis Apostoli testimonium B. Cyprianus, carthaginiensis antistes et martyr, in epistola sive libro, quem de Trinitate (alius codex rectius : de Unitate sc. Ecclesiae) scripsit, de Patre et Filio et Spiritu S. dictum intelligit ». *S. Cyprianum* ab allegoricis eiusmodi explicationibus non abhorruisse alia exempla docent; ex. gr. de Orat. dom. 34 (M. 4,541) in eo, quod Daniel eiusque socii hora tertia, sexta et nona orasse referuntur, « sacramentum Trinitatis, quae in novissimis temporibus manifestari habebat, » invenit. Ceterum *S. Fulgentius Rusp.* (Resp. c. Arian. Obi. 10. M. 65,224) verba S. Cypriani (in libro de Unit.) de commate nostro intelligenda esse vult miroque modo probat : « *Nam* et in libro de Oratione dominica, ut ostenderet Trinitatem unius deitatis esse nec inter se aliquam diversitatem habere, Danielem et tres pueros ternarum horarum circulis revolutis orationem fundere solitos memoravit. Ubi et in trium horarum circulo et in unius orationis officio unum Deum esse Trinitatem *evidenter* ostendit ».

13. *S. August.* in Ioan. tract. 36,10 et De Civit. Dei. V. 11 (M. 35,1669 et 41,

153). Mirum est, quod ne eiusmodi quidem allusiones plures inveniantur; certum autem hoc argumentum esse nemo prudens dixerit.

14. Incertis testibus etiam adnumerare potest, qui vult, *S. Phoebadium* (qui in suo Libr. contra Arianos 22. M. 20,30. Tertullianum fere transcribit : « Sic alius a Filio Spiritus, sicut a Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona : unus tamen Deus omnia, *tres unum sunt* ») et *S. Eucherium Lugd.*, Formular. spirit. intellig. 11 (M. 50,770); at textus hic in paucis dumtaxat operis codicibus legitur; opus autem hoc esse interpolatum constat.

15. Speculum Script. vel Lib. Testimon. c. 2,3. in *Mai* Nova biblioth. Patr. Romae 1852. I.

16. *Victor Vit.* De persecut. Vandal. III. 11 (M. 58,224), qui totam fidei professionem refert. Cfr. etiam *Harduin.* Coll. Concil. II. 863.

17. *Vigil. Taps.* de Trinit. I. et saepius; c. Varimad. I. 5 (M. 62,243. 359). Priorem librum edidit sub nomine *Athanasii*, alterum sub nomine *Idacii Clari*. Sunt tamen, qui alterum librum revera ab Idacio scriptum esse velint, atque hac ratione pro uno haberemus duos testes. Ceterum quum certo constet, Vigilium Taps. *sua* opera fictis antiquiorum Patrum nominibus exornasse, nescio an ei non etiam liceat attribuere fictam illam praefationem in catholicas epistolas, quae sub nomine S. Hieronymi edita est. Certum est, eam exeunte saec. 5, vel ineunte saec. 6. esse confictam, quia medio saec. 6. Victor Capuanus eam in suum codicem recepit (cfr. *supra* p. 671 sq.).

18. *Cassiod.* Complex. in 1 Ioan. n. 10 (M. 70,1373) : « Cui rei testificantur in terra tria mysteria : aqua, sanguis et spiritus, quae in passione Domini leguntur impleta; ***in coelo autem Pater et Filius et Spiritus S., et hi tres unus est Deus*** ».

19. *Ether.* et *Beat.* ad Elilpand. I. 26 (M. 96,909). *S. Isidori Hispal.* Testimonia div. Script. et Patr. 2 (M. 83,1203). Opusculum hoc in uno solo codice Veronensi conservatum nomine auctoris caret; quia vero in eodem codice alia opuscula S. Isidori habentur, a nonnullis eidem auctori attribuitur. In certis autem S. Isidori operibus nullum est commatis nostri vestigium.

Quibus documentis suppositis *ita argumentantur authentiae patroni :* Comma ioanneum semper exstitit in versione latina; atqui antiquitate sua versio latina reliquos testes omnes superat; ergo versus pro genuino admittendus est. Maiorem autem probant ex codicibus latinis et ex testimoniis Patrum latinorum, maxime africanorum (Tertulliani, Cypriani, Augustini, Eugenii sociorumque eius quadringentorum, Vigilii Taps., S. Fulgentii), quorum auctoritas in hac quaestione ideo sit maior, quia in Africa versio latina exorta est. Confirmant autem argumentum suum monentes a.) non admisso illo versiculo destrui aptum contextum et b.) explicari non posse, quomodo versus, si genuinus non est, in textum irrepserit.

Adversarii authentiae iisdem suppositis documentis *ita argumentantur :* Textus ille deest in omnibus omnino codicibus graecis, qui alicuius sunt auctoritatis, in omnibusque versionibus orientalibus, nunquam ab ullo Patre orientali adhibitus est, nec *certum* eius vestigium in ipsa latina ecclesia ante medium saec. 5. invenitur : atqui constans hoc et unanime silentium, etsi per se argumentum sit negativum, in hac quaestione aequivalet positivo, quia illis quinque saeculis in Oriente

et in Occidente controversiae maximae de SS. Trinitate agitabantur et non tantum ecclesiae maxima cum cura vigilabant, ne testimonium aliquod divinum amitterent, sed Patres quoque omnes quidquid ad augustissimum mysterium demonstrandum inserviebat, summa cum sollertia conquirebant. Ergo quatuor primis saeculis comma in S. Scriptura non exstitit ac proin genuinum non est. Atque ipsi quoque argumentum suum ex contextu confirmant, qui omisso versu 7. sit aptior.

Cui *adversariorum argumento reponunt authentiae patroni :* a.) omissionem versus in codicibus graecis facile explicari, quia versus 7. et 8. sunt homoioteleuti et librarii oculus a fine versus 7. ad initium v. 9. transiliit[20]; forte etiam Eusebium, qui ad Arianismum inclinavit, in quinquaginta codicibus, quos iussus a Constantino describendos curavit[21], versum 7. omisisse, atque proin omissionem Arianismo deberi; b.) versiones illas plerasque iuniores esse, nec adornatas, nisi postquam comma iam ex codicibus graecis disparuit, aut forte etiam ab haereticis eas esse corruptas; c.) Patres prudenti silentio versum praeterisse, ne haereticis ansam cavillandi darent[22].

Ut *patronorum argumentum* solvant, *adversarii authentiae* Maiorem et minorem negant. Iure autem se Maiorem negare demonstrant exhibitis plus quinquaginta *latinis* codicibus, inter quos antiquissimi omnes, versu nostro carentibus, et operibus omnium Patrum latinorum usque ad 5. saec. degentium, qui saepissime ad fideles de SS. Trinitate disserentes et validissime contra haereticos eam defendentes nunquam comma ioanneum adhibuerunt; id quod ipsi patroni fateri cogantur, siquidem non nisi tria levissima et incerta vestigia commatis invenire potuerint. Immo usque ad saec. 9. illud in integra ecclesia latina nondum receptum esse documentis historicis ostendunt. Minorem autem iure negant, quia revera syriaca versio probabiliter antiquior est, copticae autem non multo sunt iuniores, quam latina. — Ad confirmationem autem priorem quod attinet, contextui patronorum suam explicationem totius loci opponunt, atque fatendum est, contextum bonum haberi, sive comma illud admittatur, sive relinquatur; id quod iam satis ex eo elucet, quod omnes Patres africani saec. 5. et deinceps versum 7. nostrum post nostrum 8. habuerunt, nec graeci Patres, qui versu 7. caruerunt, ullam contextus perturbationem animadverterunt. Demum ut explicent, quomodo comma, etsi genuinum non sit, in textum irrepserit, monent alterum versum de spiritu, aqua et sanguine, uti ex S. Augustino, Facundo aliisque Patribus constat, mystico sensu de SS. Trinitate frequenter esse expositum; eiusmodi explicationem autem margini codicis adscriptam a librario quodam in ipsum textum esse admissam, atque demum Ps. Hieronymi confictam praefationem effecisse, ut in plerosque co-

dices reciperetur. Quamplurimas revera glossas ex margine in textum ipsum multorum codicum antiquitus irrepsisse, et codices adhuc exstantes demonstrant et S. Hieronymus non semel conqueritur. Facillime igitur insertio commatis in nonnullis codicibus antiquis latinis (a quibus dependent iuniores) explicatur, at quomodo comma illud, si genuinum esset, *nullo animadvertente et reclamante* in tot et tantis codicibus sit omissum, nulla ratione explicatur; homoioteleutia enim, ad quam provocant commatis patroni, ad *universalem* illam omissionem explicandam non sufficit.

Sed haec de criticis argumentis sufficiunt; ad theologica veniamus.

20. Eiusmodi homoioteleutis interdum membra esse omissa certum est; at homoioteleutia omissionem versus 8^{i} potius, quam versus 7^{i}, provocasset. Quod si versus etiam homoioarcti vel homoioprophori dicuntur, remanet difficultas, quomodo semper versus 7. sit omissus, et quomodo haec omissio in omnes omnino codices transierit.

21. Cfr. *Euseb.* Vita Constant. IV. 36. 37 (M. 20,1185). At hac ratione non explicatur, quomodo codices Eusebio antiquiores, quibus usi sunt interpretes syriaci et coptici, Patres Eusebio antiquiores aut aequales (Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, Gregorius Neocaes. etc, Athanasius, Cyrillus Ieros., Macarius etc), versu caruerint; neque magis quomodo fieri potuerit, ut *omnes* codices Eusebio iuniores hoc vitio infitiarentur nec ullus conservaretur, qui comma haberet.

22. Haec ratio Latinorum saltem, quos authentiae patroni comma habuisse supponunt, silentium non explicat. Ceterum confer ea, quae *supra* de hac exceptione diximus.

II. Quoniam argumenta critica, ut parcissime dicamus, authentiae commatis non multum favent, eius *patroni* ad RATIONES THEOLOGICAS recurrunt, quibus rem definiri censent. Concilii enim Tridentini decreto, inquiunt, sub anathematis poena iubemur libros sacros, quorum canonem recensuit, « integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in vetere vulgata editione latina habentur, pro sacris et canonicis suscipere ». Per partes illas autem Concilium singulos etiam versiculos intellexit, eos saltem, qui doctrinam fidei vel morum continent. Atqui non est dubium, quin versiculus noster tempore Concilii a multis iam saeculis et in vulgata latina editione lectus et in tota Ecclesia pro genuino habitus sit. Non solum enim a doctoribus privatis ad dogma demonstrandum passim adhiberi, sed etiam in publicis documentis et sacra liturgia velut textus sacer recitari solebat. Publica autem documenta, in quibus textus adhibitus est, sunt Concil. Lateran. IV. cap. *Damnamus* et Innocentii III. decretalis relata in Corp. iur. De celebr. Miss. cap. *In quadam*. l. III. tit. 41. c. 8[23].

Quibus ut respondeant, *authentiae adversarii* monent a.) Concilium additione vocum « cum omnibus suis partibus » etc proxime et directe, id quod ex Concilii Actis elucet, particulas nonnullas *Evangeliorum* illo tempore a protestanticis et catholicis quibusdam reiectas tueri voluisse,

de nostro autem commate, quamvis illo tempore Caietanus illud addubitasset, Erasmus ex duabus prioribus suis editionibus illud omisisset atque protestanticae quoque editiones illud e textu eiecissent, Patres Trid. non esse locutos; parum autem esse probabile, illos controversias de tribus Evangeliorum particulis exortas cognovisse, sed controversiam de commate nostro agitatam ignorasse[24].

b.) Quidquid autem de hac quaestione sit, quoniam Concilii verba ita sint comparata, ut quidquid ad substantialem Scripturarum integritatem pertinet, attingant et tueantur, totam monent quaestionem in eo versari, utrum comma ad substantialem Scripturarum integritatem eo sensu pertineat, quo Concilium eam describat; duas enim poni conditiones, quibus partes illae distinguantur : « prout in Ecclesia catholica legi consueverunt » et « in vetere vulgata editione habentur »; utramque autem verificari debere, ut textus aliquis iis partibus sit adnumerandus, quas Concilium tuetur[25]. Quibus praemissis interrogant : α.) num in Ecclesia *catholica* legi *consuevisse* dicendus sit textus, cuius ne minimum quidem vestigium ante saec. 12. in omnibus ecclesiis orientalibus inveniatur? β.) num in *vetere* Vulgata haberi dicendus sit versus, qui ante medium saec. 5. in ecclsiae latina *certum* testimonium non habeat, quo post medium saec. 5. optimi careant Vulgatae codices atque ii praesertim, qui vix centum annis post S. Hieronymi mortem Romae et in viciniis eius scripti et correcti sine ullo dubio proximi ad eam textus formam accedunt, quam S. Doctor Romae iussu et auctoritate S. Damasi edidit et Sixtus V. aliique Pontifices in sua puritate, quoad eius fieri possit, restituere voluerunt[26]? γ.) num textus illi etiam dogmatici, qui ante Conc. Trid. critice erant dubii, omnes decreto Tridentino certi sint declarati[27]?

c.) A privatis quidem doctoribus, qui Ps. Hieronymi praefatione in errorem inducti[28] versum in hieronymiana correctione fuisse arbitrati sint, eum esse adhibitum concedunt, ab infallibili autem magisterio eum adhibitum esse negant. Procul dubio, inquiunt, in cap. *Damnamus* Concilii Later. IV. legitur, at non nisi tamquam obiectio abbatis Ioachim, quam ne refutandam quidem duxerunt Patres Concilii, quamvis alium textum ab abbate prolatum diligenter explicarent[29]. Legitur etiam in decretali Innocentii III. *In quadam;* at probe notandum est, Pontificem ab episcopo Ferrariensi interrogatum, num in versu altero (« Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis ») nomine *aquae* vera aqua an potius phlegma esset intelligendum, hanc solam quaestionem voluisse decidere et nostrum versum in transitu dumtaxat allegasse, ut ad suum thema perveniret; hinc ex ista allegatione illud solum sequi, quod aliunde abunde constet, illo tempore versum in

satis multis libris latinis adfuisse. Si quis enim simplicem allegationem istam pro decretorio argumento haberet, ex eadem decretali cogeretur admittere corpus humanum quatuor elementis terrae et aëris, aquae et ignis constare, quatuorque in corpore humano esse humores, sanguinem, choleram, phlegma et melancholiam, atque Apostolum, ut verum fuisse corpus Christi doceret, unum ex elementis (aquam) et unum ex humoribus (sanguinem) posuisse[30].

d.) In liturgia demum eum inde a saec. 9. vel 10. eatenus adhiberi aiunt, quatenus in pericopa liturgica legitur, at usu liturgico authentiam alicuius textus non demonstrari. Liturgicae enim lectiones, inquiunt, ex editionibus vulgatis desumuntur, nec ullum est dubium, quin ante romanam Vulgatae correctionem velut partes Scripturae in lectionibus liturgicis multi adhibiti sint versus, qui a correctoribus romanis utpote verba humana ex editione correcta sunt eiecti. At teste praefatione Vulgatae Clementinae in hodierna nostra Vulgata « sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia quae mutanda videbantur, consulto immutata sunt relicta »; atque primam rationem, cur nonnulla non mutaverint, correctores dicunt fuisse « offensionem populorum vitandam »; res igitur relictae sunt gravioris momenti, ac proin etiam in gravioribus rebus in liturgia verba humana inter textus scripturisticos adhuc hodie legi videntur[31].

Utriusque partis argumenta sine ira et studio exposuimus; utra ex duabus sententiis melioribus nitatur rationibus, diiudicet lector.

23. Ita fere ad verbum *Kleutgen* l. c. p. 519 verbis paucis ea complexus, quae magna cum eruditione evolvit *Em. Card. Franzelin* l. c. p. 41 sqq.

24. *Theiner* Acta gen. SS. oecumen. Conc. Trid. Zagrabiae 1874. I. p. 71. 72. Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 52. et *n.* 2. p. 146. 147.

25. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 174 et *n.* 5. p. 473. 474.

26. De codicibus Fuld. et Amiat. cfr. *Introd. gener.* 169 p. 436; de fine, quem Sixtus V. sibi in sua Correctione proposuit, cfr. eius constitut. « Aeternus ille » (*Introd. gen.* 178. n. 9. p. 468) : eo enim spectasse suos labores asserit, « ut Vulgata Vetus ex Tridentinae Synodi praescripto emendatissima pristinaeque suae puritati, qualis primum ab ipsius interpretis manu styloque prodierat, quoad eius fieri posset, restituta imprimeretur ».

27. Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 176. p. 477 sq.

28. Ipse *Lucas Brugensis* in 1 Ioan. 5,7, postquam adnotavit esse codices, qui v. 7. omittant, monet « conqueri in praef. ad cath. epistolas *Divum Hieronymum*, ab infidelibus translatoribus Patris Verbique ac Spiritus testimonium omissum ». Verisimillimum igitur est, etiam romanos correctores eadem praefatione, quam genuinam immerito habuerunt, in errorem esse inductos. Eo enim tempore criticae operum patristicorum editiones nondum habebantur.

29. Cap. *Damnamus.* « (Abbas Ioachim trium personarum divinarum) unitatem non veram et propriam sed quasi collectivam et similitudinariam fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus et multi fideles una Ecclesia... *Ad hanc autem suam sententiam adstruendam illud potissimum verbum inducit,* quod Christus de fide-

libus inquit in Evangelio : Volo, Pater, ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus, ut sint consummati in unum. Non enim, *ut ait*, fideles Christi sunt unum, i. e. quaedam una res, quae communis sit omnibus, sed hoc modo sunt unum, i. e. una Ecclesia, propter catholicae fidei unitatem, et tandem unum regnum propter unionem indissolubilis caritatis : quemadmodum in canonica Ioannis Apostoli epistola legitur : Quia tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater et Filius et Spiritus S., et hi tres unum sunt; statimque subiungitur : Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt, sicut in quibusdam codicibus invenitur. *Nos autem sacro approbante Concilio credimus et confitemur* » etc. Atque in decreti fine Patres *Ioan.* 17, 21. 23 explicant; de 1 *Ioan.* 5,7. 8. nihil dicunt.

30. Quare recte *Denzinger* Enchiridion n. 347. Ed. 3. p. 147 omnia illa, quae ad *decisum* ipsum non spectant, silentio praeteriit. In tota fere epistola ad Ferrar. episcopum Innocentius III. in explicando 1. *Ioan.* 5, 8 versatur, et nostrum comma ideo tantum videtur attulisse, ut ad sequentem versum perveniret. Postquam enim quaestionis, de qua agebatur, statum exposuit, asserens Christum fuisse verum Deum et verum hominem, prius (de quo non quaerebatur) ex nostro commate constare per transennam monet, ac deinde nulla commatis explicatione addita statim veram humanitatem Christi fuse ex v. 8. demonstrat. In fine deinde demonstrationis ita loquitur : « Quoniam autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet terra et aqua, aer et ignis, et ad vegetationem eiusdem corporis quatuor humores illis consimiles conveniant, videlicet sanguis et cholera, phlegma et melancholia, ut veritatem humani corporis expressius demonstraret, unum ex illis et unum ex istis Ioannes expressit, illaque potius ex illis et ex istis, quae magis mysterio congruebant, ex elementis aquam et ex humoribus sanguinem; in quibus duobus duo maxime sacramenta, redemtionis videlicet et regenerationis elucent » (Corpus iur. canon. III. Tit. 41. c. 8. Edit. Friedberg. 1881. II. p. 641).

31. Nemo ignorat, in liturgia illis in locis, in quibus semper verba scripturistica leguntur (Introit. Missae etc.), hodie adhuc nonnulla ex *apocrypho* 4. *Esdr.* libro legi (Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 74. et n. 47. p. 216 sqq.)

232. — VI. Epistolae 2. Ioannis inscriptio est haec. : « Senior Electae dominae et natis eius, quos ego diligo in veritate » (ὁ πρεσβύτερος ἐκλεκτῇ κυρίᾳ καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς, οὓς ἐγὼ ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ). « Senioris » nomine S. Ioannem Apostolum designari ex Patrum traditione satis constat (227); « presbyterum vero, inquit *Oecumenius*, se appellare voluit sive quod aetate iam provectus has epistolas (secundam et tertiam) scripsit, sive quod presbyteri nomine episcopum se dixit, quum illo tempore presbyteri nomen etiam de episcopis adhiberetur, quod ex Actibus quoque et ex Petri epistola constat »[1]. Immo rectius dicemus in Asiae ecclesiis nomen Presbyteri titulum quendam fuisse solis Apostolis reservatum; id enim ex S. Papiae testimonio, de quo alibi disseruimus, non inepte colligitur[2] nostroque loco apprime convenit; titulus enim ὁ πρεσβύτερος in inscriptione adhiberi non potuit, nisi eo solo auctor epistolae statim omnibus innotuisset; S. Ioannes autem solus fuit Apostolus superstes eo tempore, quo epistolae duae ultimae scriptae sunt.

Difficilior est quaestio, *quae sit* « *electa domina* », *cui epistola desti-*

nata est, quandoquidem cum certitudine non constat, utrum persona an ecclesia quaedam nomine isto sit designata. Vulgata nostra Clementina scriptione sua mulierem intelligendam esse, cui nomen fuerit Electa, insinuat. At parum recte; nam eius sororem idem Electae nomen habuisse foret dicendum (cfr. v. 13. « salutant te filii sororis tuae Electae »), sorores autem eodem nomine appellari non solent. Quare interpretes nonnulli mulieri, cui nomen Κυρία (« Domina » גְּבִירְתָּא), epistolam scriptam esse volunt; verum κυρία, quamquam a Graecis pro proprio nomine adhibetur, in nostra tamen inscriptione hoc sensu non usurpatur, quia secus scribendum erat κυρίᾳ τῇ ἐκλεκτῇ[3]. Tota quoque epistola ita comparata est, ut uni soli personae non videatur esse scripta; a v. 6. enim semper adhibetur pluralis et ultimo dumtaxat in versu, in quo pluralem potius quam singularem exspectas, iterum recurrit singularis. Atque difficile intelligitur, quomodo unam mulierem alloquens dicere potuerit Apostolus : « inveni *de filiis tuis* ambulantes in veritate » (v. 4), « rogo te, domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, *ut diligamus alterutrum* » (v. 5), « nolite recipere (haereticum) in domum » (εἰς οἰκίαν, pro εἰς τὴν οἰκίαν v. 10).

Quare illis assentimur, qui nomine « electae dominae » ecclesiam quandam particularem designari putant; hanc sententiam iam insinuavit *Clemens Alex.*, receperunt *S. Hieronymus* et *Oecumenius*, secuti sunt multi moderni interpretes[4]. Eodem enim fere modo a S. Petro ecclesia romana ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή (Vulg. : « ecclesia, quae est in Babylone coelecta ») appellatur. Quod si quis vero ecclesiam nuspiam in Scripturis Dominam vocari obiecerit, id quidem concedamus oportet; at ineptam appellationem hanc nemo dicet, qui a S. Paulo relationem inter Dominum et Ecclesiam velut relationem sponsi ad sponsam describi consideraverit; Domini autem sponsa aptissime Domina appellatur; nonne etiam membris suis Ecclesia et domina et mater est?

Quaenam autem haec ecclesia particularis fuerit, quum nec in epistola ipsa ullo modo indicetur nec a Patribus sit traditum, prorsus ignoramus; aliqui ecclesiam corinthiam, alii ecclesiam romanam intelligi volunt[5]. Probabilius autem uni ex asiaticis ecclesiis epistola est destinata, quas Apostolus ultimo vitae suae tempore regebat atque interdum visitabat, « partim ut episcopos constitueret, partim ut ecclesias integras disponeret et formaret, partim etiam ut homines sibi a divino spiritu indicatos in clerum reciperet ». Cui sententiae ut accedamus, *argumentum* ipsum epistolae suadet. Contra eosdem enim haereticos, quos in prima et in Evangelio impugnat, in nostra praemunit fideles; eodem modo commendat novum caritatis fraternae mandatum, atque veram caritatem in mandatorum observatione constare docet; summarium quoddam prioris epistolae vel eius epitomen quandam dixeris no-

stram. Iam haereticos illos, qui non confitentur Iesum Christum qui in carne venit, in Asia Min. errorem suum praesertim sparsisse certum est. Quaenam demum epistolae huius brevissimae *occasio* fuerit et quis eius *finis* ex *analysi* hac satis apparebit.

1. In *inscriptione* (1-3) Apostolus rationem indicat, cur ecclesiam illam eiusque membra diligat, quia nimirum veritatem receperint et in ea permaneant.
2. Postquam deinde gaudium suum expressit, quod multa ecclesiae membra in veritate ambulent (4), illis novum mandatum caritatis in memoriam revocat (5.6).
3. At quia exorti sunt seductores, qui Verbi incarnationem negant, fideles exhortatur, ut ab illis caveant, ne illorum haeresin sequentes mercedem aeternam amittant (6-8), eosque iubet abstinere ab omni conversatione cum illis, ne ipsi quoque operibus illorum malignis communicent (9-11).
4. Ratione addita, cur tam pauca scribat, quia scilicet mox ecclesiam sit visitaturus, concludit epistolam salutationibus ecclesiae, in qua residet (12.13).

1. *Oecumen.* in 2 Ioan. 1 (M. 119,688); *Ven. Beda* in 2 Ioan. 1 (M. 93,119).

2. *Euseb.* H. E. III. 39 (M. 20,297). Cfr. *supra* 57. n. 18. p. 213 sq.

3. Cfr. 3 *Ioan.* 1. Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ. *Rom.* 16,13 Ῥοῦφον τὸν ἐκλεκτὸν ἐν Κυρίῳ etc.

4. *Clem. Alex.* Adumbr. in 2 Ioan. (M. 9,737) : « Secunda Ioannis epistola, quae ad virgines scripta est, simplicissima est. Scripta vero est ad quandam Babyloniam Electam nomine, *significat autem electionem Ecclesiae* »; *S. Hieron.* ad Ageruch. ep. 123. 12 (M. 22,1053), postquam verba Dei (*Gen.* 2,24) a Paulo ad unionem Christi cum Ecclesia referri dixit, pergit in hunc modum : « ad quam (Ecclesiam) scribit idem Ioannes epistolam : Senior electae dominae et filiis eius ». *Oecumen.* in 2 Ioan. 13 (M. 119,696). Simili modo *Ven. Beda* in 2 Ioan. 13 « Salutant *te* filii sororis tuae electae » : « Sicut adversariis veritatis Ave dicere prohibet, ita e contrario *electos* ex persona electorum salutat ». *Card. Hugo* in 2 Ioan. 1. « Electa nomen proprium matronae, per quam Ecclesia intelligitur ». — *Estius, Lorinus, Iustinianus, a Lapide* Ps. Athanasianam Synopsin 56. (M. 28,409) sequi malunt, quae piam quandam mulierem designari tenet. Similiter inter recentiores *Goldhagen, Glaire, Ad. Maier, Kaulen* (Einleitg Ed. 3. p. 673) etc. mulierem intelligunt; *Aberle* (Einl. p. 119) omnes tres Ioan. epistola piis quibusdam congregationibus virorum (Ep. 3.) et mulierum (Ep. 2.) virginitatem colentium destinatam putat; *Reithmayr* vero, *Valroger, Bisping, Drach* etc. de ecclesia quadam agi recte tenent. — Eadem opinionum varietas inter acath. habetur.

5. *Lorin.* (in 2 Ioan. 1) ecclesiam *corinthiam* designari censet, si epistola ecclesiae cuidam destinata dicatur; pro solo autem argumento affert, etiam 3 Ioan. Corinthiis esse scriptam. — *I. P. Secchi* (Argumenti bibl. del primato etc. Roma 1846) *romanam* intelligit, quae recte *domina* vocetur.

233. — VII. Epistola 3. Ioannis inscribitur « Senior (ὁ πρεσβύτερος) Gaio carissimo, quem ego diligo in veritate ». *Quis Caius vel Gaius fuerit,* prorsus incertum est. Tres quidem Caii in Actibus et reliquis epistolis nominantur, quorum unus « Macedo natione Pauli comes » in seditione a Demetrio excitata a plebe ephesia captus est, alter Derbensis

Pauli ex Graecia in Palaestinam navigantis socius fuit, tertius demum a Paulo Corinthi baptizatus ei hospitium praebuit; quibus accedit quartus, quem Constitutiones Apost. ab Ioanne episcopum pergamenae ecclesiae constitutum dicunt[1]. Num unus ex quatuor his designetur, an alius (nomen enim Caii frequentissimum fuit), non magis liquet, quam quinam fuerint Diotrephes et Demetrius, quorum prior vituperatur, alter commendatur.

Occasionem, qua ad eam scribendam S. Ioannes adductus est, ex argumento eius desumimus; discipuli enim nonnulli, quos Apostolus Evangelii inter ethnicos propagandi causa miserat, in itinere suo a Caio quidem bene, a Diotrephe autem male erant recepti. Quamobrem S. Apostolus

1. post inscriptionem et salutis apprecationem (1.2.)
2. gaudium suum de bonis nuntiis exprimit, quos de Caii sancta conversatione et praesertim de eius hospitalitate a discipulis suis recepit, eumque exhortatur, ut idem in posterum faciat, quandoquidem illos, qui Evangelium propagant, adiuvari deceat (3-8).
3. Vehementer autem Diotrephem vituperat, qui primum quidem locum in ecclesia illa habere velit, sed non solum ipse hospitalitatem non exerceat, sed alios quoque, qui eam exercuerint, ex ecclesia expellat. Quem rerum statum se esse mutaturum promittit, quamprimum ad eos venerit (9.10).
4. Post generale monitum, ut semper bonum faciant, commendat Demetrium, per quem epistolam videtur transmisisse, epistolae brevitatem excusat eamque salutationibus terminat (11-14).

Nec *quo tempore* nec *quo in loco* epistolas 2. et 3. scripserit Apostolus nobis est traditum; a vero autem vix aberrabit, qui secundam, quae primae summarium quoddam est, post illam scriptam censet atque duas has minores ultimis annis Apostoli Ephesi degentis adscribit. Sunt, qui eas eodem tempore eidem ecclesiae ita transmissas arbitrentur, ut secundam toti ecclesiae, tertiam uni ex praecipuis fidelibus destinatam dicant; etenim 3. Ioan. 9. priorem epistolam commemoratam vident. Attamen de versus istius lectione non satis constat[2], atque tam diversum est utriusque argumentum, ut coniectura haec probabilitate magna non gaudeat.

Quae rationalistae contra apostolicam duarum epistolarum originem in medium afferunt, quum merae sint fictiones atque ne specie quidem argumenti cuiuscunque fulciantur, refutatione non indigent. Documenta autem historica, quibus earum authentia nititur, supra iam evolvimus (227. p. 658 sqq.)

1. *Act.* 19,29 (Caius Macedo), *Act.* 20,4 (Caius Derbensis), 1 *Cor.* 1,14 et *Rom.* 16,23 (Caius Corinthius); *Constit. Apost.* VII. 46 (M. 1,1053. Caius Pergami episcopus).

2. 3 *Ioan.* 9 meliores quidem codices graeci legunt : ἔγραψά τε τῇ ἐκκλησίᾳ consentiente *S. Hieronymo* (in Tit. 1,9. M. 26,603) : « Scripsi etiam Ecclesiae » ; at aliqui codices satis bonae (licet non optimae) notae cum Vulgata : ἔγραψα ἄν vel ἔγραψα ἄν τι (B. ἐγράψας τε), atque haec lectio contextui facilius aptatur.

§ 23. — *De praecipuis commentariis in epistolas catholicas.*

234. — Epistolae catholicae inter Patres admodum paucos invenerunt interpretes. Adumbrationes, quas in omnes *Clemens Alex.* videtur scripsisse[1], integrae ad nos non pervenere ; sed quum « multa quidem subtiliter, sed aliqua incaute locutus esset, ita eas transferendas curavit Cassiodorus, ut exclusis quibusdam offendiculis purificata doctrina eius securior posset hauriri ». Quatuor epistolarum (1. Petri, 1. 2. Ioannis, Iudae) adumbrationes, quae exstant, magni pretii non sunt. Clementem Alex. secutus est *Didymus Alex.*, sed nec eius Enarrationes, quae Adumbrationibus Clementinis sunt praeferendae, integrae nobis sunt conservatae ; maiora fragmenta latina, sed pauca graeca possidemus[2]. Ea, quae reliqui Patres graeci ad easdem epistolas explicandas contulerunt, collecta habes in *Oecumenii* et *Theophylacti* commentariis, qui inter se vix differunt nec nisi duae eiusdem operis recensiones rectissime dicuntur[3].

Quibus pauciores latini epistolarum catholicarum interpretes accedunt. *S. Augustinus* S. Iacobi et S. Ioannis primam explicavit ; ad nos autem pervenerunt soli « decem tractatus in epistolam Ioannis ad Parthos » (1,1-5,3), in quibus « multa et mirabiliter, inquit Cassiodorus, de caritate disserit », sed minus accurate ipsum textum sacrum exponit[4]. *Cassiodori* ipsius « complexiones canonicarum epistolarum septem » brevissimae sunt nec multum iuvant interpretem[5]. Longe praeferendus est *Ven. Beda*, qui inter Patres solus iusto et accurato commentario epistolas catholicas illustravit[6]. Quae in aliorum Patrum latinorum operibus dispersa sunt una cum plerisque Bedae explicationibus recepit *Glossa ordinaria*, solius S. Gregorii M. interpretationes collegit *Alulfus*[7].

1. *Clementem Alex.* omnes epistolas catholicas interpretatum esse satis clare docet Euseb. H. E. VI. 14 (M. 20,549) : « totius Scripturae brevem instituit expositionem ne iis quidem libris omissis, quibus contradicitur, Iudae sc. epistola et reliquis catholicis » ; consentit *Cassiodorus* (de instit. div. Script. Praef. (M. 70,1107), at l. c. 7 (M. 70,1120) quatuor dumtaxat epistolas a Clemente explicatas enumerat. Num eas solas enumeravit, quas vertendas curavit? De Clementis Adumbrationibus, quae habentur M. 9,729-750, cfr. severissimum atque etiam, si ex reliquiis deperdita aestimamus, iniustissimum *Photii* iudicium (Bibl. cod. 109. M. 103,384).

2. *Didymi Alex.* Enarrationum fragm. (M. 39,1750-1818).

3. *Oecumenii* Commentar. M. 119,451-722 ; *Theophylacti* Comm. M. 125,1131-126,104 ; *Cramer* Catena in ep. cath. Oxonii 1840.

4. *S. Augustini* in ep. Ioan. ad Parthos tract. decem. M. 35,1977-2062. Cfr. *Cassiod.* de inst. div. lit. 7 (M. 70,1120).

5. *Cassiodori* Complexiones epp. cath. M. 70,1361-1380.

6. *Ven. Bedae* Expositio super cath. epp. M. 93,9-130.

7. Walafr. Strabon. Glossa ordin. in epp. cath.; *Alulfi* Gregoriale in epp. cath. M. 79,1381-1398.

Medio aevo *Martinus Legionensis* presbyter epistolas Iacobi, 1. Petr., 1. Ioan. homiletico potius quam exegetico modo tractavit; *Card. Hugo*, et *Nicolaus Lyranus* eas eadem cum diligentia, qua reliquos libros sacros, interpretati sunt; quorum commentariis praeferendus ille, qui inter S. Thomae Aquin. opera imprimi solet, sed *Nicolao de Gorham* O. Praed. debetur, sub cuius nomine etiam Antwerpiae 1617 typis vulgatus est. Saec. 15. *Dionysius Carth.*, quemadmodum in alios U. T. libros, ita in nostras epistolas commentarios conscripsit iis omnibus collectis, quae in antecessorum suorum libris optima iudicavit.

Saec. 16. et 17. multo plures prodierunt epistolarum catholicarum commentatores; sed pro more illos solos nominamus, quos prae ceteris eminere arbitramur. Omissis igitur illis, qui aut integras fere Scripturas (*Caietan., a Lapide, Tirin., Menoch.*, etc) aut plerosque N. T. libros (*Gagnaeus, Salmer., Nat. Alexander*, etc) interpretati sunt, optime ista aetate de epistolis catholicis meritos esse censemus *G. Estium* et *Ioan. Lorinum*, quorum prior accuratior, alter eruditior et fusior; aetate et merito fere pares illis addi possunt *Bened. Iustinianus* et *Nic. Serarius*[8]; minoris autem pretii esse iudicamus opera *Feliciani Capitonis, Mich. de Palacios, Liberti Fromondi*, etc [9]. Aliquas dumtaxat epistolas commentariis illustrarunt alii, inter quos nominasse sufficiet *Ioan. Hesselium, Fr. Feuardentium, Augustin. de Quiros, Ioan. Pricaeum* [10]; reliquos indicatos habes in *H. Hurter* Nomenclatore literario recent. theol. cath.

Saec. 18. unus singulari mentione dignus est *Augustin. Calmetus;* ex recentioribus autem nominari merentur *A. Bisping, I. Mc Evilly, P. Drach, A. F. Maunoury,* qui epistolas catholicas cunctas interpretati sunt[11]. S. Iacobi epistolam solam commentariis instruxerunt *A. Messmer, F. Liagre, P. Schegg, Fr. Sal. Trenkle;* de S. Petri epistolis prae ceteris bene meriti sunt *F. Windischmann* suis Vindiciis Petrinis et *L. I. Hundhausen* eximio suo commentario; solam Iudae epistolam explicavit eiusque authentiam egregie vindicavit *M. F. Rampf*[12].

8. *Estii* Comment. in omnes epist. Ed. prima Duaci 1614 sq., ultima et optima Moguntiae 1858; Estius tamen ipse morte impeditus est, ne ultimam manum operi admoveret; commentarium perfecerat usque ad 1. *Ioan.* 5,6; reliquam partem et 2. 3. *Ioan.* explicavit *Barth. Petri.* — *Lorini* in cath. Ioan. et Petri epp. Lugduni 1609, in Iacobi et Iudae ep. Lugd. 1619; *Iustiniani* Explanationes. Lugd. 1621; *Serarii* Comment. Moguntiae 1612.

9. *Capitonis* Explicatio in Acta et omnes epp. cath. Venetiis 1561; *de Palacios* Enarr. in Ioan. Evang. et omnes epp. canon. Salmanticae 1581; *Fromondi* Comm. in epp. Paul. et cath. Lovanii 1661. (Est excerptum fere commentariorum Estii.)

10. *Ioan. Hesselii* in 1 Petri, 1 Tim. et 1 Ioan. eruditissimus comment. Lovanii 1568; *Feuardentii* O. S. Franc. in Iac. ib. 1599., in 1 Petri. Paris. 1600, in 2 Petr. ib. 1601., in Iud. 1595; *A. de Quiros* S. I. in Iac. et Iud. Hispali 1622; *Ioan. Pricaeus* in tres Ioan. et Iacobi epp. Paris. 1646, in Iudae epist. Londini 1660 etc.

11. *Bisping.* Exeget. Handbuch. VIII. Münster 1861; *Mc Evilly* An exposition of the epistles of St Paul and the Catholic. epistles. Ed. 3. Dublin 1875; *Drach* Épitres catholiques. Paris 1873; *Maunoury* Commentaire sur les Épitres catholiques. Bar-le-Duc 1888.

12. *Messmer* Erklärung des Iacobusbr. Brixen 1863; *Liagre* Interpretatio epistolae catholicae S. Iacobi. Lovanii 1870; *Schegg* Iacobus der Bruder des Herrn u. sein Brief. München 1883; *Trenkle* der Brief des h. Iacobus erklärt. Freiburg 1894. — *Windischmann* Vindiciae Petrinae. Moguntiae 1836; *Hundhausen* Die beiden Pontificalschreiben des Apostolfürsten Petrus. Mainz 1873. 1878. — *Rampf* Der Brief Iudae. Sulzbach 1854.

Acatholicorum commentarii in epistolas cath. enumerantur in *Kihn* Encyclopaedie u. Methodologie der Theol. 1892. p. 216 et accuratius in *Strack* et *Zoeckler* Kurzgefasstem Comment. zu den hl. Schr. B. IV. 1888. p. 213. 235 sq. 275. 298. sq. — Inter omnes praestat commentarius, quem *B. F. Westcott* in tres S. Ioannis epistolas exaravit (The epistles of St Iohn. Ed. 2. 1886). Commentarii in omnes epistolas a *I. E. Huther* compositi (Meyer Krit. exeg. Handbuch XII. XIV. XV.), quos grammaticis suis expositionibus reliquos acatholicos superare in priore editione dixi, post auctoris mortem ab *E. Kühl*, *B. Weiss*, *W. Beyschlag* ita sunt retractati (Ed. 5. 1887. 1888), ut eandem laudem non amplius mereantur. Minoris utique momenti sunt « critici » commentarii a *H. v. Soden* (in Iac., 1. 2 Petr., Iud.) et *H. I. Holtzmann* (in 1. 2. 3 Ioan.) editi (Handcomm. z. N. T. III. 2. Ed. 2. 1892; IV. Ed. 2. 1893.).

DISSERTATIO III.

DE LIBRO PROPHETICO N. T.

---

§ 1. — *De Apocalypseos origine apostolica et divina.*

235. — Unicus liber propheticus, quem in N. T. canone habemus, in antiquissimorum codicum inscriptionibus et subscriptionibus appellatur Ἀποκάλυψις Ἰωάννου (Apocalypsis S. Ioannis. *Fuld.*), in iunioribus Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, aut τοῦ Θεολόγου καὶ Εὐαγγελίστου, aut τοῦ Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελίστου (Apocalypsis S. Ioannis Apostoli et Evangelistae. *Amiat.*)[1]. Auctor autem ipse sese appellat « Iesu Christi servum Ioannem, qui testimonium perhibuit verbo Dei et testimonium Iesu Christi, quaecunque vidit », paulloque post addit » se in insula Patmo fuisse propter verbum Dei et testimonium Iesu Christi ». Porro gravissimis monitis, quae vaticiniis suis in epistolis ad septem ecclesias asiaticas datis praemittit, virum se prodit, qui non tantum ecclesias illas optime cognovit sed maxima quoque in eis gavisus est auctoritate[2]. Quod auctoris de se ipso testimonium clarissimum est; nullum enim est dubium, quin Evangelistam et Apostolum Ioannem dicere sese voluerit. Alter enim Ioannes, qui nullo epitheto indiguit, ut ab homonymis sese distingueret, in primitiva Ecclesia non claruit; rectissime etiam iam monuit *Arethas,* eodem modo, quo Apocalypseos auctorem, Apostolum in Evangelio et in prima epistola verborum suorum, utpote testis ocularis, veritatem asserere[3]; neque ullius Ioannis, qui ob Christi confessionem ab imperatore aliquo romano in insulam Patmum sit relegatus, praeter Apostoli, memoriam nobis conservavit antiquitas[4].

Mirum ergo non est, quod antiqui Patres atque integra Ecclesia unicum N. T. librum propheticum eidem auctori attribuerit, cui quartum Evangelium et tres epistolas debemus. Attamen 3. iam saeculo dubitatio quaedam a S. Dionysio M. de apostolica Apocalypseos origine mota effecit, ut in nonnullis ecclesiis orientalibus e canone removeretur, longe maiore tamen numero ecclesiarum orientalium et omnibus occidentalibus antiquam fidem retinentibus; scrupuli enim, qui in Hispania saec. 7. sese manifestaverunt, vix exorti a Concilio Toletano a. 633. suppressi

sunt[5]. Saec. 16. *Erasmus* antiquam dubitationem de origine apostolica et canonicitate Apocalypseos recoquere coepit[6], eam ob causam gravi censura ab Universitate Parisiensi notatus; sequacem habuit *Lutherum*, qui et apostolicam originem et propheticum characterem libri negavit, at ne inter suos quidem multos invenit, qui ipsum sequerentur[7]. Lutherani enim et reliqui Protestantes ea, quae in Apocalypsi de Antichristo et de Babylone magna traduntur, ad summum Pontificem et Ecclesiam romanam applicare se posse rati magno cum zelo libri authentiam et canonicitatem defenderunt. Exorto demum rationalismo, qui vaticinia nulla agnoscit, Apocalypseos authentia novos invenit adversarios, qui Dionysii Alex. vestigia prementes internis libri nostri characteribus nixi Evangelium quartum et Apocalypsin eidem auctori non deberi statuerunt. Atque alii quidem, praesertim Neotubingiani, ut Evangelii quarti auctoritatem destruerent, Apocalypsin Ioanni Apostolo attribuerunt, alii admissa Evangelii authentia Apocalypsin reiecerunt eamque aut Ioanni presbytero aut Ioanni Marco aut Ioanni nescio cui impostori adscripserunt[8]. Recentissime demum « critici » eo pervenerunt, ut opus nostrum, cuius unitas non minus ex tota dispositione quam ex lingua et stylo apparet, varias in partes discerperent variisque auctoribus attribuerent. Alii quippe iudaicam quandam apocalysin a christiano auctore retractatam, alii nostrum librum ex duobus iudaicis duobusque christianis opusculis coagulatum, alii in opus quoddam christianum iudaicas particulas receptas dixerunt etc.[9]. Contra quos omnes Apocalypsin a S. Joanne Apostolo et Evangelista compositam esse documentis historicis demonstrabimus, neque quidquam in toto libro inveniri ostendemus, quo auctoris de se ipso testimonium labefactetur, nedum destruatur.

1. Cfr *Tischendorf* Nov. Test. Ed. 8. II. p. 902 sq. 1044.

2. *Apoc.* 1,1. 2. 9; (21, 2); 22, 8; 1, 4-3, 22.

3. *Ioan.* 19,35; 1 *Ioan.* 1, 1. Cfr *Areth.* in Apoc. 1, 1 (M. 106, 501). Egregie ipse *Renan* (L'Antechrist, Introd. p. XXII sqq.) hoc argumentum urget, ineptissime vero librum discipulo attribuit, qui eum approbante Apostolo sub eius nomine vulgaverit (l. c. p. XLI et p. 371).

4. Cfr *supra* n. 57. p. 208 sq.

5. Cfr *Harduini* Collect. Concil. III. p. 384.

6. *Erasmus* in Apoc. 22, 21 omnia dubitationis argumenta affert neque ullum solvens monet, « inter gemmas quoque nonnihil esse discriminis et aurum auro esse purius; ita etiam in sacris rebus aliud alio esse sacratius ».

7. *Lutheri* Praef. in Apoc. in ed. a. 1522. (cfr *Credner* Einl. p. 749; *de Wette* Einl. p. 430), *Carlostadii* de canonicis Script. § 158. 165; *Zwingli* Berner Disputation 1528. (Werke II. 1 p. 169). Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 72. p. 207 sqq.

8. Iuxta *F. Chr. Baur* (Krit. Untersuch. über d. kanon. Evang. p. 345) apostolica origo Apocalypseos pluribus gravioribusque, quam ullius alterius libri N. T., testimoniis nititur, et iuxta *Zeller* (Tüb. Theol. Jahrb. 1842. p. 654 sqq.) Apocalypsis

sola ex cunctis N. T. libris immediato Christi discipulo cum aliquo iure attribuitur. Quibuscum *Schwegler*, *Davidson*, *Renan*, *Hilgenfeld* aliique, qui Evangelium Ioanni auctori negarunt, fere consenserunt. — Ioanni presbytero multi Apocalypsin attribuerunt (*Bleek*, *Credner*, *Ewald*, *Schenkel* etc.), pauciores Ioanni Marco (*Hitzig*, *Weisse* etc.), paucissimi ignoto cuidam Palaestinensi (*Hausrath* etc.). Cfr *Holtzmann* Einl. Ed. 2. 1886. p. 434.

9. *Dan Voelter* (Entstehg d. Apocal. 1882. Ed. 2. 1885) apocalypticum libellum ab Apostolo Ioanne a. 66. scriptum et a. 68. auctum postea a variis retractatum et a. 140. in hodiernam formam redactum esse detexit. At *Eb. Vischer* (D. Offenb. Joh. eine jüd. Apocal. in christl. Bearbeitg. 1886.) iudaicum quendam libellum a Christiano ita transmutatum esse statuit, ut nostra Apoc. sit exorta. Contra quem *A. Sabatier* (Les orig. littér. et la compos. de l'Apoc. 1888.) primitivum librum fuisse christianum docet, qui postea iudaicis additamentis sit deturpatus. Aliam porro libri originem *Holtzmann* (Handcomm. IV. Ed. 2. 1892. p. 293 sqq.), aliam *Jülicher* (Einl. 1894. p. 182), aliam alii invenerunt; sed quis his commentis immorari voluerit? Cfr quae contra ea disputant ipsi » critici « *Reuss* (Gesch. des N. T. Ed. 6. 1887. p. 147 sq.), *Hilgenfeld* (Ztschr. für wissensch. Theol. 1890. p. 385 sqq.) etc.

236. — Secundum disertum S. Irenaei testimonium Apocalypsis non diu ante eius aetatem, sed « ipsius fere saeculo ad finem imperii Domitiani », ergo c. a. 95. visa est; in primis igitur apostolicorum Patrum scriptis vestigia eius quaerere non licet. Verum inde a medio saec. 2., i. e. quinquaginta fere annis postquam scripta est, testimonia, quibus eius origo apostolica et canonicitas demonstrantur, revera abundant. Praeprimis insigne est *S. Iustini M.* testimonium; etenim in sua disputatione cum Tryphone, quam in una ex septem ecclesiis, quibus Ioannes Apocalypsin transmisit, Ephesi nimirum, habuit et scripsit, « *apud nos*, inquit, vir nomine *Ioannes unus ex Christi Apostolis*, in Apocalypsi ipsi data fideles annos mille Ierosolymis transacturos esse asserit »[1]. Eodem tempore *S. Melito* Sardensis, alterius igitur ex septem ecclesiis quibus transmissa est Apocalypsis episcopus, « de Apocalypsi Ioannis » librum conscripsit; licet autem in titulo appellatio « Apostoli » non sit addita, Melitonem tamen Apostolum pro auctore habuisse elucet ex Eusebii hac de re silentio, quippe qui maxima cum sollertia et sollicitudine antiquorum dubitationes de Apocalypseos auctore collegit[2]. Quibus tertiae quoque ecclesiae, Smyrnensis, addi licet testimonium; urgere quidem nolumus allusiones, quas in *S. Polycarpi M.* epistola ad Philippenses invenisse aliqui sibi videntur[3], at in epistola, quam Smyrnensis ecclesia anno post S. Polycarpi mortem nondum elapso de eius martyrio conscripsit, evidentissimam habemus allusionem; verba enim, a quibus S. Martyr ultimam suam precationem inchoavit, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ hausit ex illo libro, in quo ipsi a Domino per Apostolum « corona vitae » erat promissa[4]. Non longe a Laodicea, quae etiam una est ex septem ecclesiis, distabat Hierapolis, cuius episcopus fuit *S. Papias*, Polycarpi amicus et Ioannis Apostoli discipulus : iam

Andrea et Aretha Caes., qui uterque Apocalypsin interpretati sunt, testibus Papias nonnulla de Apocalypsi scripserat, in quibus eius divinam originem asseruit. Etsi vero disertis verbis non tradant, Papiam Apocalypsin auctori Ioanni Apostolo attribuisse, id tamen pro certo eos habuisse ex toto contextu apparet[5]. Neque minoris auctoritatis est *S. Irenaei* testimonium, quippe qui S. Polycarpi Smyrnensis discipulus etiam earum ecclesiarum fidem nobis tradat, quae primae Apocalypsin acceperant. Atqui non tantum « Ioannem Domini discipulum », quo nomine, quum alterum Ioannem discipulum Domini prorsus ignoret, semper Apostolum designat, auctorem Apocalypseos esse asserit, sed etiam de numero bestiae, num 666 an 616 sit, disserens ad testimonium illorum provocat, « qui facie ad faciem Ioannem viderant », atque tempus accurate indicat, quo Apostolo erat data[6]. Eius igitur testimonium quoque, quamvis non ante finem saec. 2. sit scriptum, ad primam saeculi partem pertinet. Demum addamus *Apollonium* presbyterum ephesium, Irenaei aequalem, qui teste Eusebio acerrimus Montanistarum adversarius contra eos etiam « testimoniis ex Ioannis Apocalypsi usus est »; Apostolum autem Ioannem intelligi ex verbis Eusebii apparet, etenim « ab *eodem* Ioanne, inquit, Ephesi mortuum resuscitatum esse refert Apollonius »[7]. Quae testimonia satis demonstrant integro saeculo 2. in ecclesiis Asiae, quibus Apostolus Apocalypsin transmiserat et in quibus exeunte saec. 1. aut ineunte saec. 2. vitam suam finivit, communem et constantem fuisse fidem de apostolica libri nostri origine. Aliarum iam ecclesiarum testimonia audiamus.

1. *S. Iustini M.* c. Tryph. 81 (M. 6,669). Cfr. *Euseb.* H. E. IV. 18 (M. 20,376) : « Ioannis quoque Revelationem commemorat (Iustinus), quam ab Apostolo conscriptam esse diserte (σαφῶς) dicit ». Teste *S. Hieronymo* (De vir. ill. 9. M. 23,655) « Iustinus M. et Irenaeus interpretati sunt » Apocalypsin.

2. *S. Melito* apud Euseb. H. E. IV. 26 (M. 20,392) et S. Hieron. de vir. ill. 24 (M. 23,675). Si « Clavis Scripturae », quem edidit Card. Pitra (Spicileg. Solesm. II.), genuinum esset Melitonis opus, directa eius testimonia non pauca haberemus (Cfr. l. c. p. 55. 290. 393).

3. *S. Polycarpus,* si in inscriptione suae epistolae ad Philipp. Deum vocat παντοκράτορα, ad 2 Cor. 6, 18 respicere potuit, licet appellatio haecin Apoc. frequentior sit; altera autem allusio, quae affertur (Philipp. 8 μιμηταὶ γενώμεθα τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ cfr. Apoc. 1,9; 3,10) nimis est vaga.

4. *Martyr. S. Polyc.* 14. Integra haec expressio in sola Apoc. ibique novies occurrit. De Martyrii huius authentia cfr. *Funk* Patres apost. I. p. XCV sqq.

5. *Andr. Caes.* in Apoc. Prol. et *Areth. Caes.* in Apoc. Prol. (M. 106,220. 493). Cfr. etiam *Andr. Caes.* in Apoc. 12,7 (M. 106,325).

6. *S. Iren.* c. haer. IV. 20; V. 30 (M. 7,1040, 1203. 1207.). Cfr. etiam IV. 21; V. 35 etc; *Euseb.* H. E. V. 8 (M. 20,449) etc.

7. *Apollon. Ephes.* apud Euseb. H. E. V. 18 (M. 20,480).

237. — Antiochenam ecclesiam cum asiaticis tempore S. Ignatii M.

intime fuisse coniunctam, S. Martyris epistolae nos docent; illa autem iam medio saec. 2. certum fert Apocalypsi testimonium. *S. Theophilus* enim, septimus episcopus antiochenus, « contra Hermogenis haeresin librum scripsit, in quo testimoniis utitur ex Ioannis revelatione desumtis ». Quod opus interiit, at in superstitibus ad Autol. libris non desunt vestigia, quibus eum libro nostro usum esse demonstratur[1]. Cum antiochena cohaesit ecclesia Syriae orientalis, quae saec. 2. versionem Peschito sibi adornavit. In qua hodie quidem Apocalypsis deest; eam autem in primitiva editione non defuisse *S. Ephraemi* opera demonstrant, ex quibus etiam constat eam Ioanni Apostolo fuisse adscriptam[2].

Ex Asia in Africam transeuntibus prima nobis occurrit alexandrina ecclesia, ad quam, ut *Clementis Alexandrini* verbis utamur, « statim a Petro et Iacobo, Ioanne et Paulo, sanctis Apostolis, nonnulli veram doctrinae sanctae traditionem conservantes venerunt, ut semina illa a maioribus accepta et apostolica spargerent »[3]. Iam vero Clementem sine ulla haesitatione Apostolo Ioanni Apocalypsin attribuisse non tantum ex eo elucet, quod non semel de Ioannis in Patmum relegatione loquatur, sed etiam eius allegationibus diserte demonstratur; velut « apostolicam vocem » enim atque ab Ioanne dicta nostri libri verba allegat[4]. *Origenes* autem tantum abest, ut vel minimam dubitationem de Ioanne Apostolo auctore Apocalypseos aut ipse habuerit aut ab aliis audierit, ut eo in loco, in quo aliorum scrupulos de 2. Petri et de 2. et 3. Ioannis commemorat, eam Ioannis Apostoli esse velut rem ab omnibus admissam supponat. In sola Praefatione tomi I. in Ioan. sexies Apocalypsin una cum reliquis libris sacris affert, eius auctorem nunc Ioannem, nunc filium Zebedaei, nunc Apostolum appellans; prae ceteris autem insigne est aliud eius testimonium, in quo Matth. 20,22. explicat : « Calicem biberunt et baptismate baptizati sunt Zebedaei filii, quoniam Herodes Iacobum Ioannis fratrem gladio interemit, Romanorum autem imperator, uti perhibet traditio, Ioannem veritatis verbum testimonio suo comprobantem in Patmum insulam relegavit. Quae autem ad martyrium suum pertinent, a quo damnatus fuerit, praetermittens Ioannes ipse tradit in Apocalypsi his verbis : Ego Ioannes frater vester...; et in insula quidem Apocalypsin videtur spectasse »[5].

Ab Oriente in Occidentem nos convertamus. Romanam fidem nobis exhibet *S. Hermae* Pastor, ex quo ante medium saec. 2. Apocalypsin iam in auctoritate fuisse apparet; etenim si Ecclesia ibi velut mulier aut velut sponsa atque Ecclesiae adversarius sub figura magnae bestiae nobis repraesentatur, imagines hae sine ullo dubio ex Apocalypsi haustae sunt[6]. Verum eodem tempore Ioanni Apostolo auctori eam Romae esse attributam luculenter nos docet *fragmentum Murator.*[7]. Gallicanae ecclesiae testem unum iam citavimus *S. Irenaeum Lugd.;* alterum

paullo antiquiorem habemus *epistolam ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis*, quae plena est allusionibus ad nostrum librum eumque, id quod maximi est momenti, diserte sub titulo Scripturae allegat[8]. Cum Romanis et Gallicanis consentiunt Afri. Etenim secundum *Tertullianum* « Apostolus Ioannes in Apocalypsi ensem describit ex ore Dei prodeuntem, bis acutum », etc, atque « etsi Apocalypsin Ioannis Marcion respuat, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit auctorem »[9]. *S. Cyprianus* quoque nullam agnovit inter Evangelia apostolicasque epistolas et inter Apocalypsin differentiam auctoritatis, quum medium inter evangelica et apostolica testimonia textum Apocalypseos afferat, atque etiam Ioanni, utique Apostolo, auctori eam attribuit[10].

Quibus immerito opponitur *Caius*, S. Irenaei discipulus, quem Apocalypsin nostram Cerintho adscripsisse nonnulli moderni ex male intellecto Eusebii testimonio concludunt; nihil aliud enim asserit Eusebius, nisi Cerinthum, teste Caio, per *revelationes* (δι' ἀποκαλύψεων) velut a magno Apostolo conscriptas portenta quaedam quasi ab angelis sibi ostensa de Chiliasmo propagasse, genuinae igitur Apocalypsi Ioanneae apocrypham opposuisse[11]. Hac enim ratione verba esse intelligenda evidens est; nam Eusebius, quem antiquorum de Apocalypsi dubitationes diligentissime collegisse diximus, hoc in loco de Apocalypsi Ioannis sermonem esse adnotasset, si id probabile habuisset. Alio autem in loco de Caii canone loquens epistolam ad Hebraeos quidem ab eo non esse admissam tradit, de Apocalypsi autem reiecta tacet; atque Photius quoque solam ep. ad Hebr. a Caio non agnitam esse refert[12]. Quomodo etiam fieri potuit, ut Caius, presbyter romanus et discipulus Irenaei, librum in romana ecclesia eo tempore ad publicam lectionem adhibitum et a magistro suo Ioanni Apostolo attributum haeretico Cerintho adscriberet? Quidnam Irenaeus docuerit, Caii condiscipulus *S. Hippolytus* nos docet : quem de Apocalypsi opus hodie deperditum conscripsisse multis testimoniis constat; in suo tractatu autem de Antichristo eam frequenter allegat, Ioannem eam in insula Patmo vidisse asserit, auctoremque ita alloquitur : « O beate Ioannes, Apostole et discipule Domini, quid vidisti et audisti de Babylone? »[13]

Testimonia, quae hucusque attulimus, omnia medio saec. 3. sunt antiquiora, neque ullus usque ad illam aetatem invenitur scriptor orthodoxus, qui in apostolica aut divina Apocalypseos origine asserenda haesitaverit. Ex tota autem illa aetate adversarii authentiae aut canonicitatis neminem ad suas partes trahere possunt, nisi solos Alogos, qui omnes S. Ioannis libros respuerunt, et Marcionitas, qui divinam potius quam apostolicam originem videntur negasse. Quapropter Eusebius unanimi antiquitatis consensu considerato Apocalypsin « si videbitur,

libris N. T. communiter receptis » (τοῖς ὁμολογουμένοις) adnumerandam dixit[14].

1. *Euseb.* H. E. IV. 24 (M. 20,389); *S. Theoph.* ad Autol. II. 28 (M. 6,1097) satanam « daemonem et *draconem* » appellari dicit, quo altero nomine *Apoc.* 12,3 dumtaxat nominatur.

2. *S. Ephr.* Opp. gr. II. 194 (καθὼς καὶ Ἰωάννης ὁ θεολόγος ἐκήρυξε λέγων Apoc. 22,7); 248 (καθὼς ἀκούομεν τοῦ ἀποστόλου λέγοντος Apoc. 21,4. 5); 252 (καθὼς Ἰωάννης προεδήλωσε Apoc. 20,11). Cfr. *Assem.* Bibl. orient. I. p. 141; II. p. 332.

3. *Clem. Alex.* Strom. I. 11. (M. 8,700).

4. *Clem. Alex.* Quis dives salvus 42 (M. 9,648.); Paedag. II. 10. 12; Strom. IV. 25; V. 6; VI. 13 (« Ioannes in Apocalypsi. » etc. M. 8,525. 540 sq. 1365; 9,61. 328).

5. *Orig.* in Ioan. tom. V. 3 (M. 14,189; cfr. Eus. H. E. VI. 25); tom. I. 1 2. 6. 14 (M. 14,21 sqq.); in Matth. tom. XVI. 6 (M. 13,1385).

6. *S. Hermae* Past. Vis. II. 4; IV. 2. Cfr. *Apoc.* 12,1. 4; 21,2.

7. *Fragm. Murat.* lin. 57. 71 (Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 184).

8. Apud *Euseb.* H. E. V. 1 (M. 20,432) : « Praesidis ac populi velut immanis bestiae magis accendebatur furor, qui quidem nullo iure adversus nos aequali odio ferebantur, *ut impleretur Scriptura* : Iniquus adhuc inique agat et iustus adhuc iustificetur » (*Apoc.* 22,11). Cfr. l. c. (M. 20,413) ubi unus ex martyribus vocatur « germanus Christi discipulus, *sequens Agnum quocunque ierit* » (*Apoc.* 14,4).

9. *Tertull.* c. Marc. III. 14; IV. 5 (M. 2,340. 366). Quot textus ex Apoc. in suis libris alleget cfr. in *Roensch* Das N. T. Tertullians p. 530-544; vix est caput, ex quo testimonia sua non desumserit.

10. *S. Cypr.* ep. 26,4; de bono pat. 24 etc. (M. 4,293. 638).

11. *Caius presb.* apud Euseb. H. E. III. 28 (M. 20,273).

12. Cfr. *Euseb.* H. E. VI. 20 (M. 20,572); *Phot.* Biblioth. cod. 49 (M. 103.85).

13. De S. Hippolyto Apocalypseos commentatore cfr. *S. Hier.* de vir. ill. 61 (M. 23, 707), *Andr.* et *Areth. Caes.* in Prol. Comm. in Apoc. (M. 106,220. 493), *Ebediesu* in Catal. apud Assem. Bibl. orient. III. 1. p. 15 etc. — Cfr. *S. Hippol.* de Christo et Antichr. 35. 36. 47. 48. 50 etc (M. 10,756. 765. 769.), et *Philosoph.* VII. 36 (M. 16,3344).

14. Eus. H. E. III. 25 (M. 20,268).

238. — At eodem in loco Eusebius tertiae quoque librorum classi, quae « spurios » (τοὺς νόθους) complectatur, Apocalypsin « si visum fuerit » adnumerari posse censet, « quippe quam nonnulli respuant, alii inter τὰ ὁμολογούμενα referant ». Revera inde a medio saec. 3. orthodoxi nonnulli doctores eam Ioanni Apostolo abiudicare coeperant suaque auctoritate effecerant, ut in nonnullis ecclesiis neque ad publicam lectionem amplius admitteretur neque in canone recenseretur. Etenim nimium allegoricae interpretationis studium ab Origene invectum episcopi quidam aegyptiaci, inter quos praecipuus erat Nepos Arsinoensis, insectati in alterum extremum illapsi erant, atque etiam symbolicas descriptiones, quae in Apocalypsi frequentes leguntur, ad literam interpretantes chiliasmo crasso et carnali originem dederant.[1] Quem errorem magna quidem cum caritate, at magno simul cum zelo impugnavit *S. Dionysius M.*, Origenis discipulus, utque facilius eum

impugnaret, Apocalypseos, cuius testimoniis abusus erat Nepos Ars., originem apostolicam in dubium vocavit eamque pio cuidam viro apostolico, Ioannis homonymo, adscribere maluit. Cui novae sententiae stabiliendae quum antiquorum scriptorum testimonia inservire non possent, argumenta ex libri inscriptione, dictione styloque conquisivit, de quibus infra (239) erit agendum; magna tamen cum modestia omnia proposuit nec librum ipsum prorsus reiicere ausus est[1].

S. Dionysii sententia, quamvis in alexandrina ecclesia non praevaluerit nec ullum in Occidente invenerit sectatorem, in nonnullis ecclesiis orientalibus, maxime in Palaestina et Syria, recepta est. *Eusebius Caes.* enim dubius videtur haesisse, magis tamen in eorum opinionem inclinasse, qui librum Apostolo abiudicant, atque omnium primus « Ioannem presbyterum », quem in Papiae textu quodam detegere sibi visus est, reliqui autem omnes ante eum et plerique post eum prorsus ignorarunt, in hac controversia nominavit[2]. *S. Cyrillus Ier.* quoque in recensendis N. T. libris Apocalypsin omittit[3], neque eam agnoscunt *canones apostolici*, qui in Syria collecti creduntur[4]; magni demum antiochenae ecclesiae interpretes, *S. Chrysostomus* et *Theodoretus* nunquam ea usi sunt[5]. Quibus si *S. Gregorium Naz.* eiusque amicum *S. Amphilochium* addiderimus, de quorum tamen genuina sententia non satis constat[6], praecipuos testes enumeravimus, quos apostolicae et divinae libri originis adversarii citare possunt. Quocirca ab exaggeratione excusari non possunt *Iunilius*, qui de Apocalypsi « apud Orientales admodum dubitari » asseruit, et *S. Hieronymus*, qui ulterius progressus « Graecorum ecclesias Apocalypsin non suscipere » dixit[7].

1. *S. Dionys. Alex.* ex libr. de promission. fragm. 3-7 (M. 10,1241 sqq.; cfr. *Euseb.* H. E. VII. 25. M. 20,696 sqq.) « Ego librum illum reiicere omnino non ausim, praesertim quum multi ex fratribus eum magni faciant; sed huiusmodi de illo opinionem concipiens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quandam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligam, suspicor tamen altiorem quendam sensum verbis subesse » etc. « Ioannem igitur hunc (sc. libri auctorem) vocari et librum ab Ioanne scriptum esse non infitior. Fateor enim sancti cuiusdam et divino Spiritu afflati viri id opus esse. Sed hunc ipsum esse Apostolum, Zebedaei filium, Iacobi fratrem, cuius est Evangelium illud, quod secundum Ioannem inscribitur et epistola catholica, haud facile concesserim. Nam ex utriusque genio et forma loquendi et ex libelli totius ductu ac dispositione non unum eundemque scriptorem esse coniicio ». Paullo post : « Ac plurimos quidem opinor fuisse Ioanni Apostolo cognomines... Est etiam alius Ioannes in Actibus cognomento Marcus...; an hic sit, qui Apocalypsin scripsit, mihi non liquet; neque enim una cum illis in Asiam venisse perhibetur... Alium igitur esse censeo, unum scilicet eorum qui in Asia versati sunt. Duo enim apud Ephesum sepulcra fuisse perhibentur, utrumque Ioannis nomine insignitum ». De duabus « memoriis Ioannis » autem sermonem esse recte iam suspicatus est *S. Hier.* de vir. ill. 9 (M. 23,655).

2. *Euseb.* H. E. III. 39. (de quo textu cfr. supra 57 n. 18. p. 213) et III. 25 (de

quo cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 67. p. 197 sq.). Ceterum Eusebius alibi (Demonstr. evang. VIII. M. 22,605) Apocalypsin sub Ioannis nomine sine haesitatione allegat.

3. *S. Cyrill. Ieros.* Catech. IV. 36 (M. 33, 500) in canone recensendo omittit Apocalypsin; cat. XV. 16 (M. 33, 892) eam inter « apocrypha » videtur recensere, quamvis in eadem catechesi (13. 22. 27) eius verbis utatur (Cfr *Introd. gen.* 71. Ed. 2. p. 206).

4. *Can. apost.* 76. al. 85; cui addendus esset *Laodic.* can. 60, si esset genuinus. De quibus cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 42 p. 107 sqq.

5. De *S. Chrysost.* cfr. Montfaucon Diatr. in Syn. S. S. M. 56,309.

6. *S. Gregor. Naz.* in Carm. de veris Script. (M. 37,474) Apocalypsin omittit, *S. Amphil.* ad Seleuc. 316 sqq. (M. 37,1597) : « Apocalypsin Ioannis nonnulli (τινὲς) quidem admittunt, plures (οἱ πλείονες) vero spuriam asserunt ». At altera ex parte *S. Gregorius Naz.* ab Andrea et Aretha Caes. (l.l. c.c.) inter eos enumeratur, ex quorum operibus suos commentarios collegerunt; atque in superstitibus operibus non semel adhibet Apocalypsin pro divina auctoritate. Orat. 29,17 (M. 36,96) coniungit Apoc. 1,8 cum aliis textibus ex Evangeliis et Apostolo desumtis; Orat. 42,9 (M. 36,469) « in Apocalypsi Ioannes docet » angelos praesidere ecclesiis (Apoc. 2,1). *Andreas Caes.* quoque ex « Gregorii Theologi » de inspiratione Apoc. constare asserit, eiusque explicationes allegat saepius M. 106,220. 224. 229. 232. 249. S. Gregorii Naz. amici quoque, *SS. Basilius* et *Gregorius Nyss.*, authentiam et canonicitatem admiserunt (cfr. *infra* n. 12.), quomodo igitur fieri potuit, ut tertius doctor cappadox eam reiiceret?

7. *Iunil.* de partit. div. leg. I. 4 (M. 68,18); *S. Hier.* ad Dard. ep. 129,3 (M. 22, 1103).

Re enim vera tantum abest, ut graecae ecclesiae Apocalypsin non susceperint, ut longe maior numerus iuniorum Patrum graecorum, S. Dionysii Alex. sententia non obstante, eam pro divina adhibuerit atque Ioanni Apostolo adscripserit. Alexandrinae ecclesiae tres insignes testes citamus S. Dionysio iuniores : *S. Athanasius M.* sine ulla haesitatione nec ulla dubitatione expressa eam in canone recenset eiusque testimoniis, addito interdum Ioannis nomine, velut divinis contra Arianos utitur[8]; atque eadem ratione *Didymus Alex.* et *S. Cyrillus Alex.* ex Apocalypsi velut ex libro inspirato atque ab Ioanne Apostolo conscripto argumenta sua desumunt difficultatesque ex ea contra dogma catholicum ab haereticis prolatas eadem cum sollertia, qua reliquas scripturisticas, explicant[9]. Quibus, ut aliarum quoque ecclesiarum aegyptiacarum fidem cognoscamus, *S. Nilum Abb.* adiungimus[10]. In Palaestina et Syria S. Cyrillus Ieros. quidem eam in canone suo omisit, at *S. Methodius Tyr.* eam addito Ioannis nomine non semel pro auctoritate allegat, atque *S. Epiphanius* non tantum Alogos ob eam reiectam carpit, sed ipse quoque eius testimoniis utitur[11]. In Syria orientali eadem aetate eam a *S. Ephraemo* adhibitam esse supra iam diximus; ex Cappadocia autem praeter S. Gregorium Naz. iam nominatum testes citamus *S. Basilium, S. Gregorium Nyss.*, atque S. Basilii in sede caesariensi successores *Andream* et *Arethan*, qui eam commentariis illustrarunt[12]. In *Concilio Trull.* demum Ioannis Apocalypsis cum reli-

quis N. T. libris sollemni iudicio ab universa ecclesia orientali recepta est[13].

Iunioris ecclesiae occidentalis testimonia afferre supersedemus, quia nemo unquam dubitavit, quin inde a saec. 3. in toto Occidente unanimi consensu eius origo apostolica et canonicitas sit agnita. Itaque historicis documentis totius antiquitatis christianae authentia Apocalypseos demonstratur, neque quisquam Ioannem Apostolum eius auctorem esse negare poterit, nisi omnem historicam demonstrationem negaverit atque destruxerit. Frustra enim ad scrupulos medio saec. 3. Alexandriae exortos provocatur, quippe qui dogmaticis dumtaxat opinionibus originem suam debent. Si Montanistae atque maxime Chiliastae nostri libri revelationibus non essent abusi, nemo in tota antiquitate Ioanni Apostolo eas abiudicare esset ausus[14].

8. *S. Athan. M.* Ep. fest. 39 (M. 26,1437); c. Arian. II. 23 (« Angelus Ioannem se adorare volentem in Apocalypsi sic arcet » etc). 45. III. 4 etc (M. 26,196. 244. 329).

9. *Didym. Alex.* de Trin. III. 5; in Iud. Enarr. (M. 39,840. 1813); *S. Cyr. Alex.* de ador. in spir. VI. (M. 68,433) » Apocalypseos librum nobis composuit sapiens Ioannes ».

10. *S. Nili Abb.* Ep. I. 137 (M. 79,140) « casto Ioanni » attribuit *Apoc.* 3,7. Cfr. quoque *S. Isid. Pelus.* Ep. I. 188 (M. 78,304).

11. *S. Method. Tyr.* Conviv. decem virg. or. 6,5; 8,4 etc (M. 18,121. 144); *S. Epiph.* haer. 51,3; de duodecim gemm. etc (M. 41,892; 43,347).

12. *S. Basil. M.* c. Eunom. II. 14 (« Sed ipse *Evangelista* in alio libro nobis sensum vocabuli *erat* [Ioan. 1,1.] explicat dicens : qui est et qui erat et qui est omnipotens » [Apoc. 1,8]) IV. 2 etc (M. 29,600. 677); *S. Gregor. Nyss.* c. Apollin. 37 (« quemadmodum ait Scriptura ») ; c. Eunom. II. (M. 45,1208. 501); *Andr. Caes.* et *Areth. Caes.* in Apocal. (M. 106,216 sqq. 493 sqq.).

13. Cfr. *Bevereg.* Synod. Can. Conc. VI. in Trullo c. 2. (M. 137,524); *Phot.* Syntagma Can. tit. III. 2 (M. 104,589. 592).

14. Ita ipse rationalista *Davidson* Introd. I. p. 319. : « Let it not be urged that the patristic tradition is not unanimous... The historical tradition relative to the Apocalypse seems to have been interrupted by doctrinal views alone. Had no Montanism or millenarianism appeared, we should have heard of no voice raised against Iohn's authorship... The basis of the tradition cannot be explained away without violating the principles of historical evidence ».

239. — Priusquam ulterius progredientes inquiramus, num forte ob internas rationes Apocalypsis non obstantibus historicis documentis Ioanni Apostolo sit abiudicanda, non abs re erit in tempus inquirere, cui antiqui testes originem eius attribuunt. Quam quaestionem paucis hoc loco absolvemus, quia praecipua testimonia alibi iam attulimus[1]. Etenim se revelationes has vidisse, quum « in insula, quae appellatur Patmos, propter Verbum Dei et testimonium Iesu Christi » degeret, S. Ioannes ipse tradit, neque ulla est dubitandi ratio, quin visae statim literis sint traditae[2]. Tota igitur quaestio est de Apostoli exsilio, quod Domitiani tempori adscribendum esse supra (57) demonstravimus.

Profecto S. Irenaeus tam asseveranter loquitur, ubi « sua propemodum aetate sub exitum scilicet imperii Domitiani » revelationes visas esse asserit, ut eum hac de re a magistro suo Polycarpo aliisque qui « facie ad faciem Ioannem viderunt », certam traditionem accepisse, non liceat negare. Accedit autem, quod ante saec. 4. nemo alteram aetatem Apocalypsi assignaverit; quotquot enim de Ioannis exsilio vel de Apocalypseos origine loquuntur, aut diserte Domitianum nominant (uti *Victorin. Petav.*) aut eiusmodi verbis utuntur, quae de Domitiani tempore solo apte explicantur (uti *Tertull., Clemens Alex.* etc). Exeunte demum saec. 4. solus *S. Epiphanius* a Claudio imperatore Apostolum in exsilium missum refert; at nemo hodie est, qui Epiphanium hac in re errasse neget[3]. Duo demum sunt testes, qui de Nerone loquuntur; inscriptio nimirum *syriacae versionis* a Lud. de Dieu editae, quae saeculo 6. adscribitur, et *Theophylactus* saec. 11. Notandum autem est, Domitianum, quia crudelitate sua Neronem imitabatur, ab ethnicis quoque scriptoribus interdum Neronem vocari; quocirca facile fieri potuit, ut syriacus scriptor in errorem sit inductus[4]; Theophylactus vero hac in quaestione fide non est dignus, quoniam sibi ipse contradicit, uno in loco Neroni, altero in loco Traiano exsilium Apostoli attribuens[5]. Quae quum ita sint, omnes, qui facta historica ex historicis documentis diiudicant, nobiscum Domitiani aetate Apocalypsin visam et scriptam esse dicent[6].

Atque eo magis nobiscum consentient, quo certius sententia nostra internis libri characteribus confirmatur. Quicunque enim septem epistolas, a quibus Apocalypsis incipit, attente legerit, statum septem ecclesiarum asiaticarum descriptum videbit, qui nos cogit, ut eas satis diu post Iudae et 2. Petri epistolas scriptas dicamus. Eaedem quidem in Apocalypsi et in epistolis catholicis illis impugnantur haereses, at in epistolis sola semina systematum invenimus, quae in Apocalypsi iam magis videmus exculta et latius propagata. Moderni « critici » inter a. 68. et 70. Apocalypsin scriptam esse volunt; sed quis sibi persuadebit, duobus vix annis post Pauli mortem, qui tamdiu in Asia resederat, post priora vincula ecclesias asiaticas iterum visitaverat, illis Timotheum praefecerat, tam duris verbis indiguisse Ioannem, ut nonnullas ad meliorem frugem revocaret[7]? Adde quod primis Ecclesiae temporibus Apostoli singulis ecclesiis non unum solum sed complures praefecerint episcopos et presbyteros, qui communi consilio fideles rexisse videntur; Ephesi saltem a. 60. complures fuisse disertis verbis nos docet S. Lucas. Apocalypticae autem epistolae in uno solo auctoritatem omnem residere supponunt, quem Angelum ecclesiae vocant cuique soli curam ecclesiae commissam esse insinuant[8]. Quam administrationis mutationem paucis annis in omnes ecclesias asiaticas potuisse in-

troduci quis crediderit? Similiter nomen « dominica dies » ususque apostolicorum scriptorum in coetibus praelegendorum [9] nonne adultiorem Ecclesiae aetatem nos docent?

1. Cfr. *supra* 57 n. 1-4. p. 209 sq.

2. *Apoc.* 1,9-11; 1,19; 10,4; 14,13; 19,9 etc.

3. *S. Epiph.* haer. 51,12. 33 (M. 41,909. 949).

4. Inscriptio syriacae versionis est haec (Cfr. Walton Polygl. V. 932) : « Revelatio quae facta est Ioanni Evangelistae a Deo in Patamon insula, in quam iniectus fuit a Nerone Caesare ». Domitianum Neronem appellat *Iuvenal.* IV. 37 :

« Quum iam semianimum laceraret *Flavius* orbem
Ultimus, et *calvo* serviret Roma *Neroni* »;

quem imitatus *Ausonius* De duodecim Caesaribus (M. 19,865) :

« His decimus fatoque accitus Vespasianus;
Et Titus imperii felix brevitate; secutus
Frater, quem *calvum* dixit sua Roma *Neronem* ».

Quum Nero et Domitianus primi essent Christianorum persecutores, eorum nomina facilius a Christianis confundi potuere.

5. *Theophyl.* in Ioan. Prol. (M. 123,1133) Apostolum in insula Patmos Evangelium scripsisse dicit « triginta duobus annis post ascensionem », ergo sub Nerone; sed in Matth. 20,23 (M. 123,364) eum a Traiano condemnatum asserit, « quia testimonium reddiderat verbo veritatis ».

6. Miraberis, quod asserere non dubitaverit *de Wette* Einl. p. 416 : « Von den schwankenden Nachrichten der Alten über Iohannes angebliche Verbannung auf Patmos und ihren Meinungen über die Abfassungszeit der Apocalypse hat der Kritiker bei Bestimmung dieses für die ganze Ansicht der Buches wichtigen Zeitpunktes ganz abzusehen und sich allein an die innern Gründe zu halten ». Ut omittamus testimonia veterum usque ad saec. 4. non esse dubia aut ancipitia nec unquam viro vere critico ullum momentum negligere licere, quod argumento esse *possit*, « critici » illi se in circulo vitioso versari non vident; nam internis solis characteribus aetatem libri determinare volunt et deinde ex aetate, quam invenisse sibi videntur, de toto libri charactere eiusque explicatione iudicare audent.

7. *Apoc.* 2,4. 5. 13. 14. 20 sqq. etc.

8. *Act.* 20,17. 28; *Phil.* 1,1; *Tit.* 1,5. 7.; *Apoc.* 2,1. 8 etc.

9. *Apoc.* 1,10. « *Diem dominicam* » a primis Christianis esse celebratam elucet quidem ex 1 *Cor.* 16,2 et *Act.* 20,7; nomen autem « dominicae diei » nondum adhibetur a *S. Barn.* (Ep. 15), quamvis de abolitione sabbathi et institutione *octavi* diei celebrandi loquatur; adhibetur vero a *S. Ignatio M.* (ad Magn. 9) et iunioribus. — *Apoc.* 1,3 μακάριος ὁ ἀναγινώσκων καὶ οἱ ἀκούοντες τοὺς λόγους κτλ. In quae verba ipse *Renan* L'Antechrist. p. 360 n. 5 « Il s'agit ici de la lecture dans l'église par l'*anagnoste* ». At quibus argumentis probabile redditur iam a. 68. scripta *apostolica ordinariae* lectioni publicae inservisse? Epistolas Apostolorum in illis ecclesiis, quibus transmissae erant, etiam publice in coetibus lectas esse non negamus, sed de earum *ordinaria* lectione agitur, atque haec argumentis demonstranda est. Eam versus saec. 1. finem exstitisse certum est; num iam ante a. 70. in usu fuerit, incertum.

Restat, ut internas istas rationes examini subiiciamus, quibus nixi nonnulli interpretes aut Neronis tempori Apocalypsin attribuunt aut brevi post Neronis mortem illam scriptam esse existimant. Rationali-

starum quidem eorum, qui cum Renan non tantum annum et mensem, sed diem fere (quidni et horam?), quo scriptus est liber, definire voluntˢ, arbitrarias explicationes afferre et refutare operae pretium non est; infra (242) de eorum explicationis systemate pauca dicemus. Sed alii sunt interpretes maiore attentione digni, qui inscriptionem versionis syriacae et Theophylacti testimonium internis rationibus confirmare voluerunt. Etenim ex *Apoc.* 11,1. 2 elucere censent, Ierosolyma et templum nondum esse destructa, quando Ioannes suam Apocalypsin vidit; iubetur enim templum et altare metiri. Quo argumento ut aliquid efficiatur, supponendum est de materiali templo eiusque atrio esse sermonem; quomodo autem id demonstretur, non apparet. Nonne Ezechiel quoque et Zacharias virum viderunt templum metientem et sanctam civitatem, postquam iam diu erant destructa[11]? Quemadmodum autem illos, ita S. Ioannem de ideali quodam templo, i. e. de Ecclesia, loqui manifestum est; in templum enim hierosolymitanum soli ingrediebantur sacerdotes, at in templo ab Ioanne descripto totus populus adorabat[12].

Alterum argumentum ex *Apoc.* 17,10 desumunt, quo in loco quinque reges (imperatores) romani iam cecidisse, sextus nunc esse, septimus mox venturus nec diu mansurus dicuntur. Iam vero si ab Iulio Caesare initium sumitur, sextus « qui nunc est » debet esse Nero; si ab Augusto initium sumitur, est Galba. Quae quidem verissima sunt; sed *Victorinus Petav.*, qui primus illo in loco imperatores romanos vidit indicatos, initium sumsit a Galba et sextum esse Domitianum invenit, quem secutus est septimus Nerva, qui vix duobus annis imperium tenens non diu mansit[13]. Incertum igitur est argumentum, quia incerta explicatio, atque multo incertius, quia nullatenus constat, num illo in loco reges an regna intelligenda sint. Tertium demum argumentum prioribus infirmius est; ex nomine enim bestiae desumitur (*Apoc.* 13,18), nam numerum 666 designare Neronem Caesarem dicunt[14]. Nemo autem ignorat, quot aliae istius aenigmatis solutiones sint propositae; quid igitur ex explicatione tam ambigua eruitur?

10. *Renan* L'Apocalypse. Introd. p. XXI. « Les personnes qui liront attentivement nos chapitres XV, XVI, XVII, reconnaîtront, je crois, qu'il n'est pas un seul écrit dans le canon biblique dont la date soit fixée avec autant de précision. On peut déterminer cette date *à quelques jours près* ». Reliqui interpretes scholae criticae, utpote eruditiores, modestius loquuntur.

11. *Ezech.* 40,2 sqq., *Zach.* 2,1 sqq.

12. *Apoc.* 11,1; cfr. *Aberle* Einl. p. 135, qui simul alio argumento Apocalypsin post a. 70. scriptam esse demonstrat. Etenim *Apoc.* 17,9 Romam imagine mulieris, quae super septem montes sedet, designari monet, imagini autem huic occasionem dedisse nummum suspicatur Vespasiani tempore anno 71. excusum, in quo Roma sub figura

mulieris septem collibus insidentis repraesentatur. Quod argumentum probabilitate sua non omnino caret.

13. *Victorin. Petav.* in Apoc. 17,10 (M. 5,338). Inter modernos alii quinque reges, qui fuerunt, volunt esse Iulium Caesarem, Augustum, Tiberium, Caium, Claudium atque sextum Neronem, alii Augustum, Tiber., Caium, Claudium, Neronem et sextum Galbam, alii omissis Galba, Othone et Vitellio sextum statuunt Vespasianum. Omnes praeconceptis ideis textum accommodare evidens est. Non sine ratione monet *Aberle* (l. c.) regnum proprio sensu non incepisse nisi ab eo tempore, quo auctoritate senatus neglecta soli exercitus imperatores creare coeperunt; rectius igitur a Victorino Galba, quam a modernis Caesar vel Augustus velut primus statuitur. « Progenies Caesarum, inquit *Suetonius* (Galba 1.), in Nerone defecit ». Ceterum antiqui interpretes (*S. Hippol., Andr.* et *Areth. Caes., Ven. Beda*) non reges, sed regna intelligebant.

14. Neronem Caesarem (נרון קסר = 50 + 200 + 6 + 50 + 100 + 60 + 200 = 666) intelligi inter modernos rationalistas pervulgata est opinio, immo in hac explicatione clavem totius libri se invenisse gloriantur (« Der Schlüssel zur Apokalypse und die Probe ihrer Erklärung liegt in der Entzifferung der Zahl 666 ». *Reuss* Gesch. des N. T. Ed. 6. 1887. p. 145); at nemo nisi « criticus » hac contentus est clave. Interpretis est varias et innumeras fere huius aenigmatis solutiones, quae inde a patristico tempore propositae sunt, enumerare et diiudicare; ad nostrum finem adnotasse sufficit a.) nequaquam constare, num Ioannes *graece* scribens *hebraicum* literarum valorem indicare voluerit; antiqui omnes ex *graecarum* literarum valore aenigma solvere conati sunt. b.) Irregularis unius vocabuli scriptio (קסר pro קיסר Καῖσαρ) est admittenda, ut numero nomen respondeat. Ridiculum autem est effugium, si ad hanc irregularitatem explicandam Ioannes « numerum symmetricum » dare voluisse dicitur (« L'omission du י paraît singulière au 1er siècle; il est probable que l'auteur l'a supprimé à dessein, afin d'avoir un chiffre symétrique; avec le י, il aurait eu 676, ce qui avait moins de physionomie ». *Renan* L'Antechrist. p. 416); multo minus autem valet eorum effugium, qui in inscriptionibus palmyrenis saec. 3. formam קסר (Κεσαρ) inveniri monent; nam ex eo, quod saec. 3. a Semitis in terra semitica semitice scribentibus forma ista adhibita sit, inepte concluditur S. Ioanni saec. 1. inter Graecos graece scribenti eandem formam adhibere licuisse. c.) Eodem cum iure, quo a rationalistis Neronis, ab *Aberle* (Tübinger Quartalschr. 1872. p. 144 sqq.) in numero invenitur Traiani nomen defective scriptum (תריגן = 400 + 200 + 10 + 50 + 6 = 666). d.) Si ad hebraicum literarum valorem recurrendum sit, praeferendum videtur vocabulum סותר (60 + 6 + 400 + 200) a *Bickell* propositum. Quod aramaicum nomen eundem habet sonum (*Soter*), quem graecum nomen *Salvatoris*. (ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου ὁ Χριστός *Ioan.* 4,42), sed oppositam significationem; significat enim *devastatorem* atque in unico, in quo invenitur, V. T. loco (1 *Esdr.* 5,12) Nabuchodonosori templi devastatori applicatur; correspondet igitur hebraico nomini Abaddon et graeco Ἀπολλύων (*Apoc.* 9,11), ac proin aptissimum nomen est Antichristi. Cfr. *Krementz* Die Offenb. des hl. Iohannes. Freiburg 1883. p. 130 sq.

240. — Quibus praemissis ad internos Apocalypseos characteres animum nostrum convertamus, ut quid ex iis de eius origine statuendum sit definiamus. Quod olim S. Dionysius magna cum modestia proposuit, id moderni multi interpretes protestantici, quamvis Doctoris alexandrini argumentis vix quidquam novi adiecerint, maxima cum certitudine asserunt, alium esse Apocalypseos, alium quarti Evangelii triumque epistolarum ioannearum auctorem[1]. At tantum abest, ut

validissima argumenta historica, quibus Ioannem Apostolum et Evangelium et epistolas et Apocalypsin scripsisse demonstravimus, internis illis characteribus infirmentur, ut confirmari potius sint dicenda. Singulas adversariorum obiectiones percurremus eaque, quae nostrae sententiae confirmandae inserviunt, suis locis addemus.

1. Primum suum argumentum S. Dionysius ex libri inscriptione desumit; etenim « Evangelista nullibi nomen suum adscribit nec in Evangelio nec in epistola semetipsum praedicat; at Revelationis scriptor in ipso statim exordio nomen suum praefigit » et saepius se nominat. Mirum quod moderni quoque eandem obiectionem repetant, etsi eam urgeri non posse optime videant[2]. Namque librorum historicorum auctores antiquitus numquam operibus nomen suum praefixisse, nemo est qui ignoret; e contra antiqui Prophetae omnes a nominis sui indicatione libros suos inchoarunt. Quem morem secutus S. Ioannes Evangelista in Evangelio suum nomen silentio praeterit, S. Ioannes Propheta illud Revelationi praemittit. Cur in prima epistola nomen suum tacuerit, diximus *supra* (228); in duabus minoribus autem illud dignitatis nomen ponit, quo inter Christianos asiaticos cognitus erat (232).

Quod si moderni nonnulli illa, quae *Apoc.* 18,20 et praesertim 21,40 leguntur, ab Apostolo scribi non potuisse asserunt[3], fastidiosiores sese exhibent iudices. Profecto quid S. Ioannem impediverit, quominus « Sanctos et Apostolos et Prophetas » ad gaudium de magnae Babylonis excidio exhortetur, aut « duodecim Apostolos fundamenta novae Ierusalem » vocet, equidem non video. Num forte ob modestiam suam Apostolus infidelem testem eorum, quae vidit et audivit, exhibere sese debuit? Et quid tandem laudis in eo est, quod una cum Sanctis et Prophetis etiam Apostoli gaudere debeant de Dei iudiciis? Ad alterum autem locum quod attinet, nonne etiam Paulus « Apostolos et Prophetas » fundamentum vocat Ecclesiae (*Eph.* 2,20) seque ipsum « sapientem architectum, qui fundamentum posuit » (1 *Cor.* 3,10)? At, inquiunt, duodecim statuens Apostolos auctor Paulum ex Apostolorum numero excludit. Et quemnam S. Paulus, quum post defectionem Iudae et ante electionem Matthiae de « duodecim » loqueretur, duodecimum posuit[4]? Duodenarius Apostolorum numerus, qui duodenario tribuum (quamvis stricto sensu essent tredecim) numero correspondebat, terminus quidam, ut ita dicam, technicus factus erat (triumviri, decemviri etc); in nostro autem libro, qui tot symbolicos numeros habet, multo minus urgeri potest.

1. *De Wette* Einl. p. 422 : « In der neutestamentlichen Kritik steht kein Ergebniss fester (!!) als dieses, dass der Apostel Iohannes, wenn er der Verfasser des vierten Evang. und der iohan. Briefe ist, die Apocalypse nicht geschrieben hat, oder wenn diese sein Werk, er nicht Verfasser der andern Schriften ist. » *Renan* L'Antechrist. Introd. p. XXV. « S'il y a quelque chose d'évident (!!), c'est que l'Apocalypse, d'une part, l'Évangile et les trois épîtres, d'autre part, ne sont pas sortis de la même main ». *Davidson* Introd. I. p. 345 : « The decided weight of external evidence is in favour of the apostolic authorship of Revelation. If therefore the apostle wrote it, he did not write the fourth gospel ». Ita omnes criticae scholae asseclae; sive Apocalypsin

sive quartum Evangelium Ioanni auctori attribuunt, utrumque librum ei attribuere nolunt.

2. *S. Dionys. Alex.* apud Euseb. VIII. 27 (M. 20,697 sq.); cfr. *De Wette* Einl. p. 418 etc.

3. *Credner* Einl. p. 733; *Düsterdieck* in Meyer Exeg. krit. Handb. XVI. Ed. 2. p. 66 etc.

4. 1 *Cor.* 15,5. Genuinam lectionem esse τοῖς δώδεκα certum est. Optime ipse *Davidson* l. c. p. 327. « We need not be surprised at the number *twelve*, rather than thirteen including Paul. The types and symbols of the book exclude the idea of minute exactness. Twelve is a number often used by the writer : the twelve tribes of Israel, twelve thousand sealed ones; and Matthew himself, in speaking of the thrones allotted to the apostles, reckons them thwelve, without relation to Paul ». Bene *Cai.* (in 1 *Cor.* 15, 5) « duodecim » dicit « nomen ordinis apostolici ».

2. Cum S. Dionysio linguae dictionisque graecae differentiam Evangelium inter et Apocalypsin quam maxime urgent. « Evangelium, inquit S. Doctor, et epistola non tantum emendate, quod ad graecum sermonem attinet, verum etiam elegantissime in tota orationis compositione scripta sunt; Apocalypseos vero dictio non admodum graeca est, sed barbarismis atque interdum soloecismis inquinata ». Quibus addunt moderni, terminos constructionesque, quibus frequenter utatur Evangelista, in Apocalypsi deesse, in Apocalypsi autem alia frequentari, quae in Evangelio desiderentur[5].

Differentiam quandam dictionis elocutionisque inveniri non negamus, neque ex temporis, quo Evangelium et Apocalypsis scripta sunt, differentia eam explicandam esse censemus; eodem enim fere tempore, quum Apostoli vita iam ad finem vergeret, utrumque librum exortum esse S. Irenaeus cum reliquis antiquis scriptoribus testatur. Quocirca ad difficultatem solvendam haec adnotamus.

a.) Elegantiam graecae dictionis Evangelii a S. Dionysio aliquantum exaggerari supra iam monuimus (60. 3); nostro enim iudicio rectius loqui illi videntur, qui in toto N. T., si dictio spectatur, nullum librum Apocalypsi similiorem, quam quartum Evangelium, inveniri dicunt[6]. Verum quidem est, in eo Apocalypsin ab Evangelio et reliquis omnibus N. T. libris differre, quod multis scateat barbarismis et soloecismis, qui multis in locis rudiorem durioremque reddunt sermonem[7]. Iniustus autem esset, qui eos auctoris ignorantiae adscriberet; regulas enim graecae linguae ei ignotas non fuisse innumeri alii textus demonstrant[8]. Namque qui scripsit : εἰρήνη ἀπὸ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτα πνεύματων (Apoc. 1,4), praepositionem ἀπὸ postulare genitivum procul dubio non ignoravit, siquidem in secundo phraseos membro eum adhibuit; in priore autem eum adhibere noluit, quia tota expressio « ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος » ei erat nomen proprium correspondens hebraico יהוה. Non paucis in locis appositionem suo substantivo recte apponit eundem casum idemque genus adhibens; quare si Apoc. 1,5. scripsit : ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστός κτλ, ob certam rationem ab regula optime ei cognita deflexisse dicendus est. Quaenam illa fuerit ratio, multis in locis difficile quidem est dictu; at ignorantiae immerito accusari Apocalypseos auctorem, hodie vel ipsi adversarii nostri plerique concedunt. Quare

prima impurae graecae dictionis Apocalypseos causa in ipsa auctoris voluntate sita est, qui melius quidem scribere potuit, sed certas ob rationes noluit.

b.) In Apocalypsi scribenda S. Ioannes vaticinia V. T. continuo prae oculis habuit; « tota Apocalypsis, inquit rectissime *Corn. a Lapide*, plena est allusionibus ad V. T. locos, historias, figuras; maxime vero ad visiones Ezechielis et Danielis alludit ». Quapropter non est mirandum, quod in dictione quoque et lingua color quidam hebraicus sit manifestus, quodque hebraismi multo frequentiores in nostris visionibus sint, quam in evangelicis narrationibus [9]. Alteram igitur diversae in Evangelio et in Apocalypsi linguae causam ex exemplaribus desumimus, quae in Apocalypsi secutus est.

c.) Tertia causa demum ex diverso utriusque libri charactere derivatur. Alio modo loquitur propheta, alio modo historicus; ex pseudopropheticis autem et pseudoapocalypticis fragmentis, quae nobis conservata sunt, satis constat linguam illam, qua apocalyptici illi scriptores utebantur, impurissimam fuisse. Iam quid obstat, quominus S. Apostolum eadem lingua impura, quae in eiusmodi libris usitata erat, in suo quoque libro uti voluisse dicamus [10]?

d.) Quarto loco demum illud probe considerandum est, Apocalypseos stylum dictionemque, etsi rudior duriorque sit, in multis cum Evangelio quarto consonare [11]. Non multum quidem similitudinis istius vestigia valere asserunt nonnulli adversarii nostri [12]; at eo maior illis vis probandi inest, quo magis inter se utriusque libri argumenta differunt. Quare etiam alii ex adversariis nostris ex dictionis linguaeque singularitate certum argumentum non deduci concedunt [13].

5. *S. Dionys. A.* l. c. (M. 20,704); *de Wette* Einl. p. 418; *Credner* Einl. p. 728 sqq.; *Davidson* Introd. I. p. 337 sqq. Moderni exempla sua praesertim hauriunt ex *Lücke* Versuch einer vollständigen Einl. in die Offenb. Ioh. Ed. 2. p. 662 sqq.

6. *Aberle* Einl. p. 89. Hebraicum esse dictionis characterem quarti Evangelii, etsi pauciores in eo inveniantur hebraismi proprie dicti, vix non omnes fatentur moderni interpretes iique ipsi, qui alium esse Evangelii, alium Apocalypseos auctorem statuunt. Longa serie eorum testimonia afferunt *Keil* Commentar über das Evang. des Iohannes p. 52; *Lee* Introd. to the Revelation (The Speaker's Comment. N. T. IV. p. 456).

7. Huc pertinent soloecismi a.) *in usu casuum* sive post praepositiones (ἀπὸ ὁ ὤν 1,4; ἀνὰ εἷς ἕκαστος 22,2 etc) sive in appositione (ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μαρτὺς ὁ πιστός 1,5; τὸ ὄνομα τῆς πόλεως... ἡ καταβαίνουσα 3,12; τὸν ὁράκοντα, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος 20,2 etc); b.) *in usu generis et numeri* : ἤκουσα φωνὴν... λέγοντα 9,13. 14; ἡ φωνή... λέγων 4,1; cfr. 4,3; 8,9; 11,15 etc; c.) *in dura genitivorum coacervatione* : ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς 14,8; cfr. 16, 19; 18,12; 19,15; d.) *in usu pronominum*, quum relativo addatur demonstrativum : ἣν οὐδεὶς δύναται κλεῖσαι αὐτήν 3,8; cfr. 7,2; 13,12; 20,8; e.) *in usu verborum*, quum verbum finitum pro participio usurpetur ὁ ἦν 1,4 etc, aut participium pro verbo finito 1,16; vel quum tempora permutentur, ut praesens adhibeatur pro praeterito 2,4., immo futurum pro praeterito frequentativo 4,9 - 11, aut praeteritum pro futuro 20,9. 10 et alia eiusmodi. Nonnulla quidem ex his utpote anacolutha etiam a profanorum scriptorum usu non sunt aliena; alia tamen satis multa incuriae cuidam scriptoris deberi videntur, cuius parum interfuit, ut pure ac pulchre scriberet, dummodo sensa sua clare exprimeret.

8. Cfr *Winer* Gramm. des neutest. Sprachid. Ed. 7. p. 498 sq. : « Bei aller Einfach-

heit der Rede kennt doch der Verf. und beobachtet die griech. syntactischen Regeln sehr gut. » — Si 2, 10 legitur : τὴν γυναῖκα ἡ λέγουσα, recte habetur 1, 10 : ὡς σάλπιγγος λεγούσης; si 3, 12 τῆς καινῆς Ἱερουσαλὴμ ἡ καταβαίνουσα, recte 3, 10 ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ τῆς μελλούσης etc. Accurate quoque casus distinguit, cfr 2, 17 δώσω αὐτῷ τοῦ μάννα... καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκήν κτλ.

9. Cfr. *Reithmayr* Einl. p. 785; *Valroger* Introd. II. p. 430 : « Le style prophétique a partout un caractère qui lui est propre. Nous ne devons pas non plus nous étonner d'apercevoir dans l'Apocalypse la couleur de l'hébreu, qui était la langue maternelle de l'auteur. Nous devrions y reconnaître bien plutôt une nouvelle preuve de l'origine apostolique du livre ».

10. Cfr. *Aberle* Einl. p. 87. : « In den zahlreichen pseudoprophetischen und pseudapokalyptischen Schriften, welche in der ersten christl. Zeit entstanden,... begegnen wir wirklich dem Bestreben, durch mitunter abenteuerliche Misshandlung des griech. Sprachgenius die Sprache des alttestamentlichen Prophetenthums nachzuäffen. In Folge davon entwickelte sich eine eigenthümliche Literaturgattung, die ihre besondere Sprechweise hatte... Wenn auch die Apocalypse, wie dies ausdrücklich bezeugt ist, dem Verfasser in der Vision mitgetheilt wurde, so müssen wir doch annehmen, dass diese Mittheilung in keiner andern Sprache vermittelt wurde, als in der, welche sich als gewöhnliche apokalyptische Sprache gebildet hatte. Wir können daher von der Sprachweise der Apokalypse keinen Schluss machen auf die andern Schriften ihres Verfassers und umgekehrt, und man muss also bei der Frage, ob die Apokalypse einerseits und die übrigen johanneischen Schriften andererseits einen und denselben Urheber haben, von dem jeweiligen Sprachcharacter, den sie zeigen, vollständig absehen und darf sich bloss auf anderweitige, sei's äussere, sei's innere Zeugnisse stützen ».

11. Dictiones, quae in Apocalypsi et reliquis libris Iohanneis solis adhibentur, magna cum sollertia collegerunt *Kolthoff* Apocalypsis Ioanni Apostolo vindicata. Havniae 1833. p. 86 sqq.; *Dannemann* Wer ist der Verfasser der Offenbarung? Hannover 1851. p. 2 sqq. Specimina satis multa exhibent ex catholicis ***A. Maier*** Einl. p. 468, ex protestanticis *Davidson* Introd. I. p. 329 sq., *Lee* in The Speaker's Comm. N. T. IV. p. 460 sqq. etc. Quae, quum ab adversariis non negentur, adscribere supersedemus.

12. *Credner* Einl. p. 729; *de Wette* Einl. p. 418 « Auch bedeuten die von den Vertheidigern der johanneischen Abfassung angeführten Spuren von Verwandtschaft der Schreibart nicht viel ». Quod ut demonstraret, infelici manu exempla quaedam collegit, quae immerito afferri asseruit. Contendit ἀληθινόν in Evangelio de *vero* Deo usurpari, in Apoc. de *veraci* Deo, at utroque in libro utroque sensu legitur (*Ioan.* 17,3; 1 *Ioan.* 5,20 et *Apoc.* 3,7; — *Ioan* 7,28 et *Apoc.* 3,14; 19,11; de *vero* Deo etiam 1 *Thess.* 1,9, secus autem nullibi de Deo adhibetur); μαρτυρίαν alio sensu in Evang., alio in Apoc. adhiberi (sed rectissime ipse Davidson l. c. : « The favorite expression μαρτυρεῖν and μαρτυρία of the gospel in the sense of declaration respecting the Saviour, public profession and declaration of belief in him, is common in the Apocalypse »), νικᾶν in Apoc. absolute, in Evang. et Epp. cum accus. adhiberi (at frequenter in Apoc. quoque habet accus. 11,7; 12,11; 13,7 etc; ceterum, verbum νικᾶν septies in Evang. et Ep. Ioan., sexies decies in Apoc., praeterea autem in N. T. semel tantum a S. Luca et ter a S. Paulo adhibetur). Reliqua exempla non esse characteristica asserit, ac si ὄψις = *facies* (Apoc. 1,16; Ioan. 11,44), περιπατεῖν μετά τινος = *sequi* (Ioan. 6,66; Apoc. 3,4), σκηνοῦν = versari inter aliquos vel in aliquo loco (*Ioan.* 1,14; *Apoc.* 7,15; 12,12; 13,6) σφάττειν = occidere (1 *Ioan.* 3,12; *Apoc.* 5,6; 6,4 etc) etc. ubique occurrerent, quum a nullo alio scriptore N. T. adhibeantur.

13. Cfr. *Reuss* Gesch. des N. T. I. p. 159. « Der Verschiedenheit der Sprache kann

angesichts der Eigenthümlichkeit des Gegenstandes kein entscheidendes Gewicht beigelegt werden.

3. « Ex utriusque libri charactere et scribendi ratione et libelli totius, quae dicitur, dispositione (ἔκ τε τοῦ ἤθους ἑκατέρων καὶ τοῦ τῶν λόγων εἴδους καὶ τῆς τοῦ βιβλίου διεξαγωγῆς λεγούσης) non unum eundemque utriusque libri auctorem esse » coniicit *Dionysius* [14]. Quae verba explicantes multo maiorem vehementiam, fervidius ingenium, luxuriosiorem imaginandi vim in Apocalypsi, quam in Evangelio, deprehendi monent moderni « critici ». Quid quod rabbinicam quoque eruditionem librum nostrum sapere contendunt, eamque pro certissimo argumento habent, illum non esse ab Apostolo Ioanne conscriptum, quippe quem Actus (4,13) et genuina eius scripta virum omni rabbinica cultura destitutum fuisse ostendant [15].

Diversum esse Apocalypseos characterem et dicendi genus ab Evangelio et epistolis Ioannis non magis negamus, quam utriusque libri linguam non plane eandem esse fatemur. At quomodo ex hac diversitate alium esse Evangelii, alium Apocalypseos auctorem colligatur, non intelligimus; in Evangelio S. Ioannes fidelem eorum, quae Christus egit et docuit, testem agens narrat ea, quae vidit et audivit, in Apocalypsi autem propheta sublimes visiones, quae ei exhibitae sunt, etiam fidelis testis describit. Quis vero unquam in historico libro et in libro prophetico eandem scribendi rationem exspectaverit? Num capita historica Isaiae eodem stylo, quo vaticinia, conscripta sunt? Num Balaam eodem dicendi genere utitur, ubi cum Moabitarum principibus colloquitur et ubi a Spiritu S. abreptus populo electo benedicit eiusque hostibus maledicit [16]? Adde quod alio modo Spiritum S. in Videntem visionesque scribentem, alio modo in Evangelistam agere non inepte supponamus, nec quidquam in diverso utriusque libri charactere remanet, quod diversos esse auctores arguat.

Quae de rabbinica auctoris Apocalypseos eruditione obiiciuntur, ea refutatione vix indigent. Rabbinicam enim eruditionem in frequenti V. T. usu inveniunt rationalistae, at quomodo Ioannem Apostolum libros sacros sui populi ignorasse demonstrabunt? Eodem enim modo, quo Ioannes, etiam Petrus ἄνθρωπος ἀγράμματος καὶ ἰδιώτης ex synedristarum sententia appellatur (Act. 4,13), nec dubitamus, quin Scribae et Pharisaei discipulos omnes Domini nec Ioanne nec Petro eruditiores vel doctiores habuerint. Nihilominus Petrum, Iacobum, Iudam, Matthaeum libros sacros V. T. non ignorasse eorum opera abunde demonstrant; atque Ioannes ipse num in Evangelio suo non satis frequenter, immo continuo, V. T. testimonia allegat aut ad ea alludit?

4. Alteram demum esse doctrinam in quarto Evangelio, alteram in Apocalypsi asserunt adversarii nostri moderni; difficile autem est hanc obiectionem refutare, quia inter se non consentiunt, quaenam tandem Apocalypseos et quaenam Evangelii sit doctrina. Ne longi simus, paucorum dumtaxat obiectiones proferemus. Evangelistam Iudaismum aversari, Apocalypseos auctorem eidem favere, asserit De Wette; in Evangelio et epistolis spiritualem quandam rerum eschatologicarum rationem praevalere, carnalem in Apocalypsi, eandemque relationem inter Evangelium quartum et Apocalypsin intercedere,

quae inter *Matth.* 24 et inter *Ioan.* 14,18 sqq. habeatur; ultionis cupiditate incensum esse Apocalypseos auctorem nec ullo modo prae oculis habuisse, quae tradat Evangelista (*Ioan.* 3,16 sqq. 12,47); a genuinis Ioannis libris exsulare « pneumatologicas, daemonologicas, angelologicas » sententias Apocalypseos (1,4; 3,1; 5,6; 16,13; 12,7.9) [17]. Alter rationalista genuinam doctrinam evangelicam (*Matth.* 24,14; *Rom.* 11,25) frustra in Apocalypsi quaesivit, atque integrum librum cum Domini verbis apud *Marc.* 13,32 pugnare invenit [18]. Neotubingiani demum totam Apocalypsin iudaizare asserunt nihilque esse, nisi continuam Pauli doctrinaeque paulinae impugnationem [19].

Duo merito miraberis: nonnulli moderni interpretes, qui Apocalypseos doctrinam cum Evangelio quarto pugnare asserunt, huius suae sententiae patronum invocare S. Dionysium M. non verentur, quamvis luce sit clarius alexandrinum Doctorem de sola externa librorum forma verba fecisse. Qui fieri potuit, ut cum Evangelio pugnare statueret Dionysius librum, quem « a viro sancto et divinitus inspirato » scriptum esse asseruit [20]? Neque minore admiratione dignum est, quod moderni rationalistae, qui quaecunque in Evangeliis non placent pro symbolis et imaginibus habent, omnia symbola omnesque imagines Apocalypseos carnali et materiali modo explicare velint. Quamprimum enim cum omnibus interpretibus christianis symbolicum hoc dicendi genus Apocalyseos agnoverint neque easdem doctrinas in omnibus libris iisdem plane verbis aut eadem cum ubertate proponendas esse concesserint, omnes eorum difficultates sua sponte evanescent. Paucis igitur ostendemus quam inepte doctrinae Apocalypseos cum aliis libris S. Ioannis pugnare dicantur.

Apocalypsin iudaizare asserunt adversarii nostri, quia omnia, quae de Ierusalem, de duodecim tribubus etc dicuntur, de Ierusalem Palaestinae capite deque antiquo populo iudaico intelligunt. Attamen nemo, opinor, dubitat, quin Ierusalem novum, cuius duodecim portis tribuum quidem nomina, sed duodecim fundamentis nomina Apostolorum inscripta sunt (21,12.14), Ecclesia sit triumphans; quis ergo prudens dubitabit, quin 7,3-8 et 11,1 sqq. etc de eadem Ecclesia sive militante sive triumphante verba fiant? Quae si quis negaret, alii non pauci textus (5,8 sqq.; 7,9 sqq.; 21,14 etc) nobis remanerent, quibus auctorem de Ecclesia, quae solos Iudaeos comprehenderet, ne cogitasse quidem demonstraremus. Auctor Apocalypseos oppositionem inter *veterem* synagogam et inter Christi Ecclesiam certissime non statuit; at num forte Dominus in quarto Evangelio eiusmodi oppositionem docuit, ubi de ovili suo loquitur (*Ioan.* 10,1 sqq.; cfr. 10,16)? — Spiritualem dumtaxat Christi parusiam in Evangelio doceri aiunt, visibilem in Apocalypsi. Scilicet nunquam legerunt, quae de reali resurrectione et Christi reditu docet quartus Evangelista (*Ioan.* 5,28.29; 6,39.40; 11,24; 12,48; 1. *Ioan.* 2, 18.28; 4,13,17), nec quae de interno Christi adventu in animas fidelium tradit Apocalypsis (3,20). Num forte Paulus quoque, qui toties de visibili Christi parusia loquitur, quarto Evangelio contradicit (1 *Thess.* 4,12 sqq.; 2 *Thess.* 2,1 sqq.; 1 *Cor.* 15 etc.)? — Messiam ultorem ab Apocalypsi, salvatorem ab Evangelio praedicari contendunt. Quibus verbis si id solum asserere volunt, plura et accuratiora in Apocalypsi de futura peccatorum sorte et de hostium

Messiae poenis, quam in Evangelio quarto annuntiari, libenter assentimur; at si in Evangelio futurum peccatorum iudicium ignorari aut negari arbitrantur, nec Evangelium nec epistolas intellexerunt; locis enim allatis, in quibus de Messia Salvatore sermo est, non tantum *Ioan.* 3,36; 5,22-29; 6,71; 8,44; 9, 39-41 similesque bene multos textus, sed omnes Domini sermones in quarto Evangelio relatos opponimus, in quibus indirecto modo se futurum iudicem manifestat. — Similiter quoque de angelis et daemonibus saepius et fusius in Apocalypsi, quam in Evangelio, sermonem esse concedimus, at eodem modo, quo in Apocalypsi, in Evangelio Angeli sunt Dei ministri (*Ioan.* 1,51; 12,29; 20,12.13), iisdem nominibus diaboli et satanae (*Ioan.* 8,44; 13,27; 1 *Ioan.* 3,8; *Apoc.* 2,9.10) daemones appellantur, eadem potestas iis attribuitur (*Ioan.* 12,31; 14,30; *Apoc.* 12,9; 13,14; 2,13), eadem crimina iis obiiciuntur (*Ioan.* 8,44; 1 *Ioan.* 3,12; *Apoc.* 2,13; 3,9), et sicut in Evangelio et epistola (1 *Ioan.* 3,10; *Ioan.* 8,38.41.44) peccatores diaboli sunt filii, in *Apocalypsi* (2,9) synagoga sunt satanae.

Diutius, quam opus erat, istis immorati sumus; paucioribus reliqua absolvemus. Universalitatem enim Evangelii, quae *Matth.* 24,14 et *Rom.* 11,25 docetur, ab Apocalypsi non negari, sed asseri supra iam diximus; in Apocalypsi autem nec « de die », nec « de hora », qua Christus iudex sit venturus (*Marc.* 13,32), quidquam doceri manifestissimum est. Quid tandem de Pauli paulinaeque doctrinae impugnatione dicemus? Paulus ex numero Apostolorum excludi (*Apoc.* 21,14) et nomine Balaam velut seductor populi designari (*Apoc.* 2,14), eius autem asseclae sub Nicolaitarum nomine (*Apoc.* 2,6.15) damnari dicuntur. Quae num stultius an impudentius sint asserta nescimus; argumenta autem, quibus eiusmodi asserta cohonestent, non afferunt nostri adversarii.

Quibus reiectis plenam Apocalypseos cum reliquis libris Iohanneis consonantiam difficile non foret demonstrare; ne vero longi simus, unam solam doctrinam, quae in Evangelio et in epistolis Ioannis primum locum tenet, paucis attingemus. *Theologo* Ioanni antiqui scriptores et codices Apocalypsin haud raro inscribunt, idque rectissime, quia tota in eo versatur, ut Verbum esse Deum (καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος) nos doceat. Quemadmodum quartum Evangelium historia est Verbi Dei inter homines versantis, ita Apocalypsis nescio annon historia Verbi incarnati in coelo gloriose regnantis recte appelletur. Illud certum est, vix alium in toto canone inveniri librum, in quo Christi divinitas clarius splendeat, frequentius asseratur, disertius describatur. Tres dumtaxat sunt N. T. libri, in quo Filius Dei « *Verbum* » appellatur: Evangelium S. Ioannis, eiusdem prima epistola et Apocalypsis (1,2; 19,13). Porro iidem tituli, qui Deo ipsi, Verbo incarnato tribuuntur; si « Dominus Deus dicit: Ego sum Alpha et Omega, principium et finis » (1,8), eodem modo loquitur Verbum incarnatum (21,6; 22,13); et si in quarto Evangelio omnia per Verbum creata dicuntur, in Apocalypsi Verbum « *principium* (ἀρχή) creaturae Dei » (3,14) appellatur; immo tam diserte et clare Christi divinitas in Apocalypsi asseritur, ut eam ob causam Ioannem eam scripsisse nonnulli rationalistae negent[21]. At alterum animadvertas velim. Verbum Dei in coelo gloriose regnans in Apocalypsi continuo sub figura *Agni* nobis repraesenta-

tur [22]; ex omnibus autem N. T. scriptoribus solus Ioannes nobis Baptistae verba retulit Verbum incarnatum Agnum Dei appellantis, atque ea, quae de agno paschali dicta erant, ad Christum in cruce morientem applicavit (*Ioan.* 1,29.36; 19,36). Tantum igitur abest, ut ab Evangelio Apocalypseos doctrina dissentiat, ut plenior consensus inveniri non possit [23].

14. *S. Dionys.* l. c. (M. 20,697.)

15. *De Wette* l. c. p. 420; *Davidson* l. c. I. p. 335 sq. etc.

16. *Num.* 22,2 - 24,25; *Is.* 36 - 39.

17. Ita fere *de Wette* l. c. p. 420 sqq.

18. *Reuss* Gesch. d. N. T. Ed. 5. p. 159 : « Das eigentlisch evangeliche Element (Matth. 24, 14 vgl. Röm. 11,25) tritt in den Hintergrund *und gegen Marc.* 13,32 *ist der ganze Geist des Buches* ».

19. Cfr. *Baur* Krit. Untersuch. über die Evang. p. 346 sqq.; *Schwegler* Nachapostol. Zeitalter II. p. 252 sqq. etc. Quos sequitur *Renan* L'Antechrist. Introd. p. XXV. « L'Apocalypse est le plus juif, le quatrième Évangile est le moins juif des écrits du N. T. »; p. XXIX « L'Apocalypse respire une haine terrible contre Paul et contre ceux qui se relâchaient dans l'observance de la loi juive »; St Paul p. 367 « Les chapitres II et III de l'Apocalypse sont un cri de haine contre Paul et ses amis ». Num quid impudentius unquam dictum est? Si vero interrogas, quibus argumentis nixi blasphemias istas effutire audeant, nihil aliud afferunt, nisi idolothytorum usum prohiberi (2,14 sq. 20), quem Paulus permiserat (1 *Cor.* 8,1 - 11,1). Ac si Paulus usum qualemcumque permisisset et ab Apocalypsi qualiscumque usus prohiberetur! Quemadmodum Paulus (1 *Cor.* 10,14 - 21) participationem in epulis sacrificalibus severissime prohibet, ita Apocalypseos auctor de iisdem epulis loquitur, id quod satis docet contextus.

20. *S. Dionys.* l. c. : Ἁγίου μὲν γὰρ εἶναί τινος καὶ θεοπνεύστου συναινῶ.

21. *Scholten* Der Apostel Iohannes in Kleinasien p. 9; *Renan* L'Antechrist. Introd. p. XLI sq.

22. *Apoc.* 5. 6. etc. — Obiiciunt quidem in Evangelio nomine ἀμνοῦ (ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ), in Apocalypsi autem nomine ἀρνίου *Agnum* designari; verum non animadvertunt, Baptistam ad *Is.* 53,7 alludere, quo in loco Alexandrini vocabulum ἀμνός adhibuerunt (cfr *Act.* 8, 32; 1 *Petr.* 1,19), Evangelistam vero, ubi eiusmodi allusio deest, nomen ἀρνίου retinere (*Ioan.* 21, 15).

23. Ipse *Renan* L'Antechrist. Introd. p. XXXII, quamvis Evangelium et Apocalypsin diversis auctoribus attribuat, similitudines has adesse concedit, inepte autem pergit : « Loin de nous la pensée de conclure de ces faits que la même plume ait écrit le quatrième Évangile et l'Apocalypse; mais il n'est pas indifférent que le quatrième Évangile, dont l'auteur n'a pu être sans lien quelconque avec l'apôtre Jean, offre dans son style et ses images quelques rapports avec un livre attribué pour des motifs sérieux à l'apôtre Jean ». Nos quoque ex his solis factis ad eundem auctorem non concludimus, sed illis utimur ad illam sententiam confirmandam, quae historicis documentis extra dubium iam posita est, Apostolum videlicet Ioannem auctorem esse Evangelii et Apocalypseos.

§ 2. — *De Apocalypseos charactere prophetico eiusque argumento et ordine.*

241. — S. Ioannes librum suum ἀποκάλυψιν appellavit, i. e. *revelationem*, et quidem *Iesu Christi* revelationem, quia ille eam a Patre

accepit et per Angelum Apostolo suo manifestavit, ut palam faceret eam servis suis (1,1); de futuris autem agit, « quae oportet fieri cito » (1,1; 22,6), quapropter etiam *prophetia* vocatur (1,3; 22,7.19). Iure igitur semper propheticis libris adnumeratus est, atque inter omnes N. T. libros propheticus character ei soli competit. Licet enim in Evangeliis quoque et in epistolis vaticinia nonnulla referantur[1], illa tamen non nisi secundarium occupant locum nec integrum librorum argumentum constituunt; verum Apocalypsis tribus prioribus capitibus exceptis, quibus liber ecclesiis asiaticis proxime inscribitur, integra de futuris rebus agit, atque ipsa tria priora capita a non paucis interpretibus prophetica esse censentur.

Attamen simili fere modo, quo in Ezechielis, Danielis, Zachariae vaticiniis, res futurae non plano et simplici sermone proponuntur, sed visionibus symbolicis locutionibusque, quae etiam pleraeque sunt symbolicae[2]. Unde magna expositionis difficultas, quum quid illis Deus voluerit manifestare, non facile innotescat. Nonnulla quidem symbola in Apocalypsi aut in aliis libris sacris aliquo modo videntur explicari[3], at quam plurima remanent, quorum certa significatio nos latet. Quapropter non admodum est mirandum, quod in reliqua Scriptura alius non inveniatur liber, qui etiam a catholicis interpretibus plures et magis diversas expertus sit interpretationes; immo ne inter catholicos quidem nec de genuino libri nostri argumento, nec de ordine, quem in visionibus suis proponendis tenuerit S. Ioannes, una est sententia. Quare praecipua explicationis systemata a catholicis interpretibus proposita paucis indicabimus et quid de illis probabilius sit sentiendum exponemus, postquam antea incredulorum interpretationes, quibus divinam Apocalypseos auctoritatem labefactare conantur, quantum satis est illustraverimus.

1. *Matth.* 24. 25 etc; 1 *Thess.* 4,12 sqq.; 2 *Thess.* 2,1 sqq.; *Rom.* 11,25 sqq.; 2 *Petr.* 3,7 sqq., etc.

2. Ceterum eiusmodi symbola etiam in antiquioribus vaticiniis inveniuntur (*Os.* 1,2 sqq.; *Ioel* 2 etc.); frequentiora autem adhiberi solent inde ab Ieremiae tempore (Cfr. *Ierem.* 1,11. 12; 13,1 sqq.; 18,1 sqq., etc.) atque frequentissima demum ab Ezechiele, Daniele, Zacharia. Neque in N. T. desunt; symbolicis visionibus S. Petrus de admissione ethnicorum in Ecclesia et S. Paulus de futura sua captivitate edoctus est (*Act.* 10,10 sqq.; 21,10 sqq.).

3. Symbola adhibita sunt vel res vel numeri. Statim in inscriptione Apostolus lectoribus gratiam apprecatur et pacem « ab eo, qui est et qui erat et qui venturus est et *a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt,* et a Iesu Christo »; qui « septem spiritus » a non paucis interpretibus *Sanctus Spiritus septiformis munere* ex *Is.* 11,2 intelliguntur. Quid sibi velit : « Ego sum Alpha et Omega » (1,8) explicatur 21,6 et 22,13 additione : « initium (principium) et finis, primus et novissimus ». « Septem candelabra » (1,12) et « septem stellae » (1,16), explicantur septem ecclesiae earumque Angeli (1,20); « gladius ex utraque parte acutus » (1,16) ex *Is.* 49,2 expli-

cari potest; « clavis mortis et inferni » (1,18. cfr. 9,1 « clavis putei abyssi », 20,1 « clavis abyssi ») ex 3,7 supremam auctoritatem in mortem et infernum designat etc. Numeros quoque non proprio sed symbolico sensu esse sumendos satis ex eo constat, quod iidem toties recurrunt : *septem* ecclesiis inscribitur Apocalypsis; liber clausus est *septem* sigillis; ad septimi sigilli solutionem prodeunt *septem* angeli, quibus dantur *septem* tubae et *septem* phialae, *septem* quoque sunt reges, uti *septem* montes, quibus insidet magna meretrix, *septem* genera habitantium in terra enumerantur (6,15), *septem*plex est doxologia (5,12; 7,12) etc. Quemadmodum numerus *septem*, ita etiam dimidia eius pars ($3^1/_2$) frequentissime c. 11-13 adhibetur, praeterea numeri *decem*, *duodecim* etc. Ceterum in reliquis quoque libris sacris numeros interdum symbolico sensu usurpari nemo ignorat.

242. — Quin propheticis libris Apocalypsis sit adnumeranda, nemo catholicus dubitat; ipsa enim prophetiam sese appellat deque rebus quae venturae sint se agere asserit, atque Ecclesia vera vaticinia in ea tradi semper credidit et professa est. Nulla igitur explicatio, quae propheticum hunc libri characterem non tueatur, vera esse potest, ideoque antequam de Apocalypseos argumento agemus, a limite rationalisticas eius interpretationes reiicimus, quae omnes in eo conveniunt, quod eius auctorem poetam egisse doceant, qui aut sententiam aliquam omnibus Christianis communem poeticis fictionibus proposuerit, aut res sui temporis easque quas proxime futuras esse coniecturavit, imaginibus poeticis descripserit.

Ex prioribus, ut unum exemplum afferamus, *Eichhorn* victoriam poetice describi censet, quam ex opinione Christianorum nova eorum religio de Iudaismo et Polytheismo sit reportatura. Si ei credimus, Apocalypsis poema est dramaticum, cuius haec est dispositio et summa argumenti. Post prologum (1,1-3,22), qui quid sibi velit non satis apparet, habemus prolusionem, in qua scena adornatur (4,1-8,5) atque tribus actibus tota fabula absolvitur. In primo actu (8,6-12,17) Ierusalem expugnatur, i. e. Iudaismus a religione christiana devincitur: simili modo in secundo (12,18-20,10) Roma expugnata gentilismum designat a nova religione devictum; in tertio autem (20,11-22,5) Ierusalem coeleste in terram demissum felicitatem futurae vitae aeternum duraturam manifestat; totum demum drama brevi epilogo (22, 6-21) concluditur[1]. Quae gratuita explicatio refutatione non indiget, siquidem ne inter incredulos quidem hodie quisquam invenitur, qui illam non explodat. Mirum profecto poema dramaticum, quod integrum descriptionibus constat!

Altera quam maxime hodie propagata est inter rationalistas explicatio, quae totum Apocalypseos aedificium rumori cuidam populari inniti statuit. Testibus enim Tacito, Suetonio aliisque brevi post Neronis mortem rumor sparsus est, crudelissimum imperatorem vulnere sibi inflicto non interisse, sed sanatum ad Parthos fugisse moxque esse re-

diturum atque adiuvantibus Parthis iterum imperio potiturum[2]. Iam hunc rumorem Ioanni libri nostri conscribendi ansam dedisse asserunt multi « critici » interpretes. Etenim Nero, inquiunt, qui maxima cum crudelitate in Christianos saeviit, forte iam ante suam mortem a Christianis creditus est esse Antichristus, post quem Christi gloriosum regnum habiturum sit initium; quoniam autem eo mortuo res in eodem statu permanserunt, atque simul rumor propagabatur eum mox esse rediturum, Christiani facile putare potuere, eum in suo reditu magis sese manifestaturum esse velut verum Antichristum; maiore igitur cum vehementia eum pugnaturum esse contra Ecclesiam, at glorioso Christi adventu eum devictum iri atque tunc demum Dominum regnum suum gloriosum inchoaturum[3]. Secundum hanc explicationem res ante Neronis mortem gestae et vana Christianorum exspectatio de Christo mox adventuro poeticis fictionibus describuntur[4]. Duplex autem eius inveniunt fundamentum, numerum scilicet nominis bestiae (13,10) eiusque descriptionem (17,11); Neronis enim nomen illo numero designari aiunt, Neronemque esse bestiam, quae erat et non est (siquidem regnum actu non tenet) et ipse octavus est (quatenus post Galbam regno iterum potiturus credebatur) et ex septem est (quia ante Galbam regnum tenuerat). Quam indignum sit hoc interpretationis systema, non est quod ostendamus[5]; at eius fundamenta quoque prorsus sunt arbitraria. Quid de numero bestiae sit sentiendum, supra iam diximus (239 n. 14); alterum autem absurdum videri sine haesitatione asserimus. Etenim quomodo auctor Apocalypseos, quisquis fuit, Neronem unum ex bestiae capitibus et bestiam integram dicere potuit? Si autem Neronem inter septem fuisse dicere voluisset, necessario dicere debuisset : καὶ εἷς ἐκ τῶν ἑπτά ἐστιν[6].

Non valde dissimile est systema interpretationis eorum, qui rationalistae quidem nominari nolunt et « ethicam » quandam, uti aiunt, inspirationem admittunt, scilicet talem, quae errores minime excludit. Si eis credimus, Ioannes de interitu regni romani, quod ultimum ante Christi adventum fore putavit, ea, quae ipsi ostensa sunt, intellexit atque erroneam hanc suam interpretationem etiam in libro suo expressit[7]. Quis sibi non persuaserit, doctos illos interpretes in visionibus explicandis potius errasse, quam Apostolum in iis scribendis? Miram sane interpretum arrogantiam, qui se sacris scriptoribus praeferentes suos errores in S. Scripturam ingerunt, ut illos carpere possint!

1. *Eichhorn* Einl. II. 2. p. 338; eiusdem Comment. in Apocalypsin. Gottingae 1791.

2. *Tacit.* Histor. II. 8; *Sueton.* Nero 57 etc.

3. Ita fere *Bleek* Einl. p. 717 sq. Simili modo « critici » plerique; cfr. inter alios *Hausrath* in Schenkel Bibellexicon I. p. 155 sq.; *Renan* L'Antechrist p. 380 sqq.; cfr.

praesertim p. 414 sqq.; *Hilgenfeld* Einl. p. 411 sqq.; *Reuss* Geschichte der N. T. Ed. 6. p. 150 etc. etc.

4. In singulis visionibus explicandis rationalistae quam maxime dissentiunt; secundum *Hausrath* (l. c. p. 156) « equus albus et qui sedebat super eum » (6,2) repraesentat Messiam gloriose in mundum intrantem, sed secundum *Renan* (l. c. p. 385) imperium romanum, cui eo usque nemo resistere potuerat; equus rufus (6,4) secundum *Hausrath* designat regem Aretham vel in genere bella tempore Caligulae, secundum *Renan* bellum iudaicum tempore Neronis etc. *Bleek* (l. c. p. 708) in equite, qui albo equo vehitur, etiam videt Messiam, in tribus aliis equis bella, famem aliasque tribubulationes, quae adhuc sint futura.

5. Ad antiquos etiam scriptores provocant, quos eadem in sententia fuisse dicunt; sed immerito. Nam *Orac. Sibyll.* IV. 119 sqq. VIII. 170 sq. rumorem illum popularem de Neronis non mortui reditu commemorant, at eum fore Antichristum nullo modo insinuant; quare opus non est, ut inquiramus, num Sibyllista ille fuerit Iudaeus, ut censet *Doellinger* (Christenthum u. Kirche. Regensb. 1860. p. 288) an Christianus (Cfr. *Thiersch* Versuch zur Herstellung etc. p. 410 sqq.). Medio saec. 3. primus *Commodianus* (De Antichristi tempore. M. 5,231) « Neronem de inferno levatum » nescio an pro Antechristo an pro eius praecursore habet; atque eundem in sensum trahi possunt *Victorini Pet.* verba in Apoc. 17,11 (M. 5,338) : « Et bestia quam vidisti de septem est. Quoniam ante istos reges (Galbam sc. eiusque successores, quos bestiae capita esse dixerat) Nero regnavit », si tamen verba ista sunt genuina. Quam explicationem iam irridet *Lactant.* de morte persecut. 2 (M. 7,197) : « Deiectus itaque fastigio imperii (Nero) nusquam repente comparuit, ut ne sepulturae quidem locus in terra tam malae bestiae appareret. Unde illum quidam *deliri* credunt esse translatum ac vivum reservatum, Sibylla dicente matricidam profugum a finibus esse venturum; ut qui primus persecutus est, idem etiam novissimus persequatur, et Antechristi praecedat adventum » etc. Simili modo *S. August.* (de Civ. XX. 19. M. 41,686) explicans 2 *Thess.* 2 : « Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse romano,.... ut hoc, quod dixit (Paulus) *Iam enim mysterium iniquitatis operatur,* Neronem voluerit intelligi, cuius iam facta velut Antichristi videbantur. Unde nonnulli ipsum resurrecturum et futurum Antichristum suspicantur. Alii vero nec occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus, et vivum occultari in vigore istius aetatis, in qua fuit, quum crederetur exstinctus, donec suo tempore reveletur et restituatur in regnum. *Sed multum mihi mira est haec opinantium tanta praesumtio* ». Velut popularem quandam persuasionem idem tradit *Sulpic. Sever.* Hist. sacr. II. 29 (M. 20,145) : « Unde *creditur,* etiamsi se gladio ipse (Nero) transfixerit, curato vulnere eius servatus, secundum illud quod de eo scriptum est : *Et plaga mortis eius curata est* (*Apoc.* 13,3), sub saeculi fine mittendus, ut mysterium iniquitatis exerceat ». At alio in loco (Dialog. 2,14. M. 20,211) Sulpicius Neronem ab Antichristo distinguit; ex S. Martini enim revelatione se habere ait, Neronem in occidente esse regnaturum et omnes ad idololatriam coacturum, at eum ab Antichristo, qui eodem tempore regnaturus sit in oriente, esse perimendum, quemadmodum Antichristus ipse adventu Christi sit devincendus. Cfr. etiam *S. Hier.* in Dan. 11,29 (M. 25,594) : « Unde multi nostrorum putant ob saevitiae et turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem (alia lectio : Domitianum vel Neronem) Antichristum fore »; atque ad Algas. ep. 121,11 (M. 22,1037) explicans 2 *Thess.* 2 : « Multis malis atque peccatis, quibus Nero impurissimus Caesarum mundum premit, Antichristi parturitur adventus, et quod ille (Antichristus) operaturus est postea, in isto (Nerone) ex parte completur ». Haec fere sunt, quae ex antiquis in suam sententiam afferre possunt rationalistae; sed animadvertas velim a.) de Nerone tamquam Antichristo reversuro solos cogitasse occidentales aliquos scriptores, nec ullum

eius vestigium apparere ante medium saec. 3; b.) graviores omnes scriptores latinos illam opinionem aut reiecisse, aut ita explicasse, ut Nero typus quidam sit Antichristi; c.) illos ipsos quoque, qui Neronem fore Antichristum opinati sunt, longe alio sensu, ac modernos rationalistas rem intellexisse. Quare ad ista testimonia nullo cum iure provocant; afferre enim debuerunt testimonia, quibus *saeculo* 1. *inter Christianos asiaticos* haec fabula de Nerone Antichristo reversuro credita esse demonstraretur.

6. Cfr. *Apoc.* 5,5; 6,1; 7,13; 15,7; 17,1; 21,9; *Ioan.* 1,41; 6,70; 7,50; 11,49 etc; constans igitur est iste loquendi modus in Ioanne, dum *Marc.* 14,69; *Luc.* 22,58. *Act.* 21,8; *Col.* 4,9 illud εἶς omittunt.

7. *Kienlen* Commentaire de l'Apocalypse. Paris 1870. p. 107 sqq.; *Düsterdieck* l. c. p. 48. 96 sqq. 516 etc; *Gebhardt* Lehrbegriff der Apoc. Gotha 1873. p. 13 etc. Secundum Düsterdieck in eo erravit Ioannes, quod *Domitianum* ultimum fore romanorum imperatorum putaverit; secundum Gebhardt, « sine ullo dubio » erravit in eo, quod *Neronem* post Galbae mortem reversurum et regno romano finem impositurum crediderit. Annon potius erraverunt interpretes, qui summa cum certitudine *suas* opiniones pro genuinis Apostoli explicationibus venditarunt?

243. — Quibus similibusque opinionibus magis minusve impiis omissis illa sola systemata proponemus, quae ab interpretibus catholicis defensa fidem libris sacris debitam non laedunt. Verum ad faciliorem eorum intelligentiam conspectum brevem praemittere totius Apocalypseos non erit inutile; in eo autem exhibendo sola symbola referemus, ab eorum vero interpretatione cautissimi abstinebimus, ut integrum lectori relinquamus iudicium.

I. Titulus libri auctorem et scriptorem visionum enuntiat earumque argumentum generale et fructum manifestat (1,1-3).

II. Exordium constituunt octo epistolae, quibus liber septem ecclesiis (Ephesiae, Smyrnensi, Pergamenae, Thyatirensi, Sardensi, Philadelphicae, Laodicenae) inscribitur (1,4-3,22).

1. *In prima epistola omnibus septem ecclesiis inscripta* post salutationem (1,4-6) et summi argumenti libri indicationem (1, 7. 8) narrat Apostolus se in Patmo insula visionem habuisse et a Christo, qui ipsi in medio septem candelabrorum apparuerit, septem ecclesiis per septem illa candelabra significatis scribere visionem suam esse iussum (1, 9-20).

2. *Septem autem epistolae, singulae singulis ecclesiis inscriptae* (2,1-3,22) secundum idem schema dispositae sunt; etenim constant

a.) inscriptione, quae praeter ecclesiae nomen exhibet unum ex titulis Domini in prima epistola indicatis (2, 1. 8. 12. 18; 3, 1. 7. 14),

b.) argumento, quod semper inchoatur ab affirmatione Domini, se ecclesiae illius statum cognoscere, atque statu ecclesiae descripto laudem vel vituperium monitaque necessaria continet (2,2-6. 9-10. 13-16. 19-25; 3,1-4. 8-11. 15-20),

c.) conclusione, qua ut dicta audiant monentur et ea observantibus praemium promittitur. Tres priores autem a quatuor sequentibus

in eo differunt, quod priores monitum, reliquae promissionem praemittant[a] (2, 7. 11. 17. 26-29; 3,5-6. 12-13. 21-22).

III. Quem prologum excipiunt VISIONES ECCLESIIS SEPTEM TRANSMITTENDAE (4, 1-22,5).

1. Pro introductione accuratius describitur ubi et quomodo Apostolus has visiones acceperit (4,1-5,14). In spiritu enim in coelum raptus vidit thronum divinum circumdatum viginti quatuor senioribus et quatuor animalibus laudem Deo canentibus (4,1-11). Qui autem in throno sedebat, librum tenebat SEPTEM SIGILLIS clausum, quem nemo aperire potuit (5,1-3). Qua de re contristatum Apostolum consolatus est unus ex senioribus; nam subito apparuit Agnus, qui in medio seniorum stabat tamquam occisus (5,4-6), qui acceptum librum aperuit iubilantibus quatuor animalibus et viginti quatuor senioribus Agnumque adorantibus (5,7-14). Quae autem in septem sigillorum solutione facta sunt, argumentum sunt visionum.

2. Agnus aperit SEX PRIORA SIGILLA (6,1-7,17).

a.) Ad quatuor priorum sigillorum solutionem ex ordine prodeunt eques equo albo vectus, ut vinceret (6,1-3), eques equo rufo vectus, ut sumeret pacem de terra (6,4), eques equo nigro vectus, ut fame puniret terram (6, 5. 6), eques equo pallido vectus, ut quartam partem terrae gladio, fame, morte interficeret (6, 7. 8).

b.) Ad quinti sigilli solutionem martyres a Deo vindictam petunt de suis persecutoribus (6,9-11), et sexto sigillo soluto terrae motus factus est et signa magna in coelo et maximus terror inter habitantes terram, quoniam venit dies magnus irae Dei et Agni (6,12-17).

c.) Quare antequam septimum sigillum solvatur, signantur servi Dei signo divino (7,1-8) et describitur futura beatorum felicitas (7,9-17).

3. Ad SEPTIMI SIGILLI solutionem silentio facto in coelo per mediam horam septem Angeli stantes in conspectu Dei accipiunt SEPTEM TUBAS, ad quarum clangorem revelanda sunt, quae septimo sigillo clausa tenebantur, postquam antea per alium Angelum orationes sanctorum Deo sunt oblatae (8,1-5).

4. Canuntur QUATUOR PRIORES TUBAE et ad singularum sonum tertia pars ter-

a) Non fortuito casui hanc *septem* epistolarum in *tres* et *quatuor* distributionem esse adscribendam, sed eam ab Apostolo esse intentam, manifestum est consideranti etiam quatuor priora sigilla et quatuor priores tubas et quatuor priores phialas a tribus reliquis distingui. Quo accurato ordine observato commenta recentissimorum « criticorum », qui nostrum librum variis temporibus a variis scriptoribus compositum aut ex variis antiquioribus opusculis quasi coagulatum etc. dicunt (cfr *supra* n. 235. *n.* 9 p. 691), evidentissime refutantur. Frustra adversarii ad contradictiones appellant, quas in opere ab uno scriptore uno tenore conscripto adesse non posse contendunt; nam contradictiones, quas inter partes, quae christianae sint, et inter alias, quae iudaismum ac pharisaismum sapiant, inveniri asserunt, in libro ipso non adsunt, sed in eorum perversis libri interpretationibus. Stultos revera « critici » sibi fingunt Apocalypseos auctores, aut redactores, quippe qui contradictiones, quas « critici » manifestas esse ac sua sponte sese in oculos ingerere declarant, non viderint neque auferre potuerint. At varietate opinionum suarum « critici » ipsi, quum ne duo quidem inter se consentiant, apertissime produnt, quam arbitraria et insulsa sint sua ipsorum systemata.

rae (8, 6. 7.), maris (8, 8. 9.), fluminum fontiumque (8, 10. 11), stellarum (6,12) destructa est.

5. Ante trium reliquarum sonitum *triplex Vae* habitantibus terram annuntiatur (8,13) et statim quinta et sexta tubae canuntur (9,1-11,14).

a.) Ad QUINTAE TUBAE sonum puteus abyssi aperitur, ex quo prodeunt locustae, quibus solos homines signo Dei non signatos laedere et cruciare, sed non occidere, permittitur per quinque menses (9,1-11); atque ita *Vae primum* abiit, sed remanent duo alia (9,12).

b.) Ad SEXTAE TUBAE sonum

α.) solvuntur quatuor Angeli, qui cum ingenti exercitu tertiam hominum partem destruunt, sed reliqui poenitentiam non agunt (9, 13-21).

β.) Quare alius Angelus apparet librum apertum tenens, qui ad septimae tubae sonum mysterium Dei consummatum iri annuntiat. Apostolus librum illum devorare iubetur, ut iterum prophetet gentibus et populis (10,1-11).

γ.) Templum quoque Dei metiri iubetur excepto atrio, quod simul cum civitate sancta gentibus traditur conculcandum quadraginta duobus mensibus, dum eodem tempore (mille ducentis sexaginta diebus) duo testes Dei prophetant et signa faciunt (11,1-6). Quo finito tempore impugnantur et occiduntur a bestia, sed post tres dies et dimidium resurgunt et ascendunt in coelum (11,7-12), dum terrae motus decimam partem civitatis destruit et septem millia hominum occidit; reliqui autem dant gloriam Dei (11,13). *Secundum Vae* abiit, sed tertium cito veniet (11,14).

6. Ad SEPTIMAE TUBAE sonum

a.) seniores (proleptice, ut videtur) victoriam Dei celebrant (11,15-19).

b.) Apparet mulier amicta sole paritura filium, qui recturus sit omnes gentes in virga ferrea, atque simul apparet draco rufus, qui mulieri filioque eius insidiatur (12,1-4). Filius natus in coelum rapitur, draco autem eum persequens cum angelis suis a Michaele in terram devictus proiicitur, unde magnus iubilus in coelo (12,5-12). Draco autem, quum in terram deiectus etiam mulierem frustra persecutus esset, abit facere proelium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei (12,13-18).

c.) Bestia ascendit e mari, quae potestate accepta a dracone una cum eo adoratur (13,1-4) et blasphemias loquitur contra Deum et bellum gerit cum sanctis (13,5-10). Atque altera bestia de terra ascendit, quae signis et portentis homines seducit, ut prioris bestiae imaginem adorent : numerus autem nominis bestiae sexcenti sexaginta sex (13,11-18).

d.) Interea Agnus stabat supra montem Sion iis circumdatus, qui signo Dei signati erant (14,1-5). Tres Angeli autem, unus post alterum, proximum esse iudicium annuntiant, interituram esse magnam Babylonem, interimendos eos, qui habent signum bestiae, dum beati futuri sint, qui in Domino moriuntur (14,6-13). Simul Filius

hominis habens falcem acutam et Angelus habens falcem acutam eas in terram mittere iubentur, ut vindemient botros eosque in lacum irae Dei proiiciant (14,14-20).

e.) Septem Angeli accipiunt *septem phialas* continentes septem plagas novissimas (15,1-8), et quum eas ex ordine effudissent in terram et in mare et in flumina et in solem et in sedem bestiae et in flumen Euphraten et in aerem, novae exortae sunt plagae (16,1-21).

f.) Quibus peractis unus ex septem Angelis *phialas* habentibus Apostolo interitum magnae Babylonis ostendit (17,1-19,10).

α.) Atque primum quidem magnam hanc meretricem ei describit, cuius nomen est Babylon magna, mater fornicationum, quae sedet super septem montes etc (17,1-18).

β.) Alter autem Angelus de coelo descendens annuntiat (proleptice) Babylonem iam cecidisse (18,1-3), dum simul vox de coelo electos monet, ut ex ea exeant (18,4-8) planctumque describit, quem de eius interitu variae classes dicturae sint (18,9-20).

γ.) Tertius Angelus aeternum fore Babylonis interitum proclamat (18,21-24), in coelo autem iubilus magnus est de eius interitu (19,1-10).

g.) Sequitur ultima pugna Verbi Dei cum dracone (19,11-20,15).

α.) Verbum Dei cum exercitu coelesti in pugnam procedit contra bestiam eiusque exercitum (19,11-18); bestia vincitur, exercitus eius occiditur, ipsa autem cum pseudopropheta suo in abyssum mittitur (19,19-21), atque Angelus ad mille annos eam includit, post quos solvenda est modico tempore (20,1-3).

β.) Resurgunt sancti et cum Christo regnant mille annis (20,4-6);

γ.) quibus elapsis satan e carcere suo solutus novum excitat bellum contra sanctos; sed victus cum suis in infernum detruditur aeternum cruciandus (20,7-10). Mortui dein iudicantur iique, quorum nomina non sunt in libro vitae, in stagno ignis morte secunda puniuntur (20,11-15).

h.) Novum iam exsistit coelum et nova terra, in quam de coelo nova sancta civitas Ierusalem descendit, et tabernaculum Dei est cum hominibus (21,1-8). Ab uno ex septem Angelis habentibus *septem phialas* Apostolo nova Ierusalem ostenditur (21,9-22,5).

IV. In Epilogo omnia haec vera et cito complenda esse a Domino ipso asseruntur (22,6-20) et totus liber apprecatione gratiae terminatur (22,21).

244. — Infiniti foret laboris, si omnium interpretum systemata etiam breviter adumbrare vellemus : quo obscurior enim est Apocalypsis, eo plura et praestantiora ingenia impulit, ut in visionibus sublimibus symbolisque magnificis explicandis vires suas exsererent. Verumtamen quicunque ad interpretum discordiam animum adverterit, plenam atque perfectam huius libri intelligentiam a Deo nobis nondum esse concessam nobiscum fatebitur. Neque id mirum; librum enim propheticum esse Ecclesia nos docet et omnes catholici interpretes concedunt;

vaticinia autem ante eorum impletionem explicare velle idem est, atque donum propheticum sibi arrogare. Quemadmodum Iudaei ante Messiae adventum nonnulla quidem vaticinia messianica maiore minoreve cum probabilitate intellexerunt, omnia autem et singula ita interpretari non potuerunt, ut omnino claram et perfectam Messiae regnique messianici ideam sibi efformarent, ita nobis quoque ex Apocalypseos visionibus nonnulla quidem probabili quadam coniectura assequi licet, sed integrum librum interpretari non valemus[1]. Hinc apud interpretes innumerae fere et diversissimae symbolorum explicationes, hinc quaenam libri partes propheticae sint habendae apud eosdem magna incertitudo, hinc de ipso eius argumento, ordine, dispositione sub iudice adhuc lis est.

Ad ARGUMENTUM quod attinet, tria praecipua interpretationis systemata distinguimus; quartum enim, quod in Apocalypsi generatim tantum dissidia et bella bonos inter et malos et utrorumque finem, aut pugnam carnis et spiritus in unoquoque homine describi supponit, merito omittimus. Namque explicationes hae, quae iam in Patrum operibus[2] inveniuntur, integrum libri argumentum procul dubio indicare nolunt, sed tropologicae interpretationis methodo originem suam debent; siquidem Patres aliique interpretes, qui eas afferunt, simul certos quosdam eventus in Apocalypsi praedictos vident.

Inter tres autem, quas diximus, interpretum classes prima praecipuum libri nostri argumentum docet esse *ultima Ecclesiae fata tempore Antichristi*, ita tamen ut priora Ecclesiae fata paucis adumbrentur potius, quam describantur. Cui prorsus opposita est altera, quae *prima Ecclesiae tempora* atque praesertim eius de iudaismo et polytheismo victoriam Apocalypseos argumentum statuit neque nisi breviter duobus ultimis capitibus suprema Ecclesiae tempora attingi supponit. Tertia demum in Apocalypsi *integram Ecclesiae historiam* ita praedici censet, ut omnium aetatum maiores eventus sint indicati[3].

Si QUAENAM LIBRI PARTES SINT PROPHETICAE interrogatur, alii interpretes integro libro propheticum characterem adscribunt atque septem quoque epistolis certos futuros eventus praedici censent, alii autem vera vaticinia non nisi a c. 4. inchoari volunt. Atque eodem modo de ORDINE dissentiunt. Namque alii S. Ioannem omnia ex ordine ita describere existimant, ut post futuros eventus illos, qui in epistolis praedicuntur, eventura sint illa, quae septem sigillis significantur, ad septimi sigilli solutionem illa, quae septem tubis annuntiantur, et ad septimae tubae sonum demum illa, quae ex ordine ibi describuntur. At alii eosdem aut saltem simultaneos eventus epistolis et sigillis et tubis et phialis praenuntiari opinantur nec eundem esse descriptionis ordinem, qui futurus sit rerum descriptarum.

Quod si quis conspectum libri supra exhibitum attentus consideraverit, priorem solam sententiam, opinor, probabilem habebit, siquidem integer liber ita videtur esse contextus, ut, licet paucae quaedam prolepses concedi possint, omnia secundum temporis ordinem sint disposita. Fateamur autem oportet alteram sententiam ob Patrum auctoritatem probabilitate sua non carere. Antiquissimi commentarii, qui nobis conservatus est, auctor *S. Victorinus Petav.* iam monet « non aspiciendum esse ordinem dictorum, quoniam saepe Spiritus S., ubi ad novissimi temporis finem percurrerit, iterum ad eadem tempora redeat et suppleat ea, quae minus dixerit »[4]. Atque in eandem sententiam *S. Augustinus :* « In hoc libro, cuius nomen est Apocalypsis, obscure multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant... maxime quia sic multis modis eadem repetit, ut alia et alia dicere videatur, quum aliter atque aliter haec ipsa dicere vestigetur ». Neque solam earundem rerum repetitionem adesse statuit S. Doctor, sed plenam etiam ordinis inversionem : « Ut autem ostendat, inquit, qui mortui iudicandi sint, pusilli et magni, recapitulando dicit tamquam ad id rediens, quod praeterierat potiusve distulerat : Et exhibuit mare mortuos, qui in eo erant. Hoc procul dubio prius factum est, quam essent mortui iudicati; et tamen illud prius dictum est »[5]. Quae Augustini sententia multis placuit, et uti olim a *Primasio, Ven. Beda* etc, ita nostra quoque aetate a catholicis et protestanticis interpretibus in Apocalypsi explicanda tenetur[6]. Per se autem patet, nisi summa diligentia et cautio adhibeatur, hanc sententiam arbitrariis explicationibus latissimum aperire campum.

1. Magnam Apocalypseos, etsi integra non intelligatur, esse utilitatem *infra* (250. p. 733 sq.) dicemus.

2. Cfr. *Tichonii* homilias, quae inter S. Augustini opera habentur, *Primasii, Bedae, Andreae Caes.* etc commentarios passim.

3. De variis explicationibus plerique agunt interpretes in Prolegomenis suis; inter alios cfr. *Fr. de Bovet* L'Esprit de l'Apocalypse. Paris 1840. p. 33-106.

4. *S. Victorin. Petav.* in Apoc. 7,2 (M. 5,331).

5. *S. Augustin.* De civit. Dei XX. 17. 14 (M. 41,683. 680).

6. Cfr. *Primas.* in Apoc. 3,22; 4,1 etc (M. 68,813). Recapitulationis et repetitionis systema a iunioribus interpretibus magis est excultum. *Ven. Beda* iam sigillis, tubis, etc similia repeti et semper quaedam omissa recapitulari censet; cfr. in 4,1 (M. 93,142) : « Descriptis Ecclesiae operibus, quae et qualis futura esset, recapitulat a Christi nativitate, *eadem aliter dicturus.* Totum enim tempus Ecclesiae variis in hoc libro figuris repetit ». In 6,1 : « In primo sigillo decus Ecclesiae primitivae, in sequentibus tribus triforme contra eam bellum, in quinto gloriam sub hoc bello triumphatorum, in sexto illa, quae ventura sunt tempore Antichristi, et *paululum superioribus recapitulatis* in septimo cernit initium quietis aeternae ». Septem autem tubis eadem fere praedicuntur; in 8, 2 (Cfr. in 6,4 sqq.) : « Prima tuba communem impiorum in igne et grandine designat interitum, secunda propulsum de Ecclesia diabolum, tertia haereticos ab Ecclesia decidentes, quarta falsorum fratrum in siderum obscuratione defectum, quinta maiorem haereticorum infestationem tempus Antichristi praecurrentium, sexta aper-

tum Antichristi et suorum contra Ecclesiam bellum, et *recapitulatione ab adventu Domini interserta* eiusdem adversarii destructionem, septima diem iudicii » etc. Simili modo, quo Ven. Beda, *Alcuinus* (in Apoc. Praef. M. 100,1089) systema evolvit : « Ordo narrationis hic est. Aliquando ab adventu Domini inchoat et perducit usque ad finem saeculi. Aliquando ab adventu Domini inchoat et, antequam finiat, ad initium redit et ea quae dimiserat sive quae dixerat diversis figuris repetens ad secundum adventum Domini percurrit. Aliquando incipit a novissima persecutione, sed antequam ad finem veniat, recapitulando utraque coniungit. Aliquando ad enarrandum proposita paulum intermittit et aliud non ad hoc pertinens interponit; post quod ordine conciso quae coeperat perdocet » etc. Sed hac ratione omnis ordo videtur negari; alio modo systema excoluit *Bruno Ast.* (in Apoc. Praef. M. 165,606) : « Septem principales sunt visiones, *quarum etsi verba diversa, sententia tamen paene eadem esse videtur;* in omnibus enim Ecclesiae persecutiones narrantur, praeter quod in ultimo coelestis Ierusalem aedificia describuntur. Primus siquidem liber de septem ecclesiarum angelis, in quibus omnes usque ad consummationem sacculi significantur, abunde loquitur suaque unicuique praemia victori promittit. In secundo autem a principio nascentis Ecclesiae incipiens in septem sigillis aperiendis omnia eius usque in finem sacramenta b. Ioannes comprehendit. In tertio vero a Christi praedicatione initium faciens in septem angelis tubis canentibus usque ad Antechristi adventum omnes Ecclesiae persecutiones per ordinem narrans post Henoch et Eliae mortem et resurrectionem Christo Domino ad iudicium veniente finem facit. Similiter autem in quarto a Salvatoris nostri sermone sanctaeque matris Ecclesiae porta et cruciatibus inchoans... usque ad universale iudicium librum praetendit. At vero in quinto iterum, sicut in aliis a capite incipit et septem angelis septem iracundiae Dei phialas plenas fundentibus eadem, quae in aliis, significando ad eundem terminum pervenit » etc. Magis miro modo idem systema a protestanticis Cocceianae scholae interpretibus evolutum est; cfr. *Düsterdieck* l. c. p. 16 sq. Cautius adhibitum est a catholicis interpretibus saec. 16. et 17; cfr. *Corn. a Lap.* Proleg. in Apoc. Can. 2. et 3; nihilominus ab omnibus iis, qui integram Ecclesiae historiam in Apocalypsi praedictam vident, adhiberi vix ac ne vix quidem potest, quin sacro textui vis inferatur et arbitraria fiat interpretatio.

245. — Ut ea, quae de variis explicationis systematibus diximus, facilius accuratiusque intelligantur, unum alterumve uniuscuiusque classis specimen paucis ita adumbrabimus, ut simul quinam praecipui eorum sint patroni appareat.

1. Summum Apocalypseos argumentum *ultima Ecclesiae fata* esse plerique Patres videntur statuisse. Quae enim *SS. Irenaeus, Hippolytus, Augustinus* aliique ex Apocalypsi afferunt, ea de Antichristi fere tempore aut de iis, quae post Antichristum devictum futura sint, explicarunt[1]. Eodem modo antiquiores, qui nobis conservati sunt commentarii, *Andreae* et *Arethae Caes., S. Victorini Petav., Primasii, Ven. Bedae*, etsi nonnulla ad priorem aetatem trahant, longe plurima ad ultimam aetatem referunt. Atque haec sententia semper suos habuit patronos; de novissimis temporibus praecipue agi censuerunt *Alcuinus, Rupertus Tuit., Martinus Legion.* aliique medio aevo, atque saec. 16. et 17. eandem sententiam aliis opinionibus reiectis diserte asseruerunt *Ribera,*

Viegas, Pererius, Cornelius a Lap.[2] etc. Neque nostrae aetati desunt, qui eam sequantur; duo ex recentissimis commentatoribus germanicis. *Aug. Bisping* et *Emin. Cardin. Ph. Krementz,* Archiep. Colon., eam pro certa proponunt, licet in libro disponendo uti in singulis visionibus explicandis multum inter se dissentiant[3].

Summa explicationis, quam tradit *Bisping*, haec fere est. Primum a Daniele praedictum esse monet septuaginta hebdomades concessas esse populo Dei ab eius reditu ex exsilio usque ad consummationem saeculorum; hebdomades autem a Propheta ita distribui, ut septem usque ad Messiae adventum excurrant, per sexaginta duas civitas Dei aedificetur (i. e. Ecclesia propagetur), in ultima autem exsurgat et regnet et destruatur Antichristus: ultimae vero hebdomadis duas partes a Daniele distingui, in quarum priore Antichristus regnaturus, in altera destruendus sit[4]. Quibus suppositis S. Ioannem censet in septem epistolis statum Ecclesiae, qui per sexaginta sex hebdomades futurus sit, adumbrare monitaque tradere, quibus illo tempore indigeat. Brevissime autem haec tractari, quia ea, quae necessaria sunt, fusius iam et accuratius in Evangelio contineantur, nec in septem epistolis licere certas ecclesiasticae historiae periodos videre[5]. A cap. 4. dein ultimae hebdomadis descriptionem inchoari tribusque actibus absolvi. Primus actus (4,1-11,14) praeter introductionem, in qua theatrum describitur et liber septem sigillis clausus exhibetur (4,1-5,14), tres continet scenas. In prima (6,1-17) sex primorum sigillorum solutio bella, famem, persecutiones etc ultimis temporibus eventura praedicit; in secunda (7,1-17) mundus ad septimi sigilli solutionem praeparatur; in tertia demum (7,1-11,14) sex priores tubae *iudicium de Iudaeis* annuntiant, cuius exitus est *conversio maioris partis Iudaeorum*. Quo primo actu prior hebdomadae ultimae pars terminatur; secundus actus (11,15-20, 16) alterius partis descriptionem exhibens etiam praeter introductionem (11,15-19) tres scenas complectitur. Quarum prima (12,1-14,5) quisnam novissimis temporibus futurus sit Ecclesiae et Antichristianismi status describit, altera (14,6-16,26) iudicii appropinquantis praenuntia ultimasque plagas, quae ferient improbos, manifestat, tertia (17,1-20,6) *iudicium de meretrice Babylon et de Antichristo atque millenarium regnum beatorum* nobis ob oculos ponit. Tertius Actus (20,7-22,5) *consummationem* i. e. novissimam satanae soluti contra Christum pugnam atque novum Ierusalem describit.

Alter interpres clarissimus, visiones apocalypticas elucidaturus, simul ostendere conatus est, eas historiae passionis Domini N. ita correspondere, ut passio Domini eiusque glorificatio typus sint eorum, quibus ultima aetate Ecclesia ad suam gloriam sit perducenda[6]. Tres distinguit visiones; primae theatrum est terra, argumentum autem

Dominus *Magister* glorificatus (1,9-3,22); alterius theatrum est coelum clausum, argumentum Dominus *Sacerdos* glorificatus (4,1-19,10); tertiae theatrum est coelum apertum, argumentum Dominus *Princeps pacis* glorificatus (19,11-20,10); in fine demum (20,11-22,5) fundatio aeterni regni Dei describitur. A praecedente interprete in eo iam longissime dissentit, quod septem epistolae totidem illi sunt vaticinia de integra historia Ecclesiae ab eius initiis usque ad eius finem. Epistola ephesia aetatem Apostolorum, smyrnensis tempus martyrum, pergamena controversias de fide circa Christi personam saec. 4.-8. agitatas, thyatirensis Ecclesiam medio aevo (saec. 8.-15.) regnantem, sardensis defectionem religiosam saec. 16. et 17., philadelphensis defectionem politicam saec. 18. et 19., laodicensis defectionem socialem, cuius initia videmus, praenuntiant. Itaque epistolae de eo tempore agunt, quo verbum Dei seminatur et crescit; praecipua autem est altera pars, quae de messe agit. Eam in tres sectiones distinguit. Etenim 1. Agnus Dei in gloria Patris a creaturis glorificatis adoratus (4,1-5,14) solvens septem sigilla efficit, ut Ecclesia in tribulationes ipsi a Deo destinatas tradatur (6,1-8,5) atque ita similis fiat Domino in horto Olivarum futuram passionem accipienti et a synedrio ad mortem condemnato. 2.) Quemadmodum Dominus ab Iudaeis Pilato traditur, ut *legali* modo mortem subeat, ita quoque hostes Ecclesiae ultimis temporibus eam *legali* modo destruere volunt. Septem autem tubae annuntiant iudicia Dei ob hos *legales* conatus hostibus Ecclesiae inflicta (8,6-11,19). 3.) Dominus in cruce pendens et moriens est typus Ecclesiae ultimo tempore a daemoniacis potestatibus impugnatae, quae pugna devictis Ecclesiae hostibus terminatur (12,1-19,10). In tertia parte Princeps pacis in coelo aperto apparens daemoniacas potestates plene devincit (19,11-20,3), Ecclesiam in terra glorificat (20,4-6) atque in coelum elevat (20,7-10), ut ita quoque Ecclesia similis fiat Domino ad inferos descendenti, a morte resurgenti et quadraginta dies in terra commoranti (= regnum millenarium), in coelum demum ascendenti.

1. Cfr. *S. Iren.* c. haer. V. 26 sqq. (M. 7,1192 sqq.); *S. Hippol.* de Christo et Antichr. 36 sqq. (M. 10,736 sqq.); *S. Aug.* de Civ. Dei XX. 7 sqq. (M. 41,666 sqq.).

2. Cfr. *Ribera* in Apoc. Disputatio praec. 3. « Argumentum huius libri est praesentium ecclesiarum instructio, sed maxime futuri Ecclesiae status tempore Antichristi et persecutionum illius temporis praedictio, quae a c. 4. ad finem usque c. 20. protenditur ». *Cornelius a Lap.* in Quaest. prooem. Alcasaris explicationem, qui de primis Ecclesiae fatis omnia intelligit, carpit velut novam atque duplex statuit esse argumentum : « Primo enim, usque ad c. 4., exhortatur S. Ioannes fideles suos ac corripit corrigitque mores septem ecclesiarum Asiae. Secundo autem longe potiori parte, sc. a c. 4. usque ad finem libri prophetat de rebus in Ecclesia futuris maxime sub finem mundi tempore Antichristi ». At non nisi a 6,12 descriptionem temporis Antichristi inchoari censet.

3. *A. Bisping.* Exeg. Handb. IX. Erkl. der Apoc. 1876; *Ph. Krementz* Die Offenb. des h. Joh. im Lichte des Evang. nach Joh. 1883; huc recte quoque trahi videtur *Fr. Sal. Tiefenthal* O. S. Ben. Die Apocal. erklärt. 1892. — Ex modernis acath. huc pertinent *Kliefoth* Die Offenb. Ioh. 1874. aliisque pauci.

4. Hanc Danielici vaticinii explicationem non esse communem nec nobis probari, vix opus est ut moneamus. Ceterum *S. Hippol.* de Christo et Antichr. 43 sqq. (M. 10, 760 sqq.) ultimam hebdomadem Danielis de fine mundi iam interpretatur.

5. *Bisping* l. c. p. 52 : « Es werden in diesen Briefen Zustände und Verhältnisse dargestellt, wie sie in der damaligen Kirche obwalteten und wie sie in der Kirche aller Zeiten wiedergekehrt sind und bis zum Ende der jetzigen Weltzeit wiederkehren werden. Bei dieser allgemeinen Auffassung ist aber stehen zu bleiben. Die Bemühung, in den einzelnen Briefen genau die einzelnen Perioden der Kirchengeschichte vorgezeichnet zu finden... hat zu den willkürlichsten Deutungen den Anlass gegeben ».

6. Num Christus typus Ecclesiae satis recte statuatur, haud pauci addubitabunt. Quemadmodum singula membra Ecclesiae in gloriam intrare non possunt, nisi sequantur vestigia Christi *exemplaris* sui, ita etiam *Ecclesia militans* ipsa per multas tribulationes sequitur Christum *caput et exemplar* suum; at aliud est esse exemplar, aliud esse typum. Cfr. *Introd. gener.* Ed. 2. n. 204. p. 562 sq.

246. — Alterum explicationis systema, quod prima praecipue Ecclesiae tempora ac praesertim eius de synagoga et polytheismo triumphum in Apocalypsi describi censet, primus proposuit *P. Salmeron*[1]; accuratius excultum a *P. Lud. ab Alcasar* maiorem celebritatem nactum est, quum *Bossuetius* illud adoptasset atque modificasset[2]. Neque paucos hodie habet asseclas, qui in singulis visionibus explicandis parum consentiunt[3].

Bossuetius in tres partes integrum librum distribuit, quarum prima tradit monita (2,1-3,22), altera vaticinia (4,1-20;5), tertia promissa (21,1 sqq.). Quoniam in secunda explicanda parte sita est maxima difficultas, de illa sola loquemur. Eam quoque esse tripartitam docet. In *prima enim sectione* agitur de Dei vindicta contra Iudaeos (4,1-8,12). Ad quatuor primorum sigillorum solutionem Christus iudex procedit cum tribus satellitibus, bello, fame et peste; quinto soluto martyres vindictam postulant, sed exspectare iubentur, donec completus sit convertendorum numerus; verum ad sexti sigilli solutionem vindicta iam indicatur, et postquam congregati sunt electi, ad quatuor primarum tubarum sonitum Iudaei puniuntur. Prima tuba eorum clademsub Traiano significat, secunda maiorem clademillis ab Hadriano inflictam; tertia autem et quarta rationes, quibus sibi poenas attraxerunt, manifestant, scilicet Pseudo Messiam (Bar Kocheba = filius stellae *Apoc.* 8,10), quem sibi elegerant, et vaticinia messianica, quae eo tempore falsis interpretationibus obscuraverant. *Altera sectio* brevissima (9,1-12) solo locustarum symbolo constat, quo haereses iudaicas designari arbitratur Bossuetius, quae initium sumserint a Theodoro Byzantino (a. 196.), sed concilio Antiocheno (a. 260.) contra Paulum Samosat. habito

exterminatae sint. *Tertia sectio* (9,13-20,15) romani imperii ethnici destructionem praedicit. Quae ad sextae tubae sonum a Parthorum irruptione Valeriani tempore (253. 260.) inchoatur. Priusquam autem ulterius progrediatur, Apostolus causam indicat, quae destructionem hanc provocavit, Christianorum scilicet persecutiones, quarum ultima et crudelissima a Diocletiano mota cc. 11-14. describitur; Diocletianus enim (DIoCLes aVgVstVs) est bestia, cuius nomen est sexcenti sexaginta sex. Ad Valerianum reversus S. Ioannes septem phialarum plagis (cc. 15. 16) ostendit, quanta eo tempore romani imperii desolatio fuerit. In cap. 17. septem imperatores indicantur, sub quibus ultima Christianorum persecutio saeviit, et decem barbarorum reges, qui ad destruendum imperium adveniunt; destructio autem sub Alarico completur (cc. 18. 19.). Ultimam demum visionem, quae c. 20 continetur, obscurissimam esse fatetur Bossuetius, nec revera apparet, quid illa designare censuerit.

Quod si quis hoc explicationis systema admittere velit, Bossuetii explicationi procul dubio praeferenda est illa, quam tradit Allioli ad systematis auctorem Salmeronem propius accedens. Etenim tres libri partes ita distribuit, ut prima (cc. 4-12) Ierosolymorum destructionem sub Tito, altera (cc. 13-19) Romae ethnicae destructionem sub Alarico pro praecipuo argumento habeant, in tertia autem regnum millenarium, i. e. quieta Ecclesiae aetas, describatur (20,1-6), cui finem impositurus sit adventus Antichristi eiusque adversus Ecclesiam pugna; devicto autem Antichristo habebitur iudicium, et nova fient omnia (20,7-22,5).

1. *Salmer.* S. I. in Apoc. Prael. 7. Opp. Coloniae 1615. XVI. p. 364. (Prima operum editio prodiit Madriti 1598-1602). Salmeron Apostolum a Nerone in exsilium esse missum et sub Nerone Apocalypsin vidisse supponit. « Eo igitur posito, quod in Patmo insula scripta sit haec sacra Apocalypsis ante Ierosolymorum excidium per Titum ac Vespasianum, potest in quatuor capita distribui hic liber. Ab exordio enim usque ad 6. caput institutiones ac documenta septem ecclesiarum Asiae intermiscet et quaedam de variis haeresibus edisserit. A 6. vero cap. usque ad 12. Synagogae et Iudaismi abrogatio explicatur, a 12. usque ad 19. excidium gentilismi sub figura praesertim Babylonis, sive meretricis purpuratae, i. e. Romae, describit. A c. 19. autem usque in finem agitur de Christi regno in praesenti Ecclesia spiritualiter regnantis et duobus ultimis capp. de Ecclesia in coelo post tot labores et persecutiones, quas perpetuo agitata et vexata sustinuit ».

2. *Lud. ab Alcasar* S. I. Investigatio arcani sensus in Apoc. Antwerpiae 1614. Ut novitatis praeiudicium a sua sententia repelleret, Alcasar praeter Salmeronem nominavit eiusdem sententiae patronos *Ederum, Bullengerum, Forerium* (in Is. 34) eique favere censet omnes Patres et iuniores scriptores, qui per Babylonem in Apocalypsi Romam designatam vident (Cfr. Not. VII. 10 et XII. 8). — *Bossuet* L'Apocalypse avec une explication. Paris 1689.

3. Bossuetium fere sequuntur *Dupin* (Analyse de l'Apoc. Paris 1712), *Calmetus*

(Comment.), *Lallemant* S. I. (Réflexions morales avec des notes sur le N. T. XII. Paris 1725) aliique. Hac nostra aetate *Fr. de Bovet* (L'esprit de l'Apoc. Paris 1840) etiam ultima capita de excidio Romae ethnicae explicare conatus est; *C. Stern* (Comment. über die Offenb. Schaffhausen 1854); *Allioli* (Die hl. Schrift. Ed. 10 stereot. Regensb. 1885. III. p. 879 sq.); *Aberle* (Einl. p. 139) huic systemati favet. — Inter Protestantes antiquiores idem adoptaverunt *Grotius, Wetstenius* etc; moderni rationalistae illud perverterunt, quum non tantum vera vaticinia tradi negarent, sed etiam auctori interitum Romae paganae et finem mundi coincidere assererent.

247. — In tertia interpretum classe, qui totam Ecclesiae historiam argumentum Apocalypseos esse volunt, quam maxima invenitur varietas, atque systema ipsum ab eo tempore, quo invectum est, singulis fere saeculis novam formam accepit. Alii totam historiam ab eius initiis usque ad futurum eius finem ita praedictam vident, ut singularum aetatum praecipui eventus, maxime tristes, ex ordine indicentur; alii septem epistolis, sigillis, tubis etc ita varias aetates describi statuunt, ut sub alio et alio aspectu quater vel quinquies eaedem repraesententur; alii non nisi maiores eventus, alii etiam minutissima quaedam facta praedici censent. Aliquale quidem fundamentum systema hoc iam in Patrum operibus habet, siquidem antiqui quoque interpretes, *Andreas Caes., Ven. Beda* aliique in equo albo eiusque equite, qui primo sigillo soluto prodiit, Ecclesiam apostolicam, in equo rufo aetatem Martyrum etc viderunt. At excoli non est coeptum nisi medio aevo a *Ioachimo* abb. Florensi, *Aureolo, Lyrano* aliisque, atque tantopere placuit, ut a longe maiore interpretum numero sit adoptatum.

Abbas Ioachim per septem visiones Ioannis (totidem enim plerique antiquiores iam distinxerunt et multi moderni distinguunt, quamvis rectius, ni fallimur, una sola visione totus liber constare dicatur) « putavit praesignificari septem status hominum, qui per diversa Ecclesiae tempora magno ipsi adiumento futuri essent. Quorum primus fuit chorus Apostolorum fundantium Ecclesiam, secundus Martyrum sanguine suo eam foecundantium, tertius Doctorum eam illuminantium, quartus Anachoretarum et Monachorum et quintus Virginum per contemtum rerum temporalium, omnium carnalium voluptatum repudiationem suique abnegationem Ecclesiam perficientium, sextus optimorum Pontificum et Pastorum populum christianum regentium et corrigentium, septimus religiosorum virorum exemplo sanctitatis et frequenti praedicatione populum fidelem reformantium »[1]. Quos septem status, qui se ipsi temporis decursu erant excepturi, in singulis visionibus distinguere voluit Ioachim.

A non paucis suo tempore propheta habitus est, qui spiritu prophetico propheticum librum explanaverit[2]; at non multos habuit in hac interpretandi ratione sequaces; proxime tamen ad illam accedit *Bar-*

tholomaeus Holzhauser († 1658), vir sanctitatis fama et zelo apostolico insignis, qui etiam a nonnullis creditus est et adhuc creditur prophetico spiritu librum explanasse[3]. Opus suum tamen ad finem non adduxit; interrogatus a discipulis, cur ultra 15,4 non esset progressus, respondisse fertur, pristino se carere impulsu et lumine ideoque se operi terminando imparem esse[4]. Pro septem Ioachimi statibus ponit septem Ecclesiae aetates, quas in septem epistolis iam adumbratas videt; a c. 4. autem usque ad c. 11. Ecclesiae historiam accuratius describi censet, inde vero a c. 12. denuo ita eam repeti, ut nonnulli eventus, qui praesertim ad Mahumetanismum et regnum Antichristi pertineant, fusius et enucleatius praenuntientur. Ecclesia ephesia repraesentat aetatem seminativam, in qua Apostoli Ecclesiam fundarunt; smyrnensis aetatem irrigativam, in qua Martyres sanguine suo agrum foecundarunt; pergamena aetatem illuminativam a Constantino M. usque ad Carolum M., quo tempore Patres haereses refutarunt; thyatirensis aetatem pacificam a Carolo M. usque ad Carolum V., qua aetate Christus per Ecclesiam suam regnavit; sardensis aetatem purgativam, quae a Carolo V. decurrit et decurret usque ad adventum Sancti Pontificis et Magni Imperatoris; philadelphensis aetatem consolativam, qua fideles ad ultimae aetatis tribulationes praeparantur; laodicena aetatem desolativam, qua Antichristus Ecclesiam destruere conabitur et tandem iudicium locum habebit. Quae duae ultimae aetates, si recte vidisset piissimus vir, brevissimae forent dicendae; Antichristum enim a. 1855. nasciturum et a. 1911. periturum praedixit[5].

Alteram viam inierunt Aureolus et Lyranus, quos complures atque nostra quoque aetate nonnulli secuti sunt[6]. *Lyrani* systema est hoc. Sex Ecclesiae aetates in Apocalypsi ex ordine descriptas videt: prima aetas, quae a Christo usque ad Iulianum Apostatam († 363) effluxit, et in qua floruerunt Apostoli, Martyres, Doctores, septem sigillis indicatur; altera aetas septem tubis praedicta a Iuliano ad Mauritium (582.) excurrit; pugna draconis cum muliere aetatem a Mauritio usque ad Carolum M. (800.) designat, siquidem draco est Chosroes Persarum rex, bestia autem Muhametus[7]. Quarta aetas a Carolo M. usque ad Henricum IV. († 1106.) propter multa sua dissidia et schismata septem phialis designatur. Quinta aetas a morte Henrici IV. usque ad adventum Antichristi decurrens inde a c. 17. describitur; sed quia Lyranus « se nec prophetam nec filium prophetae esse » scivit, de illis, quae cpp. 17. sqq. dicuntur, certi quidquam asserere noluit.

1. Cfr. *Perer.* in Apoc. disput. VII. Lugduni 1606. p. 28 sq. — Expositio magni prophetae Abbatis Ioachimi in Apoc. Venetiis 1527.

2. *S. Thomas* (in Sent. IV. dist. 44. a. 3. qu. 2. ad 3) autem iam monet : « Abbas

Ioachim de futuris *per coniecturas* aliqua vera praedixit, et in aliquibus deceptus fuit ».

3. *Haneberg* (Gesch. der Offenb. Ed. 4. Regensburg 1876. p. 758) : « Diejenige Auslegung der Apocalypse, welche sich vor allen andern dadurch emphiehlt, dass *ihr Verfasser selbst visionar, sonst aber ernst und nüchtern war*, nämlich die des sel. Barth. Holzhauser, ist auf die Voraussetzung der sich ergänzenden parallelen Nebeneinanderordnung einzelner Abschnitte gegründet ». *Hurter* quoque (Nomenclator I. Ed. 2. 1892. p. 432) commentarios eius « plane admirabiles » vocat.

4. Diu post auctoris mortem typis sunt editi Bambergae 1784; nova editio Vindobonae 1850. Gallice eos vertit atque commentarium ad finem usque perduxit *Can. de Wuillermet* (Interprét. de l'Apocalypse. Paris 1856); germanice sunt translati a Buchfelner (Ed. 2. Regensburg 1869), a L. Clarus (Regensb. 1849).

5. Cfr. vers. gall. II. p. 76; continuator operis gallici publice proditurum esse Antichristum putat a. 1896 (l. c. p. 142 sqq.). Ceterum num *Ven. Holzhauser* ipse definitos illos annos indicaverit, non constat.

6. Historiam integram Ecclesiae magis minusve accurate in Apoc. descriptam vident ex recentioribus *Ioachim Trotti de la Chetardie* (Explication de l'Apoc. Bourges 1692); *Franc. Joubert*, Iansenista (Paris 1762), *F. Verschraege* (Clarae simplicesque explicationes Apoc. Tornaci 1855); *Lafont Sentenac* (Le plan de l'Apoc. Paris 1872); *Drach* (Apoc. de S. Iean. Paris 1879); *Waller* (Die Offenb. des hl. Iohannes im Lichte der Geschichtstypik, der alttestam. Prophetie und ihres eigenen Zusammenhanges. Rixheim 1882) multique alii; Protestantibus antiquioribus idem systema plerisque arrisit et modernis nonnullis arridet.

7. Numerum 666, qui est numerus nominis bestiae, Lyranus explicat de anno mortis Muhameti; at Muhametus mortuus est a. 632.

248. — Quod si quis interrogaverit, quodnam explicationis systema praeferendum sit, ingenui fatemur omnium minime nobis probari tertium. Praeprimis enim non satis intelligimus, quem finem Deus in aenigmatica hac fatorum Ecclesiae praedictione habuerit aut habere potuerit. Etenim si in V. T. tota Messiae vita et praecipua regni messianici bona per Prophetas manifestata sunt, statim apparet illis praeparatum et incitatum esse populum electum, ut redemtoris sui adventum desideraret advenientemque cognosceret: ad quid autem haec, quae supponitur, tribulationum et persecutionum revelatio, quae cognosci nequeunt praedictae, nisi postquam iam diu praeterierunt? Accedit autem quod eiusmodi revelatio vanam quandam nocivamque curiositatem provocare et alere videatur. Interrogantibus discipulis, quandonam filius hominis ad iudicium sit venturus, respondit Dominus : « De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater. Videte, vigilate et orate : nescitis enim, quando tempus sit » (Marc. 13. 32. 33). Iam difficile nobis persuademus Deum nobis postea Apocalypsin dedisse, ut non tantum sciremus, quot aetates adhuc ante iudicis adventum praeteriturae essent, sed ipsum annum adventus Domini definiremus. Num forte solis Apostolis et primis Christianis erat vigilandum? Experientia demum docet omnes illos interpretes, qui hucusque systema illud adhibuerunt, ab erroneo profectos esse princi-

pio, immo nisi prorsus incertum principium supponatur, non videtur posse adhiberi. Omnes enim supposuerunt se ultima iam Ecclesiae aetate degere, ideoque praecedentia saecula in quinque vel sex aetates, quas iam praeterisse putaverunt, arbitrario modo distribuerunt : ita Abbas Ioachim, ita Lyranus, ita Holzhauser, ita recentes omnes, qui idem systema tenent. Hinc factum est, ut procedente tempore semper novae eorundem symbolorum explicationes sint excogitatae. Quonam autem Ecclesiae stadio degamus, num in primo, an in medio, an in ultimo, prorsus ignoramus; proxime instare diem iudicii apostolico tempore iam putaverunt Thessalonicenses; idem suo tempore opinati sunt S. Leo M., S. Gregorius M.; eadem persuasio multos animos exeunte saec. 10. invaserat nec ullum, opinor, invenietur saeculum, in quo aliqui non fuerint in eadem persuasione. At quis scit, annon post duo vel tria, immo, si mavis, post quinque vel decem et plura *millia* annorum eadem persuasio hominum animos sit occupatura? Unum illud certo scimus, Dominum dixisse : « *De die illo et hora nemo scit, nisi Pater; vigilate et orate* »; reliqua omnia nobis sunt incerta, et nisi quis prophetico spiritu a Deo sit illustratus, *prorsus eadem cum probabilitate*, qua aliquis saeculo futuro mundum interiturum asserit, alius mundum post centum saecula adhuc exstiturum coniicict. Ὑμεῖς οὖν γίνεσθε ἕτοιμοι, ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.

De duobus aliis systematis certum quidem iudicium ferre non ausim, siquidem sua quodque gaudet probabilitate; attamen illud arbitror praeferendum, quod inde a c. 4. de ultimis dumtaxat Ecclesiae fatis agi et tribus prioribus capp. monita tradi statuit, quae ecclesiis asiaticis eo tempore utilia et necessaria erant et omnibus ecclesiis omni tempore utilia et necessaria sunt et erunt. Gravissimum enim praeiudicium contra alteram explicationem semper illud remanet, quod vaticiniorum impletio neque in prima Ierosolymorum devastatione aut in ultimis Iudaeorum sub Traiano et Hadriano cladibus neque in Romae ethnicae destructione cum aliqua verisimilitudine demonstrari possit. Quotquot enim inde ab Alcasaris tempore egregii interpretes symbola apocalyptica de tribus quatuorve primis Ecclesiae saeculis explicare conati sunt, eos operam et oleum perdidisse censemus; id enim continuae et innumerae eorum demonstrant contradictiones et controversiae, neque duos invenies, qui in maiore symbolorum parte explicanda inter se consentiant. Atqui si vaticinia iam impleta essent, cum aliqua saltem verisimilitudine eorum impletionem demonstrari non admodum esset difficile.

Quae autem contra illud, quod praeferimus, systema obiiciuntur, illa nullius sunt roboris[1]. 1. Namque a S. Ioanne « *cito* » adimplenda dici vaticinia monent (1,1. 3; 22,6. 10. 20); sed immerito vocabulum illud

urgetur. Omnes catholici interpretes saltem duo vel tria ultima capita de novissimis temporibus intelligunt; iam vero illud « *cito* » (22,6) etiam ad illa ultima capita referendum est; eodem igitur sensu, quo de ultimis, etiam de reliquis vaticiniis explicari *potest*, immo secundum sanae hermeneuticae regulas *debet*. « Mysterium iniquitatis » enim, quod in novissimo tempore apertissime apparebit, iam tempore apostolico operabatur et omni tempore operatur et operabitur, usque dum revelabitur homo peccati, filius perditionis, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui (2. *Thess.* 2.). Eatenus igitur *cito* implebuntur vaticinia apocalyptica, quatenus eorum impletio iam tempore apostolico est inchoata. 2. At, inquiunt, vaticinia illa data sunt, ut fidelibus animum adderent eosque consolarentur; quam vero consolationem attulissent, si de novissimis dumtaxat temporibus agerent? Mira sane obiectio, quae finem scopumque vaticiniorum videtur ignorare. Num forte Isaias vaticiniis suis de futuro Messia regnoque messianico post sex saecula implendis coaevos suos consolatus non est? Num in Protevangelio genus humanum per quatuor vel quinque millia annorum continuam consolationem non invenit? Num vaticinia nec consolantur nec animum addunt, nisi quo tempore impleta spectantur? Cur Dominus ipse tot tantaque de ultimis temporibus praedixit, si nobis exhortandis, consolandis, impellendis apta non essent? 3. At ab iis, qui hoc systema sequuntur, admittendum est regnum millenarium! Praeprimis respondemus id non necessario sequi. Profecto Ribera, quamvis systema hoc acriter defenderet, aliique eiusdem aetatis interpretes, qui illud tenebant (Viegas, a Lapide etc), chiliasmum qualemcunque respuerunt neque ullum nexum internum inter suam interpretationem interque chiliasticas opiniones agnoverunt[2]. Difficultas igitur obiecta revera non exsistit. Praeterea monemus, a nonnullis interpretibus catholicis recentissimis, qui idem interpretationis systema tenent, illum ipsum chiliasmum, cui antiquissimi Patres SS. Iustinus, Irenaeus, Victorinus Petav. aliique favebant, quemque S. Augustinus olim se tenuisse fatetur et utcunque tolerabilem appellat, « si aliquae deliciae spirituales in illo sabbatho adfuturae sanctis per Domini praesentiam creduntur »[3], ita temperari, ut nesciam annon aliqua probabilitate gaudeat[4]. Sed hanc quaestionem ingredi opus non est, quum primum responsum plane sufficiat atque antiquiorum interpretum Riberae etc) sententia longe probabilior esse videatur. Demum 4. omnem interpretem prudentem asserunt capp. 17 et 18 Romam ethnicam videre descriptam. Id quidem verissimum est, sed iure quaeritur, annon Roma illa ethnica sit figura (typus) vel symbolum metropoleos illius, in qua residebit Antichristus, vel potius typus aut symbolum regni antichristiani ipsius. Talia enim vaticinia, quae duplicem eventum futu-

rum, alterum typicum imperfectum alterum perfectum antitypicum, praedicunt, frequentissima sunt in V. T. Num quis dubitat ipsum Dominum de ultimis temporibus esse locutum, quamquam nonnulla ex iis, quae praenuntiavit, imperfecto et typico modo iam in urbis sanctae destructione erant implenda (*Matth.* 24)? Quae quum ita sint, salvo meliore iudicio, primum systema praeferendum ducimus. Quanam autem forma sit evolvendum, alia est quaestio, quam integram interpretibus permittimus.

1. Sententiam, quam praeferimus, vehementissime aversatur *Bacuez* (Manuel bibl. IV. p. 541), qui scribere non dubitavit : « Le jour s'est fait là-dessus depuis ongtemps. *Il serait déraisonnable de prétendre* aujourd'hui que St. Jean n'a en vue que la fin des temps ». Quod Patribus multis « absurdum » non esse videbatur, nescio quo cum iure hodie « absurdum » dicatur. Ceterum *omnia argumenta*, quibus Bacuez hanc « absurditatem » demonstrare conatur, supra in textu exposuimus; quid valeant, diiudicet lector. Nimium quoque asserit *Aberle* (Einl. p. 140) : « *Darüber kann kein Zweifel sein*, dass der eigentliche Kern der Prophetie gegen das heidnische Rom gerichtet ist ». Alio argumento assertum non adstruit, nisi primo illo, quo utitur Bacuez.

2. Cfr. *Ribera* in Apoc. 20,2 sqq. *Viegas*, *Corn. a Lap.* in eund. text.

3. *S. Iustin.* c. Tryph. 81. (M. 6,669; cfr. *supra* 236); *S. Iren.* c. haer. V. 32 sqq.; cfr. Massuet. Dissert. III. 10 (M. 7,1210. 380); *S. Hieron.* in Is. l. XVIII. Prol. (M. 24,651) ex Latinis inter chiliastas recenset *Tertullianum*, *Victorinum*, *Lactantium*; *Tertull.* c. Marc. III. 24 (M. 2,356); *S. August.* serm. 259,2; de Civ. Dei XX. 7 (M. 38,1497; 41,667) etc.

4. *Em. Card. Franzelin* (De divina Trad. p. 204), postquam eruditissime demonstravit, Patrum istorum sententias de regno millenario non fuisse nisi « privatas singulorum opiniones, minime vero communem consensionem velut in doctrinam fidei », in hunc modum concludit : « Haec tamen omnia non ita velim intelligi, ac si mihi fas esse putarem censuram aliquam inurere opinioni millenariorum recentium ». Quomodo recentissimi interpretes catholici intelligant regnum milleniarum cfr. in *Bisping* Apocalypse p. 314-320, *Krementz* Offenb. des h. Iohannes p. 166 sqq.

§ 3. — *De Apocalypseos fine eiusque utilitate.*

249. — Quaestio de fine Apocalypseos, uti recte monet Aberle[1], eadem ratione, qua de aliis libris, tractari non potest. S. Ioannes enim in ea scribenda et edenda alium finem non habuit, nisi ut iussum Dei impleret : « Quod vides, scribe in libro et mitte septem ecclesiis, quae sunt in Asia » (1,11. 19; 22,10 etc); quapropter si interrogamus, quis Apocalypseos sit finis, revera inquirimus, quem finem habuerit Deus, ut sublimes et obscuras illas visiones nobis per Apostolum revelaret. Unde iam patet, eum integrum a nobis cognosci non posse, praesertim quum hucusque librum ipsum nondum plene intelligamus. Attamen Deus ipse in libro nostro quaedam indicavit, quae ad finem eius cognoscendum non parum iuvant.

Septem quippe epistolis, quibus S. Apostolus Apocalypsin septem ecclesiis Asiae transmisit, finem illum indicatum esse arbitramur. In omnibus enim et singulis duo praecipue inculcantur : fidem ab omni haeretica pravitate puram immunemque esse servandam atque fortiter sustinendas esse omnes persecutiones et tribulationes, quibus propter fidei professionem fideles subiiciuntur. Quibus duobus sive sub laudis sive sub vituperii vel moniti forma inculcatis monentur fideles, ut audiant quid Spiritus ecclesiis dicat, atque « vincenti » promittitur praemium aeternum. Quod si ad hoc epistolarum argumentum atque ad hanc earum formam animum adverterimus, satis elucebit ecclesiis asiaticis Apocalypsin esse datam, ut eas ad puram servandam fidem sustinendasque persecutiones excitaret eisque animum viresque adderet. Atque profecto huic fini obtinendo integer liber quam optime est adaptatus. Quodcunque enim eius argumentum statuitur, sive ultima, id quod nobis praeplacet, sive priora, sive omnia Ecclesiae fata in eo revelata sunt, id manifesto compertum est, Christi et Ecclesiae praedici finalem de omnibus suis hostibus quum internis tum externis triumphum. Atqui illo tempore a validissimis hostibus Ecclesia impugnabatur. Haereses antinomisticae, quas in ecclesiis asiaticis SS. Iacobus, Iudas, Petrus refutare iam debuerant, victas manus nondum dedisse, sed latius propagatae esse videntur; multo magis autem gnostici errores, quorum initia in ultimis epistolis suis S. Paulus refutaverat, asiaticas ecclesias devastare coeperant. Neronis persecutionem secuta erat altera eaque in provinciis imperii romani cruentior Domitiano imperatore; in priore Principes Apostolorum martyrio coronati erant, alii quoque Apostoli plerique cruenta morte antea aut postea vitam finiverant; ultimus, qui solus ea aetate superstes videtur fuisse, Ioannes in hac altera Domitiani persecutione « propter Verbum Dei et testimonium Iesu Christi » in exsilium erat missus; fidelium quoque sanguis agrum asiaticum irrigaverat (2, 13). Christiani igitur asiatici a tot internis et externis hostibus oppugnati et infestati, quum praeclarissimo illo divinitatis Ecclesiae argumento, quod nos in innumeris illis per undeviginti saecula de omnibus hostibus reportatis victoriis sub oculis habemus, prorsus carerent, maximo in periculo versabantur, ne animis deiecti de promisso divino auxilio dubitare inciperent. Etenim si iam triginta annis antea « illusores », quos impugnaverat S. Petrus, irridentes interrogaverant : Ubi est promissio aut adventus eius?[2], multo maiore cum veritatis specie illusores alii Christianis exeunte saec. 1. eandem interrogationem proponere debilesque ad defectionem seducere potuerunt. Contra quod periculum fideles praemuniturus Deus Ecclesiae Apocalypsin revelavit; atque non solum promissione sua saepius repetita, se cito esse venturum et prope esse tempus (victoriae)[3], eos ad fiduciam et patientiam exhor-

tatus est, sed magnifica quoque ultimi triumphi descriptione eorum animos erexit eosque ut fortiter sustinerent tribulationes persecutionesque inflammavit[4]. Hinc illa septies repetita promissio, « vincenti » se daturum praemium; hinc in singulis illis septem promissionibus unus ex fructibus indicatur, quibus omnibus fruituros esse beatos in novo Ierusalem duo ultima capita docent.

1. *Aberle* Einleitung p. 138.
2. 2 *Petr.* 3,4.
3. *Apoc.* 1,1. 3; 3,11; 11,14; 22,6. 10.
4. Optime *Bossuet.* (L'Apocalypse etc. Préf. — Œuvres. Liège 1766. II. p. 377) : « N'est-ce pas une assez grande consolation aux fidèles persécutés, que de sentir même en général dans l'Apocalypse la force qui devait être inspirée aux saints martyrs, et de découvrir avec tant de magnificence, non seulement leur gloire future dans le ciel, mais encore le triomphe qui leur était préparé sur la terre? Quel mépris devaient concevoir les Chrétiens de la puissance tyrannique qui les opprimait lorsqu'ils en voyaient la gloire effacée et la chute si bien marquée dans les oracles divins! »

250. — Maximae igitur utilitatis Christianis asiaticis, quibus primitus destinata erat, Apocalypsin fuisse nemo negabit; ad pugnam enim quotidianam, quae illis erat subeunda, illis suppeditabat robur necessarium. At non minorem nobis quoque utilitatem praebet. Quemadmodum enim Evangelia et Epistolas, quamquam in eis scribendis Apostoli et Evangelistae solos sui temporis Christianos, immo solos unius alteriusve ecclesiae fideles atque adeo unam solam personam proxime prae oculis habebant, toti suae Ecclesiae usque ad finem mundi permansurae Deus O. M. largitus est, ita etiam in apocalypticis visionibus tradendis, etsi eas proxime ecclesiis asiaticis destinaverit, universali tamen omnium temporum Ecclesiae consulere voluit. Quis enim unquam dubitabit, quin Apocalypsis quoque » utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus » (2 *Tim.* 3,16)?

Neque timendum est, ne obscuritas eius utilitati obstet. Etenim si eam non intelligimus, semper cum *S. Dionysio* dicere possumus ac debemus : « Huiusmodi de illo libro opinionem concipiens quasi sensus mei modum excedat, arcanam quandam planeque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen altiorem quendam sensum verbis subesse; eaque non meo ipsius iudicio metior atque diiudico, sed plus fidei tribuens sublimiora esse censeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno, quae intelligere non potui, verum inde admiror magis, quod capere non possum »[1]. Attamen eius obscuritas ea non est, quae omnem intelligentiam excludat; illud procul dubio concedendum est, nec omnia symbola hucusque apte esse explicata nec ipsum argumentum cum certitu-

dine esse definitum; at luce quoque clarius est Christi et Ecclesiae victoriam in ea praedici, ac proin nos eodem modo, quo primos Christianos, in omnibus temporum difficultatibus et persecutionibus summam in ea consolationem et fortitudinem invenire [2].

Attamen haec non est unica praeclari libri utilitas. Quot enim dogmata in Apocalypsi clarissimis verbis nobis traduntur! Vix unam pericopen inveniemus, quae divinitatem Domini N. Iesu Christi nobis non magnifice revelet. Evangelia nobis Filium Dei ostendunt, qui semet ipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, qui semet humiliavit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : Apocalypsis autem eundem Filium Dei nobis ostendit exaltatum, cui datum est nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Itaque Evangeliorum, ut ita dicamus, est complementum, et quoniam V. T. vaticinia de glorioso Messiae adventu et regno in mentem revocat clariusque evolvit, una cum Evangeliis plenam et perfectam eius imaginem nobis exhibet. Iesus Christus, primogenitus mortuorum, princeps regum terrae, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (1,5), primus et novissimus, qui fuit mortuus et ecce est vivens (1,17), qui est principium omnis creaturae Dei (3,14), ipse nunc habet claves mortis et inferni (1,18) et scrutans renes et corda dabit unicuique secundum opera eius (2,23) ; ipse nunc regit gentes in virga ferrea et calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis (19,15), at ipse regit etiam beatos et deducit eos ad vitae fontes aquarum (7,17) et dat eis de fonte aquae vitae gratis (21,6), et in eius lumine omnes gentes ambulabunt (21,24). Sed quid plura? Quid est integra Apocalypsis, nisi canticum triumphale atque nuptiale Christi post victoriam de omnibus hostibus nuptias cum sponsa sua Ecclesia celebrantis (19,7. 9; 20,9 etc)?

Porro alius, opinor, liber sacer non est, qui plura nos de Angelorum ministerio doceat, ita ut commentarius quidam sit verborum S. Pauli : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis » (*Hebr.* 1,14). Angelus Apostolo tradit Apocalypsin (1,1), Angeli attentum eum reddunt ad ea, quae ostenduntur, visaque explanant (17,1 sqq. 22,8 et passim), Angeli iussa Dei exsequentes iustos signant signo Dei (7,3) orationesque sanctorum offerunt Deo (8,3) ; at eodem modo in malos iudicia Dei exercent (16,2 et passim) et duce Michaele draconem angelosque eius impugnant eumque ligant (12,7; 20,2). Beatorum deinde gloria aeterna aeternaeque damnatorum poenae vividissimis imaginibus nobis sub oculis ponuntur (passim sed praesertin 20 et 21).

Atque haec quidem dogmata fere ex professo, uti dici solet, Apocalypsis tradit, sed quot alia ἐν παρέργῳ et strictim attingit. Quam praeclaram nobis exhibet ideam Dei eiusque attributorum : Deus omnipotens omnium rerum creator et conservator (1,8; 4,8. 11), cuius providentia omnia reguntur in terra (7,2 sqq. et passim), cuius omnes viae iustae sunt et verae (15,3; 16,5 sqq. etc), cuius sanctitatem celebrant Angeli (4,8 etc), cuius visione beati in aeternum fruentur (22,4), in cuius conspectum autem nihil coinquinati unquam intrabit (21,27). Quam clare ex toto libro specialis illa Dei providentia elucet, qua Ecclesiae invigilat, eam regit, ab hostibus omnibus defendit, iniurias ei illatas vindicat; neque id mirum, quum sit sponsa Agni (21,9).

Apocalypsis igitur, etsi obscura sit, maximae tamen nobis est utilitatis atque digna librorum sacrorum clausula. Procul dubio non ideo Deus eam nobis dedit, ut vanae nostrae curiositati de rebus futuris satisfaceret, atque multo minus, ut diem, quo ad iudicium venturus sit, nobis manifestaret. Diem enim hunc iam in Evangelio Dominus dixerat et Paulus repetierat venturum esse sicut furem in nocte. « Quum autem dixerint : pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti et non effugient ». Sed « *ad nostram doctrinam scripta est, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* »[3].

1. *S. Dionys. A.* fragm. 3. (M. 10,1244 penes Euseb. H. E. VII. 25. M. 20,697).

2. Egregie *Bossuet.* (l. c. p. 353) : « Malgré les profondeurs de ce divin livre, on y ressent, en le lisant, une impression si douce, et tout ensemble si magnifique de la majesté de Dieu; il y paraît des idées si hautes du mystère de Jésus-Christ, une si vive reconnaissance du peuple qu'il a racheté par son sang, de si nobles images de ses victoires et de son règne, avec des chants si merveilleux pour en célébrer les grandeurs, qu'il y a de quoi ravir le ciel et la terre. Il est vrai, qu'on est à la fois saisi de frayeur, en y lisant les effets terribles de la justice de Dieu, les sanglantes exécutions de ses saints anges, leurs trompettes qui annoncent ses jugements, leurs coupes d'or pleines de son implacable colère, et les plaies incurables dont ils frappent les impies; mais les douces et ravissantes peintures dont sont mêlés ces affreux spectacles, jettent bientôt dans la confiance, où l'âme se repose plus tranquillement, après avoir été longtemps étonnée et frappée au vif de ces horreurs ».

3. 1 *Thess.* 5,2; *Rom.* 15,4.

§ 4. — *De praecipuis commentariis catholicis in Apocalypsin.*

251. — Postquam de variis Apocalypseos explicandae systematibus disserentes multos et praecipuos trium, quas statuimus, classium interpretes iam nominavimus, opus quidem vix esse videbitur, ut iterum de commentariis dicamus; nec inutile nec iniucundum tamen nonnullis fore arbitramur, si pro more praeclariorum, qui maiori usui esse possunt, nomina sub uno conspectu exhibeamus.

Andreas Caes. in Commentarii sui prologo « ex *Gregorii Theol.* (Naz.), *Cyrilli Alex.* multoque his antiquiorum *Papiae*, *Irenaei*, *Methodii* et *Hippolyti* scriptis » se multas sententias in suum opus transumsisse asserit, atque Arethas illis addit *Basilium M.*; attamen nullus ex iis praeter S. Hippolytum iustum commentarium in Apocalypsin videtur scripsisse, sed data occasione aliquos textus apocalypticos in aliis suis operibus adhibuerunt et interpretati sunt antiquiores Patres. Primi igitur COMMENTATORES GRAECI dicendi sunt duo illi episcopi caesarienses, quos nominavimus, *Andreas* et *Arethas*, qui utrum exeunte saec. 5., an 9. vel 10. floruerint, non satis constat. In tropologica et anagogica interpretatione studium suum collocant, historicam tamen non plane negligunt, quamquam plurima, utpote nondum impleta, a se nondum explicari posse fatentur[1]. At quemadmodum non habuerunt praedecessores, ita successores nacti non sunt; ea, quae reliqui Patres graeci per occasionem de Apocalypseos textibus disseruerunt, exhibet *Catena graeca*[2].

Inter LATINOS PATRES plures operam suam nostro libro impenderunt. Tempore primus est *S. Victorinus Petav.*, cuius opus integrum ad nos non pervenit, sed brevia dumtaxat scholia, quae ab iuniore manu esse interpolata iure dicuntur. Proximus est *Tichonius Donatista*, qui Primasio teste homiliis suis « multa insperserat sanae doctrinae contraria, ita ut de causa, quae Catholicos inter et Donatistas versabatur, secundum pravitatem cordis sui loca nocendi captaret catholicaeque Ecclesiae noxia expositione putaret mordaciter illudendum ». Quapropter homiliae illae, quae sub eius nomine saepius allegantur et hodie inter opera spuria S. Augustini eduntur, eius non sunt, nisi forte illas a catholico viro retractatas et emendatas dicere mavis[3]. *S. Augustinum* in l. XX. de Civ. Dei nonnullas pericopas satis fuse et egregie exposuisse iam monuimus (244); atque *S. Gregorius M.* quoque non paucos locos occasione data explicavit, quae explicationes collectae sunt a S. Paterio, eius discipulo, et ab Alulfo[4]. Iustos autem commentarios ediderunt *Primasius* et *Ven. Beda*, dum *Cassiodorus* in suis Complexionibus paucas tantum sententias brevibus scholiis illustrat[5]. Omnes eodem fere modo, quo Andreas et Arethas, in tropologicis explicationibus maius studium ponunt, quam in literali sensu evolvendo.

Patristico igitur tempore liber noster non multos invenit interpretes; inde autem a saec. 9. maiore cum diligentia ab interpretibus tractabatur. Atque illi quidem intrepretes, qui A SAEC. 9. usque ad 12. floruerunt, quamvis magnam partem libri de praesenti Ecclesiae statu agi censuerint, certa tamen et determinata facta in eo praedicta esse non videntur admisisse, sed generalem dumtaxat Ecclesiae statum variis aetatibus (Apostolorum, Martyrum, Doctorum etc) describi. Quare eodem fere modo, quo Ven. Beda, librum explicarunt. Huc praesertim

pertinent *Berengaudus*, cuius expositio olim sub S. Ambrosii nomine allegari solita inter eius opera invenitur, *Alcuinus*, *Bruno Ast.*, *Richardus a S. Vict.*, *Martinus Legionensis*[6].

Atque eandem viam etiam nonnulli SCHOLASTICI INTERPRETES, praesertim ex Praedicatorum, ordine retinuerunt, inter quos praecipui sunt *B. Albertus M.*, qui Alcuinum fere sequitur, *Card. Hugo*, *Thomas Anglicus*, quibus addi quoque potest *Dionysius Carth.* Ab aliis autem historica intrepretatio est adoptata[7]. *Ioachimum Abb.* imitati sunt *Hubertinus Casal.* et *Petrus Galatinus*, uterque etiam de futuris Ecclesiae rebus prophetantes[8]; viam autem, quam *Nicolaus Lyranus* monstraverat, inierunt *Petrus Aureolus*, *S. Antoninus*, *Ioannes Annius Viterbiensis etc.*

SAEC. 16. ET 17. Apocalypsis unus erat ex libris sacris, qui frequentissime explicabantur; praeter illos, qui integras Scripturas commentariis aut scholiis illustrarunt, plus triginta soli Apocalypsi operam suam impenderunt. Quorum omnium nomina afferre operae pretium non est, quum praecipuos supra iam nominaverimus : sunt autem *Fr. Ribera* (Lugduni **1593**), *Blas. Viega* (Eborae **1601**), cuius opus tanti aestimabatur, ut sedecim annorum spatio undecies typis sit exscriptum, *Petr. Bulenger* (Paris. **1597**), *Ben. Pererius* (Lugd. **1606**), *Lud. de Alcasar* (Antw. **1614**), *Iacob. Bordes* (Paris **1658**), *Henr. Kircher* (Coloniae **1676**), *I. B. Bossuetius* (Paris **1689**), *Barth. Holzhauser* (Bambergae **1784**), *Trotti de la Chetardie* (Bourges **1692**) etc.

Cum reliquis Scripturis Apocalypsis saec. **18**. haud multos habuit commentatores neque ullum, qui maioris sit auctoritatis praeter *Aug. Calmet*, O. S. Ben., qui Bossuetium fere sequitur. Recentiorum varia systemata antea iam exposuimus praecipuorumque opera indicavimus; sunt autem praeter aliquos totius S. Scripturae scholiastas in Gallia et Belgio *Fr. de Bovet*, *Lafond de Santenac*, *P. Drach*, *Verschraege*, in Germania *A. Bisping*, *Ign. Waller*, *Eminent. Ph. Krementz*, *Fr. S. Tiefenthal* O. S. Ben[9].

Acatholicorum commentarios antiquiores et recentiores enumerant *I. P. Lange* (Bibelwerk. N. T. XVI. Ed. 2. 1878. p. 58 sqq.), *E. Reuss* (Geschichte des Neuen Test. Ed. 6. 1887. p. 632. 658), *H. Kihn* (Encyclop. u. Methodol. der Theol. 1892. p. 216). Recentissimorum vero « criticorum » opera praecipua de Apocalypsi nominat *H. I. Holtzmann* (Handcomment. IV. Ed. 2. 1893. p. 290).

1. *Andreae Caes.* In Apoc. Comm. M. 106,215 sqq.; *Arethae Caes.* Coacervatio enarrationum in Apoc. M. 106,499 sqq.

2. Catena graeca in epp. cath. Accedunt Oecumenii et Arethae comm. in Apoc. ed. Cramer. Oxonii 1840.

3. *S. Victorini* Petav. Scholia M. 5,317 sqq.; *Tichonii* Expositio. M. 35,2417 sqq. (cfr. Editorum admonitio l. c. 2415).

4. *S. Paterii* liber de testimoniis. M. 79, 1107 sqq.; *Alulfi* expositio in Apoc. M. 79, 1397 sqq.

5. *Primasii* Commentariorum libri quinque. M. 68,793-936; *Ven. Beda* Explan. Apoc. M. 93 sqq.; *Cassiodori* Complex. in Apoc. M. 70,1405 sqq.

6. *Berengaudi* Expos. super septem visiones l. Apoc. M. 17,765 (Cfr. Editoris admonit. l. c. 763); *Alcuini* Commentar. libri quinque. M. 100,1087 sqq.; *Brunonis Ast.* Expositio. M. 165,605 sqq.; *Ruperti Tuit.* Comment. M. 169,825 sqq. (mysticas eius explicationes commendant Pererius et Corn. a Lap.); *Rich. a S. Vict.* Explicatio. M. 196,683 sqq.; *S. Martini Legion.* Expositio M. 209,299 sqq.

7. *B. Alberti M.* Comment. Opp. Lugd. 1651. XI.; *Card. Hugo* Opp. Venetiis 1754. VII. p. 365 sqq.. Inter S. Thomae Aquin. opera spuria (Ed. Parm. XXIII. p. 325 sqq.) duae inveniuntur Expositiones super Apoc., quarum prior *Thomae Anglici* esse dicitur; altera, quae similem explicandi rationem tenet, cuius sit, ignoratur.

8. De *Hubertino Casal.* (De septem statibus Ecclesiae. Venet. 1516) cfr. Sixt. Senens. Bibl. ed. Milante I. p. 394), de *Petro Galat.*, cuius opus typis, ut videtur, non prodiit, cfr. *Corn. a Lap.* Proleg. in Apoc. : « Prophetat instar Ioachimi Abb. de futuris Ecclesiae temporibus, persecutionibus, successionibus, ac praesertim de Pastore (Pontifice) angelico, qui admirandae sapientiae et sanctitatis futurus sit..., post illum vero secuturum Antichristum qui omnia pessumdabit, ac deinde fore finem mundi etc.

9. Apocalypseos interpretes catholicos, qui ab a. 1563. ad a. 1894. degerunt, fere omnes recensitos invenies in *Hurter* Nomenclat. literar. recentioris theol. cath. I.-III. Ed. 2. Oeniponte 1892-1895.

O. A. M. D. G.

INDEX

DISSERTATIO I. De libris historicis Novi Testamenti. 3

SECTIO I. De Evangeliis 3
§ 1. *De Evangeliorum nomine*, ... 3
numero, ... 6
ordine, ... 11
titulis. 12

Caput I. De Evangeliis synopticis singulis. 15

§ 2. *De Evangelio secundum Matthaeum*. 15
Quaestio I. De S. Matthaei Apostoli et Evangelistae vita. . . 15
Quaestio II. De primi Evangelii authentia et integritate . . . 20
Authentia demonstratur documentis historicis, ... 21
maxime testimoniis SS. Papiae et Pantaeni, ... 22
Apologetarum saec. 2. et Patrum apostolicorum, ... 24
uti etiam haereticorum eiusdem aetatis; 30
comprobatur argumentis internis. 31
vindicatur ab adversariorum obiectionibus 32
Authentia duorum priorum capitum Evangelii asseritur . . 36
Quaestio III. Qua lingua sit scriptum primum Evangelium . . 38
Communis Patrum traditio, primitivam Evangelii linguam esse hebraicam, ... 40
nonnullorum modernorum obiectionibus non infirmatur. . . 44
(De Evangelio secundum Hebraeos quid sit sentiendum) . . 47
Quaestio IV. Quibusnam et quem in finem Evangelium primum sit scriptum. 52
Iudaeochristianis palaestinensibus illud proxime esse destinatum, docent Patres et confirmat libri ipsius indoles, 52
ut Iesum Messiam esse doceret. 55
(Accuratius definitur et evolvitur finis). 57
Quaestio V. Quis Evangelii primi sit ordo. 64
Eius analysis. 67
Quaestio VI. Quo in loco et quo tempore sit scriptum. 76
§ 3. *De Evangelio secundum Marcum*. 80
Quaestio I. De S. Marci Evangelistae vita. 80
(Num duo Marci sint distinguendi). 81
Quaestio II. De secundi Evangelii authentia et integritate . . 85
Authentia demonstratur S. Papiae aliorumque Patrum testimoniis. 86

Apostolica (petrina) eius origo confirmatur libri indole. . . 89
Clausula Evangelii (*Marc.* 16,9 sqq.) historicis documentis authentica esse probatur, ... 93
et ab adversariorum obiectionibus vindicatur. 96
Quaestio III. Quibusnam et quem in finem secundum Evangelium sit scriptum. 100
Ethnicochristianis romanis proxime illud esse destinatum tradunt Patres. 100
et confirmat libri indoles, ... 101
ut doceret nimirum Iesum esse Filium Dei et Dominum omnium. 103
Quaestio IV. Quis Evangelii secundi sit ordo. 111
Eius analysis. 114
Quaestio V. Quo tempore Evangelium suum scripserit Marcus. 117
§ 4. *De Evangelio secundum Lucam.* 119
Quaestio I. De vita S. Lucae Evangelistae. 119
Quaestio II. De tertii Evangelii authentia et integritate. . . . 122
Patrum testimonia de Evangelii antiquitate. 122
et auctore. 126
internis characteribus libri confirmantur. 128
Luc. 1. 2. et 22,43. 44 authentia vindicatur 132
Quaestio III. Quibusnam et quem in finem Evangelium tertium sit scriptum. 134
Evangelium Theophilo inscriptum quidem, ... 135
sed ecclesiis a Paulo fundatis, quae ex Iudaeis et ethnicis conversis coaluerant, destinatum est, ... 136
ut Iesum esse « salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum » doceret. 144
De erroneis finis definitionibus 148
Quaestio IV. De Evangelii tertii ordine et auctoritate historica. 149
Ordinem chronologicum tenuit S. Lucas, ... 149
atque summa est eius auctoritas historica. 151
(Quid de Lysania, Abilenae tetrarcha, de Theudae rebellione, de descriptione imperii romani a Luca commemoratis sit sentiendum.) 155 156
Tertii Evangelii divisio. 160
et analysis 161
Quaestio V. Quando et quo in loco tertium Evangelium sit scriptum. 167

Caput II. De Evangeliorum synopticorum mutua relatione. 170
§ 5. *De Evangeliorum synopticorum affinitate eiusque ratione.* . . 170
I. Status quaestionis. 171
II. Systemata Evangelii primitivi. 176
et mutuae dependentiae refelluntur 179
III. Catechesis apostolica asseritur esse praecipuus Evangeliorum synopticorum fons. 184
§ 6. *De Synopticorum contradictionibus apparentibus.* 189
I. Duo canones enodandis enantiophaniis in vita publica Domini N. inserviunt. 191

II. De genealogiis Domini N. apud Matthaeum et Lucam conciliandis 195
III. De enantiophaniis in historia infantiae Domini N. 201

CAPUT III. DE QUARTO EVANGELIO EIUSQUE CUM SYNOPTICIS HARMONIA. . . 206

§ 7. *De Evangelio S. Ioannis seorsim spectato* 206
Quaestio I. De S. Ioannis, Apostoli et Evangelistae, vita. . . 206
(De S. Ioannis Apostoli commoratione ephesia; 210
Quid de *Ioanne presbytero* Eusebii sentiendum; 213
S. Ioannis Apostoli anni ultimi) 214
Quaestio II. De quarti Evangelii authentia et integritate . . . 216
Authentia testimoniis Patrum saeculi 2 218
eiusdemque aetatis haereticorum demonstratur; 224
comprobatur characteribus internis libri; 226
ab adversariorum calumniis et obiectionibus vindicatur. . . 229
De authentia pericoparum *Ioan.* 5,4; 7,53-8,11 232
et *Ioan.* 21,1-25 235
Quaestio III. Quem in finem et quibusnam quartum Evangelium sit scriptum 238
Primum voluit S. Ioannes messianitatem et divinitatem Iesu demonstrare fideique in Iesum, Christum et Filium Dei, necessitatem praedicare 238
idque in gratiam ecclesiarum asiaticarum, in quibus Cerinthi aliorumque systemata gnostica exoriri coeperunt 241
Secundum voluit supplere Evangelia synoptica 245
Quaestio IV. De quarti Evangelii ordine 247
Ordo quidem est chronologicus secundum seriem festorum, 247
(*Ioan.* 5,1 ἡ ἑορτή est pascha Iudaeorum) 249
at simul adest ordo quidam realis 252
Analysis quarti Evangelii 254
Quaestio V. Quando et quo in loco Evangelium sit scriptum. . 259

§ 8. *De quarti Evangelii ad synoptica relatione* 261
I. in narrationibus de vita publica Domini, ... 262
II. in sermonibus Domini relatis, ... 265
III. in historia passionis Dominicae 268
(De die ultimae coenae, ... 269
de Petri negationibus, ... 273
de crucifixionis hora etc) 275

§ 9. *Quatuor Evangeliorum brevis synopsis chronologica* 277
(Harmoniae Evangeliorum a Catholicis editae) 278
Fundamenta synopseos chronologicae 281
Synopsis vitae D. N. Iesu Christi secundum quatuor Evangelia 285

§ 10. *De praecipuis in Evangelia commentariis catholicis* 302
I. Interpretatio patristica 302
II. Interpretatio mediae aetatis 307
III. Trium ultimorum saeculorum interpretatio 310
(De interpretatione protestantica scholion) 314

SECTIO II 315

CAPUT IV. DE APOSTOLORUM ACTIBUS. 315

§ 11. *De Actuum Apostolorum authentia* 315
Actus Apostolorum primis Patribus iam cogniti, ... 317
ab exeunte saeculo 2. Lucae auctori attribuuntur 319
Quae traditio ab adversariorum obiectionibus vindicatur . . 321
§ 12. *De Actuum fine et historica auctoritate*. 326
Actuum finis idem est, qui tertii Evangelii. 327
Eorum auctoritas historica in rebus narratis. 330
et in sermonibus relatis vindicatur. 334
§ 13. *De Actuum ordine*. 336
Eorum analysis. 337
§ 14. *De Actuum chronologia*. 341
§ 15. *De praecipuis commentariis catholicis in Actus*. 345
(De commentariis protestanticis scholion). 348

DISSERTATIO II. DE LIBRIS DIDACTICIS NOVI TESTAMENTI. 349

SECTIO I. DE EPISTOLIS S. PAULI. 349

CAPUT I. DE EPISTOLIS PAULINIS UNIVERSE SPECTATIS 349

§ 1. *De S. Pauli, Gentium Apostoli, vita*. 349
I.-III. De Apostoli nomine, genere, educatione. 349
IV.-V. De Saulo persecutore eiusque conversione. 356
VI.-VII. Eius primi labores et primum iter apostolicum. 361
VIII. De dissidio propter Legis observantiam exorto. 365
IX.-X. Duo alia itinera apostolica Pauli. 367
XI.-XII. Eius captivitas, ultimi labores, martyrium. 371
Schema chronologicum vitae S. Pauli. 375
§ 2. *De epistolarum paulinarum numero et ordine*. 377
(Quo ordine chronologico sint conscriptae) 382
§ 3. *De earum argumento deque adversariis, qui in illis impugnantur*. 383
De eius adversariis iudaizantibus. 385
De eius adversariis gnosticis. 388
§ 4. *De earum forma externa*. 390
(Earum lingua, stylus, dispositio). 392

CAPUT II. DE EPISTOLIS PAULINIS SINGULIS. 397

I. De epistolis ante priorem Apostoli captivitatem scriptis. . . . 397

§ 5. *De duabus epistolis ad Thessalonicenses*. 397
I. De Thessalonicensium urbe et ecclesia. 397
II. Occasio et finis 1. *Thess*. 399
III. Analysis 1. *Thess*. 401
IV. Quo in loco et quo tempore sit scripta. 403
V. Occasio et finis 2. *Thess*. 404
VI. Eius analysis. 405
VII. Quo in loco et quo tempore sit scripta. 407
VIII. Utriusque epistolae authentia demonstratur. 408

obiectionibus contra 1. Thess. 410
et contra 2. Thess. solutis. 414
§ 6. *De epistola ad Galatas*. 415
I. De Galatia eiusque ecclesiis. 415
(Galatia S. Paulo est provincia romana huius nominis). . . 417
II. Occasio et finis epistolae ad Galatas. 422
III. Eius analysis. 424
IV. Ubi et quando sit scripta. 429
V. De eius authentia. 431
§ 7. *De duabus epistolis ad Corinthios*. 432
I. Corinthus eiusque ecclesia. 432
II. Occasio et finis 1. *Cor*. 433
(De factionibus Corinthiorum). 434
III. Eius analysis. 437
IV. Occasio et finis 2. *Cor*. 447
V. Eius analysis. 450
VI. Ubi et quando sit scripta. 455
VII. De utriusque epistolae ad Cor. authentia. 457
et de secundae integritate. 458
§ 8. *De epistola ad Romanos*. 458
I. De ecclesiae romanae initiis. 460
II. Occasio et finis epistolae ad Rom. 464
III. Eius analysis. 475
IV. Ubi et quando sit scripta. 476
V. De eius authentia. 478
VI. De eius integritate. 482

II. De epistolis in priore Apostoli captivitate scriptis. 482

§ 9. *De epistola ad Philippenses*. 482
I. De ecclesia philippensi. 484
II. Ubi et quando sit scripta ep. ad Phil. 486
III. Eius occasio et finis. 488
IV. Eius analysis. 490
V. Eius authentia et integritas. 493
§ 10. *De epistola ad Ephesios*. 493
I. De ecclesia ephesia. 495
II. Epistola ad Eph. revera ecclesiae ephesiae destinata esse demonstratur. 499
III. Quando et ubi sit scripta. 501
IV. Quae eius occasio et finis. 503
V. Eius analysis. 505
VI. Eius authentia demonstratur et vindicatur, ... 508
eiusque relatio ad ep. ad Coloss. explicatur. 511
§ 11. *De epistola ad Colossenses*. 511
I. De ecclesia colossensi. 512
II. De epistolae ad Coloss. scribendae occasione et fine. . . . 515
III. Eius analysis. 516
IV. De eius authentia. 519
§ 12. *De epistola ad Philemonem*. 520
(Eius authentia et canonicitas). . . . . .

§ 13. *De epistola ad Hebraeos.* 522
I. De epistolae ad Hebr. auctore. 522
Paulina epistolae origo testimoniis Patrum demonstratur, . 523
eiusque canonicitas asseritur. 529
At nihil obstat, quominus praeter Paulum *auctorem* alius vir apostolicus eius *scriptor* esse dicatur, ... 531
atque probabile est S. Clementem Rom. fuisse eius *scriptorem*. 533
Obiectiones contra paulinam epistolae originem allatae refutantur. 535
II. Palaestinensi ecclesiae epistola haec est scripta. 539
III. Ubi et quando sit scripta. 542
IV. Quae eius scribendae fuerit occasio et quis finis. 544
V. Eius analysis. 546
III. De epistolis pastoralibus. 551
§ 14. *De epistolarum pastoralium authentia.* 551
Patrum testimoniis earum authentia demonstratur, ... 552
et a rationalistarum obiectionibus vindicatur. 554
§ 15. *De epistola ad Titum.* 561
I. De S. Titi vita. 561
II. Epistola scripta est post priorem Pauli captivitatem. . . . 563
III. Quae eius scribendae fuerit occasio. 565
IV. Eius analysis. 567
§ 16. *De duabus epistolis ad Timotheum* 568
I. De S. Timothei vita. 568
II. Quando et ubi sit scripta 1. *Tim.* 569
III. Quae eius scribendae fuerit occasio. 571
IV. Eius analysis. 572
V. Obiectiones contra authentiam 1. Tim. examinantur. . . . 574
VI. Quo tempore et qua occasione sit data 2. *Tim.* 576
VII. Eius analysis. 578
§ 17. *De praecipuis commentariis catholicis in epistolas S. Pauli.* . 579
I. Tempore patristico; 579
II. Media aetate; 583
III. Tribus ultimis saeculis. 585
(Scholion de commentariis protestanticis). 587

SECTIO II. De epistolis catholicis. 588

§ 18. *De epistolarum catholicarum nomine.* 588
et ordine. 590
§ 19. *De epistola catholica B. Iacobi Apostoli.* 592
I. De epistolae auctore. 592
S. Iacobus Min. seu Alphaei, qui idem est ac S. Iacobus, frater Domini, ... 593
est auctor epistolae. 600
II. Duodecim tribus in dispersione, quibus inscribitur, proxime intelliguntur Iudaeochristiani extra Palaestinam degentes. 602
III. Scripta est brevi ante Apostoli mortem, ... 604
ad refutandos errores in ecclesiis Asiae ex male intellectis textibus paulinis exortos. 606

IV. De epistolae argumento et divisione. 607
V. Eius analysis. 606
VI. Eius authentia et canonicitas Patrum testimoniis demonstratur. 611
et ab adversariorum obiectionibus vindicatur. 614
§ 20. *De epistolis* 1. *et* 2. *Petri*. 616
I. De S. Petri Apostolorum Principis vita. 616
(Num in Asia Min. Evangelium annuntiaverit, ... 618
et Babylone consederit, quando priorem epistolam scripsit.) 619
II. Quibusnam destinata sit 1. *Petri*. 623
III. Quo tempore sit scripta. 625
(De eius relatione ad nonnullas epistolas paulinas). 626
IV. De eius fine et argumento. 628
V. Eius analysis. 629
VI. Eius authentia adstruitur et vindicatur. 631
VII. De occasione, fine, argumento 2. *Petri* epistolae. 634
VIII. Eius analysis. 637
IX. Eius authentia patristicis documentis demonstratur, ... 639
et ab obiectionibus vindicatur. 644
(Quae eius sit relatio ad S. Iudae epistolam) 645
§ 21. *De S. Iudae Apostoli epistola catholica*. 649
I. De vita S. Iudae. 649
II. De epistolae primis lectoribus, occasione, argumento. . . 651
III. Eius analysis. 653
IV. De eius authentia et canonicitate. 654
§ 22. *De tribus S. Ioannis Apostoli epistolis*. 657
I. De S. Ioanne Apostolo trium epistolarum auctore. 657
(Num duae posteriores epistolae « Ioanni presbytero » debeantur). 658
II. De 1. *Ioan.* destinatione. 661
eiusque ad quartum Evangelium relatione. 662
III. De eius argumento et ordine. 664
IV. Eius analysis. 666
V. De eius integritate. 668
Quid de authentia 1. *Ioan.* 5,7 doceant documenta critica, . 670
et documenta theologica. 679
VI. De 2. *Ioannis* epistola. 682
VII. De 3. *Ioannis* epistola. 684
§ 23. *De praecipuis commentariis catholicis in epistolas catholicas*. . 686
(Scholion de commentariis protestanticis). 688

DISSERTATIO III. De libro prophetico N. T. seu de Apocalypsi. 689
§ 1. *De Apocalypseos origine apostolica et divina*. 689
Primorum Patrum testimonia de S. Ioanne auctore Apocalypseos 691
S. Dionysii M. aliorumque dissensus. 695
Iuniorum Patrum graecorum testimonia. 697
Quo tempore sit scripta Apocalypsis. 698
(De numeri 666 explicatione). 702
S. Dionysii M. aliorumque argumenta contra apostolicam

originem Apocalypseos examinantur 703
§ 2. *De Apocalypseos charactere prophetico eiusque argumento et ordine* 710
(De rationalistica libri interpretatione) 712
Brevis apocalypticarum visionum conspectus 715
Catholicorum interpretum sententiae de visionum argumento 719
quod alii putant esse ultima Ecclesiae fata, ... 721
alii eius triumphum de synagoga et polytheismo, ... 724
alii integram eius historiam 726
Quodnam videatur esse praeferendum 728
§ 3. *De Apocalypseos fine eiusque utilitate* 731
§ 4. *De praecipuis commentariis catholicis in Apocalypsin* 735

ADDITAMENTUM

(Ad p. 679 sqq.)

Rationibus theologicis, quibus Commatis Joannei authentia comprobatur, omnino nunc addatur oportet decretum nuper a S. R. et U. Inq. editum et a S. P. Leone XIII (forma communi, sed non specifica) confirmatum.

« Feria IV, die 13. Januarii 1897. — In Congreg. Generali S. R. et U. Inq. habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis D.D. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisit. proposito dubio : *Utrum tuto negari aut saltem in dubium vocari possit, esse authenticum textum S. Joannis in epistola prima cap. V. vers. 7., qui sic se habet : Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo : Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt?*

Omnibus diligentissimo examine perpensis praehabitoque D.D. Consultorum voto iidem Eminentissimi Cardinales respondendum mandarunt : *Negative.*

Feria vero VI. die 15. eiusdem mensis et anni in solita Audientia R. P. D. Assessori S. Inq. impertita, facta de supradictis accurata relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII., Sanctitas Sua resolutionem Eminentissimorum Patrum approbavit et confirmavit.

J. CAN. MANCINI
S. R. et U. Inq. Not.

31051
CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V006
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS
3 0311 00015 7722

BS
475
.C6C8
AUTHOR
V.6
TITLE
31054
Cornely, Rudolph, 1830-1908
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE.
DATE DUE
BORROWER'S NAME
STUDENT
LIBRARY

3 0311 00015 7722